BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
4 C
5

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52.2.6
52
F
6

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS LIBRI QVATVOR.

IN QVIBVS QVOAD EASDEM TAM MAHVMETANI, QVAM EVROPAEI NOVATORES IN COMPARATIONEM CVM CATHOlicis adducuntur.

ACCEDIT CODICILLVS MONITORIVS AD RESIPISCENTES.

AVTHORE
BALTHASARO CHAVASSIO, SOCIETATIS IESV DOCTORE THEOLOGO.

Ex Legato Ill.mi Coccini

Anno M.DC.XL.

BIBL. SEC. COLL. ROM. SOC. IESV

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA ROMA

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.
INGOLSTADII,
Ex Typographeio ADAMI SARTORII

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D.D. ADRIANO SEDVNENSI EPISCOPO, VALLESIAE COMITI AC PRAEFECTO VIGILANTISSIMO:

VENERABILIBVS DD. DECANIS CAETERISQVE APVD SEDVNENSES CATHEDRALIS ECCLESIAE CANONICIS,

MAGNIFICO D. BALLIVO, ET ALIIS EIVSDEM VALLESIAE OPTIMATIBVS, POPVLOQVE VNIVERSO.

SI ordine conſidérent mortales omnes, Reuerendiſſime atque Illuſtriſſime Princeps, ſententiam vt dicerent interrogati quid maxime præter diuinam gratiam à quouis dum hic viuit ambiendum videatur, quia quot capita tot ſunt ſenſus, mira profectò, & vt in prouerbio eſt δὶς διὰ πασῶν inter ſe diſtantia,

Digitized by Google

quæ obid in magnam nos admirationem raperent, audiremus; nec dubium, quin longè aliud sonaret noctua quàm cornix, longè alia voce Psittacus quã coturnix loqueretur:

Persius.

Mille hominum species & rerum discolor vsus
Velle suum cuique est, nec voto viuitur vno.

Ego postremus omnium si iuberer in re tanta, mentis meæ sensa depromere, intrepidè negarem expetibilius quidquam esse ac gloriosius immensis laboribus orthodoxæ fidei religionisq; causa susceptis vel tuendæ vel propagandæ. In quo si mihi aliquos minus assentiri cernerem, & iudicij rationẽ mei postulare, mox grauissima illa Christi domini verba educerem quasi ex pharetra, *Vas electionis est mihi iste &c. Ego enim ostendam illi; quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Dicta hæc sunt de B. Paulo Apostolo, qui haud dubie electionis vas propriè perfecteque esse non potuit, nisi in eo poneret Dominus quod summè est eligibile; quid verò aliud posuit quàm labores eiuscemodi? *Ego* inquit, *ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* His perfunctus est ipse fidelissimè

Act. 9.

ſimè, ita vt ad extremum diceret *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* 2. Tim. 4.
In eandem arenam pugnaturus deſcendiſti Illuſtriſſime Princeps, in alto quoque throno ſedes ſpectaculum cum eodem Apoſtolo factus mundo, Angelis, & hominibus. Ad ardua te munia, ad operoſa gubernacula vocauit diuina pouidentia, patriæ adminiſtrationem intelligo, non temporalem modò, quæ tamen vna innumeris vbique curis eſt obnoxia, nec paucioribus calumniis & ingratitudinibus, Moyſem olim cogentibus his verbis ingemiſcere. *quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me*, ſed etiam ac multo magis ſpiritualem, quam artem artium vocare ſolebat magnus ille Gregorius. In qua ſi quod facere conſtanter niteris, ſic te geras, vt datam fidem liberes, nobilem in cœlo coronam, atque apud homines, præſertim apud Valleſianos tuos magni nominis exiſtimationem pari cum beneuolentia cōiunctam conſequeris, ſimulque relinques poſteris nunquam intermorituram tui memoriam, & probabis meritò inſigne tibi eſſe Exod. 17.

trifolium, in quo quiescere tutissimum est, quòd hæc herba vt à multis scribitur, serpentes non ferat. Quoniam verò quo facilius fœliciusque ad exitum pios conatus tuos deduceres, probe intelligens multorum manus onus leuius reddere, minimæ Societatis nostræ opera vti libuit; in me autem nihil tale cogitantem, & indignum quidem volente tamen Deo sors ista cecidit, quia eiusdem voluntas fuit, vt humeros subiicerem parti laborum, quos agri huius tibi crediti cultura postulat; parum esse duxi concionibus, Sacramentorum administrationibus, institutione Iuuentutis id præstare, quod mearum fuit virium, & perturbatio tulit temporum, & Sirrensis loci huius conditio, nisi prætereà in totius bonum Vallesiæ, quidquid in alio genere mihi de cœlo venit, quod sentio quā sit exiguum, superimpenderem, atq; ita labore nouo id vtilitatis afferrem, quod prioribus illis propter impedimenta non poterā. Semper enim insonuit auribus meis, & qualemcunque industriam meam vehementer acuit quod scriptum est *quidquid potest manus*

Eccles. 9. 2. Tim. 4. 2. Cor. 9.

nus tua instanter operare, & *in omnibus labora, ministerium tuum imple*, & *qui parcè seminat parcè & metet.* Horis itaque succisiuis opus hoc conscribere aggressus sum, cuius argumento ad collaborandum Euangelio nullum mihi visum est hac infelici ætate opportunius, nullum piis illis tentamentis tuis accommodatius. Quod proinde si vel suspicarer non fore tibi gratissimum, & male de te sentirem, & scelere me obstringerem, quod non facilè elueretur. Immò persuasum habeo si te interrogasse͂, nihil te à me fuisse magis, nihil prius petiturum. Habes iam quod postulasses, & gaudeo præuenisse me petitionem tuam, vt eo planius videas promptam meam voluntatem, quo liberius illam exerui, nec adactus imperio, nec stimulatus precibus, nec impulsus monitis. Si quid aliud sit in quo me tibi ad Dei gloriam vtilem esse posse censueris, id in me fidenter reiicias ad commissa omnia præsto semper futurum.

Non vos præteribo Reuerendi Patres, ex quibus apud Sedunenses cõsurgit corpus illud venerabile, cuius est piissimo Antistiti

salu-

Digitized by Google

ſaluberrima quæque ſuggerere, & in auguſta arce Valeriæ, velut in cœlo quodam Empyreo cœleſtium more ciuium Dei laudes concinere, ex eademque velut ex ſpecula ſpectata procul patriæ mala precibus auertere, præſentia diſſipare, & diuinam Maieſtatem facere toti vulgo propitiam. Venientibus huc nobis ſerio dicta lex eſt ab iis, quibus ſubiectos nos Deus voluit, debita vt vos ſemper veneratione officioq; proſequeremur, quod cum præſtare hactenus nequiuerimus occaſione deſtituti, nunc ſaltem aggredimur, vt Antiſtiti ſapientiſſimo, ſic vobis offerentes ſtudiorum noſtrorum manipulum, & conſitum atque in quadrum concinnatum arte noſtra viridarium, in quo ſpatiari cum grauiora vos negotia non detinebunt, erit vt ſpero non iniucundum; ſicut etiam varia in iis promontoria conſcendere, ex quibus quid apud Mahumetanos; immò quid in vtraque India, quid in Boreali & Auſtrali fiat plaga, licebit eminus contueri. Quanquam non manipulus ſolum, aut viridarium dici hoc opus debet, ſed etiam area, in qua fœliciter fortiſ-

Digitized by Google

fortissimeq; pro Helena sua contra Paridem depugnat Menelaus id est, pro vera religione contra eos qui Orthodoxi non sunt, Orthodoxus siue Christianus Catholicus. Certamen hoc spectasse cominus nunquā vos pœnitebit, siq; voluptati solet esse in re maximè cōtrouersa liquidi iuris manifestatio, gaudebit non dubito cor vestrum non obscurè intuens in hoc opere, penes quem cœtum mortalium vera sit religio, quam sibi omnes priuatim ac mira prorsus contentione arrogant.

Ad vos postremo sermonē conuerto, qui sub vigilantissimo Principe Magistratum geritis, aut subestis gerentibus; magnū nos semper desideriū tenuit vestram ineundi gratiā. In hunc finem facere adlaborauimus, quod reuera officiorum omnium est caput, fidei ac pietatis verè Christianæ documēta in omniū aures intulimus audire volentium, vitæ exēplo vtcumq; bono prodesse studuimus, ætatem teneram tingere bonis literis bonisque moribus vbique gratis conati sumus. Enim uerò quid prohibet potissimis istis officiis minora quædam adiicere? an quia minora sunt, idcircò officia non sunt, vel DD. VV. in-

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS

LIBRI QVATVOR.

IN QVIBVS QVOAD EASDEM TAM MAHVMETANI, QVAM EVROPAEI NOVATORES IN COMPARATIONEM CVM CATHOLICIS adducuntur.

ACCEDIT CODICILLVS MONITORIVS AD RESIPISCENTES.

AVTHORE BALTHASARO CHAVASSIO, SOCIETATIS IESV DOCTORE THEOLOGO.

Anno M. DC. XL.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiest.

INGOLSTADII,

Ex Typographeio ADAMI SARTORII.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO PRINCIPI D.D. ADRIANO SEDVNENSI EPISCOPO, VALLESIAE COMITI AC PRAEFECTO VIGILANTISSIMO:

VENERABILIBVS DD. DECANIS CAETERISQVE APVD SEDVNENSES CATHEDRALIS ECCLESIAE CANONICIS,

MAGNIFICO D. BALLIVO, ET ALIIS EIVSDEM VALLESIAE OPTIMATIBVS, POPVLOQVE VNIVERSO.

SI ordine considérent mortales omnes, Reuerendissime atque Illustrissime Princeps, sententiam vt dicerent interrogati quid maxime præter diuinam gratiam à quouis dum hic viuit ambiendum videatur, quia quot capita tot sunt sensus, mira profecto, & vt in prouerbio est δὶς διὰ πασῶν inter se distantia,

ſimè, ita vt ad extremum diceret *bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* 2. Tim. 4.
In eandem arenam pugnaturus deſcendiſti Illuſtriſſime Princeps, in alto quoque throno ſedes ſpectaculum cum eodem Apoſtolo factus mundo, Angelis, & hominibus. Ad ardua te munia, ad operoſa gubernacula vocauit diuina pouidentia, patriæ adminiſtrationem intelligo, non temporalem modò, quæ tamen vna innumeris vbique curis eſt obnoxia, nec paucioribus calumniis & ingratitudinibus, Moyſem olim cogentibus his verbis ingemiſcere. *quid faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me,* ſed etiam ac multo magis ſpiritualem, quam artem artium vocare ſolebat magnus ille Gregorius. Exod. 17.
In qua ſi quod facere conſtanter niteris, ſic te geras, vt datam fidem liberes, nobilem in cœlo coronam, atque apud homines, præſertim apud Valleſianos tuos magni nominis exiſtimationem pari cum beneuolentia cõiunctam conſequeris, ſimulque relinques poſteris nunquam intermorituram tui memoriam, & probabis meritò inſigne tibi eſſe

 triſo-

Digitized by Google

trifolium, in quo quiescere tutissimum est, quòd hæc herba vt à multis scribitur, serpentes non ferat. Quoniam verò quo facilius fœliciusque ad exitum pios conatus tuos deduceres, probe intelligens multorum manus onus leuius reddere, minimæ Societatis nostræ opera vti libuit; in me autem nihil tale cogitantem, & indignum quidem volente tamen Deo sors ista cecidit, quia eiusdem voluntas fuit, vt humeros subiicerem parti laborum, quos agri huius tibi crediti cultura postulat; parum esse duxi concionibus, Sacramentorum administrationibus, institutione Iuuentutis id præstare, quod mearum fuit virium, & perturbatio tulit temporum, & Sirrensis loci huius conditio, nisi prætereà in totius bonum Vallesiæ, quidquid in alio genere mihi de cœlo venit, quod sentio quã sit exiguum, superimpenderem, atq; ita labore nouo id vtilitatis afferrem, quod prioribus illis propter impedimenta non poterã. Semper enim insonuit auribus meis, & qualemcunque industriam meam vehementer acuit quod scriptum est *quidquid potest ma-*

Eccles. 9. 2. Tim. 4. 2. Cor. 9.

nus

nus tua instanter operare, & *in omnibus labora, ministerium tuum imple*, & *qui parcè seminat parcè & metet*. Horis itaque succisiuis opus hoc conscribere aggressus sum, cuius argumento ad collaborandum Euangelio nullum mihi visum est hac infelici ætate opportunius, nullum piis illis tentamentis tuis accommodatius. Quod proinde si vel suspicarer non fore tibi gratissimum, & male de te sentirem, & scelere me obstringerem, quod non facilè elueretur. Immò persuasum habeo si te interrogasse͂, nihil te à me fuisse magis, nihil prius petiturum. Habes iam quod postulasses, & gaudeo præuenisse me petitionem tuam, vt eo planius videas promptam meam voluntatem, quo liberius illam exerui, nec adactus imperio, nec stimulatus precibus, nec impulsus monitis. Si quid aliud sit in quo me tibi ad Dei gloriam vtilem esse posse censueris, id in me fidenter reiicias ad commissa omnia præsto semper futurum.

Non vos præteribo Reuerendi Patres, ex quibus apud Sedunenses cõsurgit corpus illud venerabile, cuius est piissimo Antistiti salu-

salubèrrima quæque suggerere, & in augusta arce Valeriæ, velut in cœlo quodam Empyreo cœlestium more ciuium Dei laudes concinere, ex eademque velut ex specula spectata procul patriæ mala precibus auertere, præsentia dissipare, & diuinam Maiestatem facere toti vulgo propitiam. Venientibus huc nobis serio dicta lex est ab iis, quibus subiectos nos Deus voluit, debita vt vos semper veneratione officioq; prosequeremur, quod cum præstare hactenus nequiuerimus occasione destituti, nunc saltem aggredimur, vt Antistiti sapientissimo, sic vobis offerentes studiorum nostrorum manipulum, & consitum atque in quadrum concinnatum arte nostra viridarium, in quo spatiari cum grauiora vos negotia non detinebunt, erit vt spero non iniucundum; sicut etiam varia in iis promontoria conscendere, ex quibus quid apud Mahumetanos; immò quid in vtraque India, quid in Boreali & Australi fiat plaga, licebit eminus contueri. Quanquam non manipulus solum, aut viridarium dici hoc opus debet, sed etiam area, in qua fœliciter

fortis-

Digitized by Google

fortissimeq; pro Helena sua contra Paridem depugnat Menelaus id est, pro vera religione contra eos qui Orthodoxi non sunt, Orthodoxus siue Christianus Catholicus. Certamen hoc spectasse cominus nunquā vos pœnitebit, siq; voluptati solet esse in re maximè cōtrouersa liquidi iuris manifestatio, gaudebit non dubito cor vestrum non obscurè intuens in hoc opere, penes quem cœtum mortalium vera sit religio, quam sibi omnes priuatim ac mira prorsus contentione arrogant.

Ad vos postremo sermonē conuerto, qui sub vigilantissimo Principe Magistratum geritis, aut subestis gerentibus; magnū nos semper desideriū tenuit vestram ineundi gratiā. In hunc finem facere adlaborauimus, quod reuera officiorum omnium est caput, fidei ac pietatis verè Christianæ documēta in omniū aures intulimus audire volentium, vitæ exēplo vtcumq; bono prodesse studuimus, ætatem teneram tingere bonis literis bonisque moribus vbique gratis conati sumus. Enim uerò quid prohibet potissimis istis officiis minora quædam adiicere? an quia minora sunt, idcircò officia non sunt, vel DD. VV. in-

grata esse poterũt? non credo. nam & litationes minimas quę scilicet fiebant farre vel milio, diis acceptas fuisse persuasum habuit prisca gentilitas. Sed neq; eo nomine ingratum vobis hoc munus futurũ est, quod illis quoq; aliis dedicetur, cum sit de genere rerum, quarũ perfecto vsui nihil in quoquã detrahit, quod ex iis alij quidam fructum percipiant. Cõstat solem Sirrensium nostrorum symbolum, & communem mundi oculum nihilo minus illuminare quemlibet, quàm si ad eum solũ radios suos transmitteret. Ex congiario epulo aut visceratione, tanto minus redit ad singulos quanto in plures distribuitur. Non idẽ accidit in bonis animi, quæ tota ad singulos perueniunt, nec cõmunicatione minuuntur. Sed fortè stomachum mouebit alicui argumentum operis, facietque ab illo vt audiam τῶν ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, aut parasse videar cum Atreo cœnam abominabilem. Iniuria affectus à Thyeste germano suo Atreus ob violatum torum coniugalem, clàm rapuit eius pignora, & rapta coxit coctaq; nefandæ fraudis nescio manducanda proposuit. Nihil minus facis dicat aliquis, prætentam religionem meam

meam quam vt filiam suauiari & reformatã appellare soleo, isto tuo in opere mihi exhibes iugulatam, & fœdo cruore madentem, omnique ex parte confixam & sauciam. Erras itaq; toto cœlo si gratũ mihi fore cẽses, quod non potest non esse ingratissimum. Si cui forte in mentẽ & buccam veniat hæc querimonia, rogatum velim secum vt cogitet veritate nihil fortius, sicut vno quondam ore acclamatum est à Medis & Persis, atq; ita Religionem veram premi quidem posse & impeti, 3. Esdr. 4. sed nec opprimi nec iugulari, proinde si quæ iugulatur falsam esse ac spuriam, Et quia falsa est, fallit te sui specie quisquis es, quandoquidem veram te credis amplecti, (vt iuxta Poetas Ixion ille Iunonem, postquam in nubem incidit) cum tamen planè sit alia. Ita fit, vt dum illam in frusta concido, dum iniuriam vindico qua te fuco suo affecit, dum iustas ab ea repeto tanti ludibrij pœnas, studiũ præ me feram iuris rerumq; tuarũ, amore ac præmio dignum non odio. Ne sim longior, vno eodemq; collyrio omnibus consulo, iis quidem qui iuxta sapientissimi consilium Regis trãsgressi non sunt terminos quos posuerunt Pa- Prouerb. 22.

 tres

tres eorum, quia propugno hæreditatem quã ab illis acceperunt, vt summo iure se niti videant, & videndo in sinu gaudeant: Cæteris verò, quia perspicuè demonstro aberrare illos à via veritatis, quam teneant oportet, vt inueniant refrigerium animabus suis. Vtinam duntaxat quantum in se est hoc beneficium, velint agnoscere. Reliquum itaq;, vt frui cupiant vniuersi labore nostro non sanè exiguo, nec paucarum horarum, & omni occasione quantulacumq; nostra vti opera atque industria, quam vltro deferimus, ac tandem persuasum habere Vallesiæ bono nihil nobis esse antiquius. Ventonæ Sirrensium.

Omnium addictissimus in Christo seruus

BALTHASAR CHAVASSIVS
Societatis IESV.

OPE-

Digitized by Google

OPERIS TOTIVS ARGVMENTVM AD LECTOREM.

TRagœdorum ac Comœdorum more breue in proloquium quæ fusè dicturi sunt contrahentium, do tibi candide lector, instituti totius mei rationem & argumentum. Opus hoc vniuersum libros quatuor complectitur, in quibus euincere adlaboro, religionem veram nequaquam à Mahumetanis & sectariis occiduis, sed à nobis tantummodo; id est, Christianis Catholicis seu Romanis stare. In eum finem singulas eius notas percurro, quas ostendo à cultu quem priores illi se Deo exhibere gloriantur, alienissimas; ei verò quo diuinam eius maiestatem prosequimur, velut innatas, penitissimeque coniunctas. Ex quo infero oportere eos, si quidem æternæ saluti suæ consultum velint, *δευτέρας φροντίδας* ponere in rebus suis, & mutato maturè prudenterque consilio ad caulam redire dominici gregis, *extra quam quicumque agnum comederit, profanus est* vt ait S. Hieronymus, *& in qua quicumque non fuerit, peribit regnante diluuio.* Has religionis veræ notas in quatuor genera partior. Aliæ enim petuntur à propriis seu elicitis eius actibus, cuiusmodi sunt deuotio, oratio, sacrificium & cæt. aliæ ab actibus imperatis, qualem dicimus obedientiam, pœnitentiam, charitatem & cæt. quædam à proprietatibus & prærogatiuis, vt ab antiquitate, ab amplitudine; nonnullæ denique ab effectibus, exempli

Marginal notes: 1. — Epist. 57.

pli gratia à conuersione infidelium, ab ordinatissima dispositione rerum omnium. Neque enim vnquam ab aliis rerum naturam atque à cæteris differentiam sumus deducere soliti. Primo itaque libro de obiecto remoto Religionis, hoc est, de Deo deque præcipuis eius attributis dissero, & subinde primi generis notas expendo, id est, actus elicitos; in secundo actus imperatos, in tertio notas profero quas tertij ordinis esse diximus, in vltimo quas ad quartum & vltimum reuocauimus. Et quoniam euenire poterit auspice Deo, vt de irreligiosis illis hominibus aliquis horum lectione librorum in erroris sui, seu adulterinæ religionis deductus notitiam; optet è cymba perditionis elatum pedem in salutis portum transferre, & sese nobis Catholicis aggregare; trepidet tamen, aut nondum satis intelligat, quam methodum in hoc salutari postliminio tenere debeat, vt quondam non intelligebant, qui compuncti corde dicebant; *quid faciemus viri fratres*? Codicillum monitorium attexui, in quo illum de omnibus cumulatè satis instituo, cum Plutarcho ratus eos qui de virtutibus verba faciunt, sed eas adipiscendi modum silentio prætereunt, adeò parum Auditori consulere, vt ijs comparari non immeritò possint, qui cum lucernę ellychnium applicent oleum tamen infundere prętermittunt.

Act. 2.

3. Hoc argumentum tractare libuit, quia è tot scriptoribus qui seculo isto nostro claruerunt, & nihil ferè intentatum intactumque reliquerunt, nemo quod sciam, seriò ad istud animum adiecit, in quo interim non parum est vel tyronem agere, & fortè maius secundum esse, quam in plerisque aliis primum. Non quod nequiuerint plurimi, sed quod noluerint, vel illis forsitan in mentem non venerit. Nemo inquam Religionis veræ naturam & appendices, quod sæpenumerò mihi doluit, & admirationi fuit

Digitized by Google

fuit, integrè, ex instituto ac pro dignitate est prosecutus: multò minus cum Catholicis eos qui Catholici non sunt, in ea comparauit, ad quos interim reuincendos nihil hac comparatione præsentius meritò videri poterat, quæ idcircò nullo modo prætereunda fuit, ne sexcentis aliis inferioris notæ rebus stricta solutaque oratione ad nauseam vsque descriptis Religio se vnam suaq; iniustè prætermissa iure quereretur. Accessit importuna illa iactantia, qua virtutem hanc Nouatores quasi sponsam sibi priuatiuè arrogant, ac perpetuo quasi sermone circũferunt. Etenim cum rem non possint, nomen saltem obtrudunt crepantibus buccis, vt quo irreligiosiores sunt, eo religiosiores esse videantur. Impulit hoc Iustinianum Imperatorem, de illorum Maioribus vt diceret, *desinant affectatis dolis alienum veræ Religionis nomen assumere*. Nimirum videbat eos nihilo æquius Religionis vocem obtendere, quàm olim Donatistas pacis ac tranquillitatis, ad quos Optat. Mileu. *quid salutatis de quo nihil habetis? quid nominatis quod iamdudum vestris defectionibus exterminastis?* Pari iure si non maiore dixero, quid vobis ô sectarij cum Religione, quam à profano cœtu vestro procul abegistis? cuius vix vmbram retinetis? cui bellum atrocissimum terra, mari, nauibus, quadrigis, velis, equis, manibus, pedibus, eminùs, cominùs, omnibus neruis, omni denique telorum genere indixistis? cui pio viro stomachum non moueat? quem silere sinat ventosa hæc stultitia & stulta ventositas? cui grauis non sit inanis hæc κενοδοξία ridiculaque ostentatio? Atque vtinam duntaxat irreligionem vestram religionem diceretis, & non insuper ad cumulum fastus qui incautos circumueniat, impollutam, sinceram, scoriæ omnis expertem. Tempus fuit cum Henrico 2. & Carolo 9. Christianissimis Gallorum Regibus libellos supplices obtulistis, ô Caluinistæ, orantes vti vobis per eos liceret illam

C. de sum. Trin. 2.

lib. 3.

illam reformatam, ſeu putam putam non habentem maculam aut rugam dicere (ſic Vatinius ille vocabat ſe Pythagoricum, hominis vt doctiſſimi nomen immanib. ſuis, barbariſque moribus prætenderet) quod audiens Heroclitus tantum non eſt cachinnatus; Regibus verò ſapientiſſimis iuſta indignatione commotis author fuit poſtulatio hæc inſulſiſſima, vt ei nuntium remitterent, vel eouſque ſaltem præciderent, vt poſt hac reformatam agnominare nequaquam ſineremini, ſed quam reformatam prætenderetis. Bonos item omnes magna ſollicitudine affecit diuinare neſcios eſſetne maiori admiratione proſequenda ob impudentiam, quàm ſupplicio propter iniquitatem vindicanda: quippe de re quauis iuxta Ariſtotelem conſtare primum ac quæri oportere an ſit, tum quid ſit, tertiò qualis ſit. Quamobrem incumbebat vobis à principio religionem aliquam penes vos eſſe demonſtrare, priuſquam illam ſpecioſiſſimo reformatæ titulo inſigniretis quandoquidem *non entis* ſi iuri credimus, *nulla ſunt qualitates.* Adductus denique ſum, vt hoc opus conſcriberem, quod ipſum irreligioſiſſimo huic ſeculo perutile fore conſiderem, futuris adhuc vtilius, in quibus Diabolus Lamiæ illi perſimilis, quæ apud eundem Ariſt. cum ſuos amiſiſſet filios, inuidia flagrans, aliarum mulierum infantes aperto vtero deuorabat, & quaſi Leo à cauea ſolutus, rabie quàm prius grauiore Chriſti veræque Religionis filios infeſtabit, legitimum Dei cultum penitus abolere, vel ſi id non poſſit, deformare ſaltem adnitetur. Quæ proinde præſidium in his ſcriptis non paruum inuenient, vt potè quorum lectio quænam ſit vera Religio, quis genuinus Dei cultus, certò ac perſpicuè propalando bonos in ſua ſtatione confirmabit, vt non extendant ad iniquitatem manus ſuas; lapſis verò minimèque orthodoxis incentiuum erit ad reſipiſcendum. Gratulans ſibi idem Philo-

Cic. in Vatinium.

lib. poſt. reſol.

l. eius qui ſi certũ. ff.

Philoſophus nauatam à ſe operam libris Moralium dicebat. *Enimuerò præclarè nobiſcum agitur, ſi quod vni ſoli ſit vtile, reperire poſſimus.* Multò magis operæpretium iudicaui, quicquid eſt in me ingenij, quod ſentio quàm ſit exiguum, in opus illud conſcribendum impendere, in cuius argumento fons latet non temporalis ſolum priuatique commodi, ad quod vnum collimabat magnus ille Peripateticus, ſed quod amplius eſt vtilis omnib., & ſaliens in vitam æternam. vnde verba iſta ibidem attexuit. *Sed longè profectò id pulchrius, ac diuinius, quod Gentibus & ciuitatibus vſui eſt.* *L. 1. Ethic. cap. 10.*

3\. Peroptaſſem vt eidem eloquentior alius ſuam conſecraſſet dicendi facultatem, qua maximè faſtidioſi homines illici ad legendum ſolent, quidquid ea concinnatum non fuerit abominantes, & quod longè eſt intolerabilius, coniecturam interpretantes cauſæ malæ. Verum, cum multo tempore perpendiſſem, detineri argumentis aliis omnium penè facundiam, ſtilo inſtructus licet minus exculto, audendum aduerſus Philiſtæos exiſtimaui Dauidis exemplo dicentis, *Non concidat cor cuiuſquam in eis, vadam & auferam opprobrium populi noſtri de manu eorum.* *1. Reg. 17.* Nam Epiphanius in opere aduerſus hæreſes, manifeſtè prænuntiat ipſo in limine ſui eſſe conſilij, eas confutare, non per verborum eloquentiam, non lepiditate aliqua dicendi, ſed ſimplici loquendi idiomate, ſimplici ſermone. Intelligebat nimirum vir ſapiens eloquentiam non tanti faciendam, quin magis adhuc veritatis ſit habenda ratio, à qua tanto diſtat interuallo, vt & quæ falſiſſima ſunt elegantiſſimè, & quæ veriſſima dici contra ſimpliciſſimè poſſint. Quid minus verum dogmate Manichæorum? Fauſti tamen facundiæ perhibet his verbis teſtimonium S. Aug. *Iam venerat Carthaginem quidam Manichæus Fauſtus nomine magnus laqueus Diaboli, & multi implicabantur in eo per ille-* *L. 5. Conf. cap. 6.*

C *cebras*

Digitized by Google

cebras ſuauiloquentiæ. Et infra *vbi veni, expertus ſum hominem gratum, & iocundũ verbis, & illa ipſa quæ dicere ſolẽt, multo ſuauius garrientem.* Quid contrà, ſcriptura ſacra verius aut ſanctius? & tamen nihil ſimplicius, imò ab elocutione videtur, velut ab odioſo Lenocinio abhorrere. Vnde S.Chryſoſtomus: *In humana ſapientia omne ſtudium concinnandis verbis adhibitum eſt, hic verò prorſus aliter, nullam ſcripturæ habent rationem pulchritudinis, aut compoſitionis verborum.* Hæc dixerim non vt eloquentiam eleuem, ſed vt bone lector recogites, nec aliquid recipiendum eo ſolo nomine, quòd ea condiatur, nec reſpuendum ſtatim, quòd ſine ea propinetur, & vt in Neronis capedine venenum, ſic in vaſculo Samio bibi poſſe vinum optimum.

Homil.37. in Gen.

Horat.ſaty. 2.

Num tibi cum fauces vrit ſitis, aurea quæris
Pocula? num eſuriens faſtidis omnia præter
Pauonem Rhombumque?

In eandem ſententiam præclarè vt alias vbique Seneca, *Non quærit æger Medicum eloquentem, ſed ſanantem.* Sufficere debet ſi non ſit dictio barbara. Nemo argentum dixerit ideò abiiciendum, quia non reſplendet vt aurum. Sicut plerumque humano in corpore oculis capto hunc naturæ defectum vberè compenſant odorandi ſagacitas, auditus acutiſſimus, fortia latera, lacerti robuſtiſſimi; ita non ægrè accidit, vt in opere cuius dictio vulgaris eſt, humilis ac pedeſtris, plurima viciſſim emineant, ordo, methodus, perſpicuitas, argumentum, rerum ſententiarumque varietas, temperata breuitate prolixitas, & prolixitate breuitas. Vitis arbor in ſpeciem vilis, omnium tamen arborum nobiliſſima eſt fructumque profert dulciſſimum, cuius deſiderio tenentur omnes. Puerorum denique & Hæreticorum eſt veritate poſthabita eloquentiam vnam conſectari, Atticiſmos quærere, dilatare ſeſe verborum ſonitu, vim vocis tenoremque probè meditatum

tum

Digitized by Google

tum habere, & maiores Phariſaicis ſententiarum fimbrias
ſibi alligare, de quibus S. Leo *quomodo decipere poſſent ſim-* Epiſt. 93.
plices, niſi venenata pocula quodam melle prælinirent, ne vſque
quaque ſentirentur inſuauia, quæ eſſent futura mortifera. Ho-
minum vero iudicio præditorum ita in ſpeciem veritatis
intendere, vt ſibi quidem ſermonis gratulentur nitorem
ſi adſit, ſin deſit non multum requirant, quia non dictio,
ſed mens quæ religioſè agit, fide digna eſt, & vt cautè an-
notauit Iuſtinus martyr, *non in dictis ſed in factis res religio-* In orat. ad Gentil.
nis noſtra conſiſtunt. memor ſcilicet boni illius ſenis à quo
in fide Chriſtiana inſtitutus fuit, quique illum animad-
uertens ſermonis cultui ſe totum tradere, dixit *ergo* φιλόλο-
γος *id eſt, ſermonis amator quiſpiam tu es,* φίλεργος *haud qua-*
quam, id eſt, operis? neque φιλαλήθης *ſeu ſtudioſus veri, & opero-*
ſus potius, quàm ſophiſta verboſus eſſe contendis? Ipſemet De-
moſthenes cum ei fuiſſet renuntiatum dictionem ſuam
quaſi non ſatis Atticam ab Æſchine reprehenſam *ſe pur-* In orat. ad Brutum.
gans iocatus eſt, inquit M. Tullius. *negans in eo poſitas fortu-*
nas Græciæ. Moyſem prætereo qui legatione functus eſt
pro Deo, eſto non eſſet eloquens ab heri & nudius tertius.
Tergiuerſabatur Hieremias dicens, *A, A, A, Domine Deus,* Hier. 10.
ecce loqui neſcio, nihilominus in Prophetam aſſumitur. 1. Cor. 2.
Sermo meus verba ſunt Apoſtoli, *non in perſuaſibilibus hu-*
manæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis, vt
fides veſtra non ſit in ſapientia hominum ſed in virtute Dei.
Quid plura? expoſtulanti de vulgari meo dicendi genere,
obiiciam clypei loco illud S. Hieronymi. *In tabernaculo Dei* Præf. in lib. Reg.
offert vnuſquiſque quod poteſt, alij aurum, argentum, lapides
pretioſos; alij byſſum, purpuram, & coccum. Nobiſcum benè
agitur, ſi obtulerimus pelles caprarum & pilos. Et tamen Apo-
ſtolus contemptibilia iſta magis neceſſaria iudicat, vnde tota illa
tabernaculi pulchritudo, & per ſingulas ſpecies Eccleſiæ præſen-
tis futuræque diſtinctio, pellibus tegitur & ciliciis, ardoremque

Præf. lib. 1. de prouid. *ſolis & imbrium ea quæ viliora ſunt prohibent.* Illud item Saluiani; *In ſcriptionib. noſtris nō lenocinia eſſe volumus, ſed remedia, quæ ſcilicet non tàm otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint, magnum ex vtraque re fructum reportaturi. Si enim hæc ſalus noſtra ſanauerit quoſdam, fructus erit non paruus profuiſſe, ſin autem hoc non contigerit, hoc ſaltem fructuoſum erit quod prodeſſe tentauerim: mens enim boni ſtudij & pij voti etiamſi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.*

4. Cum ſolis Mahumetanis & ſectariis Europæis ſigna confero, eo quod cæteri omnes vel Iudæi ſint vel barbari. Si Iudæi, conflictum breuem poſtulant, cadentq; cauſa properè, ſi modo euicerimus Chriſtum Dominum verè Chriſtum fuiſſe in ipſorum lege promiſſum; quandoquidem hæc vna maximè controuerſia eſt, quæ illos à nobis ſeparat. Hoc autem in c. 8. libri primi ſic demonſtrabo, vt meritò ad eos reuincendos ſatis videri poſſit. Taceo Iudæis non pauca eſſe cum Mahumetanis communia. Eadem apud vtroſque Monarchiæ Politia, idem Polygamiæ ſtudium, eadem ſuillæ carnis abſtinentia, idem ſignū circumciſionis, eadem facilitate vxoribus datur libellus repudij, ſimilis apud vtroſque lunarium menſium obſeruatio, quare communis quoque ruina erit communis expugnatio. Si barbari, tàm manifeſta eſt illorum irreligioſitas, quatenus multos Deos colunt, & viliſſimis creaturis diuinos honores deferunt, vt in iis confutandis moras ponere, abuti ſit otio. Præterquàm quod ab Euſebio, Lactantio, Tertulliano, Iuſtino martyre, S. Thoma Aquinate & aliis viris doctiſſimis profligata fuſiſſimè eſt omnis eorum vanitas atque ſuperſtitio, & nos inferius cap. 3. aduerſus Polytheos omnes non pauca dicturi ſumus. At fortè eamdem ob cauſam diſputatione aduerſus Mahumetanos ſuperſedendum fuit, quorum perſpicua pariter

eſt

Digitized by Google

eſt impietas, aperta ſtoliditas, ridicula ſuperſtitio. Nego eandem eſſe rationem. Etſi enim quantum ad nonnulla dogmata, quorum vnum eſt ſitam eſſe in venereis voluptatibus æternam beatitudinem, pleriſque ſint barbaris cæciores, quoad alia tamen præcellunt multis partibus vt quod idola non colant, quod Deum vnicum agnoſcãt, eumque non manu factum, quod Chriſtum ſummum Prophetarum longèque ſanctiſſimum, & Iudicem futurum orbis terrarum confiteantur, quod ſanctiſſimæ illius matri nihil per partum de virginitate detractum credant, quod ad erogandas eleemoſynas ſint promptiſſimi. Ita ergo fit, vt cum ſectariis mihi eos præſtituere debuerim, cum præſertim arrodant ſenſim infœlicem Europam noſtram, ob idq; ſeriò citòque communiendi ſint aduerſus illorum impietatem Chriſtiani. Maximè porrò quidquid mihi eſt virium aduerſus Mahumetem, & ſectariorum Patriarchas Lutherum, Caluinum, Zuuinglium, Pacimontanum, vt olim S. Auguſtinus contra Fauſtum, Donatum, & Pelagium conuerto, tùm quia totius mali ſatores cum fuerint, digni ſunt qui præcipuos Catholicorum inſultus experiantur; tùm quia percuſſo paſtore facilè diſperguntur oues gregis. Quocirca Samſon vt domum ac Philiſtæos pergræcantes ſubrueret, ſatis eſſe credidit, ſi quibus tota nitebatur, columnas excuteret. Godefridus item Bullonius ad profligandos Saxones vnum Radulphum eorum Regem aggreditur, quem dum conficit, illi partim in fugem vertuntur, partim ineunt de deditione conſilium. Nec me mouet, quod tergiuerſando dicere ſolent ſectarij, nequaquam iuraſſe ſe in ſententias & verba illorum ſuorum Anteſignanorum, obidq; minimè eſſe cõſequens vt his profligatis deuicti ipſi videãtur: hoc enim verè tergiuerſari eſt, & ficus ſibi folia conſuere, & rimam quærere, per quam ſi fieri poſſit elabantur, & ſe redarguti

Tyr. lib. 10. de bello ſacro cap. 8.

C 3 pro-

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

proripiant, cum conſtet illos reipſa iis adhæreſcere, eorum dogmata propugnare, libros manibus terere, eorum ſequacibus ſeſe adiungere. Poterant eodem ſanè aſtu Auguſtini acres diſputationes eludere Manichæi, Pelagiani, Donatiſtæ, ſed animaduertens Doctor hic ſolertiſſimus effugia eſſe puerilia, perrexit ſolos ipſos primipilos impetere, in quorum lumbis cæteri continebantur. Qui ſi Epiſcopo ſeu Magiſtro ſe nulli prorſus, & in omnibus fidem habere dixiſſent, argui mox hoc pacto poterant. Ergo ſingulares Eccleſias conſtituitis, imò verò de Eccleſia non eſtis; ſi namque nemini in omnibus conſentitis, & viciſſim nemo vobis, quomodo vos hoc eſt priuata indiuidua Eccleſiam quæ multitudinem ſonat vnionemque fidelium conſtituitis?

5. In ſingulis capitibus antefero Nouatoribus Mahumetanos, vtpotè multò plures & antiquiores, *à vetuſtioribus autem eſt incipiendum*, in pleriſque etiam religioſiores, vt præclarè demonſtrat totis 4. libris in ſuo Caluino-turciſmo Guillielmus Reginaldus, quos proindè tanquam meliores, vel vt melius dicam minus malos prætuliſſe oportuit.

Lib. 2. de ſtat. hom. ff.

Quæ de Mahumetana Turcarumq; religione hic commemorata audies, mea non ſunt, ſed ex optimis quibuſq; Authorib. huc tranſlata, qui diu apud illos verſati magna conſenſione conſignarunt literis, quæ oculis & ſuo ſæpè damno probauerunt. Huiuſmodi ſunt inter alios præter Zonaram & Chalcondylam Richardus Florentinus ex ordine Prædicatorum, Achemenides quondã Mahumetanus, cuius extant Apologiæ tres contra Muſulmanum Samſtatem, Septem Caſtrenſis qui ex Hungaria Adrianopolim abductus cum aliis captiuis anno 1426. duram illam pertulit ſeruitutem vſque ad annum 1458. Bartholomæus Georgeuiſius qui 13. annos eodem preſſus iugo omnia experi-

Digitized by Google

perimento didicit. Nicolaus de Nicolai, Theuetus, & Villamontius ſcriptores Galli, Antonius Mænauinus Genuenſis. Præter quorum commentarios legi non oſcitanter Alcoranum totum, quem aliter Alfurcan, ſeu librum Curaan, aliter Muſcaphus vocant (teſte Lazaro Soranſo in ſuo Ottomanno) ex tranſlatione Petri Cluniacenſis, Dialogum Mahumetis cum Iudæo, Pauli Iouij tractatum de rebus Turcicis, Cenſuram Ludouici Viuis de Mahumete & Alcorano, eiuſdem Alcorani cribrationem Nicolao de Cuſa Cardinale Authore, præfatum Lazarum, Cuſpinianum, Poſtellum, Munſterum, Martinum Cruſium, Volaterranum de legibus Mahumetis, Hieronymum Sauanorolam contra eiuſdem ſectam, Philippi denique Loniceri Chronica Turcica. Nec moror ex his authoribus paſſim à me citandis in decurſu operis, damnatos eſſe nonnullos, vt eundem Philippum, Cuſpinianum, Munſterum &c. quia in eo in quo citantur damnati non ſunt; alia ex parte res Turcicas exploratiſſimas habuerunt, & tanto minus videri poſſunt illas calumniari, quanto magis obſtricti variis erroribus religioni ac fidei veræ aduerſariis, ad ſuperſtitiones gentis illius propenderunt.

S. Auguſtinum poſt Apoſtolos vbique ſummum, vbique fermè, ac multo crebrius quam Patres cæteros loquentem induco, partim propter ingenij eminentiam, partim quod Nouatores animaduertam eius authoritatem loco habere plurimarum. Vndè & Caluinus in citandis eius ſententiis perfrequens eſt, quin etiam interpretem facit eum, teſtemque fideliſſimum antiquitatis. Multum quoque ei tribuerunt olim ſcriptores famoſiſſimi vt S. Hieronymus, S. Paulinus Nolanus Epiſcopus, & Proſper Aquitanicus; quorum primus ſic ſcribit. *Macte virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ* 6.

Lib. 3. Inſt. c. 3. n. 10. & lib. 4. c. 9. num. 3.

rurſum

rurſum fidei venerantur & ſuſpiciunt. Secundus autem. *O verè ſal terræ quo præcordia noſtra ne poſſint ſeculi errore vaneſcere, condiuntur, ô lucerna dignè ſuper Eccleſiæ candelabrum poſita, quæ denſas hæreticorum caligines diſcutis, & lucem veritatis à confuſione tenebrarum ſplendore clarifici luminis enubilas.* Tertius denique *Auguſtinus acer ingenio, ſuauis eloquio, ſecularis literaturæ peritus, in Eccleſiaſticis laboribus operoſus, in quotidianis diſputationibus clarus, in omni ſua actione compoſitus, in quæſtionibus diſſoluendis acutus, in reuincendis hæreticis circumſpectus, in explanandis ſcripturis cautus.* Et certè vt Opalus multarum aliarum gemmarum dotes continet, vt carbunculi tenuiorem ignem, amethiſti purpuram, Smaragdi mare virens, ſic ille dotes patrum, Doctorumq; complurium.

Hier. epiſt. 80. Paul. epiſt. ad Auguſt. Proſp. l. 3. de Vita cont. c. 31.

7. Quo vtor modo in aſſerenda Religione Catholica, ſubruendisq; cōtrariis, ſcholaſticus perſectè non eſt, ſed propter ſubiectam materiam Oratorum declamationes adumbrat ſua inprimis adſtruentium, tum verò aduerſa conuellentium. Vnde & Bellarminus & Gregorius à Valencia notas tractantes Eccleſiæ, ſimilem ſibi rationem ineundam cenſuerunt.

8. Vnum ſupereſt lector quod his ſubiiciam. Si te vnum de ſectariis eſſe contigerit, vehementer rogo ne ad hæc noſtra perlegenda bona fide incomitatus accedas. Depone amabo, tantillo tempore inſanum illud præiudicium, quod ſanū anteuertens, irrepſit audax in penetralia mentis tuæ, oſtentatque pro religione vera falſiſſimam. Aer qui eſt in aurib. niſi tranquillus ſit, non exactè recipit quæ dicuntur. Adiaphorum te arbitrum præbe ſermocinationibus noſtris, ac ſi nulla in iis tua, ſed aliorum duntaxat cauſa ventilaretur. Efficiam quippè non ego, ſed gratia Dei mecū, vt ſic intelligas nihil ad te de vera præter corticem foliaq; pertinere, aliam tibi quercum excutiendam, religio-

Digitized by Google

religioni cui te imprudens addixiſti, minus aliquid cum cum vera conuenire, quàm ſui amaracino, vel graculo cum fidelibus; & prædicantes tuos quorum ampullas ac verba ſuſpicis, meros eſſe circumforaneos, chymicos, empyricos, ſuaues animicidas, & aureorum montium qui nullibi ſunt, vaniſſimos iactatores. Quod ſi nomine religionis eam pertinaciter inſignire perrexeris, lanam caprinam ſectabere, de qua non magnopere digladiandum. Res ipſas ponderamus, de voce contendere, & clamores in cœlum tollere, conſuetudinem non habemus, nec Eccleſia Dei. Quare illam tibi ſine palæſtra & ſudore dabimus, eo modo quo Damys Lacædemonius Alexandro Magno dedit, cœleſtis eſſe nomenclaturæ. Cum enim per literas petiuiſſet Alexander, vt ſibi Spartanorum decreto diuini honores deferrentur. *Age* inquit Damys *concedamus ei ſi velit appellari Deus, at certè non erit.*

His quatuor libris quadruplicē tibi mihiq; pro hac Helena dimicaturo arenam paro, nihil de iure dimicationis dubitans, nihil de cauſæ meæ æquitate, nihil de ſpe victoriæ; ſed de hoc vno anxius, ſiſne victori herbam vt aiunt, porrecturus, vbi audies αἶρε δάκτυλον, fatere te victum, vbi te irreligionis conuicerit manifeſta veritas, & Achanū imitaturus, qui cum à Ioſue audiuiſſet, *Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* proteruia depoſita ingenuè reſpondit, *verè peccaui Domino, & ſic & ſic feci.* an eos potius de quibus ſcriptum eſt *peruerſi difficilè corriguntur.* Eſt ſiquidem contumacia quod pace tua tuorumque dixerim, Genio veſtro mirè congenita, & ſi mihi non vis credere Iuſtiniano crede Imperatori ad Conſtantinopolitanos ita ſcribenti. *Hi incurabiles cum ſint, celantes errorem ſuum paſſim circumeunt, ſimpliciores animos exturbant, & ſcandalizant.* Cyrillo item Alexandrino fidem habe, apud quem iſta legimus. *Anima*

Ioſ. 7.

Eccleſ. 10.

Epiſt. ad Proclum.

ma agrotans peruerſorum dogmatum, & intellectuum putredine inſanabilem habet paſſionem. Certè præter Eutychetem & Berengarium Hæreſiarcha vix alius ad ſanam mentem rediiſſe perhibetur; imò cum huius aliquoties auulſa impietas videretur, neſcio qui fiebat, vt horum infœlicium Zizaniorum ſtolones antiqui ſuppullularent velut hydræ capita. Nimirum quemadmodum iuxta Ariſtotelem & S. Thomam vinum leui momento in acetum vertitur, acetum vero naturaliter in vinum mutari non poteſt; ſic cum peruius ſit Catholico cuiuis prolapſus in hæreſim, regreſſu tamen nihil operoſius, ſi humanis viribus negotium hoc committatur. Rectè Ariſtophanes *nunquam efficies vt rectè ingrediantur cancri.* Seriò admonuit Ezechias Rex Iuda religioſiſſimus filios Iſrael qui erant de regno Samariæ, vt more patrum ſuorum venirent in Hieruſalem oblatum ſacrificium, ſed quid accidit? irriſerunt & ſubſannarunt tàm literas, quàm curſores Regis. 2. Par. 30. Ægerrimè remedium admittunt, qui morbum non ſentiunt, velut Lethargici & phrenetici. Quod licet ita ſit, ne tamen in hoc argumentum incumbens animum deſponderem, iubere viſus eſt ille, qui facit mirabilia magna ſolus, & linguas infantium diſertas, qui abiecta mundi eligit vt confundat fortia, cuius adminiculo Samſon in aſini mandibula mille proſternit hoſtes, qui denique ait. *Ego antè te ibo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.* Scio cui credidi & certus ſum, quia ſtimulabit te ad pœnitentiam, eritque tibi durum contra ſtimulum calcitrare. Diffido humanitus conuerſioni tuæ, meam quippè vim omnem vincit ſui magnitudine, ſed non diuinam, in quam intendens tunc etiam mihi de te boni aliquid pollicebor, cum veritati magis obluctantē videro, memoria repetens dignam Philone ſententiam. Is cum Romam miſſus pro gente ſua quæ Alexandriæ degebat, legationem

Ariſt. lib. 8. Metaph 5. Th. 3. p. q. 74. a. 5.

In pace.

Iſa. 45.

Digitized by Google

tionem apud Caium Imperatorem obiret,&Caius ab Appione Iudæorum hoste inflãmatus, dicere volentem non interpellasset modò, sed etiã præcepisset vt procul abscederet,contumelia & conuitiis impetitus Concilio egreditur, & consternatos socios tunc maximè bono animo iubet esse dicens, *humanis rebus desperatis, minime defuturum Deum adopitulandum,sed si vnquam alias, præsto fore.* Horrebis hæc fortè cum primum accipies, sed audienda est tota lex, deinde iudiciũ promendum.Si me audias, monstrabimus nostræ Religionis splendidã lucem, & tuæ obscuram caliginẽ detegemus, sed opus est æquis & attentis auribus, quãdo Religionis sublimitas attingitur,& magni Dei pandũtur arcana. *Date vt in terram bonã semen iaciamus*, dicebat S. Io. Chrysostomus, *curate vt ad recipiendum præparemini.* Sæpè iocis & inanib. fabulis te pręsentẽ adhibuisti,non est cur hæc grauia cõtemnas aut nosse recuses,ex quib.tua pẽdet salus. Nõ est anima nobilis cui amor nõ inest veritatis, nec item homo,qui nolit saluus fieri. Vtinã æquè vellẽt omnes ad veritatis agnitionẽ venire. Audi ergo si generosus es,audi quę te saluare possũt. Vide ne vespertilionum more solis radios auersere. Caue ne tibi cõtingat quod iis,qui thesauris in terrã defixis insistentes,cuinam rei insistant,& quidnã sibi proximum sit nõ intelligunt, miseri planè qui ingentes diuitias tantũ non manib. habentes propter illarum ignorantiã vacui discedũt; quin potius laboriosis illis & sudantib.similẽ te præbe,qui in hoc sunt,vt defossum illum & absconditum thesaurum effodiant, & lucris ditentur. Iam etenim quæ impiis ignota sunt,intemeratæ Religionis indicia tibi reuelata ceu in manus tradentur, iam tibi verã diuini cultus lampadẽ proferã, quam si aspexeris beatus es,&benè tibi erit; sin secus quod absit,his me verbis solabor cum Angelis reproborum curatoribus *curauimus Babylonem,& non est sanata.* Vale.

Eusebi.lib.2. cap. 5.

Homil. 1. in Io.

Hier. 51.

D 2 CAPI-

CAPITVM ET PARAGRAPHORVM INDEX.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. Religio quid sit, de obiecto remoto eiusdem, de dignitate, & actibus in genere.

Cap. II. De existentia Dei, cuius sibi cultum Religio præstituit.

§. 1. *Aliquis Deus est admittendus.*
2. *Ita sentiunt Catholici.*
3. *Non Mahumetani iuxta sua principia.*
4. *Nec Nouantes Europæi.*

Cap. III. De vnitate Dei.

§. 1. *Deus vnus est.*
2. *Vnicum agnoscunt Catholici.*
3. *Nullum aut plures Mahumetani.*
4. *Sectarij pariter vel nullum vel plures.*

Cap. IV. De spirituali Dei substantia.

§. 1. *Deus substantia est spiritualis seu immaterialis.*
2. *Hoc de illo credunt Catholici.*
3. *Repugnant cum Duce Mahumetani.*
4. *Et præter illos plerique Sectarij.*

Cap. V.

Digitized by Google

Cap. V. De bonitate Dei.

§. 1. *Deo reipsa bonitas conuenit.*
2. *Ex sententia etiam Catholicorum.*
3. *Secus ex sententia Mahumetis & sequacium.*
4. *Ac Nouantium occiduorum.*

Cap. VI. De omnipotentia Dei.

§. 1. *Omnipotentem esse Deo conuenit*
2. *Quod ipsum Catholici omnes asserunt.*
3. *Non Mahumetani si suis insistant principiis.*
4. *Nec similiter Nouatores.*

Cap. VII. De summa Dei sapientia.

§. 1. *Inest Deo sapientia.*
2. *Idque persuasissimum habent Catholici.*
3. *Negant Mahumetani.*
4. *Negant & sectarij.*

Cap. VIII. De diuinarum personarum trinitate in vna vera Dei essentia seu diuinitate.

§. 1. *Verus Deus est in personis trinus.*
2. *Hæc fides est Catholicorum*
3. *Non Mahumetanorum aut Iudæorum.*
4. *Sed Neque Nouantium.*

Cap. IX. De Deuotione actu primo interno & elicito, primaq; nota veræ Religionis.

§. 1. *Deuotio quid sit propriè.*
2. *Actus verus est Religionis.*
3. *In Catholica Ecclesia præclarè enitet.*

4. *Nequaquam in Mahumetana.*
5. *Minus adhuc in Pseudoeuangelica.*

Cap. X. De oratione actu 2. interno & elicito, nota item 2. veræ Religionis.

§. 1. *Oratio quid sit.*
2. *Adducuntur eius conditiones seu qualitates.*
3. *Actus Religionis esse ostenditur.*
4. *Et à Catholicis insigniter cum omnibus eiusmodi conditionibus vsurpari.*
5. *Non à Mahumetanis.*
6. *Minimè omnium à sectariis.*

Cap. XI. De Actibus Religionis externis & elicitis, ac primum de Adoratione nota 3.

§. 1. *Adoratio Dei quid sit.*
2. *Pertinet ad numerum actuum Religionis.*
3. *Excellunt in ea Catholici.*
4. *Minimè Mahumetani.*
5. *Minus adhuc Nouatores.*

Cap. XII. De veneratione rerum sacrarum.

§. 1. *Hæc veneratio quænam sit & quotuplex.*
2. *Ad Religionis actus reuocatur.*
3. *Perfectè viget apud Catholicos.*
4. *Secus apud Mahumetanos.*
5. *Et Pseudoeuangelicos.*

Cap. XIII. De idoneo Adorationis loco seu templo.

§. 1. *Templi nomine quid intelligatur.*
2. *Ad decentiam perfectionemq́; Religionis est necessarium.*

3. Quod

3. *Quot, qualia, & quàm magnifica à Catholicis extructa.*
4. *A Mahumetanis pauca minusque augusta.*
5. *A sectariis paucissima eaque ridicula.*

Cap. XIV. De Sacrificio actu 2. externo & elicito Religionis, & nota 4. eiusdem.

§. 1. *Sacrificium quid sit.*
2. *Vnum aliquod verum ac proprium in Euangelica lege admittendum quod frequentetur.*
3. *Actus est Religionis.*
4. *Praclarè assignatur à Catholicis.*
5. *Non à Mahumetanis.*
6. *Sed neque ab Euangelicis.*

Cap. XV. De oblatione actu 3. externo, elicito, & nota 5. Religionis.

§ 1. *Oblatio quid sit, & in quo à Sacrificio differat.*
2. *Actus est Religionis.*
3. *Apud Catholicos frequens & multiplex.*
4. *Apud Mahumetanos vix in vsu.*
5. *Apud sectarios nulla.*

Cap. XVI. De solutione decimarum actu 4. externo, & nota 6. Religionis.

§. 1. *Decima quid sint, quomodo iuris diuini, opusq. Iustitia.*
2. *Earum solutio de numero est actuum Religionis.*
3. *Magna fide soluũtur in Ecclesia Catholica, & solui iubẽtur.*
4. *Non sic in Mahumetana.*
5. *Minimè omnium in Pseudoeuangelica.*

Cap. XVII. De voto actu 5. externo elicito & nota 7. veræ Religionis.

§. 1. *Votum quid sit.*

2. Rectè

2. *Rectè annumeratur actibus Religionis.*
3. *Eius vſus apud Catholicos planè inſignis.*
4. *Apud recentiores Hæreticos omninò nullus.*

Cap. XVIII. De Iuramento actu 6. externo elicito, & nota 8. veræ Religionis.

§. 1. *Definitur Iuramentum.*
2. *Probatur actus eſſe Religionis.*
3. *Et apud Catholicos ſuis conſtare numeris.*
4. *Secus apud Mahumetiſtas.*
5. *Et ſectarios.*

Cap. XIX. De Adiuratione actu 7. externo elicito, & nota 9. veræ Religionis.

§. 1. *Adiuratio quid ſit.*
2. *Religionis eſt actus.*
3. *Et familiaris Catholicis.*
4. *Incognita autem Mahumetanis.*
5. *Et Nouantibus.*

Cap. XX. De laudatione Dei actu 8. externo elicito & nota 10. veræ Religionis.

§. 1. *Quidnam ea ſit. vbi de eius contrariis.*
2. *Actus eſt Religionis.*
3. *Et crebra in ore Catholicæ Eccleſiæ.*
4. *At blaſphemiis ſcatet Mahumetica.*
5. *Itemque Pſeudoeuangelica.*

Cap. XXI. De Sacramentis eorumq; vſu, actu 9. externo elicito, & nota 11. veræ Religionis.

§. 1. *Proponitur Sacramenti definitio.*

2. Eiuſ.

Digitized by Google

2. *Eiusdem vsus ad Religionem spectat.*
3. *In Ecclesia Catholica maximè perspicitur.*
4. *Nihil minus in Mahumetana.*
5. *Et in synagoga Nouantium.*

Cap, XXII. De festis eorumque vsu actu 10, externo elicito, & nota 12. Religionis.

§. 1. *Festorum ratio in quo sit posita.*
2. *Actus Religionis est.*
3. *Extant apud Catholicos festa plurima, admodumque piè obseruantur.*
4. *Paucissima contra, tàm apud Mahumetis sequaces.*
5. *Quàm apud assertores Pseudoeuangelij.*

Cap. XXIII. De minoribus cæremoniis actu 11. externo elicito, & nota 13. Religionis.

§. 1. *Quæ dicuntur minores cæremoniæ, & quæ nota legitimæ ab illegitimis discernantur.*
2. *Actus sunt Religionis.*
3. *Extant apud Catholicos plurimæ, ac præstantissimæ.*
4. *Apud Muselmannos ineptissimæ.*
5. *Apud Nouantes perpauca & illicita.*

LIBER SECVNDVS.

Cap. I. De vsu trium virtutum Theologicarum actu 10. imperato, & nota 14. veræ Religionis.

§. 1. *Quid sit in Deum credere, quid Deum sperare, quid charitate diligere.*

2. *Imperantur hi omnes actus à Religione, spectantque ad eius perfectionem.*
3. *Vigent apud Catholicos.*
4. *At non apud Mahumetanos.*
5. *Nec apud Nouatores.*

Cap. II. De zelo actu 2. imperato, & nota 15. Religionis.

§. 1. *Zelus quid propriè.*
2. *Locum sibi iure deposcit inter actus Religionis.*
3. *Insignis valde est in Ecclesia Catholica.*
4. *Improbißimus in secta Mahumetis.*
5. *Frigidißimus in sectariis.*

Cap. III. De humilitate actu 3. imperato, & nota 16. veræ Religionis

§. 1. *Humilitas quid sit, quidue in hominibus operetur.*
2. *Est cur eius actus religiosus videatur.*
3. *Excellunt eo Catholici.*
4. *Nulla re minus Mahumetani.*
5. *Et Europa nostra Hæretici.*

Cap. IV. De obedientia actu 4. Imperato, & nota 17. Religionis.

§. 1. *Explicatur vis & natura Obedientiæ.*
2. *Ad religionis actus reducitur.*
3. *Praeclarißima in Catholicis.*
4. *Modica in Mahumetanis.*
5. *In occiduis autem Nouatoribus modicißima.*

Cap. V. De ieiunio Actu 5. imperato, nota autem 18. Religionis.

§. 1. *Expenditur natura & ratio Ieiunij.*

2. Inter

2. *Inter Religionis actus reponi debet.*
3. *Familiare eſt Catholicis.*
4. *In Mahumetiſmo ineptum ac ridiculum.*
5. *Sicut etiam in Pſeudoeuangeliſmo.*

Cap. VI. De Pœnitentia actu 6. imperato, & nota 19. Religionis.

§. 1. *Pœnitentia nomine quid in præſentia intelligatur.*
2. *Actus rectè dicitur à Religione imperatus.*
3. *Feruet apud Catholicos.*
4. *Secus apud Mahumetanos.*
5. *Sed minimè omnium apud Pſeudoeuangelicos.*

Cap. VII. De Excluſione ſuperſtitionis quæ vitium eſt Religioni oppoſitum per exceſſum, nota 20. veræ Religionis.

§. 1. *Superſtitio quid, & quæ eius ſpecies.*
2. *Immunis ab ea Catholica Eccleſia quidquid calumnientur Aduerſarij.*
3. *Non item Mahumetana.*
4. *Nec Pſeudochriſtiana.*

Cap. VIII. De excluſione tentationis Dei, & ſimilium vitiorum Religioni aduerſantium per defectum, nota 21.

§. 1. *Quid ſit tentatio Dei, quid ſacrilegiũ, quid ſimonia, &c.*
2. *Aliena eſt ab his omnibus irreligioſitatibus Catholica profeſſio.*
3. *Mahumetana contra iiſdem admodum cognata.*
4. *Sicut etiam Pſeudoeuangelica.*

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

Cap. I. De vnitate, proprietate prima & nota 22. veræ Religionis.

§. 1. *In quo sita sit hæc vnitas.*
2. *Meritò asseritur Religionis esse proprietas.*
3. *In Catholica perspicuè se prodit.*
4. *Obscurissimè in Mahumetana.*
5. *Nullo modo in Pseudoeuangelica.*

Cap. II, De sanctitate proprietate 2. & nota 23. Religionis.

§. 1. *Quid in præsentia intelligendum nomine sanctitatis.*
2. *Proprietas est Religionis.*
3. *In Catholica valde conspicua.*
4. *Non in Mahumetana.*
5. *Nec in prætenta Euangelica.*

Cap. III. De vniuersitate proprietate 3. nota autem 24. veræ Religionis.

§. 1. *Quæ dicatur Religio vniuersalis seu Catholica.*
2. *Et quæ vera est conuenit esse vniuersalem.*
3. *Huiusmodi est Romana.*
4. *Non Mahumetana,*
5. *Nec illa quam prætendunt Nouatores.*

Cap. IV. De antiquitate proprietate 4. & nota 25. Religionis.

§. 1. *Describitur hæc antiquitas.*
2. *Et Religionis proprietas esse demonstratur.*

3. Et re-

3. *Et resplendere in Catholica.*
4. *Non in Mahumetana.*
5. *Nec in pratenta illa Nouantium.*

Cap. V. De firmitate seu constantia, proprietate 5. & nota 26. Religionis.

§. 1. *Quid significet hac firmitas.*
2. *Religionis vera propria est.*
3. *Hanc habet qua Catholica dicitur.*
4. *Contra, nutat non parum Mahumetana.*
5. *A culmine autem ruere incipit Pseudoeuangelica.*

Cap. VI. De arduitate proprietate 6. & nota 27. veræ Religionis.

§. 1. *In quo sita sit hac arduitas.*
2. *Religioni vera conuenit.*
3. *In Catholica multiplex, quam tamen demulcent consolationes plurima.*
4. *Nulla in Mahumetana si eius spectes principia.*
5. *Nec eandem ob causam in Pseudoeuangelica.*

LIBER QVARTVS.

Cap. I. De conuersione errantium animarum ad Deum verum effectu 1. & nota 28. veræ Religionis.

§. 1. *Qualem hanc conuersionem esse oporteat.*
2. *Illam operari proprium est vera Religionis.*
3. *Romana autem operatur insigniter.*
4. *Nequaquam secta Mahumetis.*
5. *Nec aliqua ex occiduis.*

Cap. II. De obſeruatione decori circa propagationem Religionis effectu 2. & nota 29. eiuſdem.

§. 1. *Eiuſmodi decorum quodnam ſit.*
2. *Reducitur ad effectus Spiritus Religionem veram propagantis.*
3. *Studioſè obſeruatur à Catholicis.*
4. *At Mahumetani nullam eius habuere rationem.*
5. *Nec Prædicantes Europæi.*

Cap. III. De præclara diſpoſitione rerum omnium ad Dei cultum pertinentium, effectu 3. & nota 30. veræ Religionis.

§. 1. *In quo ea conſiſtat, & quàm ſit Religioni veræ connaturalis.*
2. *In Catholica ſeu Romana inuenitur omnibus abſoluta numeris.*
3. *Non in Mahumetana.*
4. *In ſectis quoque Euangelicis confuſa ſunt omnia, peßiméque inſtituta.*

Cap. IV. De pace & proſperitate temporali effectu 4. & nota 31. veræ Religionis.

§. 1. *Quid pacis ac proſperitatis nomen hic ſignificet.*
2. *Veram religionem ſequi ſolet vt vmbra corpus.*
3. *Sequitur autem ſuapte ſponte Catholicam.*
4. *At Mahumetana procelloſiſſima eſt.*
5. *Sicut etiam Pſeudoeuangelica.*

Cap. V. De miraculis effectu. 5. & nota 32. veræ Religionis.

§. 1. *Miraculorum nomine quid intelligendum.*

2. Quo-

Digitized by Google

2. *Quomodo ad effectus Religionis reducantur.*
3. *Abundat iis Catholica.*
4. *Non Mahumetana.*
5. *Non Lutherana nec aliqua alia Nouantium.*

Index Documentorum Codicilli monitorij ad Resipiscentes.

Documentum

I. *Vt qui resipiscere cogitat, quàm maximè se in hac sancta cogitatione stabiliat.*
II. *Vt non absterreatur metu damni alicuius temporalis.*
III. *Vt Prædicantium aliorumque querelas, verba, & terriculamenta surda aure prætereat.*
IV. *Vt animum non despondeat ob aliquas difficultates, quas secum affert Catholica religio.*
V. *Ne à secta sua recedens iure se infamandum credat velut inconstantem ac perfidum.*
VI. *Nullo modo iis fidem habeat, qui quemlibet in sua religione saluari posse contendunt.*
VII. *Ne resipiscendo procrastinetur, sed abrumpat moras omnes.*
VIII. *Vt publicè si opus sit hæresim & sectam suam eiurare non vereatur.*
IX. *Vt de eadem & peccatis aliis dolorẽ verum concipiat, cum firmo proposito vitæ melioris.*
X. *Vt eadem integrè, & sincerè legitimo sacerdoti confiteatur.*
XI. *Vt idoneum, & quàm optimum Confessarium sibi eligat.*
XII. *Vt iniuncta sibi ab eo pœnalia opera fideliter obeat.*

XIII. Vt

Digitized by Google

XIII. *Vt amplexatam religionem Cathol. verbis factisque eum opus fuerit profiteatur.*

XIV. *Vt fugiat quoad poterit consortia Hæreticorum omniũ, ac inprimis periculosiorum.*

XV. *Vt Hæreticæ prauitatis libros qui sibi sunt flammis aboleat.*

XVI. *Vt subrepentibus in posterum dubiis Catholicos consulat pietate & eruditione conspicuos.*

XVII. *Vt aduersa aliqua expectet, seque ad ea fortiter ferenda maturè comparet.*

XVIII. *Vt in amplexata Religione Cathol. toto reliquo vitæ tempore infractus perseueret.*

APPROBATIO R.P. PROVINCIALIS.

QVATVOR hos de Notis certissimis veræ Religionis libros, cum Codicillo Monitorio ad Resipiscentes, à P. BALTHASARO CHAVASSIO Societatis IESV Theologo conscriptos, & à deputatis Patribus lectos & approbatos, ego THEODORVS BVSÆVS eiusdem Societatis per superiorem Germaniam Prouincialis, facta mihi ab admodum R.P.N. CLAVDIO AQVAVIVA Præposito Generali, potestate, typis mandari permitto. Ingolstadij 5. Febr. M. DC. XI.

THEODORVS BVSAEVS.

DE

Digitized by Google

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS.

Liber Primus.

Religio quid sit, de obiecto remoto eiusdem quod est Deus, de dignitate & actibus in genere.

CAPVT PRIMVM.

RELIGIO quæ à Græcis Θεοσέβεια dicitur, apud D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 10. aliosque Theologos, & in præsentia, maximèque propriè virtutem illam moralem significat, qua imbuti Deo vero debitum verumque cultum exhibemus, & cui extrema duo repugnant, alterum in defectu positum, quod quia honori debito detrahit, Irreligiositas dicitur; in excessu alterum. Non quod tantæ Maiestati maiorē quàm deceat, deferre quis possit, Orthodoxorum saltem iudicio, quorum Ecclesia in hymno quodam suo sic hortatur de suis quemlibet. *Quantum potes tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis*, sed quod tali vitio fiat, vt eundem cultum superflua quædam circumstantia dedecoret, quæ quia perperam, atque in Creatoris ludibrium potius, quàm honorem debitæ materiæ adiicitur, vitium constituit in excessu positum. Est porrò debitum Deo cultum exhibere nihil aliud, quàm ea dicere & facere, quæ ad summam excellentiæ diuinæ opinionem in men-

tibus excitandam, augendam, conseruandam, opere denique ipso testandam conferunt. Cum enim ita illum colere nequeamus, vt præfatæ illius excellentiæ reipsa aliquid per cultum nostrum accedat, *bonorum nostrorum non eget, cum det omnibus omnia* reliquum est vt saltem de ipso quàm magnificè sentientes, & sentire nos significantes ipsum cultu prosequi iudicemur. In hac significatione Religionem vsurpauit Cicero his verbis *qui omnia quæ ad Deorum cultum pertinent, diligenter pertractarent, & quasi relegerent dicti sunt religiosi*, ac post illum S. August. & Lactantius, tametsi ille dictam malit à reeligendo ipsum Deum, quem peccando, reiecimus, iste à religando, quod nos Deo religet, fortiterque vniat.

Psal. 15.
Act. 17.
Cic. l. 2. de nat. Deor.
Aug. l. 10. de Ciu. c. 4.
Lact. l. 4. diu. Inst. c. 28.

Pendent ex hac vna cæteræ omnes vocis huius significationes, quia enim Religionis virtus multa piè præscribit, hoc præceptum seu lex & statutum sacrum religio interdum dicitur, vt *ista est religio phase, quam constituit Dominus & cum dixerint vobis filij vestri, quæ est ista religio? dicetis victima transitus Domini est.* Quia rursus annectit sibi cæterarum virtutum exercitium, & ad suos vsus traducit, tali etiam exercitio vox ista nonnunquam accõmodatur *& religio munda & immaculata apud Deum & Patrem*, hæc est visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum. Quia mentem reddit sollicitam circa Dei obsequium, hæc sollicitudo in anxietatem metumque degenerans eandem sortitur appellationem: hinc illæ phrases, tangi religione, obligare religione, rei alicuius religonem iniicere. Quo sensu M. Tullius *quæ tanta religio est* inquit, *qua non in nostris dubitationibus, atque in maximis superstitionibus vnius P. Seruilij, ac M. Luculli responso liberemur?* & alio in loco *obstrinxisti pop. Romanum religione* & Terent. in Andr.

Num. 19.
Exod. 12.
Cic. l. de Aruspic. resp. & Phil. 2.

At mihi vnus scrupulus etiam restat, qui me male habet
P. Dignus es cum tua religione odio, nodum in scirpo quæris.

Quia prætereà cœtus ille homiuum quos Religiosos dicimus, quæ huius virtutis sunt, præcipuè curat, remouendo à se obices tres potissimos diuini cultus, opes, voluptates, propriam voluntatem, idque emisso voto, vt remotio rata sit, constans, & irreuocabilis, speciali iure dictus est Religio. Quia fide nititur dicente Apostolo, *quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* ad fidem aliquando Religionis nomen extenditur, quo modo accipi solet, quando Religionis nostræ mysteria hæc & illa esse, captumque omnem superare dicimus, aut talem esse religione

Rom. 10.

Catho-

Catholicum. Quia denique hæc ipsa virtus certo modo, seu editis certis actibus Deum colit, hic ipse modus ac ritus religionis non rarò nomine appellatur vt *Iudæis noua lux oriri visa est, honor & tripudium, in tantum vt plures alterius gentis & sectæ eorum religioni ac cæremoniis iungerentur.* Quo etiam sensu accipi consueuit, cum glorientur sectarij habere se reformatam religionem. *Hest. 8.*

Ex his non obscurum est, quanta virtutem hanc & Theologicas interiaceat differentia. Hæ namque Deum sibi directè & immediatè obiiciunt, vnde illis nomen: charitas quidem, per quam ille super omnia, & propter se diligitur, spes per quam speratur velut summum bonum, fides qua ei creditur. Religioni autem non Deus sed Dei cultus obuersatur, seu quod idem est, actus quib. colitur. Ita fit vt Deus finis potius Religionis sit quam obiectũ, vt scite notat Caiet. aut certè non aliud quàm remotum. *Caiet. 2. 2. q. 81. art. 5.*

Quoniam insuper idem Dei cultus minus aliquid est quàm Deus ipse, virtutes autem ab obiectis suis proximis, sicut & scientiæ præstantiam dignitatemque propriam accipiunt; sequitur Religionem tribus illis Theologicis haudquaquam esse dignitate parem, esse tamen quacunque alia morali superiorem. Vel enim comparatur cum iis, quæ tantum rectè loqui non agere docent, vt cum veritate seu veracitate, & eutrapelia, vel cum cæteris. Si cum illis, tàm digna est quæ anteponatur, quàm visus est M. Tullio Cato maior præferendus Socrati, de quo ita disputat cum Sceuola, *Caue Catoni anteponas, ne istum quidem ipsum, quem Apollo sapientissimum iudicauit: huius enim facta, illius dicta laudantur.* Si cum istis, obiectum habet longè præstantius, ratione cuius suo eas splendore obscuret. Neque enim secundum Deum melius aliquis dixeris vel augustius Dei cultu & obsequio, *cui seruire prærogatiua est regnandi*, vt dicebat S. Maximus Taurinensis Episcopus. Addit Philo Iudæus, *seruire Deo maxima est gloriatio, non modo libertate maior, sed diuitiis, & principatu, & omnibus reb., quas mortales mirãtur, preciosior.* & Seneca *in regno nati sumus, Deo parere libertas est.* *Cic. lib. de Amic.* *S. Max. hom. 1. de Ieiunio* *Phil. lib. de Cherubin.* *Sen. lib. d. Vit. beat. c. 15.*

Hanc eandem seruitutem siue obsequium tanti semper fecit Apostolus, vt illam encomij omnis habuerit loco, nec alio se nomine aut epitheto magis commẽdare consueuerit. *Paulus seruus Dei* inquit. item *ministri Christi sunt, & ego.* Notat id, confirmatque S. Chrysostomus dum ait *seruum seipsum nominat non* *Tit. 1. 2. Cor. 11. Chrys. hom. 1. in epist. ad Philip.*

Apostolum, nam hac vere magna dignitas est, ac bonorum caput, seruum esse Iesu Christi, & non tantum dici. Hoc quoque nomine morales cæteras dignitate superat, quod ex his nulla tantam huic rerum vniuersitati, virisque principibus vtilitatẽ conciliet. Quid namque orbi melius, quàm si regatur ab iis, qui nec insolescant superbia, sed humilientur sub potenti manu Dei, per quem Reges regnant, nec ad publica negotia cæci accedant, sed à Deo instituti, cui sic supplicabat Salomon. *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum?* quibus libentius, promptius, ac iucundius auscultare potest populus, quàm iis, quos cum videt Deo colendo addictissimos, atque in lege eius meditari die ac nocte, ratiocinatur non tàm ex se leges condere, quàm ab illo acceptas promulgare, & quisquis eos contempserit, non tàm ipsos quàm Deum per eos loquentem contemnere? Hac arte Sertorius tametsi religiosus non esset, quia se esse mentiebatur, magnæ suis omnibus venerationi fuit, eosque impulit quocumque voluit. Quantum verò inde commodum ad eosdem Principes deriuetur, abundè testes sunt Dauid Rex & Constantinus quem magnum fama vocat, de quorum primo ait Dominus, *inueni Dauid seruum meum*, en tibi religionem *oleo sancto meo vnxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum, nihil proficiet inimicus in eo* & infra; *in nomine meo exaltabitur cornu eius*, & rursum *ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ, in æternum seruabo illi misericordiam meam.* & tandem *ponam in seculum seculi semen eius.* De secundo hæc habet S. Aug. *Constantinum Imperatorem Deum verum colentem tantis ille terrenis impleuit muneribus quanta optare nullus auderet, cui etiam condere ciuitatem Romano imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam concessit, diu imperauit, vniuersum orbem Romanum vnus ipse Augustus tenuit & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit, in Tyrannis opprimendis per omnia prosperatus, grandæuus ægritudine & senectute defunctus est.* Accedit piissimus Theodosius & ipse Imperator, de quo Claudianus.

3. Reg. 3. — *Psal. 88.* — *Aug. l. 5. de ciuit. c. 25.*

O nimium dilecte Deo cui fundit ab antris
Aeolus armatas acies, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Solet

Solet contrà, religionis neglectus omne infortunij genus post se relinquere, vt compluries experti sunt damno suo grauissimo filij Israël, & intellexit qui scripto prodidit.

Dij multa neglecti dedere
Hesperiæ mala luctuosa

Horat. l. 3. Car. Od. 6.

Ideò mala rebus humanis quotidie ingrauescunt, verba sunt Lactantij, *quia Deus mundi huius effector derelictus est*, *quia susceptæ sunt contra fas impiæ religiones.* Scitissimè proindè apud Plutarchum ratiocinatur Gryllus ille, dum homines affirmat, si ab illorum vita semel absit religio, non modo brutis pecudibus nihil excellere, sed multis partibus esse miseriores, vt qui tot malorum formis obnoxij tumultuariam, & inquietam vitam perpetuò trahant.

Lact. lib. 5. diuin. Inst. cap. 8. Plut. in lib. quod bruta rat. vtant.

Sed contra adductum Religionis encomium occurrunt argumenta. 4.

Primum, Aristoteles Iustitiam appellat virtutum præstantissimam, negatque Hesperum aut Luciferum ita esse admirabilem, ei ergo non Religioni tribuit inter virtutes morales principatum.

Arist. l. 5. Eth. c. 1.

Secundum, scribit S. Gregorius meritò victimis præponi obedientiam, *quia* inquit *per victimas aliena caro, per obedientiam voluntas propria mactatur*: atqui victimarum vsus pars est religionis.

lib. 35. mor. cap. 12.

Tertium, S. Thom. eandem obedientiam disertè asserit inter morales eminere.

Th. 2. 2. q. 84. a. 3. & q. 121. a. 2.

Quartum, idem ibidem Religioni pietatem anteponit.

Ad primum, tribuit quidem Aristoteles eo loco primas Iustitiæ, sed de legali loquitur, quæ non tàm moralis virtus est, quàm moralium omnium aggregatio, iubens vt in omni materia fiat, quod faciendum est. Nos autem in præsentia Religionem cum singulis virtutibus comparamus, atque adeò cum Iustitia particulari, quæ fateor, virtus est eximia, sicut & tres aliæ, quæ cum ipsa quaternarium illum constituunt, per quem veluti sacrum & vitæ fontem Pythagoras iurare consueuerat, maior tamen adhuc eminentiorque Religio.

Ad secundum respondeo cum Caiet. & Greg. à Val. considerari dupliciter posse obedientiam, primò sine vllo respectu ad religionem, secundo vt ab eadem imperatur, & ordinatur ad cultum Dei, quo posteriore ibi spectauit illam S. Gregorius, me-

2. 2. q. 140. a. 2. & 33.

ritoque asseruit potiorem esse victimis & sacrificiis, cum Religionis laudem habeat & suam propriam; sacrificia verò & victimæ Religionis tantum, priore autem nequaquam: neq; enim nescire potuit, Religionis obiectum à quo dignitatem suam accipit, præcellere multis partibus obiecto obedientiæ.

Ad tertium respondet ipse S. Thomas in corpore articuli, obedientiam secundum quid tantum potiorem esse religione, quatenus immediatius, & magis ex instituto voluntatem propriã comprimit, quæ & cultui ipso aduersatur, & bonis quibusq; operibus. Enimuerò id non obstat, quo minus absolutè sit imperfectior.

Ad quartum de pietate ibi loquitur S. Thomas non vt est virtus, quo modo solum parentum cultum propositum habet, manifesteque est Religione inferior, sed vt donum Spiritus sancti, quo pacto vincit dignitate religionem, quia per eam sic consideratam colitur Deus vt Pater, per religionem autem vt Dominus: præstantior autem meliorque est titulus Patris vt Pater quàm Domini vt Dominus, vnde & præfert illum Deus ipse apud Malach. dicens *filius honorat patrem & seruus Dominum, si ergo Pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum vbi est timor meus?* *Mal. c.1.*

S. Tho. 2.2. q. 81. a. 7. Diuisiones Actuum Religionis duæ sunt præcipuæ instituto nostro congruentes, altera in interiores & exteriores, vt docet S. Thomas. Interiores dicuntur qui in anima ipsa fiunt & exercentur, vt oratio mentalis: exteriores verò qui exterius & visibiliter vt oratio vocalis. Vbi tamen notandum est, eundem S. Thomam de externis disputantem peculiariter & duntaxat eos intelligere, qui ita externi sunt, vt simul potiores sint quàm interni sibi respondentes, quatenus per eos Deus formalius colitur, quàm per eosdem internos, atque ad eos se habent, non vt nuda cõplementa, qualis est oratio vocalis respectu mentalis, sed vt obiecta, opportunaq; media ad peculiarẽ cultũ Deo exhibendum. Quæ licet ita sint, non tamen idcircò externi illi qui minus principales sunt, præteriri debent ac negligi: multum quippè ad internam animi pietatẽ erga Deum excitandam augendamque faciunt. *Nescio quo pacto* inquit S. Aug. *cum hi motus corporis non possint nisi motu animi præcedente fieri, eisdem exterius visibiliter factis ille* *2.2. q. 84.* *Aug. l. de cura pro mort. c.5.*

ille interior inuisibilis qui illos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui vt fierent præcessit, quia facti sunt, crescit.

Altera eademq; solennis est in elicitos & imperatos. Eliciti sunt, qui per se proximè & directè faciunt ad Dei gloriam, seu vi quorum statim mens de Deo alte sentire incipit. Hi certè si qui alij videri debent Religionis maximè proprij, ad eiusmodi gloriam illustrandam sua omnia referentis. In quibus proinde eliciendis, & quasi concipiendis pariendisque primò ac præcipuè versatur. Imperatos verò appellant, qui aliarum quarundam virtutum ita proprij sunt, vt tamen conducant ad præfatam Dei gloriam, ob idque à Religione imperentur, vt iis quasi mediis propositum finem perfectius assequatur. Cuiusmodi imperium eo ipso fieri censetur, quo homo rectè affectus per virtutem seu habitum Religionis, erga cultum Dei excitatur, & inclinatur ad exercendos actus illarum aliarum, qui Deo gloriam illam siue cultum afferunt. Actus Religionis eliciti interni sunt deuotio & oratio; eliciti vero externi Adoratio, Sacrificium, Oblatio, Decimarum solutio, Votum, Iuramentum, Adiuratio, Laus oris. de quibus ordine agit S. Thomas loco citato. Addo vsum tùm Sacramentorum, tùm cæremoniarum. At imperati præcipui sunt, fides, spes, dilectio, zelus, humilitas, obedientia, ieiunium, & pœnitentia. De sepulturis & prædicatione verbi Dei dabitur dicendi occasio libro 4. cap. 2. & 3.

D.Th.sup. q. 81 a. 1. ad 1.

Sup. q. 82. & seq.

De existentia Dei cuius sibi cultum Religio vera præstituit.

CAPVT II.

§. 1. *Aliquis Deus est admittendus.*
2. *Ita sentiunt Catholici.*
3. *Non Mahumetani iuxta sua principia.*
4. *Nec Nouantes Europæi.*

ALICVI fortè superuacaneus prima fronte videbitur primo loco positus capitis huius paragraphus, eo quod tàm Catholici, quàm Mahumetani & sectarij vt Religionem, sic Deum aliquem sine quo nulla est §. 1.

Religio

Religio, propositum habent, atque ita Dei existentiam apud eos euincere, nihil necesse videatur. Sed non ita est, nemo me in hac parte oleum vel operā perdere suspicetur; nam quos secundo & tertio loco posui, ore quidem fatentur se nosse Deum, eam tamen doctrinam fidemque recipiunt, secundum cuius principia oportet eos diuinitatem omnem inficiari, quam etiam reipsa plerique inficiantur, & cum impio illo dicunt in corde suo
Psal. 13. *non est Deus*, vt sequentia docebunt. Propter hoc dabis veniam pro tua humanitate, quisquis hæc legis, si præter scribentium morem, quæ clarissima sunt, & virtutis aut scientiæ quam pertractant, obiectum seu proximum seu remotum non probantium sed supponentium, Deum tamen esse demonstrare aggrediar.
2. Cor. 12. Vt olim Corinthij Apostolum, sic me cogunt impietate illa sua desipere quomodolibet profecto subruenda, ne sibi sapientes videantur, qui stultissimi sunt, & palpant in meridie.

1. P. q. 2. a. 3. Dei existentiam probat S. Thom. argumentis ad Ethnicos etiam reuincendos aptissimis.

Primum sic habet. Quidquid mouetur, ab aliquo motore extrinseco mouetur, siue immediatè vt ab homine baculus, siue mediatè seu per virtutem ab illo acceptam. Sicut enim à seipso esse non potest, sic neque à se virtutem habere qua moueatur. Porro vel motor omnis ita mouet, vt etiam moueatur, & ita progressus erit in infinitum, qualis est impossibilis cum percurri infinitum nequeat, vel deueniendum est ad vnum aliquem primum, qui cum cæteris omnibus immediatè vel mediatè sit causa motus, ipse tamen non moueatur; hunc autem Deum appellamus.

Secundum, experientia & inductio docent, nihil eorum quæ cernimus causam esse suiipsius, sed ab alio pendere vt sit, ne alioqui seipso sit prius & posterius: ex quo similiter fit, vt vel in infinitum procedere oporteat in causis efficientibus, quod fieri non posse ostendimus, vel primam aliquam admittere, quæ cum det esse cæteris, suum non aliunde accipiat, sed à seipsa sit.

Tertium, datur in omni genere aliquid primum ac summum quasi regula cæterorum, v. g. ignis in genere calidorum: cum ergo ex entibus quædam sint aliis sublimiora seu perfectiora, statuendum est aliquod ens summum, ac perfectissimum eminens.

Digitized by Google

nens cæteris, & menſuram eorundem ad illud magis vel minus accedentium. Talis eſt Deus.

Quartum, res omnes naturales operantur ordinatè propter finem, ſic autem operari ad intelligentiam pertinet. Cum ergo ferè omnes intelligentiæ rationiſque ſint expertes, vt aues quæ nidificant, admittendum eſt ens quoddam ſupremum, ſummèque intelligens quod illas in finem ſuum dirigat.

Verùm, quoniam eiuſmodi argumenta aliàs ſolidiſsima multorum captum ſuperant, attexam iis aliquot faciliora.

Primum ſumitur à conſenſu omnium de quo Seneca. *Multum dare ſolemus præſumptioni omnium hominum, magnumque eſt apud nos veritatis argumentum aliquid omnibus videri.* Quod autem nulla ſit natio, quæ omnino Deum neſciat, docet Cicero dum ait, *firmiſsimum hoc afferri videtur, cur Deos credamus; quod nulla gens tàm fera, nemo omnium tam ſit immanis, cuius mentem non imbuerit Deorum opinio.* *Sen. epiſt. 118.* *L.1.Tuſcul.*

Quemadmodum iuxta Ariſtotelem non eandem quidem omnes ſequuntur voluptatem, omnes tamen voluptatem, ſic non eundem quidem Deum recipiunt omnes, in aliquo tamen agnoſcendo vniuerſi conſentiunt. Quo fit vt ſi aliquando in Atheos incidas, non eos hominum habere loco debeas, ſed portentorum deteſtabilium, in quæ omnes arietant, & tandem ira Dei deſæuit grauiſsimè. *Ariſt. lib. 7. Eth.*

Alterum petitur à more omnibus inſito ſeſe ad Deum in extremis quibuſque diſcriminibus conuertendi, à quo vtiq; abſtinerent, ſi aliqua non eſſet diuinitas, quæ illos modo inuitos, modo incogitantes de ſe facilè admoneret. Vnde Cyprianus cum ſcripſiſſet, *Vulgus in multis Deum naturaliter confitetur, cum mens & anima ſui Authoris & principis admonetur. Dici frequenter audiuimus: O Deus, ô Deus videt, & Deo commendo, & Deus mihi reddat, & quod Deus vult, & ſi Deus dederit,* mox adiecit contra Atheos. *At quæ eſt hæc ſumma delicti, nolle agnoſcere, quem ignorare non poſsis?* *Cypr. lib. de Idol. Van.*

Tertium nobis ſuppeditat vniuerſi pulchritudo, de qua S. Aug: *Non diuinorum tantummodo librorum authoritas eſſe Deum prædicat, ſed omnis quæ nos circumſtat, ad quam nos etiam pertinemus, vniuerſa rerum natura proclamat habere ſe præſtantiſsimum conditorem, qui nobis mentem, rationalemque naturam dedit.* Et Cicero: *quis eſt tàm vecors, qui cum ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tanta mente* *Aug. lib. 15. de Trin. cap. 15.* *Cic. de Aruſp. reſp.*

 fiunt,

fiunt, vt vix quisquam ordinē rerum ac vicißitudinē persequi poßit? Et rursus. *Si quando machinatione quadam moueri aliquid videmus vt Sphæram, vt horas, & alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; multò minus dubitandum est, cum impetū cœli admirabili celeritate moueri, vertique videamus constantißime conficientem vicißitudines suas, cum summa salute, & conseruatione rerum omnium; quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam & diuina ratione.* Vnde liquet quanto iure Apostolus inexcusabiles dicat esse, quotquot inuisibilia Dei ex his quæ facta sunt, ratiocinati non sunt. & Sapiens vanos censeat omnes, *in quibus non subest scientia Dei, & de his quæ videntur, non potuerunt intelligere eum qui est, neque operibus attendentes agnouerunt quis esset artifex, cum tamen à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter posset horum creator videri.*

Lib. 2. de nat. Deor. — *Rom. 1.* — *Sap. 13.*

Quartum deducitur à terroribus, & arcanis tormentis sceleratæ conscientiæ, quorum solidam rationem afferre nisi præsupposito numine quodam nemo potest, quod scilicet humanam improbitatem oderit, eandemque mox intestino illo modo in authore suo vlciscatur ac reprimat. Hinc illud M. Tullij *conscientiam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis auelli non potest.* Illud quoque Aug. *Dixisti Domine & ita est, vt omnis inordinatus affectus sibi ipsi pœna sit.*

Cic. pro Clu. Aug. lib. 8. Conf. cap. 5.

Quintum, vix alio magis inducuntur Athei in hanc impietatem, quàm quod sensu metiantur omnia, & quidquid ab eo procul est vt Deus, à veritate quoq; esse arbitrentur. Atqui hoc est humi serpere cum belluis, hac eadem ratione conficerent, nec Intelligentias vllas dari quę cœlos moueant, nec rationalem animam, nec etiam Dæmones, quorum tamē existentiam præstigiæ, veneficia, incantationes, magiæ, necromantiæ, spectra, maleficia, diuinationes superstitiosæ, & Energumeni tàm perspicuè testantur, vt in extremam demersus sit amentiam, qui non credit.

Sextum ac postremum sumitur à miraculis, cuiusmodi sunt vniuersalis cataclysmus, Solis regressus ac statio, descensus ignis de cœlo, aquarum Iordanis sese surrigentis consistentia, & alia innumera, quorum tanta semper fuit apud Christianos, Mauros, & Iudæos tamque firma persuasio vt nihil proferri posit fide dignum, si his habenda non videatur. Prætermitto quæ post Chri-

Digitized by Google

Christum natum edita sunt, literisque consignata tùm ab Apostolis, tùm à S. patribus, quos nec summa vitæ integritas vllo modo sinit esse suspectæ fidei, nec manifestæ infamiæ vel etiam mortis periculum cui obiiciebantur, si inter Christiani nominis iuratos hostes, tàm impudenter in re tanti fucum fecissent. Ea item quæ hodiè passim fieri audimus & cernimus. Certè cum sint naturæ viribus superiora, supremum quendam illius Authorem agnoscamus oportet, qui incircumscripta sit agendi vi præditus faciatque mirabilia magna solus.

Tàm procul absunt ab inficiatione diuinitatis quotquot sunt Catholici, vt in hunc vsque diem repertus sit nemo, qui hoc eis crimen impegerit. Ex iis præterea nullum hactenus deprehensum legimus, qui ex sua fide ad Atheismum immediatè proximèque transitum fecerit faciendique occasionem ex illa acceperit. Nempè in ea diuinitas palàm enucleatè, constantissimèque asseritur, & illius inficiatores tanquam bipedum nequissimi, pestesque humani generis, coguntur in vltricibus flammis vitam cum morte commutare, vt quartus docebit §. in qua rursus S. Thomas quemadmodum non ita antè audiuimus, & quotquot fermè post eum Theologiam scholasticam scripto verboue tradendam susceperunt, conquisitis vndique demonstrationib. thesim hanc celeberrimam, quasi cæterarum omnium caput & fundamentum publicè constabilire non desistunt. Ita fit vt sicut propter dissimillimæ naturæ conditionem, ignis in aquam proximè non vertitur, sed prius in aliud quoddam elementum cognatum aquæ hoc est in aërem; sic neque Catholicum videris, nec spero visurus sis in Atheum euadere, qui prius peregrina dogmata vel mores non imbiberit. Atque hinc peti potest ratio, cur cum in iure canonico tituli tàm varij multique occurrant, adeò item frequentes pœnæ quas Ecclesia Catholica diuersissimis filiorum suorum sceleribus propositas esse voluit, altissimum sit de Atheis silentium. Nimirum sicut Solon nullam aduersus parricidium legem ferendam censuit, quia eo sua ætate Atheniensium nemo se conspurcauerat; ita nec aduersus Atheismum eàdem Ecclesia simili de causa, quod scilicet nullum ei locum inter filios suos esse intelligeret. §. 2. *Cic. pro Rosc. Amer.*

Mahumetanis contrà, manifestam diuinitatis omnis pernegandæ §. 3.

gandæ occaſionem præbet Mahumetanis Alcoranus, (quem vt ſcripturam longè auguſtiſsimam ſuſpiciunt, & cui ſe totos conformare profitentur: nihil autem aliud ſignificat, quàm capitum epitomen, ſiue pſalmorum collectionem) primo quidem quatenus ſæpè facit caſus fortunæque mentionem, vt in Azoara ſeu capitulo 7. *hæc vita omniaque mundana fortuita ſunt.* & in alia *ſi vobis aduerſitates incubuerint, ſimiliter & cæteris incumbent, iſti enim ſunt dies caſus & fortunæ.* Haud dubiè vbi caſus & fortuna, ibi nullus eſſe poteſt prouidentiæ locus. Illa enim temere omnia & tumultuariè, hæc contra nihil agit perperam. Vbi porrò nulla fuerit prouidentia inde diuinitatem cuius in diuidua comes eſt oportet abeſſe. Illa namque ſublata ſuperſit ex hypotheſi diuinitas, vtique cum ea ſupererit mens ſapientiſsima perſpectam habens naturam mediorum omnium, & cum fine quouis propoſito analogiam, ſimulque voluntas cuncta ordinandi, & in fines ſuos dirigendi. Quid enim haberet diuinitas reliquum, ſi eiuſmodi orbaretur voluntate, & ritè omnia diſponente ſapientia? Atqui ſic omnia ordinare atque diſponere, nihil aliud quàm prouidere eſt, vt recte notat S. Thom. ita ergo fiet vt diuinitate ſuperſtite, ſublata ſit vna ex parte ac per hypotheſim prouidentia, ex altera non, propter inſeparabilem vtriuſque coniunctionem, Secundo verò quatenus docet placere Deo religiones omnes, & idoneas vias eſſe ad ſalutem conſequendam. *Sciendum autem generaliter* verba ſunt Azoaræ 1. *quod omnis rectè viuens ſiue Iudæus, ſiue Chriſtianus, ſiue lege ſua relicta ad aliam tendens, omnis ſcilicet Deum adorans bonique geſtor indubitanter diuinum amorem conſequetur.* ex quo ita ratiocinationem inſtituo. Illi nec Deum agnoſcere poſſunt, nec etiam agnoſcere debent, qui id credunt ſeu admittunt, ex quo ſequitur Deum ſibi ipſi non conſentire, ſed ſecum pugnare. Tale autem quiddam credunt Mahumetani, Deum ergo nec poſſunt nec debent agnoſcere: id ſi faciunt, non conformant ſeſe ſuis principiis, viciſsim, ſi ſe iis conforment non facient, quod abundè ſufficit, vt illorũ doctrina, fides, ac religio, non tam religio, ſed meri potius atheiſmi ſeminarium videri debeat. Maior propoſitio confirmatur, quia diſſenſus eiuſmodi imperfectio turpiſsima eſt, ob idque Deo numeris omnibus abſolutiſsimo nec affingi debet, nec conuenire poteſt. Propter quod fidenter negat Apoſtolus

Azo. 7. & 6.

1. p. q. 22. art. 1.

Azo. 1.

Digitized by Google

postolus, esse in Deo *est & non.* Minorem demonstro cum Greg. à Val. quia Religiones variæ vt plurimum quoad dogmata, ritus & instituta pugnant è diametro, atque hinc tantus illarum occasione zelus, tàm capitale odium, tanta contentio. Itaque si Deus probat omnes, probat quod reprobat, eo quod probando vnam tanquam rationi consentientem, reprobare intelligitur & odisse oppositam velut dissentientem: & tamen illam ex suppositione probat, idè ergo probat quod reprobat. Ecquis nisi prorsus inops, talem Deũ admittendum censeat, non inficiandum? *2. Cor. 1.*

Singulatim nemo iure dubitauerit Mahumetem ipsum vtriusque illius Azoaræ authorem impiissimum fuisse, merèque Atheum. Quid namque impietatis in recessu cordis sui non fouit, qui tantum euomere non exhorruit? *Neutri Religioni* inquit Phil. Lonicerus *hoc est, nec Christianæ nec Mahumetanæ addictus, prorsus ἄθεον egit nec nisi vnum Fortunæ numen agnouit & coluit, irridens sollicitas hominum cogitationes de prouidentia, credentium Deo curæ esse res humanas. Quæ eius impietas effecit, vt quidquid liberet, idem sibi licere putaret, nullaque pacta aut fœdera, nisi ex quibus emolumentum speraret, rata haberet.* Interim vt Deum colere videretur; & confusa quadam pietatis specie omnis generis homines ad se inuitaret ac pertraheret, ditionique suæ subiiceret, portentosum Alcoranum suum ex Ethnico, Iudaico, & Christiano cultu coagmentauit, perinde ac si *Lonic. lib. 1. de mor. & relig. Turc.*

Humano capiti ceruicem pictor equinam, *Hor. in Art.*
Iungere quis velit, & varias inducere formas.

Et quidem in gratiam Christianorum varias vsurpauit aquæ lotiones Baptismi æmulas, & ieiunium Paschale, & fidem de Christo Dei verbo, eodemque summo Prophetarum progato ex Maria Virgine. Iudæis vt gratificaretur, Circumcisioni dedit locum, Polygamiæ, libello repudij, mensibus lunaribus, interdicto suillæ carnis. A Paganis denique fabellas complures mutuatus est ipsa vanitate vaniores, de quibus alibi. Non ita profectò faciunt, qui reuera sibi ante oculos Deum aliquem statuunt; neque ex arbitrio vel ad aucupandam aliorum atque aliorum gratiam, cultum fingunt aut consarcinant quem ei deferant, sed illum tantummodò in hac parte retinere & sequi solent quem ei gratum, quem verum, sanctum, rationi consentaneum

 esse

Digitized by Google

eſſe intellexerint. Indicant proinde ſatis qui ſecus agunt, nec Deum ſe agnoſcere, nec colere velle, ſicut nec leporem capere, qui vnica currentem via per varias inſectantur.

Lib.3.c.2. §.4. Ael.lib.2. hiſt.c.31. Taceo effrenem impoſtoris huius libidinem de qua ſat multa alias, longè ſuperiorem libidine Diagoræ cognomento Athei, & Theodori aliorumque quos recenſet Aelianus, vt Epicuri, Euemeri, Meſſenij, Diogenis Phrygis, Hipponis & Soſiæ, quos tamen ea permouit ad diuinitatem omnem inficiandam, eo quod diuinitatis cogitatio, fides, ac memoria terrorem incutit, aſpergitque amaritudine voluptates, quibus omni remoto felle frui expetebant. Quam etiam ob cauſam Lucretius Epicuri diſcipulus nihilo religioſior Inferni fidem abrogare conatus eſt dicens

Et metus ille foras præceps Acherontũ agendus,
Funditus humanam vitam qui turbat ab imo
Omnia ſuffundens mortis terrore, nec vllam
Eſſe voluptatem liquidam puramque relinquit.

Iam verò ſi talis fuit parens Mahumetanorũ omnium, quid de eius filiis poſteriſq; ſentiendum? quis roſam facile credat è ſquilla naſci? nota eſt celebris illa parœmia κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν & quod ſcriptum reliquit Sapiens *ex iniquis omnes filÿ qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua.* Ardua eſt pietatis imitatio, impietatis pronisſima, ſi præſertim parentum ſit impietas, in quibus quidquid notatur, facilè ob illorum eminentiam ac dignitatem cum religione quadam ſuſcipitur, ſanctum videtur, & imitatione dignum, maximè ſi ſenſibus blandiatur. Sicut autem Imperatores ipſi præ cæteris, ſolutisſimam hanc ducis illius ſui libidinem ac licentiam imitari fas ſibi putant, ſic manantem ex ea Religionis omnis extinctionẽ profitentur, vt Mahumetes ſecundus de quo Cuſpinianus. *Nullum eſſe Deum putauit, Chriſtianam fidem irriſit, Mahumetem Pſeudoprophetam ſe longè inferiorem pronuntiauit, quod Cyreneus fuerit, & fur, & latro, & à maioribus ſuis cum inhoneſtisſimo in facie vulnere fugatus è Perſide.*

Sap.4. Cuſp. in geſt. Mahum.2.

§.4. Oſtenſurus hanc eandem impietatem ſectariis cõmunem eſſe cum Mahumetanis, in acie me nouaculæ verſari video, & Aiacis clypeo, qui me protegat, indigere. Nam quæ in me tela non iacient, qui ἐντελέχειαν religionis veræ ſibi, & nucleum arrogant, ſi ſe à me

Digitized by Google

se à me audiant, non in tanti solum adduci suspicioné criminis. sed eius etiam accusari? Et tamen si patientes mihi aures præbeant, citò neque suspicionem, neque accusationem iniquam fuisse cognoscent. Ac primùm, vltrò fateor, eorum plurimos in hanc voraginem nondum descendisse, esto in via sint descendendi, propter manifestos errores quibus intricantur, non considerantes quo tendant, sed impetui se suo committentes, infœlici aurigæ similes, qui duntaxat cogitat equos ad cursuram impellere vt potest, potest autem vt vult: qua ratione fit, vt vectatus quo eum pernicitas equorum abripuerit, & ad solum cursum intentos habens oculos, non solum aurigetur malè à vero scopo discedens, sed etiam feratur in miserandum præcipitium. Verùm vna contendo, illorum doctrinã siue axiomata eiusmodi esse, ex quibus in promptu sit, nullum prorsus Deum esse ratiocinari. Quod quidem consilio meo sufficit. Nam cum iis insistere profiteantur, & videri velint, nec detrectare possint naturales sponteq; fluentes ex iisdem conclusiones, palàm est quanto iure videri posint de hac impietate suspecti, ac tandem in eam proruere. vnum eiusmodi axioma, vt cætera taceam, est, Deum propriè peccati omnis authorem esse, vt infra declarabo. Iam quod hæc execrabilis assertio Dei sit negatio, & negationis occasio, probo tripliciter. *Cap. 5. §. 4.*

Primo authoritate S. Basilij, cuius hæc sunt verba. *Insipiens reuera, & mente prudentiaq; priuatus est, qui dicit quod non est Deus. Consimilis vero huius est, & nihilo inferior dementia, qui dicit Deum malorum esse authorem, æquale enim ipsorum peccatum esse iudico: propter quod vtrique similiter bonum esse negant; alter quidem omnino non esse dicens; alter vero non bonum esse decernens. Si enim author malorum est, nimirum non bonus est, quare vtrinque est negatio Dei.* Simile est illud Senecæ. *quid interest vtrum Deos neges an infames?* *Basil. in côc. quod Deus non est author. mal.* *Sen. epist. 114.*

Secundò ratione. Infinita bonitas non minus ad essentiam Dei pertinet, quàm anima rationalis ad essentiam hominis; sicut ergo eleuaret destrueretque hominem, qui ei animam rationalem adimeret, ita & Deum qui Deo infinitam bonitatem. Atqui adimit, quisquis illum mali authorem contendit esse, eo quod infinita bonitas nullius malitiæ ferat consortium, sicut nec infinitum lumen caliginis? Esse autem propriè authorem mali & quidem

Digitized by Google

Alterum genus argumentorum quæ probant Nouatorum Euangelium matricem eſſe extremam huius impietatis, à propria illorum confeſsione petitur. Muſculus Lutheranus ſic ſuos deſcribit. *Cauſas obiiciunt populo, quib. paulatim incidat in adiaphoriam omnium peſſimam, & Epicuriſmum imbibat, omnis ſcilicet religionis vaſtitatem, & extinctionẽ.* Ex eadem ſchola Spangenbergius. *Poſtquam per Lutherum* inquit *Pontificia religio exterminata eſt, incipiunt iam homines nihil credere.* An non ſimile quid Caluine, de tuis pronuntias? ſic tu loqueris dum acerbos Pſeudoeuangelij tui fructus excuſare ſatagis. *Non eſt quod nos turbet Atheiſmus, qui nunc in toto mundo paſsim graſſatur; tum verò in Regum & principum aulis, in tribunalibus, in ſplendidis aliis vitæ generibus præcipuè regnat.* Et rurſus. *Cum tot hominum millia cupide vt videbatur, nomen dediſſent Euangelio, quàm pauci obſecro à ſuis vitiis reſipuerunt? imò quid præ ſe maior pars tulit, niſi vt excuſſo ſuperſtitionum iugo ſolutius in omnem laſciuiam diffluerent homines Lucianici & Epicuræi?*

Muſ. in locis com. c. de Miniſt.
Spang. in narrat. Leneſ. dm. accept.
Cal. lib. de ſcand.

Tertium deducitur à coniecturis variis eiuſmodi impietatis, quæ eſto minus ſint ad probãdum efficaces, omitti non debent, tùm quia præter demonſtrationes, probabilibus argumentis vtitur non Philoſophia ſolùm, ſicut & Iuriſprudentia præſumptionibus, ſed quandoque etiam ſcriptura ſacra vt cum ait *non enim ſicut vos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia* (id eſt iuxta computum noſtrum nona circiter ante meridiem. Vtebantur enim Iudæi diebus ciuilibus in horas ſeu partes 12. æquales diſtributis) tùm quia ſuſpicionem ſaltem prædictæ irreligionis inducunt grauiſsimam. Iam verò non ſolum crimine carere debemus, ſed etiam ſuſpicione criminis, & iuxta Apoſt. *ab omni ſpecie mala abſtinere, ac bona prouidere non ſolum coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.* Addit S. Hieronymus, *caueto ſuſpiciones omnes, & quidquid probabiliter fingi poteſt deuita.*

Act. 2.
1. Theſ. 5.
2. Cor. 8.
Hier. ad Nepot.

Primam coniecturam ſubminiſtrant nobis horrendæ illorum blaſphemiæ tam contra Dominum & Chriſtum eius, quàm contra Eccleſiam & ſanctos Dei nunc etiam in cœlo regnantes. De his omnibus ſcabioſiſsimè loquuntur vt te docebunt quæ infra annotauimus. Iam verò quis Deum agnoſcat, & tam audacter, ſuperbè, ac temerè de eo, deque amicis eius potiſsimis verba faciat? Quam ob cauſam niſi ob blaſphemias, Athei dicti

Cap. 19. §. 5.

Digitized by Google

Ath. serm. 2. contra Aria Hier. ad Pammach.

sunt Aetius, Arius, Eunomius? primus dicebat cibos quosdam suapte natura malos, & sic Deo in illis detrahebat, secũdus Verbo non conuenire esse Deum, tertius Verbum patre minorem esse, & Verbo Spiritum sanctum, ita vt pater esset quasi sacerdos, Verbum Diaconus, Spiritus vero sanctus hypodiaconus. Verisimile non est inquiebant sancti patres, illos hæc dicturos fuisse, si Dei alicuius fidem ex animo coluissent. Ego similiter, verisimile non est Nouatores, si verè aliquem sibi Deum præfigerent, tàm indigna de eo affirmaturos; mox enim timerent, ne irato illi pœnas luerent suæ procacitatis. Nam & milites illi qui ore maledico Antigono Regi quasi absenti conuitiabantur, vbi se ab illo non procul agente audiri intellexerunt, compescuere dicto citius maledicentiam.

Sen. lib. 3. de ira.

Altera ex stupenda cæcitate in quam iusto Dei permissu prolapsos legimus, qui ab Ecclesia desciuerunt. Vix aliquid fieri, dici, aut fingi potest tam nefarium, in quòd non impegerint. Hoc de Gnosticis vbi primum ab Ecclesia recesserunt, hoc de Carpocratianis, hoc de Montanistis te docebunt Epiphanius & alii. Cum ergo ab eadem diuortium fecerint Lutherus, Caluinus, & gregales eorum (neque enim cum exorti sunt, alia circumferebatur Christi Ecclesia quàm Romana, huius autem vnionem præciderunt) non est profectò quod ipsammet diuinitatis infi- ciationem, & si quid aliud grauius fingi potest, ab iis alienũ arbitrere. Prodigus ille Euangelicus vbi à paterna recessit domo, substantiam suam totam deuorauit cum meretricibus, & quasi mutatus in belluã ventrem suum implere cupiebat, de porcorum siliquis. Nouatorum substantia priusquam ab Ecclesia discederent, fides erat Catholica, sic namque illam definit Apostolus dicens. *Est autem fides sperandarum substantia rerum*. Sed quid euenit? digressos ab illa susceperunt mox meretrices variæ, sectæ inquam & hæreses, quæ substantiam illam sic sensim arroserunt, vt in paucis residuus fuerit, & sartus tectusque permanserit ille ipse articulus, qui Deum aliquem esse suggerit, plerosque sic dementarunt, vt tanquã bestiæ non aliam fidem admittant quãrerũ sensibilium. Ecce quomodo apostasia ab Ecclesia apostasiæ à Deo sit prodroma, in quo ne repugnare Caluinũ putes, perspicuè scribit in suis Instit. *discedere ab Ecclesia nihil aliud esse, quàm Deum & Christum*

Epiph. hær. 26. & 27.

Calu. lib. 4. Inst. cap. 1. §. 30.

Digitized by Google

stum abnegare. Ex quibus verbis nouum contra eundem & sequaces eius argumentum deducitur hoc modo. Qui ab Ecclesia discedunt Deum abnegant, ac per consequens Athei fiunt, sed Caluinus cum suis ab Ecclesia decessit, Ergo Caluinus cum suis Deum abnegauit, & Atheus factus est. Maiorem ponit ipse. Minor patet, quia vt supra dicere cœpi, erat in terris vera Dei Ecclesia cum classicum cecinit; non erat autem, nec circumferebatur alia quàm Romana, à qua se segregauit.

Tertia sumitur ab impudicitia, in quam illi cum doctrina sua propendent & incumbunt toti, vt ex illorum principiis, proprio item testimonio constabit lib. 3. c. 2. §. 5. & cap. 6. §. 5. Atqui docuit nos §. superior vix pondus, vix incentiuum vllum esse libidine maius ad dicendum *non est Deus*, idque intelligi potest ex verbis ipsius Petri Martyris aliàs Pseudoeuangelistæ, qui cum interrogasset vtrum recurrat argumentum Apostoli, vt quemadmodum ille dixit *Si non est resurrectio mortuorum comedamus & bibamus*, ita à diuerso conficere possimus, si quos viderimus ventri voluptatibusque mancipatos, futuram eos vitam & resurrectionem minimè credere: respondit, quòd *licet hac argumentatio non sit ἀποδεικτικὴ* id est demonstratiua, *nihilominus probabile admodum videri eos, qui maximè ac ferè semper iis voluptatibus student, vitam nullam futuram credere*, ideoque nec Deum, quia non est Deus mortuorum *vel frigide certè de ea secum cogitare.* De impuris duobus illis senibus qui exarserunt in Susannæ concupiscentiam, ait scriptura *euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.* quid est rogo, vt non viderent cœlum? quid aliud quàm vt non viderent Deum? Neque enim oculis ipsis corporis capti erant, vt ab illis non videretur cœlum verum. Deus fuit quem interior illorum aspectus fugit, sic

Pet. Mart. in cap. 5. 1. ad Cor.

Luc. 20.

Eripit ex oculis mentis diuina libido.

Cic. lib. 4. Aca. quæst.

Neque id M. Tullium latuit, cuius hæc sunt verba, *qui voluptates valdè amant, Dei prouidentiam tollunt, quo liberius iis incumbant. Quis enim potest, cum existimet à Deo se curari, non & dies & noctes diuinum numen horrere?*

Quarta ab aliis multis & paradoxis opinionibus, quas ab iis inuectas esse, & magnam huius præsumptionem facere, imò ei

Sturm. in P. de ratione conc.

portam aperire, teſtis eſt Sturmius alioquin ſecta Lutheranus. *His peruerſis opinionibus* verba eius refero, *fundamenta religionis noſtræ conuelluntur, præcipui articuli in dubium vocantur, multæ hæreſes in Eccleſiam Chriſti inuehuntur, & planè ad Mahumetiſmum & Atheiſmum paratur via.* Nimirum quemadmodum is qui nonnullos è tota vna gente vel familia mendaces aut perfidos longo vſu deprehendit, facilè adduci ſe ſinit, vt credat reliquos omnes tametſi re vera innocentes his quoque vitiis detineri: Ita dum populus Euangelicus intendens oculos in ea perſpicacius, quæ ſibi à Prædicantibus ſuis credenda proponuntur, tandem obſeruat inter ea quædam omnem prorſus fidem excedentia, quæ interim magna contentione ab illis aſſerebantur, vt quod Deus cauſa ſit malorum omnium, quod libero arbitrio deſtituerit hominem, quod ad ſalutem conſequendam ſufficiat, ſi quis eam ſe credat certiſsimè conſecuturum; imò ad id credendum teneri quemlibet, eaque vna perſuaſione flagitia omnia expiari, cum inquam iſta obſeruat, modico momento impellitur vt dogmata quoque reliqua etiam veriſsima, vti aliquem eſſe Deum, de quibus antea dubium nullum obrepſerat, cum dubitatione retineat, & tandem prorſus abiiciat. Quemadmodum rurſus quiſquis faſtuoſus, & ad contradicendum factus inſtrumenta varia probi alicuius Tabellionis apud ſimplices calumniatur, ſic eorum implicat mentem coniecturis fallacibus, vt tandem vix abſtinere poſsint, quin cætera quoque omnia ſuſpectæ fidei eſſe arbitrentur: ſic dum Nouatores gloriæ cupidi apud incautum populum quamplurima à ſanctis olim Patribus & œcumenicis Conciliis ſumma conſenſione decreta & credita in controuerſiam vocarunt, & non mouenda mouerunt, ex conſequenti ſcandalo ei fuerunt & ſunt, quo tandem de omni prorſus articulo dubitet, atque vt ex lite litem ſic dubium deducat ex dubio, nullum faciat vacillandi finem, articulum nullum firmiſsimè teneat, ne illum quidem, qui Dei alicuius exiſtentiam credendam proponit, vt mihi proindè videatur ſecta quæuis Athenis perſimilis, ad quas aiebat Menedemus multos nauigare qui primum eſſent ſapientes, deinde fieri Philoſophos, tùm Rhetores, poſtremo idiotas. Nam etiam Orthodoxi qui ſe ſectariis affricare incipiunt, ad errores ſenſim

ſim propendent, poſt hæc iis pertinaciter adhæreſcunt, ac tandem permittente numine ipſius etiam Dei fidem abiiciunt.

Quintam ſuppeditat mos illorum proprius iurandi in ſententiam propriam cum agitur de rebus fidei, ſic vt non credant aliquid quaſi de fide, quia Eccleſia, Concilia, aut Patres ad fidem id pertinere docent, ſed quia iudicio proprio illud idem cum ſcripturis comparanti, & intermedio rationis lumine verum eſſe iudicanti, ita eſſe videatur. Vnde Caluinus *vellem* inquit *cum Concilij alicuius decretum profertur, ipſum ad ſcripturæ normam, priuſquam vt verum admittatur, examinari.* Hinc dico admodum procliue eſſe in Atheiſmum agi præcipitem, ac Deum non agnoſcere, ſecundum id ſaltem quod eſt in eo præcipuum, id eſt, vt authorem gratiæ, ſed ad ſummum vt authorem principiumque naturæ: imò ne hoc quidem modo vt par eſt, quod ſic oſtendo. Vel credit ſectarius Deum eſſe, quia iudicio ſuo proprio quod vbique interponere conſueuit, id colligit ex ſcripturis ſacris, vel ex alio quopiam Dei verbo, vel ex definitione Eccleſiæ, vel ex miraculis, vel denique ex creaturis. Neque enim aliud occurrit, vnde id inducere in animum ſuum certo poſsit. At nihil horum eidem priuato illius iudicio poteſt ſatisfacere. Non ſcriptura ſacra, quia nullus Spiritus particularis inter illos valet eam ſacram eſſe certò intelligere, cum nemo in particulari promiſsionem acceperit à Spiritu ſancto eandem certò diſcernendi à profanis & mendacibus: quia præterea ſcriptura ſacra ſeu ſcriptura Dei ſupponit exiſtentiam Dei, cum ſit eius verbum, de qua proinde exiſtentia prius conſtare debet, quàm ad ſcripturam recurratur. Neque aliud quoppiam Dei verbum, quia nullum tale admittit, vt ex inficiatione conſtat diuinarum traditionum. Neque Eccleſia, quandoquidem Eccleſiam fidei regulam negat eſſe ob errores, in quos prolapſam fuiſſe prætendit. Neque miracula, nam ſi de recentibus agitur, non habet ea miraculorum loco ſed præſtigiarum: ſi de vetuſtis, vel continentur ſcripturis ſacris, ex quibus vt iam oſtendi, non poteſt Spiritus particularis quidquam certi colligere ſicut nec ſacras eſſe intelligere, vel Authorum non ſacrorum opuſculis, quos in iis recenſendis facilè ſuſpicatur malæ eſſe fidei, & falli potuiſſe ac fallere, cum Eccleſiam ipſam totam circumuentionis huius accuſare non perhor-

Calu. lib. 4. Inſt. cap. 9. §. 8.

rescat. Nec denique creaturæ, cum ex iis ratio naturalis Deum cognoscere tantum posit vt naturæ principium, & fide credere non diuina sed humana. Imò cum ille idem sectarius sæpenumerò se à iudicio illo suo priuato illudi, & in errorem induci sentiat, eo non ægrè progreditur, vt etiam ambigat num rectè ex sensibilibus creaturis Deum vt naturæ principium collegerit: maximè cum ex aduerso multa sint, quæ infirmum queant animum sibi relictum ab eiusmodi sententia & fide auocare, vt quod quidam iis non obstantibus diuinitatem omnem sustulerint, quasi sufficientem illius asserendæ occasionem in iis non deprehendentes, quod casu geri pleraque videantur, quod malis secundæ res contingunt, aduersæ bonis, quod voti compotes sæpè non fiant qui Deo supplicant. Nec est quod quis obiiciat simili ratiocinio confici posse, non habere infideles medium sufficiens ad Deum cognoscendum, ne quidem vt naturæ principium: Horum longè alia est ratio, eo quod in Dei existentia ex rebus creatis inferenda vsque eo non aspernantur commune cæterorum iudicium, vt illud contra suo longè anteponere, plurimumque æstimare soleant, vt potè quod in assertionibus aliis semper experti sunt omni errore vacuum. Sectarij contra, vni priuato suo mordicus adhærent, etiam cum literas sacras interpretandas suscipiunt, & vniuersim in rebus fidei supernaturalis ad Deum pertinentibus, esto in iis eos Deus voluerit non proprio stare, sed Ecclesiæ arbitrio tanquam Magistræ infallibilis & columnæ firmamentique veritatis. Quantò magis credendi sunt eiusdem priuati iudicij sui rationem habituri in rebus cæteris captui suo magis accommodatis, & ratione colligendis, cuiusmodi est Deus vt naturæ principium, atque ita perpetuò fluctuaturi.

De vni-

Digitized by Google

De vnitate Dei.

CAPVT III.

§. 1. *Deus vnus est.*
2. *Vnicum agnoscunt Catholici.*
3. *Nullum aut plures Mahumetani.*
4. *Sectarij pariter vel nullum vel plures.*

NE te moueat Lector, quod de nonnullis Dei attributis sermocinari incipiam, ad institutum id meum confert vel maximè. Quæstio siquidem hoc loco vertitur, penes quem cœtum vera sit Religio, quæ cum Deum supponat eumque verum, in quæstionem ex consequenti vocatur, quis aut nullum omnino, aut non verum recognoscat, futurus vtroque sanè modo irreligiosissimus. Primo quidem quia videri non potest Deum colere qui nullum credit: Secundo verò quia falsum sibi præfigere, reipsa perinde est ac nullum. Ens siquidem & verum conuertuntur, ita fit, vt qui alium quàm falsum non agnoscit, animo sibi fingat reipsa non existentem, nec Dei dignum nomine. Nam neque falsus denarius est denarius, sed calculus, nec falsum aurum est aurum sed aurichalcum, nec homo falsus seu fictitius homo est sed simulacrum, nec syllogismus falsus syllogismus dicitur, sed paralogismus, nec amicitia ficta dicenda amicitia est sed assentatio, nec denique sanctitas falsa nomen hoc promeretur, sed simulationis & improbitatis. Ita ergo falsus Deus non est Deus, nec Dei habendus loco. Vnde quisquis falsum colit, reipsa Atheus est, tametsi non opinione sua, nec iuxta communem loquendi vsum, eo quòd vulgò eos tantum solemus Atheos dicere, qui nullum prorsus ne imaginarium quidem præ oculis habent, vel habere profitentur. Falsus porrò omnium iudicio dicitur, qui non constat attributis diuinitati debitis, aut fingitur constare indebitis. Quocirca S. Aug. *quisquis* ait *cogitat Deum, qualis non est Deus, alienum vbique Deum & falsum in cogitatione portat.* & S. Bernardus serm. 3. de resurr. Domini inde probat voluntatẽ propriam velle non esse Deum quia vellet

§. 1.

Glos. in l. 3. de Haret.

Aug. q. 29. Sup. Ios.
Cal. lib. 1. Inst. c. 4. §. 3.

Digitized by Google

vellet illum impotentē esse & iniustū. Vidit hoc ipsum Caluinus dicens *Apostolus Ephesios sine Deo fuisse tradit, quo tēpore à recta vnius Dei cognitione aberrabāt.* & infra *vero Deo relicto nihil tibi restat, nisi execrabile idolum.* Vidit & Castalio insignis quondam eiusdem Caluini discipulus, sic enim loquitur. *Duo sunt Dij, alter verus Christianorum, alter falsus Caluinistarum. Falsus Deus est tardus ad misericordiam, propensus ad irā, qui maximam mundi partem creauit ad perniciem: At Deus ille quem sacræ literæ docent, est huic plane contrarius, vult is omnes saluos fieri.* En quomodo expositione vel remotione misericordiæ, quæ eximium quoddam est Dei attributum, colligit Deum verum esse vel falsum. Et nos ipsi non alio certè modo ferre solennus de creaturis ipsis sententiam. Exemplum: Aurichalcum nemini aurum falsum est, nisi quia auri veri principiis non congruit, seu non coalescit ex iis quæ ad veri coagmentationem spectant, sed eorum caret aliquo, aut continet eius loco aliquid peregrinum. Falsus item homo mente concipitur, quoties vel cogitatur essentiali parte destitutus, vel aliqua præditus tanquam essentiali quæ non est. Ipsum quoque Euangelium tunc temporis non Dei sed Diaboli falsumque esse dicitur, quando falsus ei sensus affingitur. *Interpretatione peruersa* inquit S. Hieron. *de Euangelio Christi hominis fit Euangelium, aut quod peius est Diaboli*, nec defuit ex profanis qui diceret.

Cast. l. contra Calu. de Præd. — *Hier. in epist. ad Gal.* — *Martialis.*

Quem recitas meus est ô Fidentine libellus,
Sed malè cum recitas, incipit esse tuus.

Hic dicat aliquis, hæc si vera sunt, igitur tàm simplices Catholici, quàm Turcæ falsum dicentur Deum colere, quia Deum in multis vt par est non apprehendunt, & tamen nemo sic loquitur. Respondeo non id sequi contra eiusmodi Catholicos nec proprie errare eos in apprehensione diuinorum attributorum. Ita quippè de iis rudi suo more cogitant, vt tamen doceantur & profiteātur accōmodare se in eiusmodi omnib. iudicio Ecclesiæ Catholicæ, & sic tacitè semper retractant errorem suum. Fateor è contrà id sequi aduersus Mahumetanos, quia cum de Deo prauè sentiunt, conformant sese genuinis superstitionis suæ principiis. Equidem quoad quædam de illo cogitant benè; verum cum malum sit ex quouis defectu, euadere non possunt, quin quoad cætera, & propter cætera falsi Dei cultores iudicentur ob rationem.

Digitized by Google

rationem supra allatam ni fallor apodicticam. Quod si falsus est, quid eum prodest colere? enitendum professò vt quis verus sit agnoscamus, siquidem iuxta Clementem *in huius Dei cognitione & cultu rerum summa vertitur, in hoc est spes omnis & salus hominis, hic est sapientiæ gradus primus, vt sciamus quis sit nobis verus Pater, huic pareamus, huic deuotissime seruiamus, in eo promerendo omnis cura & opera collocetur.* Interim ne de nomine sit altercatio, si quis ob rectam attributorum quorundam diuinorum apprehensionem contentiosius asserat non falsum sed verum Deum ab iisdem Mahumetanis & similibus coli, non multum refragabor, quandoquidem tunc etiam intentũ obtinebo, cum saltem inficias ire nemo possit, eos qui de ipso quoad alia longè plura indignissimè sentiunt, & quæ potissimum ac liquido in eum conueniunt, non assequuntur, idque culpa sua, & vt dici solet vincibiliter, eidem non deferre honorem cultumque debitum. Clem. lib. 5. Strom.

Inter eiusmodi attributa primum est vnitas, quam in Deo ponendam probatur primum testimonio Instrumenti veteris, quo vtuntur non sectarij solum, sed passim etiam Mahumetani præsertim Pentateucho. Dei verba in Deuter. sunt: *Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est & videte quod ego sum solus, & non est alius extra me.* At profectò non esset solus Deus, si præter ipsum aliqua extarent indiuidua diuina ei similia eiusdemque speciei, sicut neque vnicus homo, præter quem alij quidam mundo continerentur, rectè ac verè diceret se solum esse, vel extra se neminem. Item scriptum est *vnus est altissimus creator omnium, & ego Dominus & non est amplius, extra me non est Deus,* ac statim post *absque me non est Deus, ego Dominus & non est alter.* Prætereo loco alios, vt illum Exodi. Ego sum qui sum, qua quidem loquendi formula summum ens se esse demonstrat, ideòque summè vnum. Res enim quo perfectius habet esse, eo longius abest à non esse, ideoque à diuisione, quæ via est ad non esse. Deus itaque vnus est, non specie sed numero: quandoquidem hæc vnitas maxima est omnium, nullam vlterius admittens diuisionem. Deut. 6. & 27. Eccles. 1. Isa. 41.

Probatur secundo testimonio sapientum, qui etiam apud Ethnicos Deorum multitudinem veluti superuacaneam, valdeque ridiculam sustulerunt teste Lact. qui singulatim Trismegisti meminit. *Is Deum ne quis fortè nomen eius requireret ἀνώνυμον, id est,*

sine nomine dixit esse, eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet vnitatem, nec opus sit proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo. vt vnamquamque personam sua nota & appellatione designet. Vnde *cum Deum illum appellamus* inquit Clem. Alex. *non vt nomen eius proferentes id dicimus, sed ad exprimendam quoquo modo rei ineffabilis amplitudinem.* Socrates vt testatur Cicero, tanto studio dissuasit Deorum turbam, vt ob id Athenis à Melito sit accusatus, tanquam de Diis male sentiret. Non terruerunt constantem Philosophum iniqua suffragia, quibus eum Iudices non ita multò post damnarunt, sed doctrinam suam fortius adhuc constabiliens, ait. *Factorum meorum gratia me censeo publice in Prytanæo ali debere,* & tunc accedentibus 80. damnationis sententiis cicutam iussus intrepidè bibit. In Tymæo Platonis vnicus, summus, ac verus Deus tàm perspicuè asseritur, vt S. Augustinus neminem hoc Philosopho propius ad Religionem nostram accessisse putet. Idem persuasissimum fuisse Aristoteli notat in Apotheosi Prudentius. Nam cum dixisset.

Clem. Alex. l. 5. Strom.

Cic. lib. 1. de Orat.

Consule barbati deliramenta Platonis
Consule & hircosus Cynicus quod somniat, & quos
Tendit Aristoteles tota vertigine neruos, addit
Conuertunt tamen ad normam rationis & artis
Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in vnum.

Insectatus similter est Deorum multitudinem M. Tullius, tametsi nec verum ipse, nec veri cultum satis deprehenderit. vnde ait. *vtinam tàm facile vera inuenire possem, quàm falsa conuincere.*

Cic. lib. 3. de nat. De.

Probatur tertio consensione populorum omnium, qui quod probè intelligerent perfectam gubernationem esse non posse, quæ non in aliquod vnum caput desineret, perpetuo in more habuerunt rebus suis publicis vnum præficere. vt Aegyptij Pharaonem, quæ vox Regem significat teste Iosepho, Romani Dictatorem, Lacedæmonij Harmostem, Thessali Archum, Athenienses Archonta, Armeni Megistanem, Cretenses Cosmum, Carthaginenses Suffetem Persæ Coramangem, Hedui Vergobretum, Longobardi Exarchum, Athenienses Demiurgũ, sicut hodie Aristocratia Veneta Ducem vnum in iis quæ togæ, in iis quæ belli alterum. Non obstat quod interdum Aristoteles videatur regno seu Mo-

Lib. 3. Pol. cap. 10.

Digitized by Google

ſeu Monarchiæ Ariſtocratiam præponere. De regno ſi quidem loquitur in quo Rex pro ſua libidine agit omnia ſpreto ſapientum conſilio. Alias manifeſtè Regnum antefert. Deus autem cum ſit infinitè ſapiens ſupplet aliorum omnium ſapientum vicem? Quid apes commemorem? In his quoque Princeps vnus, & grues vnam ſequuntur ordine literato. Si natura in brutis animantibus, ſi priſci illi ſuis in ditionibus ad occurrendum diſcordiæ, qua res maximæ dilabuntur, quæque fecit vt condita Roma duos ſimul fratres ferre nequiuerit, ſed parricidio dedicaretur, cuncta cenſuerunt ad vnum reuocanda principium: quanto magis toti huic vniuerſo vnicus eſt prę́ficiendus ſummus Imperator, vbi tanta rerum omnium diſsimilitudo & copia, tàm diſcretæ hominum voluntates? Nonne inconſultiſsimè faciunt, qui fœdè adeo mundum herciſcunt, vt vnam quidem illius partem vni Deo quam regat, alteram alteri abſcindant? vel ſic vnum in throno conſtituunt, vt mox ſuccenturiatum ei alterum introducant?

Probatur tandem ratione vnica, præter eas quarum meminit S. Thomas, quod ſcilicet determinari non poſsit Deorum numerus, ſi ſemel ab vnitate recedatur, cum non ſit maior ratio cur duos treſue quã plures eſſe oporteat, vt ratiocinatur Tertull. Addit Athenagoras. Si ſunt duo Dij, vel idem poteſt vnus quod alter vel vnus vnũ, alter alterum. Si primũ, igitur alteruter ſuperfluus eſt. Oculorum alia eſt ratio, nego ſiquidem, quidquid vnus videt, idem eodem tempore videri poſſe ab alio, cum iuxta propoſitionem Opticorum plus videant oculi quàm oculus. Si ſecundum, ergo neuter ſupremus eſt, ideoque nec Deus, quia in eo quod alter præſtare poteſt & non ipſe, illo eſt inferior, ab eoque pendet, cum tamen Dei nomine in hac diſputatione intelligamus eum, qui ex ſe poteſt quidlibet, nec ab alio pendet. Audiamus & Lactantium: *Deum neceſſe eſt Patrem nuncupari, non tantum hominis gratia verumetiam rationis, & quod antiquior eſt homine, & quod vitam ſalutem victumque præſtat vt Pater. Quod ſi natura non patitur vt ſint vnius hominis plures Patres, ergo Deos etiam multos colere contra naturam eſt contraque pietatem.* & infra. *Vbi mulier vna multos viros habet, meretrix aut adultera nominatur, ſic & Religio Deorum impudica eſt.*

1.p.q.11. art.1.

Lib.1. contra Marc. cap.4.

Athen in Orat. pro Chriſt.

Lib.4. diu. Inſt.c.3.

Contra nos Catholicos quaſi multorum Deorum aſſertores pro-

proteruiunt hic Mahumetani, adducto supercilio, exultantque nihilo minus, quàm in farina mures solent. Vnde verò criminationis huius ansam arripiunt? Ex eo inquiunt, quod vos Patrem dicentes Deum, & Filium Deum, Spiritum item sanctum Deum, tres necessario Deos adstruatis. Audis Lector, loquentes argumentantesque non Prophetas aut solertes homines, sed Bœotios, Arcadas, atque vt verbo dicam Melibœi pecora. Nam cum cogitatione assequi nequeant qua ratione vnicus sit Deus quoad essentiam, si quoad personas sit trinus, vt in sacrosancta Triade nostra euenit, insultant nobis audaculi, quasi multorum Deorum figulis. Iniquissima sane accusatio, quam ignorantia peperit, improbitas autem latissimè prouexit. Certè quotquot sumus aperte ac firma fide vnicum Deum esse & admitti debere profitentes, Deorum execramur multitudinem. Hinc fidei nostræ ordimur symbolum dicentes, *Credo in vnum Deum*. Quomodo autem fieri posśit vt nobis sit vnicus, si quoad personas sit trinus, docet S. Greg. Naz. dum ait. *Nos vnius Dei principatum colimus, non quem persona vna circumscribit, sed quem æqualis naturæ præstantia constituit, voluntatisque consensio, motus identitas, atque ad vnam eandemque rem coniuncta propensio, ita vt etiamsi numero differant, authoritate tamen & potentia minimè inter se dissideant.* Dicam paulò diffusius, quod in tàm pauca contraxit Doctor iste clarissimus. Si natura diuina à qua Deus Deus, sicut homo ab humana homo dicitur, ita esset in Patre, Filio & Spiritu sancto, quemadmodum humana in tribus hominibus, haud dubiè sicut tres personæ humanæ tres homines sunt, ita tres diuinæ, id est, Pater, Filius, & Spiritus sanctus tres essent Dij. Sed enim nequaquam eodem modo ambæ insunt, aut inesse videri debent. Inest humana in tribus hominibus quasi multiplicata, sic vt quæ est in vno, eadem numero & reipsa non sit, quæ in altero, vt iam mirum videri non debeat, si tres personæ humanæ quibus inest, verè quoque multiplicentur, & in tres homines reipsa numeroque distinctos abeant, vt potè cum eadem natura sibi insita, & in singulis distincta realiter identificatos. At natura diuina pluribus personis inesse nullo modo potest tanquam multiplicata, obstante videlicet infinita perfectione quam habet. Omnis siquidem naturæ multiplicatio fit interuenientibus mutuis indiuiduorum differentiis, quarum quali-

Orat. 3. de Theol.

Digitized by Google

quælibet est quædam perfectio, atque ita conuenit vni, vt ab aliis prorsus sit aliena, ob idque eorum nullum complectitur omnes, & tamen complecti debet si naturam infinitè perfectam qualis diuina est, in se habeat. Sed quomodo inest tribus diuinis si non vt multiplicata? Respondeo, inest illis vt communicabilis seu communicata, nullo modo ab vnitate, & identitate vera recedens propter hanc communicationem. Et quia eadem in omnibus perseuerat (cum propter rationem ante allatam multiplicationis sit incapax) & cum personis ipsa reipsa formaliterque identificatur, ne alias dicere cogamur, personam diuinam seu Deum substantiam esse compositam, fit vt eius ratione & intuitu tres diuinæ personæ in Deum verè & propriè vnum euadant, vt rectè colligit S. Thom. Adhuc tamen difficultas superest, qui fieri posit vt natura diuina semper eadem perseuerans, in personis tribus distinctis esse posit, & cum illis distinctionem suam retinentibus identificari realiter & formaliter. Respondeo, simulque agnosco non posse à me, vel ab alio quoquam explicari tantum mysterium, sed vicissim non teneor explicare, cum mihi sufficiat argumenta infirmare, quæ aduersus illud Mahumetanus, vel alius quicumque direxerit, non secus atque possessori satis est ab importuno petitore allegata dissoluere, esto ius proprium sileat, vel imperitior sit quàm illud explanare pro dignitate posit. Quomodo autem non infirmauero, si aliam naturarum creatarum; aliam infinitæ illius & increatam rationem esse contendero? Quia non perspicis creatam vllam, quæ vnitate retenta personis distinctis inesse, & cum illis valeat identificari, miraris cum me dicentem audis identificari diuinam, & ita miraris, vt hoc verum esse vel fieri non posse credas. Sed te decet præ oculis habere iugiter summam increatæ à creatis distantiam, summam item super creatas omnes eminentiam, quod si faceres, neque pari eam vlna metireris, neque quod illis est inconcessum, huic esse concluderes. Indicauit hanc responsionem idem Gregor. Naz. dicens: *Valde profectò turpe est, nec turpe solum, sed etiam admodum stultum & inane, ex humilibus ac terrenis rebus superarum simulacrum sumere, quodq; Isaias ait viuentia cum mortuis quærere.*

1. p. q. 3. a. 3. & q. 31. a. 1.

Orat. 5. de Theol.

Confutatis reiectisque Mahumetanis succedunt Nouatores velut Triarij pugnaturi acrius, multoque vt sperant certius Polytheismi nos conuicturi. Illorum quippè iudicio tot peregrinos Deos ad verum adiungimus, quot consecratas hostias adoramus, quot sanctos inuocamus, quot imagines veneramur. *Qui Sacramenti adorationem inuexerunt* sic Caluinus loquitur *nouum sibi Deum effinxerunt vero post habito. Quae enim Idololatria esse potest, si non ista? dona inquam Dei adorare loco Donatoris? hac certè ratione debitus ei cultus ad creaturam transfertur.* De Imaginibus nostris simile quid docet alibi. Nam cum declarasset Ethnicos quondam in plures Deos intendisse, adiecit sanctos pariter à nobis habitos Deorum loco. Imò ad maiorem causae nostrae conflandam inuidiam, affirmat vnicum supremum Ethnicis fuisse propositum, cui caeteros nequaquam pares esse arbitrarentur, sed subiectos & succenturiatos: nostro autem iudicio sanctos eodem nihilo esse inferiores. sic enim habet. *Vsque eo extulerunt illos vt Dei socios esse crederent, eodem quo ipsum honore prosequerentur, iisdem supplicarent, & pro beneficiis omnibus gratias agerent.* §. autem 2. affirmat inter cultum quo Deum, & illum quo beatos afficimus, discrimen quoad rem nullum prorsus interuenire, sed solum quoad appellationem latriae & duliae. Quid nos ad haec? Quanta audacia, impudentia, & temeritate ista nobis Caluine obiicis, tanto ea iure velut puditissimas calumnias inficiamur & excutimus speramusque iudiciosum fore neminem, qui inficianti Ecclesiae Cathol. tot miraculis, tot sanctis Patribus, tot Martyribus, tanta prole doctrinaque clarissimae, non multo magis quàm tibi credat affirmanti, & senatum populumque imitetur Romanum, apud quem cum Aemilius Scaurus vir integerrimus à Vario Sucronensi Caluino altero, id est, homine parum sincero accusaretur, sua fretus innocentia dixit, *Varius Sucronēsis ait Quirites, Aemilius Scaurus negat, vtri potius credendum iudicatis?* quibus verbis vir illustris apud eundem populum inepti hominis futilem accusationem euasit. Negat certè haec ipsa Ecclesia plane ac luculenter, negamus & nos plures esse Deos, negamus Sanctos quicumque demum illi sint, habendos à quoquam Deorum loco, seu diuino cultu prosequendos: Imò eos credimus vinci à Deo infinitis partibus. Multo adhuc magis Imagines sacras diuinae conditionis.

Lib. 4. Inst. c. 17. §. 36. & l. 2. c. 8. n. 17. l. 1. c. 12. §. 1.

Digitized by Google

ditionis expertes esse profitemur & scimus. An aliquid vltrà requiris? non tibi sufficit expressa ista confessio? Ea cum te latere nequiuerit, improbus nimis es, qui innocentiam nostram adeò perfricta fronte calumniaris, & apud incautam traducis plebeculam, vt sic faciat à pia matre sua diuortium quasi sacrilega, vt illam oderit, & nugamenta tua sola complectatur. De his hactenus satis. Alibi ex instituto has tuas calumnias auspice Deo retundemus. Quod ad ea quæ de Eucharistia effutiuisti, tàm insulsè quàm euidenter principium petis. Nam cum à nobis & à te tuisque disputetur, sitne Christi corpus in illa realiter & substantialiter an non, & vos quidem quæ vestra est impietas inficiemini, nos verò quasi pro aris focisque contendamus nixi aperto scripturæ textu, definitione Ecclesiæ, authoritate Conciliorum ac sanctorum Patrum, ratione, figuris, & miraculis augustissimis, supponis verè non esse, & super hoc inanissimo fundamento grauem illam calumniam struis, & quasi merum panem adoraremus, non ipsissimum Christi corpus, Idololatras vocas & Deorum plurium assertores. An non hoc abuti est patientia Lectorum omnium? quid superest nisi vt excipiat te sibilis turba tota Dialecticorum? Quantum porrò in hoc ipso argumento hallucineris docebit cap. 11.

Tametsi Mahumetani vsque eo videri velint plurium Deorum inficiatores, vt hæc verba *La illah ilelah, Mehemmet Iresul Allah* hoc est *vnus est tantum Deus, & Mahumetes Propheta eius* in quauis Meschita seu Mosquea sua præ cæteris omnibus sint decantare soliti, Imaginum item loco & aulæorum hæc ipsa sententia professionis illius symbolum eleganti charactere descripta pateat; & sacrificulus qui è Meschitæ turricula populum ad orationem cogit, hoc vnum personet *Ablath bebbez* id est, Deus verus vnus, vt scribit Georgeuizius cap. 1. mihi tamen operosum non erit ex Alcorano sat multa proferre, quæ Mahumetem longè aliter sensisse, & docuisse partim necessario concludant, partim admodum verisimiliter.

§. 3. *Barth. Georg. Lonic. lib. 2. de morib. & Kal. Turc.*

Azoa. 43.

Ac primum in Azo. 43. Deum ita loquentem facit. *Cum Deus & Angeli propter Prophetam* (de se loquitur) *exorent, vos quoque Deum precemini pro ipso.* Haud dubiè cum passim tradat soli Deo supplicandum, vt in Azo. 28. his verbis: *non te commendes aliĩ quàm Deo,*

duos

duos minimum Deos inducit, orantem vnum, oratum alterum. Nisi fortè excusandus videatur, quasi senserit vnum eundemque sibi ipsi preces offerre, sed hoc longè absurdissimum esse nemo non videt. Non ergo effugere potest, quin duos saltem posuerit. Verùm occurrit difficultas. Videtur enim posse quod dicimus in nos retorqueri, vt pote quorum iudicio Christus Deus est, oratque pro peccatoribus Deum patrem, quod vtique non faceret, si alius Deus non esset. Respondeo nihil hic interuenire simile, siquidem orauit tantum Christus, & orasse creditur vt homo non vt Deus, quia non erat inferior Patre vt Deus, sed vt homo. At Mahumetis sententia, nulla est in Deo humanitas à diuinitate distincta, secundum quam inferior sit & oret.

Azo. 4. Secundò, in eodem Alcorano frequenter, docet tàm Verbum quàm Spiritum perpetuo esse & fuisse apud Deum. Si Verbum semper fuit apud Deum, intelligi non potest quomodo ab eo factum sit, sed neque fieri potuit quia agens per intelligentiam Verbo agit, & sic vt Deus Verbum faceret, Verbo alio indiguisset, de quo eadem moueretur quæstio, itaque abiretur in infinitum. Quod si Verbum illud intimum & perenne apud Deum nec factum est, nec fieri potuit, creatura non est. Deus ergo est. At non idem cum Patre secundum Mahumetem, vt qui nunquam admittere voluit aliquam eius processionem à Patre, seu ab illo quem communiter Deum vocat. Maximè namque agnouisset processionem, quæ generatio seu filij productio dicitur, at talem penitus eliminat, vt cum ait *Deus vnus est, & filio caret.* *Azoa. 11.* Quomodo autem vnus cum illo Deus censeri potest, nisi per eandem diuinitatem? quomodo verò eadem sit amborum diuinitas, nisi processionis alicuius beneficio, secundum quam vnus ab alio eandem omninò acceperit? Cum ergo Mahumetes vt dixi, nullam in diuinis processionem constituat, fateatur necesse est Verbum esse Deum, & quidem ab illo alio separatum.

Cusp. l. de domest. Turc. mor. Non ex his solum capere ansam possunt Mahumetani assertionis Deorum plurium, sed ipsi quoque Mahumeti suo diuinitatem tribuunt, si Cuspiniano credimus. Quam suspicionem auget non parum mos inter eos receptissimus ei cum primis supplicandi, eo præsertim tempore, quo ad instantem se pugnam com-

Digitized by Google

comparant. Nam cum Alcorano cautum sit vti supra vidimus, ne alteri quàm Deo preces offerantur: illi autem Mahumeti suo præcipuas offerant, vel legem suam vniuersim, publicè manifestèque violant, quod parum est verisimile, vel communibus votis in eius diuinitatem consentiunt.

Non desunt ex recentioribus sectariis, qui plures quoque Deos conentur obtrudere. Huiusmodi aio Caluinum esse cum suis sequacibus, cui si Lutherum adiunxero, non me pœnitebit. Valentinum Gentilem prætereo; quem nemo prolapsum dubitat in hanc impietatem, cum in libro Antidotorum, & in Prothesibus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum tres esse Spiritus æternos, essentiali numero distinctos scripserit, tres item Deos, ex quibus tamen Pater Filio supereminea t,& Filius Spirituisancto, sitque Trinitas instar Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui gradibus dignitatis differunt. Atque hoc dogma est, à cuius absurditate, qui hunc vere Gentilem & profanum habuere Magistrum, dicti sunt Tritheitæ. Ad Caluinum redeo, qui cerebri nihilo saniotis, negat Filium Deum esse à Patre suamque illi diuinitatem acceptam ferre. Etenim cum lib. 1. Inst. cap. 13. §. 19. imposuisset S. Augustino & aliis, quod illum à seipso essentiam habere dicerent, subiunxit. *Ergo cum de Filio sine Patris respectu*, id est, considerato non vt filius, sed vt Deus est, *simpliciter loquimur, benè & propriè à se esse asserimus*. & infra, *cum sit Iehouah, sequitur diuinitatis respectu* ac proinde vt Deus est *ipsum ex seipso esse* & §. 25. *docemus secundum scripturas vnicum esse Deum, & diuinitatem à seipsa. Hinc confitemur Filium vt Deus est, non habita personæ ratione, à semetipso habere vt sit, vt verò filium, esse à Patre.* Hanc eandem pestilentissimam doctrinam coniecit postea in librum aduersus eundem Valent. Gentilem, & in epistolam ad fratres Polonos. In synodo quoque Lausanensi quemadmodum ex Petro Carol. in epist. ad Cardin. Lothar. narrat Prateolus V. *Trinitarij* impetrari ab eo nunquam potuit, Christum vt diceret *Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero* tametsi hanc loquendi formulam vsurpasse legantur celeberrimi illi trecenti & octodecim Patres Niceni Concilij, quin potius ludibrio illam habuit Aristarchus hic fastuosissimus & *βαττολογίαν* appellauit. Ne quis autem eandem doctrinam ab eius sequacibus neglectã putet, vnum VVitackerum audiamus instar §.4.

Lib. contra Camp. pag. 153.

omnium. *Etsi inquit Nicæni Patres dixerint Christum esse Deum de Deo, tamen firmissime tenendum est cum Caluino Christum non à Patre, sed ex se & per se Deum esse.* Ex his aio colligi Filium esse alium à Patre Deum; ac in primis suppono loqui Caluinum de diuinitate Filij, cum eam negat esse à Patre, non essentialiter considerata, & abstracta à notionibus & personis diuinis, ac proinde à Filio, quomodo vsurpata dici potest ac debet Pater non esse à Patre, vt notat Gregor. à Val. quia si vt sic esset à Patre, certe cum in omnibus personis sit essentialiter, illam Pater ipse à Patre accepisset, quod manifestè est ridiculū, sed notionaliter, vel si mauis vt est in persona Filij, & cum eius notione cōiuncta, vt planus ac formalis sensus Hæresiarchæ huius sit, Filium non accipere à Patre diuinitatem quam habet ac secundum illam nullam dicere à Patre dependentiam. Considerat inquam Caluinus Filij diuinitatem vt in Filio existentem, cum profiteatur se loqui de Deo Filio, ait enim *ergo cum de Filio sine Patris respectu &c.* sicut etiā loquēs ibidem de Deo Patre, loquitur de diuinitate, vt est in Patre. Nec aliam ob causam videri potest detrectare idem dicere quod Nicæni Patres, nisi quia de Christi diuinitate vsurpata eo modo quo ab illis vsurpabatur, aliter sentit quàm ipsi. Quis nescit debere ab impugnatore seu reprobatore vnius sententiæ in eodem sensu terminos quo ab assertoribus vsurpari? Atqui Nicæni Patres nullo modo Christi diuinitatem essentialiter & à personis abstractam considerarunt, quia eorum nemo tàm peregrinus in Theologia esse potuit, vt eam sic consideratam absolutum quid esse non intelligerent, proindeque non includens esse ab alio, sed vt in Filio existentem. Ergo & Caluinus sic eam considerauit & considerare debuit, cumq; à Patre neget esse, alia est quàm in Patre. Probatur ista consequentia, quia intelligi nulla ratione potest, quomodo sit eadem, nisi per communicationem, hoc est, nisi quia vnus quam habebat, eandem ipsissimam communicauit alteri. Cum ergo velit diuinitatem quam habet Filius, non esse à Patre, vtique alia est quàm Patris. Si alia, igitur cum Deus dicatur à diuinitate, Filius vtique alius erit Deus quàm Pater. Haud aliter probaueris secundum Caluini principia, Spiritum Sanctum Deum esse tertium, seu à Patre distinctum & Filio.

1 p. disp. 2. q. 1. punct. 1. §. 27.

Quod

Digitized by Google

Quod ad Lutherum, nonne præter Deum illum quem agno-
ſcit, alium Deum ſe facit, cum id ſibi arroget, quod Deo vero in
primis eſt proprium, occultarum videlicet cogitationum ſcien-
tiam, exempli gratia quid cogitet Cæſar, quid Moguntinus Ar- *In l. 12. canſarum.*
chiepiſcopus, vt teſtatur Caſpar Vlenbergius. Iam vero hanc
notitiam Dei eſſe propriam teſtantur aliquoties diuina eloquia,
in quibus legimus *Dominus intuetur cor, homo videt ea quæ parent.* & *1. Reg. 16.*
Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus *Hier. 17.*
ſcrutans cor & probans renes. Apoſtolus item oſtendere volens, ho-
minem nullum ea virtute præditum, qua abditos cæterorum co-
gitatus poſsit detegere, ſed ſuos tantum perſpectos habere di-
cebat. *Quis hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi Spiritus hominis qui in* *1. Cor. 2.*
ipſo eſt? Manifeſtiſsima denique ſunt verba illa *tu ſolus noſti corda* *2. Paral. 6.*
filiorum hominum. Vnde non immeritò ſancti Patres ex eo quod
Chriſtus vidiſſe legatur cogitationes hominum, diuinitatem
eius euicerunt. Eſt id Angelis ipſis inconceſſum. Namque ad *Matth. 9.*
ſummum poſſunt perſpicacitate ſua naturali attingere, quæ in
appetitu & phantaſia, hominis ſunt & brutarum animantium,
vt docet S. Thomas. Erit fortè qui Lutherum excuſet ac inter- *1. p. q. 57. a. 4. ad 3.*
pretetur, quaſi locutum de ſcientia alienarum cogitationum,
quam adeptus ſit non propriis viribus, ſed diuina reuelatione ac
beneficio. Verum non tenemur ad interpretationes eiuſmo-
di attendere, nullum in eius verbis habentes fundamentum.

De Spirituali Dei Subſtantia.

CAPVT IV.

§. *1.* *Deus ſubſtantia eſt ſpiritualis ſeu immaterialis.*
2. *Hoc de illo credunt Catholici.*
3. *Repugnant cum Duce Mahumetani.*
4. *Et præter illos plerique Sectarij.*

DEVM eſſe corporis expertem ac ſpiritalem ſubſtan- §. 1.
tiam probatur primò authoritate ſacrorum Codi- *Gen. 1.*
cum qui ſic loquuntur. *creauit Deus hominem ad ima-*
ginem & ſimilitudinem ſuam, quæ verba ratiocinatio-

K 2 nem

nem hanc virtute continent. Cum à potiori parte fiat denominatio. In homine autem duæ ſint partes, forma & materia ſeu anima rationalis & corpus, illa quidem potior, iſta longè imperfectior, propriè dici non poteſt homo creatus ad Dei imaginem & ſimilitudinem, niſi quoad animam Deo ſit ſimilis, cum itaque vt ex Philoſophia ipſa humana ſuppono, anima rationalis expers ſit materiæ ſeu corporis, & ſubſtantia ſpiritalis, libertate prædita, inexterminabilis; vtique talem quoque ſubſtan-
Ioan. 4. tiam eſſe Deo conuenit. Alibi ſcriptum eſt *Deus Spiritus eſt.* Spiri-
Luc. 24. tus autem incorporeum quiddam eſt neruis, oſsibus, & carne deſtitutum. Vnde & Philoſophi ſubſtantiam vniuerſim partiuntur ac diſtribuunt in ſpiritalem & corpoream, quod nequaquam facerent niſi inter vtramque talis eſſet antipathia vt ſic dicam, quæ vnius rationem ab alia penitus excluderet. Verum quidem eſt res nonnullas corpore conſtantes in iiſdem ſcripturis dominicis ſortiri appellationem ſpiritus, vt ventos, ignem, halitum &c. eo quod ob tenuitatem cerni non poſsint cæterorum more corporum, atque ita ſubſtantiæ alterius ordinis eſſe videantur; verùm enimuerò, Spiritus ſimpliciter dici non ſolent, additur vulgò quippiam, vt cum dicuntur ſpiritus procellarum, Spiritus vehemens, Spiritus tempeſtatis, Spiritus ardoris, Spiritus ſibilans, Spiritus iræ; Deo autem Spiritus nomen abſolutè tribuitur.

Greg. Naz. orat. 2. de Theol. Aug epiſt. 111. & l. 3. Conf. c. 7. Plat. in Tim. Ariſt. 8 Phyſ. Amm. in l. Perher.

Secundo probatur authoritate non Orthodoxorum modo Patrum tùm Græcorum, tùm Latinorum, qui luculenter id demonſtrarunt, præſertim Greg. Naz. & Auguſtinus: ſed etiam Ethnicorum vt Platonis qui ob id Deum vocauit ἀσώματον id eſt, ſine corpore, & Ariſtotelis, & Soſthenis illius famoſiſsimi de quo S. Cyprianus. *Formam veri Dei negat conſpici poſſe* & Empedoclis Agrigentini, cuius præclari de hoc argumẽto verſus hanc ſententiã latinè reddunt teſte Ammonio. *Deus neque humanum caput habet, neque brachia ex humeris apta, neque pedes, neque genua, ſed mentem ſacram & diuinam duntaxat, & cogitationibus celeribus vniuerſum mundum mouet.*

Tertio probatur ratione eaque multiplici. Deo nihil eſt antiquius, vt fatentur omnes, corpore autem aliquid eſt prius, id videlicet quod eius partes in vnum cooptauit vt docet S. Thomas

mas. Deus ergo corpus non eſt. Præterea cogitari debet Deus numeris omnibus abſolutiſsimus, & talis quo nihil maius, nihil perfectius, *quando cogitatur Deus*, ait S. Aug. *ita cogitatur, vt aliquid quo nihil ſit ſublimius, quod illa cogitatio conetur attingere* ideoque cum principio ambigeret, eſſetne incorruptibilis an corruptibilis incorruptibilem eſſe concluſit *cætera ſic nitebar inuenire, vt iam inueneram melius eſſe incorruptibile quàm corruptibile, & ideò te quiquid eſſes, incorruptibilem eſſe confitebar.* Atqui melius multo eſt ſubſtantiam eſſe ſpiritalem quàm corpoream, Deus ergo Spiritalis eſt, non ex materia concretus ſiue corporeus. Minor propoſitio vel ex eo liquet, quod anima rationalis non alio magis nomine corpori antecellat, quàm quod ſpiritalis ſit, & quod è corporibus præſtantiora ſint ea quibus minus ineſt materiæ, vt ignis quàm aër, aër quàm aqua, hæc quàm terra, Spiritus arteriarum quàm incluſus venis cruor ſeu ſanguis. Item quod corporis tot penè ſint imperfectiones à diuinis prærogatiuis remotiſsimæ, quot partes. Siquidem hoc ipſo quo ſentit, & in humana mẽbra diſtinguitur (de hoc namq; loquimur tamquam omniũ præſtantiſsimo, & maximè artificioſo) finitum eſt, alioqui ea operi admouere non poſset, nec figuram haberet, Deus autem infinitus. Item vbique non eſt, nec eſſe poteſt eadem de cauſa, quod ſcilicet vbique exiſtens atque ita infinitæ molis, in actionem aliquam nequiret erumpere, v. g. manum mouere, cum pertranſiri non poſsit infinitum, & quod figura quæ humani corporis eſt proprietas, neceſſario poſtulet molis circumſcriptionem. Deus autem cœlum & terram implet, imò eum cœli cœlorum non capiunt; quin ad ſpatia omnia imaginaria quæ vltra cœlos ſunt, extenditur, vt pius docet Aug. nec defuit profanus, qui eodem ſpectans diceret

1. p. q. 3. a. 2.
Aug. lib. 1. de doct. chr. c. 7. & l. 7. Confeſ. c. 4.
3. Reg. 8.
Lib. 7. Conf. c. 5.

totoſque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Ita patet alienum eſſe corpus à diuina conditione: præterquam quod vel eo ſolo conſtaret Deus, & ſic eſſet homine imperfectior, vel vt parte vna phyſica, quæ cum ſit finita ſicut & altera, vt potè toto minor, finitus eſſet Deus.

Exigit tandem mundi perfectio vt nulla ei deſit rerum differentia. Et certè nullam deeſſe teſtatur ſcriptura cum ait. *Intuera*

Digitized by Google

in omnia opera altißimi, duo contra duo & vnum contra vnum. & rursus
Eccles. 33. & 44. *omnia duplicia vnum contra vnum & non fecit quidquam deesse*. Deesset porrò potissima si Deus non esset spiritalis. Deesset, inquam, illa, quæ pertinet ad substantias spiritales siue perfectas cuiusmodi sunt Angeli, siue imperfectas, vt animæ rationales. Neque enim spiritales esse possunt, si Deus ipse à quo esse acceperunt, concretus sit ex materia, ne alioqui deterior multo sit causæ, quàm effectus conditio.

Verùm dicat aliquis, quid ad illa scripturæ testimonia respondebitur, quæ oculos, cor, manus, aures, & membra id genus alia humani corporis propria Deo adscribunt? Oppositioni huic satisfacit pro me Augustinus cum ait, *quando corporalia membra Deus se dicit habere, non tamen eum accipimus forma corporis esse definitum, sed illa omnia membrorum nomina intelligimus esse effectus operum atque virtutum*. (Aug. in lib. qq. super Leuit.)

Sanctus similiter Hilarius in lib. de Trin. omnia per ἀνθρωποπάθειαν esse intelligenda sic scribit *Scriptura per corporalia Spiritualia docet & inuisibilia per visibilia demonstrat*.

§. 2.

Deus Catholicis non alia substantia est quàm Spiritualis, vt in sacris suis constitutionibus definit illorum Ecclesia. (Lib. 1. Decret. c. firmiter.) vbi illum vocans immensum seu infinitum, & naturam omninò simplicem, eatenus corpus esse negat, quatenus nullum est corpus omninò simplex seu incompositum, sed quodlibet ex partibus quibusdam coalescit, physicum quidem ex materia & forma tanquam ex actu & potentia, Mathematicum verò ex suis dimensionibus, vel partibus integrantibus. Quatenus præterea quælibet eiusmodi partium finita est, cum entitatem non includat cæterarum, alias essent superfluæ, nec fieret aliquid earum additione maius; ex finitis autem palàm est non resultare immensum & infinitum. Ista eadem Ecclesia est quæ quondam ita sentire docuit Augustinum dicentem. (7. Conf. 1.) *Nec te cogitabam Deus in figura humani corporis, ex quo audire aliquid de sapientia cœpi, semper hoc fugi, & gaudebam me hoc reperisse in fide Spiritalis matris nostræ Ecclesiæ*. Retulit eadem in Hæreticorum Catalogum, quotquot Deum fecere corporeum, vt Audianos de quibus Theodor. (Theod. l. 4. hæret. fab. cap. 13.) & Anthropomorphitas sic dictos ab ἄνθρωπος quod est homo, & μορφὴ quod est forma, quasi Deum instar hominis figurantes.

Armantur hîc in nos aduersarij, dicuntque si verè id mente

credi-

creditis, quod ore affirmatis, quorſum Deum ſub humana forma repræſentatis? abrogant fidem verbis veſtris opera. In promptu eſt quod reſpondeatur, conſilij noſtri non eſſe his picturis Deum vt Deus eſt intuenti obiicere, ſed Chriſtum vt hominem, vel ſi etiam Deum, nequaquam eo ſtatuas vel pigmenta illa referri, vt in illo membra ipſa humana cogitentur, ac verè ineſſe credantur, ſed effectus virtuteſque illius membris eiuſmodi reſpondentes, v. g. circumſpectio & ſcientia quæ per oculos, fortitudo quæ per dexteram, perennitas quæ per canitiem indicatur, quemadmodum B. Auguſtinum paulò antè dicentem audiuimus. Perſpicuum eſt quod ſcribo ex Concil. Trid. in decreto de Imaginibus, vbi iſta leguntur. *Quod ſi aliquando hiſtorias & narrationes ſacræ ſcripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit, doceatur populus non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporeis oculis conſpici, vel coloribus aut figuris exprimi poſsit.* Alias ſi omninò interdicta eſſet eiuſmodi repræſentatio, ne Deum ſuſpicemur eſſe corporeum, cur ſub ſenis ſpecie Danieli ſe videndum præbuit ita ſcribenti. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit, veſtimentum eius candidum ſicut nix, & capilli capitis eius quaſi lana munda.* Cur Spiritus ſanctus ſcripturæ ſacræ concinnator præcipuus de eo toties quaſi eiuſmodi membris conſtante loquitur vt cum per Iſaiam ait, *os Domini locutum eſt*, & per Moyſem *tactus eſt dolore cordis intrinſecus* & *manus Domini fecit hæc omnia*, ac per Pſalmographum *vultus Domini ſuper facientes mala*? Eſt ſanè hæc deſcriptio quoddam picturæ genus, interius mentem non minus per auditum afficiens, quam pictura naturalis per viſum. Cur ipſemet Spiritus ſanctus modò columbæ aſſumpſit ſimilitudinem, modò linguarum ignis diſpertitarum? Similiter nunquid Angeli, qui vt docet S. Thomas formarunt creaturas eiuſmodi, & Apoſtolis aliiſque videndas obiicerunt, idque iuſſu diuino, non ſatis intelligebant ipſum non eſſe corpus, ſed ſubſtantiam merè ſpiritalem? formarunt tamen, nec eſt qui citra impietatem queat hoc ab illis factum reprehendere. Nonne prætereà Caluinus conſentit bonum eſſe has Dei imagines habere ac retinere, quæ ad ipſum actu interno adorandum nos moueant? Ecquis denique poteſt de Deo cogitare, niſi per interiecta phantaſmata aliqualem ſibi formet eius ſpeciem? Hæc ad tutelam noſtram hoc loco dicta ſufficiant, complura ſimilia proferre

Conc. Trid. Seſſ. 25.
Dan. c. 7.
Iſa. 25.
Geneſ. 6.
Deut. 32.
Pſal. 33.
1. p. q. 47. a. 7. ad 5.
Lib. 1. Inſt. c. 11. §. 3.

ferre infiniti esset operis, responsionum Catholicarum gustum ex paucis lector cape.

§. 3. Longè aliter se res habet apud Mahumetem eiusque propagines. Is manifestè ac multipliciter Deum indicat esse corporeum, nec id mirum. Nam cum voluptatibus corporis totus sensuique adhæresceret, mentem ad supera transferre, & Spiritalem Deum cogitare non potuit, *animalis* quippè *homo non sapit ea quæ sunt Spiritus.* Nam similiter ex antiquioribus Philosophis plerique, cum non possent cogitationem auocare à consuetudine sensuum, in animum induxerunt, teste Aristotele, ens nullum dari, quod non esset corporeum. Fecit idem mentis stupor, vt Diogenes Cynicus Platonem diuinum Philosophum rideret, quod mensitates, & cyatheitates quasdam discipulis suis docendi gratia proponeret, cum interim mensas tantum & cyathos in quotidiano rerum vsu conspicere se assereret. Cui Plato. *Enimuerò oculos quibus mensas & cyathos videre poßis, habes: mentem qua sola mensæ & cyathi natura vniuersim conspiciatur, non habes.*

1. Cor. 2.
Arist. l. 4. Phys.

Primus qui occurrit Alcorani locus erroris illius assertorius, est Azoara. 28. vbi de beatitudine fidelium loquitur in hæc verba homo spurcissimus. *In lectis aulæatis accumbent &c. & hæc est maxima merces ac interminabilis.* Extra controuersiam est, nec ipse vsquam diffitetur, fœlicitatem præcipuam fidelium siue beatorum quandam esse diuinæ illius participationem, vndè scriptum est, *inebriabuntur ab vbertate Domus tuæ & torrente voluptatis tuæ potabis eos & intra in gaudium Domini tui* & rursus *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipsum.* Iam verò quam nobis describit fœlicitas, corporum tantum est, & quidem pecuina prorsus, sicut & vsus Veneris assiduus, cuius ibidem meminit. Est itaque Deus corpore præditus, ne alioqui beatitudine careat, omnium quæ possunt esse maxima.

Psal. 35.
Matth. 25.
Psal. 121.

Secundo sustulit substantias omnes alias, vulgò Spiritales habitas, id est, negauit Spiritales esse, verisimile ergo est, quod nec Deum fecerit Spiritalē, eo quod si Spiritalis esset, vtiq; cum rerū creationi dabat operam, aliquas eiusdem secum ordinis condidisset, seu expertes corporis, quæ sibi adessent propius ac ministrarent. Probatur antecedens. Nam in Azoa. 25. Angelos æquè bonos ac malos ex igne creatos docet, deceptus verbis illis Psalmi

Digitized by Google

mi *qui facis miniſtros tuos ignem vrentem*, nec ſecum reputans hæc dicta fuiſſe propter illorum mobilitatem. Idem ſpeciatim aſſerit de Angelis bonis in libro centum quæſtionum, eos inquam conſtare corpore. Scribit namque ex vniuerſo illorum cœtu octo electos à Deo & conſtitutos, vt portent in die iudicij thronum Dei, tantæque molis eſſe quemlibet, vt ſi auis per annos mille volaret, vix ab aure vna perueniret ad aliam. Nemo neſcit tàm molem quàm aurem, & localem diſtantiam propriè ſumptam aliarum non eſſe rerum quàm corporum. Contendit ibidem primi parentis animam per os illabendo ad eius deſcendiſſe pręcordia, eodemque moriente eadem via ſibi exitum quæſiuiſse. Et rurſus Angelum mortis Moyſi detrectanti mori ſubdolè pomum obtuliſſe, quod dum incautus niſus eſt olfacere, reſerauit concaua narium, quam occaſionem Angelus ille arripiens, per eas diductas animam abſtraxit renitentem. At quod ſpiritale eſt, nec oris beneficio ad ingreſſum opus habet, nec ad exitum diductis naribus. In eodem Dialogo & in Alcorano eatenus peccata ſordes corporeas ac materiales putauit eſſe, quatenus ea tot fore ſcribit in die iudicij, adeoque grauia, vt immenſæ molis ſtateram poſtulent, ad quam ſuſtinendam ne cadat, opus ſit ſeptuaginta millibus Angelorum, quatenus inſuper ea poſſe cenſuit aquis elui. Haud dubiè cum anima ſit quam inficiunt, ipſa quoq; corporea ſit oportet. Nam ſicut ſubiectum materiale ſpiritalis rei ſeu accidentis non poteſt eſſe receptaculum, ita nec contra.

Tertiò, cum Angelos etiam bonos annumeret, vti iam vidimus, è materia concretis ſubſtantiis, materialis pariter thronus ille ſit oportet, quem portaturi dicuntur in die iudicij; quod ſi eſt materialis, quomodo non etiam Deus in eo conſeſſurus? Sed Dei nomine in præſentia fortè Chriſtum intelligit, quem Dei loco vniuerſi orbis iudicem futurum non ſemel ſcribit. Dura nimis eſt hæc interpretatio, ob idque infirma excuſatio, tùm quia de Deo loquitur & Dei throno, Chriſtum autem Deum eſſe, vbique pernegat, tùm quia eſto Chriſtum iudicaturum cenſuerit, cogitare nihilominus potuit, & verba ipſius portendunt, ipſum quoque Deum proprio in throno conſeſſurum, & ſupremum illud iudicium præſentia ſua cohoneſtaturum.

L Quartò

Quartò, ſcribit in eodem libro Deum illuminari à candelis 14. ad diuinum thronum vſque procedentibus tantamq; in longitudinem exporrectis, vt hæc longitudo iter ſit quingentorum annorum. Spiritales certè ſubſtantiæ nec Lampadibus per ſe indigent, nec euadere poſſunt aſpectabiles.

Quintò, ibidem cenſet Deum in tabulam velut in Ephemerides & pugillares referre quæcumque in mundo fiunt, atque ad ea exaranda vti calamo, cui ſunt cuſpides octoginta, & longitudo itineris quingentorum annorum, latitudo verò itineris annorum itidem octoginta. Haud dubiè ſi de Deo cogitaſſet velut de immateriali ſubſtantia, nunquam ei ſcriptionem, ſcribendique inſtrumenta ſenſibilibus tantum recipiendis imprimendiſque accommodata tribuiſſet.

Poſtremo in Azoara 27. ſe à Deo tactum fuiſſe commemorat, trãſlatumque à templo Haran ſeu Mechæ ad templum longinquum, id eſt, Hieroſolymitanum. Atqui tactus vt conſtat, corporum tantum eſt. Deum ergo facit conſtantem corpore. Hæc coniectura fateor, ſolitariè ſumpta non planè ſatisfacit, Reſponderet enim Mahumetes Deum alioquin corporeum vel per ſe, vel miniſterio Angelorum aſſumpſiſſe interdum corpora, & in iis communicaſſe cum hominibus, & ſe inter alios tetigiſſe. Nam & S. Auguſtinus ſcribit, *apparuiſſe hominibus Angelos in talibus corporibus, quæ non ſolum videri, verumetiam tangi poſſent*, quia tamen præcedentes illæ ſatis euidenter demonſtrant quod dicimus, veriſimillimum eſt hoc loco tactus nomine impropriũ ac precarium non intelligi, ſed verum & naturalem, qui ſcilicet vero Dei corpori conueniat.

L. 15 de Ciu. cap. 23.

§. 4. Ad ſectarios venio, qui apertè quidem corpore Deum non veſtiunt, ea tamen ſcribunt ac prædicant, quæ eos reipſa in hoc errore verſari aut certè ab eo non procul abeſſe ſuſpicari nos cogunt, quæque ſociis incautioribus grauem ſic ſentiendi occaſionem pariant.

Lib. de Conc. p. 2.

Docuit in primis Lutherus Chriſtum non modo Iuſtificatorem eſſe ſecundum naturam tùm diuinam tùm humanam, verum etiam ſecundum vtramque in cruce paſſum & mortuum. Idem in eius ſcriptis annotarunt Lindanus & Prateolus lib. 11. Elenchi hæreſ. 44. citantque Andream Muſculum Lutheranum, id e i

Digitized by Google

id ei tribuentem in libello quem edidit Lutheri nomine in blasphemiæ huius stabilimentum. Qui Andreas multò clarius adhuc pestilentē hanc doctrinam tuetur contra Osiandrum & Stācarum, cuius opinionem vt refutaret, qua asserebat Christum esse iustificatorem quoad humanitatem solam, prorupit in Lutheri verba dicens esse quoque Iustificatorem quantum ad diuinitatem, nec dubitauit contendere, hanc cum illa in cruce mortuam. Propter quod ille, eiusque gregales dicti sunt Antistancariani. Vide Staphyl. in lib. de concord. discipulorum Lutheri.

Ad Lutheranos spectant Vbiquistæ, quorum dogma vnum inter alia est Christum similiter secundum diuinitatem crucifixum, passum, mortuum & sepultum, vt scitè aduersus eos concludit Gregor. à Valen. & patet, quia volunt propria naturæ vnius tribui & conuenire supposito communi seu Christo, deque eo prædicari non solum secundum eandem naturam, sed etiam secundum aliam. Atque ex hoc inferunt, quia omnipotentem esse, & vbique esse diuinitati conuenit, Christum non vt Deum duntaxat omnipotentem, & vbique esse; sed etiam vt hominem. Vicissim itaque cum crucifixio, passio, mors, & sepultura sint humanitatis proprietates, vel si mauis accidentia, passus est Christus secundum Euangelium familiæ huius Lutheranæ, crucifixus, mortuus, & sepultus, non vt homo tantum, sed insuper vt Deus. Iam cogitet quisquis micam habet iudicij, quomodo fieri possit vt diuinitas vel quod in idem redit Christus vt Deus sit passus, crucifixus, mortuus, & sepultus, sicut Lutherus cum suis blasphemat, si vt sic non sit corpus vel corporeus. *Lib. 4. contra Vbiq. cap. 17.*

Idem Lutherus supernæ fœlicitatis statum ita facit materialem & corporeum, vt etiam repræsentet illum nobis ardelio audacissimus iuxtà ac impurissimus quasi fæcibus refertissimum. Verba eius in sympos. sunt. *inibi formicæ, cimices, aliaq; deformia & fœtida animalia erunt, ibi buffones & serpentes quibuscum ludos exerceamus.* & infra *possemus alias*, id est, si non extarent ibi eiusmodi animalia quæ excrementa absumerent, *quadriennio totum cœlum &c.* supprimo lector verbū detestabile quo sententiam claudit, ne illius expressione honestas ac puras aures tuas inficiam. Quomodo non sit Deus materiæ particeps, si tàm materialem,

Digitized by Google

imò fæculentam beatitudinem præparat diligentibus se? Haud dubiè cum beatitas illa tota sit vt supra ostendimus, diuinæ portio quædam siue participatio, sequitur materiam illam ad Deum quoque pertinere.

Idem rursus in assertione suorum articulorum à Leone 10. damnatorum, cum in 27. dixisset, in potestate Pontificis non esse statuere articulos fidei, subiungit. *Permitto tamen quod Papa condat articulos suæ fidei, & suis fidelibus, quales sunt panem & vinum transsubstantiari in Sacramento*, & paulo inferius, *animam esse immortalem, & omnia illa infinita portenta.* Vides bone Lector, quæ & qualis Theologia fuerit insani istius capitis, siquidem articulum de immortalitate animæ non aliud quàm portentum existimauit. Si immortalis non est, vix profectò Deus erit, vt potè ad cuius facta est similitudinem. Si non est Deus immortalis, qua ratione videri potest substantia spiritalis? Quid aliud indicat Christus Dominus dicens, *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*, quàm morti esse obnoxium proprium esse corporis, & à re quæ corpus non sit alienum?

Matth. 10.

Sectam quandam esse Anabaptistarum, quæ similiter Christi diuinitatem passam fuisse asserit, atque ita in ordine ponit rerum corporatarum testem se facit & expertem dicit Mattheus de Launoy lib. 2. fals. suppos. cap. 2. quod vt nullo negotio credam, moueor illorum principiis. Profitentur se Chiliastas, vti scribit Prateolus lib. 1. Elenchi hæresi 35. Chiliastæ autem, quemadmodum refertur à Philastrio, dicebant. *Cum venerit Christus de cœlo, mille anni erunt iterum nobis ad viuendum carnaliter, ad generandum, ad manducandum, sicut fit nunc in hoc seculo quotidie*, Si eiusmodi futurum est regnum Dei, quid aliud de ipsomet Deo suspicari possumus, quàm quod sit corporeus? Nimis quippè magna esset Regem inter & regnum dissimilitudo, si ille spiritalis istud esset corporeum. Quocirca Apostolus volens de regno eiusmodi sic sentientes reprimere, & consequens quod iam iam adduxi auertere, *non est regnum Dei* inquit *esca & potus, sed iustitia, pax, & gaudium in Spiritu Domini*, & Christus ipse præmonuit, *in die iudicij non nubent neque nubentur.*

Rom 14.
Matth. 12.

Restant Caluinistæ, qui etsi manifestè errorem illum non propugnent, ab eius tamen suspicione non eximuntur, si quidem

Digitized by Google

dem vim aliquam tribuamus collectioni S. Athanasij in decretis contra Arianos quo loco ista reliquis inseruit. *Non longè absunt, dum talia de Deo fabulantur, vt Deum hominem esse suspicentur, vt potè quem ita inducunt loquentem, quasi qui priora verba posterioribus mutet.* ac si dicat hominis proprium esse mutare sententiam, & sequente priorem corrigere, non Dei de quo Num. 23. *non est Deus vt Filius hominis vt mutetur.* At quæ maior fingi mutabilitas in Deo possit, quàm si decreto vno velit, imò quod amplius est reprobum cogat malè agere; alio verò ita nolit, vt male agentem subiecturum se interminetur pœnæ grauissimæ? An non hoc est leges suas figere & refigere, atque ita hominem agere non Deum? *Athan. in decret. cõt. Arian.*

De bonitate Dei.

CAPVT V.

§. *1.* *Deo reipsa bonitas conuenit.*
2. *Iudicio item & sententia Catholicorum.*
3. *Secus ex sententia Mahumetis & sequacium.*
4. *Et occiduorum Nouantium.*

TRIPLICITER bonùm dicitur. Primò, quidquid est appetibile, vnde Aristoteles bonum definit, *quod omnia appetunt*, ex eoque infert beatitudinem esse summum bonum, quia summo eius desiderio quiuis afficitur. In eodem sensu hanc vocem vsurpat S. Thom. 1. p. q. 5. art. 1. & ante illum S. Basil. in Psal. 44. sub initium dicens: *rectè quidam bonum definiuerunt, quod omnia expetunt*, sicut ex aduerso malum dicitur quod omnia refugiunt. Ita sumptam boni rationem Deo inesse nemo abnuit, imò agnoscũt creaturæ omnes, quatenus similitudinem eius suo modo appetentes, indicant ipsum bonum esse valdè appetibile. Appetunt autem illam duobus modis, primò quidem intendendo in perfectionem propriam suique conseruationem, quæ cum Deo nitatur, nec possit eo non constante subsistere, censentur ex consequenti diuinum esse appetere, vt exponit S. Thom. loco citato. eoq; pertinet §. 1. *Lib. 1. Ethic. cap. 1.*

In l. de diu. nom. c. 4. quod apud S. Dionis. legimus. *Deus est bonus, sicut ex quo omnia subsistunt.* Secundo ambiendo ipsum esse diuinum, neque enim ambire vetamur, dummodo ambitio non excedat nostræ naturam conditionis, sed solliciti de sola participatione iusta, dicamus cum Propheta, *quando veniã & apparebo ante faciem Dei?* secus si excedat, vt in eo qui apud Isaiam sic loquitur, *In cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinẽ nubium, similis ero Altissimo.*. & in stultis illis Imperatoribus qui se Deos mentiti sunt, vt Iulius Cæsar qui Suetonio teste paternum genus se à Diis traxisse gloriabatur, & Augustus qui in secretioribus cœnis amictu ornatuque Apollinis personam gerens δωδεκάθεον, id est, duodecimum se Deum prædicabat, & Caius Caligula, qui inter simulacra Iouis, Castoris & Pollucis medium se sistens adorandum præbebat venientibus, ac tandem Domitianus, quem ferunt hac concepta verborum forma sanctiones suas concludere solitum. *Dominus Deus sic fieri iubet.* Ad hunc secundum modum pertinet mores & studia nostra per imitationem diuinis conformare, quod qui facit Deum quodammodo in se exprimit, summè appetibilem esse profitetur, & dignum quem conentur in se omnes quoad fieri potest exprimere, atque ita non paruo illum honore afficit, quod eleganter insinuat his verbis Seneca, *satis Deos coluit quisquis imitatus est.* eodem spectant illa S. Aug. *summa religionis est imitari quem colis.*

Psal. 41. Isa. 14. Suet. in Iul. Sen. lib. 15. epist. 96.

Secundo vsurpatur bonitas pro singulari voluntatis inclinatione ad communicandum sese, adiuuandum & benefaciendum; quam Deo maximè connaturalem esse, ita prisci omnes agnouerunt, vt à quibuscumque rebus insignem aliquam vtilitatem accepissent, eas hoc nomine inter Deos reponerent, vt Maro Augustum suum, de quo affirmabat, *erit ille mihi semper Deus.* Aegyptij ciconiam, quod serpentes qui certo anni tempore, ex Arabicis paludibus subuolant, obuiam profecta arcere conficereque crederetur. Romani anserem, quod arcem Capitolinam expergefactis clangore custodibus ab irruptione Gallorum seruasset, qua de re Cicero. *Concludam belluas ab hominib. propter beneficium consecratas.* Infinita scripturæ testimonia huc pertinentia prætereo.

Cic. lib. 1. de nat. Deor.

vt sa-

Digitized by Google

vt factus est Dominus refugium pauperi adiutor in opportunitatibus in tribulatione, & *dat omnibus affluenter*, & *nulli improperat*. Psal. 9. Iac. 1.

Postremò sumitur pro patientia seu longanimitate erga peccatores, sicut etiam pro facilitate iis ignoscendi. Hanc insinuauit, & simul in Deum conuenire docuit Apostolus dicens. *An diuitias bonitatis eius*, & *patientiæ*, & *lõganimitatis cõtemnis*, *ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit*. Rom. 2. Quanquam id experimento quotidiano sentitur satis, esto non diceretur. Quotus enim quisque est, qui non clarissimè videat, imò præ admiratione stupeat ipsum tanta lentitudine pœnas à mortalibus exigere, propter scelera quibus continuò sese inquinant tùm grauissima tùm multitudine pene infinita? Vsque eo certè nititur diuina illa Maiestas longanimitate certare cum hostibus, vt non satis discernere prima fronte liceat, vtrum sese illi flagitiis contaminent, quia negotium sibi esse vident cum Legislatore clementissimo, vt insinuant verba illa Ecclesiastæ, *quia non profertur citò contra malos sententia absque timore vllo filij hominum perpetrant mala*, an contra sit ipse clementissimus, quia rem sibi esse animaduertit cum improbis, dura ceruice, & incircumcisis cordibus. Eccles. 8. *Misereris omnium* inquit sapiens, *quia omnia potes*, & *dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. Sap. 11. Cæterum si iuxta hanc bonitatis speciem, lento gradu diuina procedit ira, consequens est vt miseris ac pœnitentibus festino gradu diuina occurrat misericordia. Hinc vtrumque apud Ioelem Prophetam coniunctum legimus, ait enim, *benignus* & *misericors est*, *patiens* & *multæ misericordiæ*, & *præstabilis super malitia*. Ioel. 2. Pater item familias longam sustinet filij absentiam, in reducem non insurgit verbere, sed flectitur ad misericordiam, non se potest vltra continere, admittit redeuntem peregrè tametsi luridum, osculatur, proferri iubet stolam primam & annulum, expediri symphoniam, & occidi vitulum saginatum. A fortiori autem alienum à Deo erit mortalibus mala accersere, ad vindictam festinare, aliena calamitate lætari. Vnde Hermes Trismegistus, vt mala quæ patimur non à Deo sed à nobis esse ostenderet, nec illum prius ad ea inferenda sese accingere, quàm delictis nostris ea parientibus quasi vi adductus impellatur, ait. *Ab ipso Conditore nihil malum aut turpe esse existimandum est. Hæc enim sunt affectiones quædam adhærentes*, & *concomitantes ipsam generatio-* Herm. c. 14.

Digitized by Google

nerationem, ſicut ærugo æs, & ſordes corpus: atqui *nec æruginem faber fert nec ſordes author produxit, nec malitiam Deus.*

§.2. Agnoſcunt omnia hæc Catholici, nec Deum ab attributo vllo magis, quàm à bonitate commendant, cuius nulla eſt ſpecies, quam ei non tribuant, nulla ex aduerſo malitiæ, cuius expertem illum non arbitrentur, ac contentioſiſsimè probent. Haud dubiè ſi quod abſit dogma aliquod noſtrum cum ea pugnaret, prodiiſſent iamdudum ex Aduerſariis plurimi exprobrantes illud nobis magno adducto ſupercilio, vt vel eo nomine fidem noſtram nihil cum pietate & religione vera commune habere concluderent. At eiuſmodi nemo prorupit in medium, ſed neque prorumpet, exceptis forte Epicuri filiis, qui vt neminem bonum ac ferendum cenſent, qui voluptati per omnia non ſuffragetur, ita facilè exclamabunt diuinæ nos bonitati detrahere, dum eum docemus & credimus obſtinatis turpium voluptatum amatoribus dira parare ſupplicia exitum nullum habitura, verum ſi hæc obiiciant, ſuo ſe indice vt ſorices prodent, facientque vt intelligat æquus rerum æſtimator nullo eos iure niti, ſed inepte ſibi expetere Deum claudicantem & monoculum, qui ſola ſcilicet inſtructus miſericordia, ſit nobiliſsima eius comite Iuſtitia deſtitutus; cum tamen in eo iuxta Pſalmographum, *miſericordia & veritas obuiauerint ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſint.* (Pſal. 48.) tàmque parum bonitati aduerſetur iuſtitia, quàm ſiniſtræ dextera, & oculus oculo. Sic expoſtulant in terris de ſapientiſsimo Prætore rei ſeu malefactores, quando iubente eo vel truduntur in carcerē, vel vocantur ad equuleum, & ferum immitemque clamitant, quia non experiuntur vitiis ſuis conniuentem. Hic mihi videor aliquantulum à recto ſcopo diſcedere, quare me contineo, & Deum ſententia Catholicorum omnibus eſſe bonitatis numeris abſolutum ordine demonſtro; hoc namque me facturum viſus ſum polliceri.

Deus primò bonus imò optimus dicitur, quod ſit ſummè appetibilis, vt te iam docuit ſuperior §. Ea porrò ſolemus ſummè appetibilia credere, ac de facto vehementer appetere, quorum cauſa ne nos effugiant, cætera omnia etiam delectabilia quæ quoquo modo videri poſſunt impedimento fore abiicimus, & iuges preces fundimus, & aſsiduos nobis ſtimulatores adhibemus,

mus, & nihil quod ad debitã præparationem faciat negligimus, & eorum formam induimus,&tandem veſtigiis ſtudioſe inhæremus' Quid vltra poſsit eſſe appetitionis magnæ indicium,ignorare me fateor. Hæc autem omnia reſpectu Dei obſeruant Catholici diligenter. Magnus obex fruendi Deo temporalia ſunt, ſic vt ea quaſi detrimenta abiiciat Apoſtolus quo Chriſtum lucrifaciat. Abiiciunt illa eadem eiuſdem exemplo , & Chriſti conſilio infiniti Catholici,ne dum illa proſequuntur incommutabilis & ſummi illius boni iacturam patiantur. Alij qui id non faciunt continuo ſaltem admonentur, diuitiæ ſi affluant ne cor apponant, ſed illud vni Deo ſummè appetibili ſeruent, vnde & frequenter orant. *Vt mentes noſtras ad cœleſtia deſideria erigas te rogamus audi nos.* Admonentur inquam & velut aſsiduè ſtimulantur à concionatoribus, de vanitate, illuſione, & contemptu rerum ſublunarium tàm multa dicere ſolitis, vt vix in aliud quippiam illorum latius excurrat oratio. Præparationes ad fruendum Deo virtutes ſunt, Itaque cum dixiſſet Pſalmorum author,*ibunt de virtute in virtutem* adiecit *videbitur Deus Deorum in Sion.* Iſaias autem ait, *in terra ſanctorum iniqua geſsit,* id eſt , non vixit ſecundum virtutem, & *non videbit gloriam Domini.* Nullibi vnquam maius quàm in eadem Eccleſia Catholica , virtutum omnium exercitium, non quod omnes ſint iis præditi, aut vitia exuerint, quæ olim peruerſis moribus induerunt;ſed quod omnes ſaltem profiteantur virtuti operam dare, & ſe ad id teneri,& ſolo errore atq; ignauia ſua fieri,ne illam adipiſcantur; Quod præterea complures inculpatam vitam viuant, ſic vt nihil prorſus grauioris noxiæ in tota eorum conſuetudine deprehendi poſsit, etiam ab iis à quibus habentur odio, ſeu quos Argos facit inuidia ad minima quæque rimanda perſpicaciſsimos. Quod denique in ea multi magnis quondam vitiis deditiſsimi, maxima omnium admiratione ſic ſe tranſtulerint ad virtutes contrarias, vt cum Saul mutati viſi ſint in viros alteros, & omninò depoſuerint, *quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruerat, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuerat*, vt loquitur S. Cyprianus. Quomodo id feciſſent niſi adſcriptos ſe vidiſſent Eccleſiæ in qua ſerio vitiis bellum indicitur, & complures reipſa virtute clarent, inter quos pudebat eſſe vitioſos? Quemadmodum ſanè veriſimile eſt ibi tantum

Pſal. 83.
Iſa. 26.
Cypr. lib. 2. epiſt. 2.

M propo-

perpolitum fuiſſe lapidem, qui antè ob eminentiſsimos angulos vndequaque erat aſperrimus, vbi viget ac feruet ars, eos qui tales ſunt leuigandi; ſic non in alia Eccleſia quàm extirpandis vitiis, & inſerendis eorum loco virtutibus deditiſsima verſari eos, qui à peſsima ſe vitæ conſuetudine ad optimam receperunt. Ad hæc dum ſtatus ille gloriæ expectatur in quo Deus ſummum bonum ſummè concupitum ab omnibus perfectè poſsidebitur, adlaborant Catholici vt interim veſtiantur diuina gratia, quæ illius ſemen quoddam eſt, & præſtantiſsima qualitas, per quam filij Dei non dicuntur ſolùm ſed etiam ſunt, & efficiuntur diuinæ conſortes naturæ. Nihil magis inculcatur eis, quàm illius acquirendæ ſtudiũ & cõſeruãdæ. Quod ad imitationẽ Dei, in qua egregia quædã latet eius appetitio, iiſdẽ quoq; admodũ cõmendatur vnde complures huius argumenti libros terunt manibus, videlicet de imitatione Chriſti, & Sanctorum qui propius eius ſecuti ſunt veſtigia, ſed & præſtantiſsimi quique illorum Concionatores eo maximè collimant, vt quicquid in Chriſti vita & rebus geſtis occurrit, pro ratione ſuæ conditionis conentur Auditores in ſeipſis exprimere. Ita ergo liquet primam boni rationem in Deo maximè locum habere iudicio Catholicorum.

1. Io. 3.
2. Pet. 3.

Secundò bonum Deum dicebamus, ſi nulli auxilium neget, ſine quo æternæ ſalutis portum ſubire nemo poteſt, ſi omnibus benefaciat ac velit. Nequaquam certè negat eiuſmodi auxilium ex eorundem ſententia, in Trid. Synodo ita loquentium. *Si quis dixerit eum qui poſt baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere anathema ſit.* Agnoſcunt iidem magna animi gratitudine, & meditantur, & in omnibus ſuſpiciunt diuinam munificentiam, vt quod Deus tot cœlos, ſydera, volucres, piſces, quadrupedes, tot flores & plantas, tot frugum genera, ſine quibus haud dubitatione ſuſtentari ſatis poterat vita noſtra, voluerit tamen accedere. Quod Salomoni qui ſolam ſapientiam poſtulauerat, opes etiam contulerit. Quod Samuelis matri, vt præter vnam quam petiuerat, proles plures in lucem ederet: ac paralytico ſibi oblato aſpiranti ad ſolam incolumitatem corporis, vt animo quoq; conualeſceret, propter quod de illo dicebat, *totum hominem ſanum feci.* Quod cum Angeli non adeò multi poſſent pares eſſe cuſtodiendis hominibus, ſingulis nihilominus præfecerit ſingulos,

Seſs. 6. can. 39.
Io. 7.

gulos, vt ea ratione magnificaret facere nobiſcum. Quod valens ex beneplacito ſaluare nos, voluerit pro nobis ſatisfacere ex iuſtitia, idque non vnica effuſa proprij gutta ſanguinis, quæ cumulatiſsimè ſatis eſſe poterat, ſed toto ſanguine. Quod pro cyatho aquæ non retribuat phialam auream, & mille Daricos tantum more Artaxerſis, nec rogatus talenta decem det ſolum quinquaginta vt Perillo Alexander, ſed vitam æternam. Quod petentes præſertim inopes non faſtidiat aliquando, ſed inſtet vt petere non deſiſtant, & iraſcatur non petentibus. Quod ſua dare parui ducat, niſi ſeipſum quoque tribuat. Hinc noſtrum illud canticum. *Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, ſe moriens in pretium, ſe regnans dat in præmium.* Hæc inquam omnia crebrò recolunt, & in collecta quædam ſua exclamant, *Deus qui merita ſupplicum excedis & vota, &c.* & cum S. Bernardo, *vnum indubitanter ſperare poſſumus, quia aut dabit quod petimus, aut quod nouerit eſſe vtilius.* Pergunt vlterius, & ſingulariter eo nomine extollunt diuinam beneficentiam, quod non contentus homines, ſi corpus ſpectes, conditionis viliſsimæ in partem vocare bonorum ſuorum, pro illis inſuper redimendis ſit in aſſumpta humanitate crucifixus, pro illa inquam ſerpentum & viperarum multitudine, quam B. Petrus vidit intra linteum de cœlo ſubmitti. Moritur pro iis quorum opera dici non debent hominum ſed ſatanæ, ſed parricidarum iura omnia diuina, humana præuaricantium. Moritur pro ingratiſsimis ſeruis accepta bona vertentib. in ſui contumeliam Creatoris, pro legis ſuæ contemptoribus, pro blaſphemis & ſacrilegis, pro buſtis Tartari, pro iis denique quos neque benefacta pelliciunt, nec intentata perterrent mala, nec prolectant oblata beneficia, nec ad meliorem reuocant frugem immiſſa ſupplicia. Quid plura? eos morte ſua redimendos ſuſcepit, qui mare & aridam circumeunt, vt ſibi imitandum proponant, quidquid in deterrimis quibuſque belluis deterrimum eſſe conſpexerint. Quod quidem ita præſtant, vt tigres vincant feritate, Leones arrogantia, voracitate lupos, virulentia ſcorpiones, aſtu ſerpentes, fœdiſsimos hircos ſalacitate. Ex his ratiocinari licet, quàm procul abſint ab eo Catholici Deum vt ſatagere ſuſpicentur, vt vel vnus mortalium pereat, & in peccata, hoc eſt, mala omnium maxima prolabatur. *Si quis dixerit*, verba ſunt

Bern ſerm. 5. de Quadr

Conc. Trid. *Non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita vt bona Deum operari non permissiuè solùm, sed etiam propriè & per se, adeò vt sit proprium eius opus non minus proditio Iudæ quàm vocatio Pauli anathema sit.* Quo autem Deum ab illa impia suspicione perfectiùs vindicent, impensè demonstrant arbitrij libertate donatum esse quemlibet, cui vni non cooperanti gratiæ Dei adscribendum sit peccatum & perditio propria: laudantque Ireneum dicentem. *Homo rationabiliter, & secundum hoc similis Deo, liber in arbitrio factus & sua potestatis, ipse sibi causa est, vt aliquando quidem frumentum, aliquando palea fiat.*

Sess. 6. c. 6.

Iren. lib. 4. cap. 9.

Tertio bonus est Deus, quia propensus ad misericordiam, qua eum præditum non modo non inficiantur, sed in magnam quoque admirationem veniunt, qui fiat vt tàm lento gradu diuina procedat ira, tàm citò ac facilè summa illa Maiestas in gratiam redeat cum peccatoribus, hoc est, vbi primùm seriò tanguntur pœnitentia patrati sceleris: & apud aliquem eorum se peccasse fatentur, quos sibi Dominus surrogare, & remissioni peccatorum præesse voluit. Quin etiam persuasum habent, sicut in denso etiam fumo ac nebulis aliqui semper emicãt solis vel ignis radij; sic in humanis calamitatibus, quibus delicta nostra castigat Dei iustitia, aliquod semper extare vestigium misericordiæ, eas in nostrum bonum conuertentis. v. g. (vt ab eo exemplum ducamus quod hac tempestate experimur omnes) meditantur perniciosissimam semper fuisse gentem Turcicam, ac iustitię illius flagellum grauissimum, simul tamen recogitant, quomodò ex illa Deus bona non pauca elicuerit, idololatriam in plerisque Orientis partibus sustulerit, & Christi notitiam quæ Christianorum socordia mirè euanescebat, plurimaque fidei nostræ mysteria fouerit & constabiliuerit. Quippè agnoscunt Turcæ aliquem esse Deum eumque vnum mundi conditorem, qui cataclysmo totum ferè humanum genus flagitiis scatens oppresserit. Iustum Noe præseruatum. Abraham patrem fuisse credentium. Legem Moysi è cœlo traditam. Dauid Prophetasque alios locutos Spiritussancti afflatu. Christum esse Messiam verum in lege promissum, Dei propterea verbum, mentem & sapientiam, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria virgine, infinitorum miraculorum patratorem, cuiusmodi sunt mortuos

Guiliel. Postel. in hist. de Orig. Turc.

tuos ad vitam reuocare, cæcis viſum reſtituere, &c. aſſumptum in cœlum quoad corpus & animam, eundem mundo tradidiſſe Euangelium, quo nihil ſanctius, nihil verius, & cum diſcipulis ſuis iudicaturum orbem terrarum, ſaluari poſſe quotquot adhærent ei, paradiſum & infernum ſupereſſe poſt hanc vitam. Quæ certè omnia, ad ipſos ad Chriſtum conuertendos, & niſi conuertantur, condemnandos ſufficiunt.

Non ita de Deo ſentiunt Mahumetani. Nihil omninò præſeferunt, quo Deum appetere, atque ita primo modo bonum eſſe dicere videantur. Nulla in toto Alcorano de hac appetitione mentio, nec opes, nec impedimentum aliud terrenum miſſum faciunt quo illo perfruantur, hanc fruitionem nullis ſibi precibus conantur acceſſere, nec virtutum curant ſtudium, per quas velut totidem gradus ad illam perueniatur, nec denique de Deo aliquatenus imitando ſunt ſolliciti vt ſic illum vtcumque poſſideant, & loco boni valdè appetibilis ſe habere profiteantur, quæ omnia quoniam ex lib. 3. c. 2. §. 4. fuſe demonſtrabuntur, in præſentia indicaſſe ſufficiat. Secundo Deum nec perfectè beneficum nec proinde perfectè bonum credere videri poſſunt, qui bonum aliquod creatum ab illo eſſe negant. Hoc autem faciunt Mahumetani, aliquid bonum eſſe concedunt, quod nihilominus à Deo eſſe inficiantur, non ergo illum omni ex parte bonum eſſe arbitrantur. Maior certa eſt, quia cum bonum communicet ac diffundat ſeſe per aliorum productionem, illud quod non producit omnia videri non poteſt perfectiſsimum. Minor autem confirmatur ex Azoara 3. & 13. in quibus vinum non à Deo ſed à Diabolo docetur eſſe, & tamen ipſum bonum eſt, tametſi vſus interdum malus. §. 3.

Præterea perfectè beneficus non eſt, ſed ex parte malus, qui non benè vult omnibus, ſed quibuſdam malè. Deus autem ſecundum illos non benè omnibus, cum in Azo. 26. introducatur quaſi ſic Mahumetem alloquens. *Ne preceris vt Deus malos viam rectam doceat.* & in 24. ait. *iam verbum noſtrum firmatum eſt, vt infernus de Dæmonum & hominum conſortio penitus impleatur.* Item qui in errorem inducit aliquos, quod quidem ex Mahumetis ſententia Deum facere teſtantur verba illa Azoaræ. 2. *Licet incredulis virgam tuam correctionis adhibeas, nulla tamen ad fidem fiet conuerſio, cum illorum*

aures & corda Deus obturauerit. Affine eſt quod legimus partim in 23. *quis ad viam rectam diriget, quem Deus aberrare facit?* partim in 26. *Deus hunc aberrare facit, illum credere* ac paulò inferius. *infidelium non niſi lapſum & præcipitium diligit Deus.* Longè alia eſt ſcriptuarum ſacrarum ratio, quæ ita quandoque videntur hominum errores ac delicta in Deum referre; vt tamen alibi ſeipſas clarè interpretentur; nunc quidem perſpicuè docendo Deum eſſe intentatorem malorum, & implanare neminem, proindeque ſat indicando aliter verba illa accipienda, quàm prima fronte ſonant, nunc indicando inductionem illam in peccatum ſeu errorem meram eſſe permiſsionem vt *non permiſit me Deus ancillam ſuam coinquinari.* Mahumetes autem nullibi ſic ſeſe interpretatur.

Iacob. 1. *Eccleſ.* 15. *Iudit.* 13.

Denique à beneficentia & bonitate valde alienum eſt mundum replere cædibus, rapinis, libidinibus, adulteriis & aliis id genus iniuſtitiæ portentis. Hoc autem ſecundum Mahumetem facit Deus fierique præcipit. Non ergo planè bonus dici poteſt ac beneficus. Minorem confirmat Azo. 27. vbi ait. *Non eſt villa cui non noceamus ante Diem nouiſſimum, hoc enim in noſtro præſcriptum eſt libro* & in 23. lites & Bella peragite hoc enim præcipit Deus. Ibidem ex parte Dei præmium prædonibus magnum promittitur. *Pugnatum aut prædatum profecti magnam à Deo mercedem adipiſcentur.* In 12. ſic Deus loquitur *Datur vobis licentia vt Iudæorum vxores ducatis.* & in 43. *O Propheta licitas tibi conſtituimus vxores omnes.*

Quod ad clementiam, nec clemens nec ex conſequenti bonus eſt, qui peccata etiam maiora non condonat, iis ſaltem quos verè pœnitet. *At Deus*, inquit Mahumetes in Azo. 9. & 10. *peccata maiora nequaquam, ſed minora cui vult condonat.* Item clemens non eſt quiſquis ſupplicio afficit ſibi obſequentem, hoc vero facit Deus iuxta librum centum quæſtionum à Mahumete conſcriptum, vbi dicitur fore vt Angelo qui in die iudicij delebit Deo ita iubente creaturam omnem, ſic Deus iraſcatur, pœnamque decernat. *quia omnem meam creaturam occidiſti, abi hinc inter paradiſum & infernum, poſtremoque occide teipſum & morere.* Rurſus clementia caret Legiſlator, qui leges condit impoſsibiles, cum ſic intolerabile iugum imponat miſerabilium hominum ceruicibus, condit autem Deus ſi Mahumeti habemus fidem; qui Deum in Azo. 27. ſic loquentem facit, *non fornicemini hoc enim ſcelus eſt viaque*

praua

Digitized by Google

praua, cum tamen in Azo. 2. ex eodem iſta referat. *Impoßibile vobis eſt à libidine abſtinere.* Tandem ſicut ab eo procul eſt clementia, qui ſupplicium æquo maius reo decernit, ſic ab illo qui benemerito præmium iuſto minus. At profectò decernit Deus iuxta Cabalam Mahumetis, vt rectè annotauit Poſtellus in lib. de Republ. Turc. Volens quippe Deus inquit Mahumetes, mercede afficere hoſpitam illam, quæ Angelos duos è cœlo [illegible] ſſos ad tollendas orbis corruptelas, humaniſsimè hoſ[illegible]eperat, & integritatis decorique memor oblatum ſtuprum detrectauerat, quod ſcilicet ei duo illi cœleſtes nuntij inferre volebant, cõuertit eam in ſtellam, quæ lucifer appellatur. Hoc profectò nihil aliud eſt, quàm ſurrogare ſtatui meliori deteriorem, cum conſtet ſtellã quãlibet ſubſtantia quauis ratione prædita multis partib. inferiorem. Deinde cum eiuſmodi conuerſio fieri nequiuerit, quin hoſpita illa eſſe deſineret, quomodo inde ipſa præmium vel minimum conſequi potuit?

Nihilo melius ſectarij de Dei bonitate ſentiunt. Primò nihil eorum doctrina vel mores continent, ex quo Deum ſummè appetibilem ac bonum eſſe demonſtrent. Valdè appetibilia eſſe iudicantur, quæ valdè appetuntur, & valdè appetuntur, quibus valdè frui cupimus, & valdè frui cupimus iis, *quorum obices procul arcemus, quales*, cum diuitiæ ſint Dei reſpectu, ita vt ſcriptum ſit non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ, haud dubiè ſi verè tenerentur deſiderio fruendi Deo, & cum eodem agendi iugiter, vel opibus ſeſe exuerent, vel ſaltem illis ſeſe exonerantes laude dignos arbitrarentur, & ecce habent contra ludibrio, deſipere dicunt & tentare Deum. [illegible] § 4.

Si quis tantum illarum contemptum ingerat, mox abominantur velut Pſeudoapoſtolum nec audire volunt. Rurſus cum obſtent vitia ne ſurſum peruenientes fruamur Deo dicente B. Aug. *cum bonitatis authore non aſcendit malitia, nec cum filio virginis libido atque luxuria, non inquam aſcendunt vitia poſt virtutum parentem, peccata poſt iuſtum, nec infirmitates ac morbi poſſunt ire poſt medicum. Igitur ſi intrare ipſius medici regnum cupimus, prius vulnera noſtra curemus.* Cum rurſus voluntatem à Deo auertant, vt illam ad ſe velut multò appetibiliora conuertant, profitentur ſe ſectarij horum mancipia, qui ſcilicet inepti ſint ad omne virtutis opus, qui perpetuò pec-

Aug. Serm. 3. de Aſcenſ.

cent.

cent, prauos habitus exuere nullo modo poſsint ob innatam concupiſcentiam continuo æſtuantem, & liberi defectum arbitrij. Ecquis poteſt hac ſubſtante doctrina Deum valdè appetere hoſtem vitiorum, & appetendo inſigniter bonum eſſe profiteri? Gratia vt oſtenſum eſt, agit Dei vices, vt qui eam aut valde expetit & expetendam docet, aut poſsidet Dei ipſius deſiderio teneri, ac poſſeſſor eſſe non abs re videatur: Illi autem omnem eiuſmodi gratiam de medio tollunt, quia poſsideri non poteſt nec appeti niſi nata ſit inhærere vt inhærendo afferat ſecum meliorem ſtatum (quod non faceret ſi non inhæreret, ſicut nec calor ignis quantumuis admotam manum igneæ naturæ participem facere diceretur, niſi ad illam ita perueniret vt etiam ineſſet) inhærentem autem inficiantur & rident Centuriatores quidem Cent. 1. lib. 2. colum. 238. Philipp. Mel. in Apolog. Confeſs. art. 4. 5. 6. Kemnit. in Exam. Conc. Trid. 1. p. pag. 640. Editionis anni 1566. in parua forma. Calu. lib. 3. Inſt. cap. 11. §. 3. & 2. & in Antid. Seſs. 6. cap. 7. vbi ita loquitur Thraſo arrogantiſsimus. *Falſum eſſe contendo vllam iuſtitiæ partem in qualitate ſitam vel habitu qui in nobis reſideat, ſed gratuita acceptione nos eſſe iuſtos.* Dicebamus ad extremum tunc nobis aliquid maximè appetibile videri cum imitatione quacumque enitimur aliquam eius in nobis exprimere ſimilitudinem. Quæ cauſa eſt cur ij quibus præcipuè in votis eſt Ciceronis eloquentia, omni contentione eius Stilo accommodent ſuum, & quo illum melius ſcribendo referant, ſuffurentur ex eo plurima. Qui contra imitari non curant, eo more ſatis ſuperque inſinuant, nequaquam tantæ bonitatis rem eſſe qua de agitur, vt vel magnopere expetenda videatur, vel ſudore multo proſequenda: Quod ſi ita res habet, parum profectò appetibilis eſt Deus iudicio Nouantium. Namque hi ſunt quibus accuſationi vituperioque eſt omnis eius imitatio. Accipe ex vno lector, coniecturam de reliquis. Memor Caluinus Catholicos obſeruare imitandi Chriſti gratia quadrageſimale ieiunium, vehementer id reprehendendum putat velut audaciâ plenum & temeritatis. Verba eius ſunt. *Mirum eſt tàm craſſam hallucinationem hominibus acuti iudicij obrepere potuiſſe, quæ tot ac tàm claris rationibus refellitur,* & mox. *nec ieiunat,* Chriſtus, *humano more vt par erat, ſi homines ad imitationem prouocare vellet, ſed magis exemplum deſignat, quo in ſui po-*

Calu. lib. 4. Inſt. cap. 12. §. 20.

tiùs

tius admiratione omnes rapiat, quàm ad æmulandi studium excitet. Notanda sunt hæc verba, *nec ieiunat humano more vt par erat, si homines ad imitationem prouocare vellet.* Manifestè siquidem indicant opus fuisse diuinum, ob idque non imitandum.

Ostendamus iam quod nec secundo modo bonus sit Deus ex sententia eorundem Nouantium, quasi videlicet ad benefaciendum pronus & opitulandum. Si gratia sufficiens necessaria sit omnibus ad æternam beatitudinem acquirendam, videri non potest Deus perfectè beneficus, si cum posśit & quidem solus eam cunctis non offerat, sed necessaria est omnibus, & ipse non offert eam singulis, ergo non est perfectè beneficus nec proindè bonus. Maiorem propositionem satis per se claram protulisse sufficiet. Nolo enim frustra in re non dubia verba profundere. Minorem probo quoad priorem partem, quæ æternam salutem absq; gratia illa obtineri non posse asserit. Sufficiens dicitur per quam verè & propriè cōuerti possunt peccatores, sicut ergo ad actualem salutis assecutionem requiritur actualis conuersio, ita palàm est requiri gratiam sufficientem.

Eandem demonstro quoad partem alteram, hoc est, quatenus docet ex Caluini sententia & gregalium, non offerri à Deo reprobis gratiam illam sufficientem. Absolutè siquidem scribit gratiam conferri electis solis. *Ratum stat* inquit *carere hominem libero arbitrio, nisi iuuetur diuina gratia, quæ specialiter confertur electis solùm per regenerationem.* Eo loco dicat aliquis de gratia tantum loquitur efficaci, qualem fatentur omnes etiam Catholici in electis solis habere locum. Fateor, sed sciendum quod efficacem nullam agnoscit Caluinus à sufficiente diuersam, quemadmodum hæc illius verba ostendunt, *Voluntatem mouet gratia non qualiter multis seculis creditum est, vt nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, sed illam efficaciter efficiendo*, quare eo ipso quo constat non esse in reprobis efficacem, constat negatam illis ex Apostatæ huius sententia sufficientem. Nec obstat quod in libro Consensionis de Sacramentis sub finem scribat, *aditum claudit & obserat incredulus, quo minus in eius animam penetret Dei gratia. Negamus Dominum ideo manum suam retrahere, quin potius vt sibi perpetuò constet, ac immensa bonitate certet cum hominis malitia, verè quod respuitur afferre asserimus,* ac si sentiat verè offerri reprobis sufficientem, hoc

Calu. lib. 2. Inst. cap. 2. §. 6.

Ibid. c. 3. §. 10.

Digitized by Google

inquam non obſtat, quia mox ſubnectit aliquid, ex quo apertè liquet, non ſic eum ſenſiſſe ex animo. Quid verò illud eſt? *vt quis recipiat quod datur*, inquit, *ante capacem eſſe oportet*, & clarius adhuc, *certum quidem eſt offerri communiter omnibus Chriſtum cum ſuis donis, ſed non omnes Chriſti & donorum eius ſunt capaces.* Iam verò ſi non omnes puta reprobi capaces gratiæ ſufficientis ſunt, tàm ridiculè ac fruſtra eis offertur, quàm lapidi flos vt illum odoretur, & trunco cythara vt concentum audiat, eoque delectetur, atque ita perinde eſt, ac ſi nullo modo offerretur. Ecce quomodo abſurdis volens expedire ſeſe, inuoluit magis. quomodo item negans offerri à Deo ſingulis gratiam illam ſufficientem adeò neceſſariam impium illum facit, immiſericordem, nec ſatis in omnes munificum, de quo proinde in bonitate non ſit ſentiendum, eſto ſentiri iubeat Sapiens cap. 1. nec recipiendum quod per Iſaiam ait. *Quid eſt, quod vltrà debui facere vineæ meæ & non feci? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* reſpondebitur enim, poſtquam vineam plantaſti, atque ex ea fructum ferre cupiebas, debuiſti ea omnia circa illam adhibere, quæ neceſſaria erant vt fructum facere poſſet. Quomodo autem omnia adhibuiſti, ſi defuit ei cultura ſufficiens, nec habuit verè quæ requirebantur ad fructum faciendum? ecquid expectaſti vuas vt faceret, ſi ei virtutem non dediſti germinandi? quo iure iactas feciſſe te quod vineæ tuæ fieri debuit? Non ita Catholici. Nemini non offerri docent gratiam ſufficientem Auguſtinum ſecuti qui ait, *qui noluerunt venire*, ſcilicet ad cœnam illam quam dicit Dominus in Euangelio præparatam, *non debent alteri tribuere ſed tantum ſibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate*, & paulò poſt, *qui autẽ vocatus non venit, ſicut nõ habuit meritũ præmij vt vocaretur, ſic inchoat meritũ ſupplicij, cum vocatus venire neglexerit.* Clarius adhuc alibi. *noluit Eſau & nõ cucurrit. ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui etiã velle & currere vocãdo præſtaret, niſi vocatione contẽpta reprob. fieret.*

Artic. 18. eiuſdem Conſenſ. cum Tigur.

Iſa. 6.

Aug. lib. 83. q. in 68.

In eadem naui nauigant, & damnatione ſunt Anabaptiſtæ, Deum negant in omnes beneficum quantũ neceſsitas exigit, cũ ex dogmate ipſorùm ſequatur, paruulos pro tempore quo ſunt rationis vſu deſtituti, quãdo interim crebri ex hac vita diſcedũt, omni ſalutis remedio à Deo deſtitutos. Baptiſmum quippè qui vnicum illis ſupereſt eiuſmodi remedium, adminiſtrandum illis abnuunt, planèque volunt, vt expectetur tempus in quo fidei a-

ctum

ctum elicere, & eliciendo ſeſe ad hoc regenerationis lauacrum diſponere queant.

Sed quomodo videri poteſtis ò Lutherani, Zuuingliani, Caluiniſtæ ſat beneficum Deum agnoſcere, qui illum in omnibus operari peccatum, ac proinde maleficentiſsimum eſſe, & humano generi, ſummè noxium docere non horreſcitis? De Luthero veſtro ſcribit Staphylus quondam eius diſcipulus, *expreſſa Lutheri ſententia eſt mala omnia euenire ex abſoluta neceſſitate, & quod Deus ſit non ſolum cauſa peccati permiſsiuè, ſed etiam effectiuè, ita vt adulterium Dauidis, ſæuitia Manlij, & proditio Iudæ aquè ſint opus eius, atque ipſa conuerſio Apoſtoli.* Apud Zuuinglium iſta legimus. *Numen ipſum author eſt eius quæ in nobis eſt, iniuſtitiæ.* At Caluinus ita loquitur, *abſurdum videtur volente ac iubente Deo excæcari hominem, qui mox cæcitatis ſuæ pœnas daturus eſt. Tergiuerſando itaque effugiunt. Dei tantum permiſſu, non etiam voluntate hoc fieri: Ipſe verò palàm ſe facere pronuntians effugium illud repudiat.* & infra. *A Deo manat efficacia erroris, vt infideles mendaciis credant.* & rurſus homo iuſto Dei impulſu, *agit quod ſibi non licet.* Alio in loco hæc habet. *Dicitur & Deus ſuo modo agere quod Satan ipſe. Inſtrumentum cum ſit iræ eius pro eius nutu ac imperio huc atq; illuc ſe inflectit ad exequenda eius iuſta iudicia, idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini aſsignari, videmus non eſſe abſurdum.* Nolens Beza à peſtilentis huius Magiſtri ſui veſtigiis diſcedere, loquens de inſtrumentis peccati ſcriptum reliquit quod ſequitur, *Sic autem agit per illa inſtrumenta Deus, vt non tantum ſinat illa agere, non tantum moderetur euentum, ſed etiam excitet, impellat, moueat, regat, atque adeò quod omnium eſt maximum, etiam creet vt per illa agat, quod conſtituit.* Ita eſt dicat aliquis horum patronus, verè ita locuti ſunt, iſta libris ſuis inſeruerunt, ſed non idcircò admittunt Deum malefacere hominib. in quib. malum operatur, quia negant hoc malum vt eſt opus Dei, eſſe malum ſeu peccatum, & contra illud idem vt malum eſt ſiue peccatum, eſſe opus Dei. Negant quidem, ſed quo iure?

In Apolog. de Luther. conc.

Zuuingl. Serm. de prouid.

Calu. lib. 1. Inſt. c. 8. §. 1.

§. 4

Lib. 2. cap. 4. §. 2.

In reſponſ. ad Caſtell. Aphor. 2.

Tres cauſas ſomniant. Prima quod opus hominis peccantis ſit opus naturæ corruptæ, ob idq; peccatũ: idẽ verò opus malũ vt eſt à Deo, ſit opus naturæ incorruptæ, ideòq; non habeat peccati rationẽ. Secũda, ꝙ in Deo rationes ſint iuſtiſsimæ, tametſi nobis occultę, ob quas in hominib. peccatũ operatur: homines autẽ ipſi

malum ſibi finem præfigant. Tertia quod Deo non ſit lex poſita ſed homini, atque ita non peccet Deus, quia legem nullam infringit, homo autem peccet contraria de cauſa. Sed enim earum nulli poteſt mens acquieſcere.

Non primæ, quia primum ſaltem peccatum Adami opus fuit naturæ incorruptæ (quandoquidem prius non peccauerat, corruptela autem à peccato eſt) ob idque vel in eo non fuiſſet peccatum, vel in Deo quoque eſſe debuiſſet.

Non ſecundæ, quia Deus quoque malum finem ſibi antè oculos ponere conuincitur, eundem ſcilicet quem homo, ſicut aiunt, impellit eum non modo ad peccandum, & faciendum quod non licet, verumetiam vt facere velit. Quis autem capiat, quomodo impellat illum Deus vt velit peccare, & peccando finem ſibi malum præſtituere, niſi & ipſe idem velit, præque oculis habeat eundem finem? Nemo profectò; aliàs tuti ſatis eſſent coram Prætore etiam ſeueriſsimo heri illi qui nonnunquam ſeruis ſuis authores ſunt patrandi homicidij, incendij, veneficij, proditionis, & aliorum id genus ſcelerum. Cauſarentur quippè ſe eos impuliſſe duntaxat conſilio, non tamen idcircò prauum finem intendiſſe. Verùm non admitteret excuſationem prætor, nec minus, quàm iniquitatis ſeruos colimaſſe cōcluderet ad finē malum, & tamen impellunt duntaxat conſilio, quanto magis videri deberet hæc Prætoris ſententia ſiue concluſio attingere Deum ipſum, ſi præter imperium operatur intrinſecus, influitque in voluntatem malam inclinando, & cogendo ipſam vt tendere velit, ac reipſa tendat tàm ad opus, quàm ad finem malum? Taceo non eſſe facienda mala vt eueniant bona, vnde rationes illæ omnes quæ in Deo iuſtæ finguntur, eo ipſo iuſtæ ac bonæ deſinunt eſſe, quo aliquid fit per ſe, & intrinſecè ex obiecto malum. Rom. 3.

Non denique tertiæ, quia quod nobis eſt lex, Deo eſt ingenium & natura, ipſa nimirum æterna ſapientia, cui haud dubiè longè minus poteſt ac debet Deus aduerſari, quàm homo legi. Ob id namq; ſcribit Apoſtolus, impoſsibile eſſe mentiri Deum, aut negare ſeipſum. Quocirca effugere non poſſunt Nouatores, quin Deum faciant tàm propriè peccati omnis authorem, quam hominem ipſum. Immò multo magis, cum homo in Hebr. 6.

tota

tota illa nequitia illius tantummodo ſit inſtrumentum, ab eoq; dirigatur, cogatur, impellatur.

Quis rurſus beneficus ac bonus videatur, cui voluntas ineſt vexandi eos, & excruciandi, qui læſerunt neminem? Procul abſunt ab inuicem hominibus benè velle, quod quidem facit beneficus, & velle malè, maximè iis à quibus iniuriam nullam acceperis. Ferini ſunt mores eiuſmodi, ferinum ingenium, & ab omni humanitate ſepoſitum. Et tamen affingunt illos Deo Caluinus, Beza, & alij huius ordinis Sacramentarij. Hac impia propoſitione, *Deus ab æterno conſtituit torquere ſuppliciis reprobos, nec id quomodocumque. Sed eo fine expreſſe & directè creauit illos, vt poſt hanc vitam ſine intermiſſione cruciarentur.* Hac, inquam, propoſitione ſacrilega reſperſit Caluinus ſuos de prædeſtin. libros, nec eam vnquam reuocare voluit, vt ex tractatu liquet, cui titulum fecit. *Ad calumnias de occulta Dei prouidentia reſponſio.* Nam cum obiiceretur ab eo ſcriptum. *Deus maximam mundi partem nudo puroque voluntatis ſuæ arbitrio creauit ad perditionem*, in reſponſione id minimè negat, ſed inficiatur ſolùm, ſe reprobos maximam mundi partem appellaſſe. Adhæret Beza huic ipſi blaſpemiæ mordicus in libro cuius inſcriptio eſt, *Summa totius Chriſtianiſmi.* Et quamuis *Cap. 8. §. 6.* ea non obſtante conetur Deum ab omni malitiæ ſuſpicione vindicare in tract. de calumniis, in ſolutione argumenti primi calumniæ 13. & 14. inquiens. *Tametſi reprobatio non proſit ipſis reprobis, prodeſt tamen electis, quia facit vt magis humilientur, & timeant, vt peculiare Dei beneficium in ſe agnoſcant, vt illud pluris faciant, vt neque mirentur, neq; perturbentur, dum illos vident in omnẽ improbitatẽ erumpere.* Licet inquam hoc conetur, friuola nihilominus eſt hęc omnis excuſatio, nec à nobis impetrabit vnquam, vt ſubſtante nefando illo principio, aliter de Deo quam de crudeliſsimo humani generis hoſte ſentiamus. Primò quia hoc ſemper habemus, nolle Deum omnibus benefacere, quod tamen ad perfectam bonitatem requiritur. Secundò quia improbiſsimus iuxta ac iniquiſsimus agendi modus eſt cum ſummo aliorum detrimento vnis benefacere; propter quod Apoſtolum ſupra negantem audiuimus, facienda mala vt eueniant bona; & Legiſlatores in condendis legibus, Principes ſimiliter in exigendis tributis, ſollicitè aduigilant, ne opprimatur pars vna ciuium, quo benè ſit alteri, ſed vt

 por-

portet quilibet onus ſuum, & æqualiter in omnes proportione ſeruata vt commoda, ſic incommoda diuidantur. Nec dubitant fore aliàs, vt apud eos peſsimè audiant nomine iniuſtitiæ. Tertiò quia ad electos peculiari fauore proſequendos ſufficeret abundè ſi eos ſaluaret per collationem gratiæ efficacis; hos autem non ſaluaret, non quidem creando ad pœnam, nec item negando gratiam ſufficientem, ſed tantum ſubtrahendo efficacem.

Tertius ac poſtremus ſupereſt bonitatis modus, pronitas ſcilicet ad ignoſcendum, quam ſi in Deo vt par eſt ponerent Anabaptiſtæ & Caluiniani, nunquam peccatum aliquod in hac vita verè, propriéque irremiſsibile docerent, ſed nobiſcum ei dicerent. *Maior eſt miſericordia tua quàm iniquitas mea, plus potes dimittere, quàm ego committere, & plus parcere, quàm ego peccator peccare.* Nimirum ſicut obiectum potentiæ res eſt quæ fieri poteſt, & nemo perfectiſsimam ſummamque potentiam dixerit, quæ ad omnem eiuſmodi rem non ſeſe extendit: ſic culpa ſiue peccatũ obiectũ eſt miſericordiæ, quæ proindè perfecta iure videri nequit, ſi aliquod irremiſsibile ſit, ad quod idcircò exporrigere ſeſe non poſsit. Quæris fortè, vndè nobis conſtet de errore illo Anabaptiſtarum & Caluiniſtarum. Reſpondeo Anabaptiſtis tribuit illum Caluinus, eidemque ſe adhærere profitetur. Ait enim. *Peccato contra Spiritum ſanctum admiſſo veniam nullam dari allegant, fateor.* Et quamuis ſeſe mox interpretetur, volens id accipi quaſi dictum de ſolo peccato inuoluntario, non de voluntario, ſemper nihilominus conſtrictus tenetur, tùm quia nihil propriè peccatum dici poteſt, quod non eſt voluntarium, quæ cauſa eſt cur S. Chryſoſtomus peccatum appellet, *voluntariam Dæmonem, ſpontaneam inſaniam:* tùm quia iuxta dictamen rectæ rationis æquius multò eſt vt inuoluntariè peccanti peruia ſit miſericordia, quàm voluntariè.

Calu. in Inſtruct. adu. Anab.

Chryſ. hom. 28. in epiſt. ad Rom.

Calu. lib. 3. Inſt. c. 4.

Item ſi Caluinus cum ſuis Deum verè clementem atque ita bonum eſſe crederet, nunquam peccata omnia mortalia eſſe contenderet. Quippè nullo modo clemens dicendus eſt ac facilis, ſed ſupra modum immitis, moroſus, iracundus, intractabilis, qui quouis delicto ſic offenditur, vt ſtatim amicitiam diſſuat, quæ ſibi erat cum aliquo, eundemque velit eſſe morti obnoxium

noxium

Digitized by Google

noxium. Certè nulla tanta morositas in nullo vnquam fuit mortalium. Deus autem eiusmodi est secundum Caluinum, quandoquidem mortalia reputat quæcumque in se admittuntur, quantumuis ex obiecto aut imperfectione actus aut deliberationis leuia. Mortale quippè delictum dicitur quod mortem afferat, & diuina gratia destituat.

Item clemens dici non debet qui punit innocentem, si præsertim is sit de puniente benemeritus. Deus autem iuxta theses Lutheranorum, Zuuinglianorum, Caluinistarum punit peccatores, idque pœnis fine cariturís, qui interim innocentes sunt, & de ipso benè meriti, ergo minimè clemens ac bonus est. Maiori propositioni nihil habent quod opponant. Minorem sic probo. Qui cogitur malè agere peccati non est reus, oportet enim peccatum esse voluntarium vt nuperrimè dicebamus, & docet B. Augustinus, at quod coactum est voluntarium non est. Peccatores autem coguntur à Deo malè agere, vti nomine omnium testatur & concedit Zuuinglius dum ait. *Inquies, coactus est homo ad pecandum, permitto coactum esse,* vel si ex Nouantibus reliquis quidam cogi non admittant, in hoc tamen conspirant omnes, vt dicant perfectam peccandi necessitatem imponi à Deo peccantibus, cui scilicet obluctari nullo modo possint. Hoc autem sufficere vt innocentes seu à peccato immunes videantur, docet præter rationem naturalem idem S. Augustinus, loco citato dicens: *Tales seruos suos meliores esse Deus iudicauit, si ei seruirent liberaliter, quod nullo modo fieri posset si non voluntate sed necessitate seruirent.* & infra, *Si necessitate id fecisset Adam, nullo peccati crimine teneretur.* Et tamen hac non obstante innocentia, puniuntur à Deo pœnis æternis, cuius se influxui, voluntatique peccando accommodarunt, à quo idcircò mercedem potius accipere debuerant. Ingratus ergo est qui sibi punit obsequentes, & iniquus valdè qui innocentes, iis similis ad quos Prudentius.

Aug. lib. de Vera. Relig. cap. 14.

Zuuingl. lib. de prouid. c. 6.

Prud. in Hamartigenia.

Cedite si pudor est, gladiumque recondite vestrum
Aspera nil meritos pœnis plectentia iura,
Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo

Agminis

Digitized by Google

Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens ſi fata regunt quod viuitur ac ſit.

Exemplum aliud innocentium iniquè pœnas Deo luentium petitur à filiis fidelium, quos volunt Caluiniſtæ omnes in ipſo matrum vtero ſanctificari, ſic vt in lucem prodeant puri perinde & integri, ac ſi nullius vnquam peccati maculæ ſubiacuiſſent, ne originalis quidem. Nec mirum, nam cum anima in primo inſtanti ſuæ creationis in corpore capax ſit ſanctificationis, & adſit reſpectus parentum fidelium, quorum gratia Deus vt inquiunt ſanctificationem illam operatur, nihil eſt cur eius operatio differri vlterius exiſtimetur, aut debeat. Eſt itaque vera hæc propoſitio ſecundum illos. *Filij fidelium in infantia ſtatu conſtituti peccati nullius rei ſunt, nec vnquam fuerunt.* & tamen in eo ſæpè ſtatu moriuntur, cum interim mors in meris hominibus peccati pœna ſit & effectus. Immitis ergo Deus qui nulla ſubſtante culpa perimit innocentes. Atque id annotauit S. Fulgentius ſic ſcribens. *Hi qui mortem ſolam non etiam peccatum tranſiſſe ex primo homine in genus humanum nituntur aſſerere, mirum ſi non intelligant quib. ſententiæ ſuæ laqueis obligentur. Primò quia Deum dicunt iniquum in eo, quod mors faciat paruulos, quos nulla volunt iſti peccati contagione pollutos, cum Apoſtolus mortem ſtipendium eſſe peccati definiat.* Proſper item aduerſus Collatorem his verbis. *Fortè dicas in Adæ poſteros pœnam tranſiſſe non culpam. Hoc omni modo falsò dicitur. Nimis enim impium eſt hoc de Dei ſentire iuſtitia, quod à præuaricatione liberos cum reis voluerit eſſe damnatos.*

Fulg. lib. 1. de Incarn. cap. 14.

Proſp. cont. Coll. c. 20.

Rectè, dicat aliquis, ſed quid reſpondebitur cum in medium adducentur Chriſtus, B. Virgo, S. Ioannes Baptiſta, & Hieremias, homines inquam in iuſtitia nati non minus quàm hi paruuli, mortem interim ſuo experti tempore? An non immitis his quoque Deus, qui illos culpa vacuos ad tantam pœnam obligauit? Diſsimillima eſt ratio. Nam quod ad Chriſtum attinet vltrò mortem obiit, *oblatus eſt quia voluit poteſtatem habens ponendi animam ſuam.* Quod ad Ioan. Bapt. & Hieremiam, nati quidem ſunt iuſti, ſed nihilominus in peccato concepti, cuius effectus & ſtipendium quoddam ineuitabile mors fuit: filij autem illi fidelium iuxta Caluini principia nunquam peccato ſubiacuerunt (ita ſaltem vt illis imputaretur) ne in conceptione quidem vt ſupra euicimus. B. Virgo morti fuit obnoxia non propter aliquod

Iſa. 53. Io. 10.

ejuſ-

eiusmodi peccatum suum, sed quia erat Adami filia secundum generationẽ, in qua proinde sicut in cæteris huiusmodi peccatum primi parentis punitum fuit à Deo punire solito in tertiam & quartã generationem,& oculos aperiente super omnes vias filiorum Adam. Secundum ipsos Iuris peritos, *puniri potest aliquis sine culpa modo subsit causa.* Qua responsione in tuenda Dei bonitate paruulis illis mortem inferentis sectarij illi vti nequeunt, quia nullam pœnam admittunt, cui post culpam remissam obnoxij sint parentes fideles aut propter illos filij, sed omnem simul cum culpa tolli volunt per fidem in Christum.

Deut. 5. Hier. 32. De Regul. iur. in 6.

De omnipotentia Dei.

CAPVT VI.

§. 1. *Omnipotentem esse Deo conuenit*
2. *Quod ipsum Catholici omnes asserunt.*
3. *Non Mahumetani suis insistentes principiis.*
4. *Nec similiter Nouatores.*

OMNIPOTENTEM Deum vbique faciunt scripturæ sacræ vt Genes. 17. *Ego Dominus omnipotens.* Exod. 15. *Omnipotens nomen eius.* Hier. 32. *Non erit tibi difficile omne verbũ.* Iudit. 16. *Non est qui resistat voluntati tuæ.* Marc. 14. *Omnia tibi poßibilia sunt.* Fecerunt hoc idem Ethnicorum ipsorum sapientisſimi, quorum sic illum vnus alloquitur. §. 1.

Tu pater omnipotens rerum cui summa potestas. *Virgil.*

Scripsit alius *θεὸς ἅπαν ἐπ᾽ ἐλπίδεσσι τέκμαρ ἀνύεται*, id est, Deus pro sua voluntate omnem exitum perficit. Sed quid sapientisſimos commemoro? imò persuasum id fuisse de media plebe cuilibet author nobis est Augustinus cum ait. *Non dico da mihi Christianum, da mihi Iudæum, sed da mihi paganum Deorum cultorem, Dæmonum seruum, qui non dicat Deum omnipotentem, negare Christum potest, omnipotentem Deum non potest.* *Pynd.*

Ratione idipsum persuadetur quam attingit S. Thomas. Si infinita non sit Dei potentia, consequens est vt illam ei circumscripserit vel eminentius quoddam principium, vel ipsemet *1. p. q. 25. art. 2.*

Deus, vel creatura quæpiam ab ipso condita, vel denique casus & fortuna. Circumscribi ab eminentiore quodam principio non potuit, cum Deo nihil sublimius sit, alioqui iam non esset Deus. Neque ab ipso Deo, tum quia non est maior ratio, cur virtutis ac potentiæ partem vnam sibi contulerit, aut à se remouerit, quàm aliam, tùm quia res quælibet, vt amans est sui, sic maximam de perfectione propria curam gerens, potentiæ suæ fines quoslibet excludit si potest, aut si non potest extendit quàm latissimè. Vnde nec Hercules in Gadibus columnas posuisset, cum Geryonis vestigaret boues, si extremam hanc orbis partem esse non iudicasset. Neque à creaturis, quandoquidem effectuum non est causis suis legem figere sed accipere. Nec denique à casu & fortuna, eo quod quæ Dei sunt, eodem semper modo se habent. Psal. 101. *tu autem idem ipse es*, quæcumque verò casus & fortunæ plena sunt temeritatis. *Nihil tàm contrarium est rationi & constantiæ*, inquit M. Tullius, *quàm fortuna*. Quod si nihil proferre licet à quo circumscribi diuina potuerit agendi vis, reliquum est vt incircumscriptam esse non dubitemus.

Lib. 2. de Diuin.

Idem persuaderi potest argumento à mundi creatione petito, quem ideò creauit in tempore, vt vniuersis omnipotentiam suam qua de agimus notam faceret, cuius manifestatio adeò illi curæ fuit, vt in hac parte bonitatem suam minus expresserit, quo luculentius virtutis suæ specimen daret. Numquid enim melior non apparuisset, si mundum condidisset ab æterno, cum bis det qui citò dat? Sed enim alia ex parte magis enitet eius potentia, quod illum in tempore produxerit, & nos pariter in tempore ad sui participationem vocauerit, quàm si non in tempore. Siquidem omne quod semper non fuit, manifestè causam habet, sed non ita manifestè quod semper fuit. Sic inquam à creatione mundi argumentum ducitur. Videmus omnes, vidit & ipsa prisca gentilitas mundum genitum, suaque quondam nactum incunabula, nec abs re profectò, cum veterum annales & historias etiam altissimè repetenti nullæ occurrant quinque vel sex annorum millibus superiores. Cæterum si genitus est, si productus vtique ex nihilo, cum sit omninò superuacaneum materiam ei supponere infinito temporis spatio præiacentem, ex qua illud archi-

D. Thom. 1. p. q. 46. Art. 1.

architectatus sit Deus. Immò si Tertulliano credimus dictu horridum, quia eiusmodi materia Deo par existeret in æternitate, atque ita Deus esset, vt potè cuius propriissimam dignitatem sine differentia participaret, reddam eius verba: *Quis alius Dei census quàm æternitas?* & infra. *Ita Hermogenes duos Deos infert, quia materiam Deo parem facit.* Facile negaret aliquis Tertull. consequens esse, vt materia Deus dici debeat, si ponatur fuisse ab æterno, quia intelligi potest fuisse ab æterno, per dependentiam à Deo, sicut & lumen pendet à sole velut effectus à causa, tametsi perpetuò soli coexistat. Verùm licet peremptoria non sit ista Tertulliani illatio: id tamen certum, non nisi absurdè dici posse mundum ex materia coagmentatum siue æterna siue temporanea, quia vel illã produxisset Deus ex alia materia vel non: si primum, erit in infinitum progressio, quod repugnat estque per se ridiculum: Si secundum, cur non æquè credatur mundum fabricare potuisse absque præiacente materia, quàm materiam ipsam præiacentem? Iam verò, si ex nihilo mundum eduxit Deus, restat vt infinitam in illo agendi vim agnoscamus, vt pote quæ in agente quolibet tanto maior solet esse, quanto porrectior est intercapedo terminorum, quibus vtrinque actio clauditur. Est autem in creatione infinita, cum nulla sit inter ens & non ens proportio, quorum illud termini ad quẽ, istud verò termini à quo subit rationẽ. Non est mea solùm hæc ratiocinatio, sed B. etiam Augustini sic loquentis. *Omnipotentem Deum credimus, quia omnia faciens factus non est, & ideò omnipotens est, quia de nihilo fecit. Non enim eum aliqua materies adiuuit, ex qua demonstraret artis suæ potentiam, sed ex nihilo vt dixi cuncta creauit, Hoc est enim esse omnipotentem, vt non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ab ipso inueniatur esse, qui non habet initium vt esset.*

Tert. in lib. cont. Herm. cap. 4.

In l. de sym. ad Catech.

Huic tantæ Dei potentiæ nihil vnquam detractum est à Catholicis, nec id eis ab aduersario quoquam obiicitur, confitentur illam ingenuè nulla subestante fraude. Primum fidei suæ articulum inde componunt hoc modo. *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.* S. Athanasij symbolum habent in ore frequenter, in quo illud disertè legimus. *Omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.* Ab huius confessione fidei Romana sedes epistolas suas decretales exorsa est, quemadmodum ex titulo constat de summa Trin. & fide Cathol. cap. 1.

§ 2. *Conc. Trid. Sess. 3.*

Digitized by Google

Vniuersim interrogata, vniuersim respondet. Potest Deus quidquid non implicat contradictionem, quod scilicet non includit esse, & non esse, quandoquidem obiectum diuinæ potentiæ est omne ens possibile, cui soli non ens opponitur. Priuatim verò concedit Deo differentias & varietates omnes effectuum quantumuis admirabiliū, cuiusmodi sunt creare, & vt loquitur Apostolus Rom. 4. *vocare ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.* Item formas, facultates, habitus deperditos restituere. vt cæcis visum, surdis auditum, &c. rem quamlibet destituere affectionibus suis naturalibus, vt calore ignem, loco & extensione loci quantitatem, effectionem sistere agentium naturalium, & quasi constrictam tenere, ne in oblatum sibi subiectum erumpat, vt cum ignem cohibuit, ne tres in fornace pueros contristaret, contrariis vti ad effectus contrarios, vt igne ad refrigerandum, multa corpora in vnum & eundem conferre locum, ex aduerso vnum in multis collocare, eandem rem quæ esse desiit reproducere, esto esse desierit, etiam secundum materiam. Denique vt testatam hanc fidem suam apud omnes relinquat, magna pars publicarum orationum quas fundit, & collectas vocat istud habet exordium. *Omnipotens sempiterne Deus, &c.* & filiis suis si quando mysterium aliquod propter arduitatē segnius suscipiant, inculcare nō cessat quod à B. Aug. scriptum est. *Magnum miraculum sed mirare desines, si Deum cogitaueris, refer ad omnipotentiam, non ad phantasiam.*

D. Thom. 1. sent. d. 24. q. 2. art. 2.

Aug. serm 160.

§. 3. Mahumetanos prima fronte diceres in eadem esse sententia, tùm quia in Azoar. 5. introducitur Angelus, qui Zachariæ dicēti, *cum sim senex, mulierque mea sterilis quomodo prolem faciam?* Respondet, *Deo nihil est impossibile*, tùm quia ex Lonicero & plerisque aliis, sacrificulus qui è vertice turriculæ plebem ad orationem vocat, post ista verba, *venite ad orationem faciendam in releuationem peccatorum nostrorum*, addere mox solet, *Deus est omnipotens.* Sedenim perfidorum amicorū more non dant verbis fidem, sed alibi ea scribunt & sentiunt, quæ cum hac fide cohærere nullo modo possunt. Exemplum. In Azo. 51. non capiens Mahumetes quomodo Deus tantæ molis cœlum terramque vno die simulque condere potuerit, spacium bidui assignat vtriusque creationi. Præterea Deum facit substantiam corpoream, vt supra ostendimus, ergo substantiā quæ non sit omnipotens. Probatur hæc consequentia.

Lon. l. 2. de mor. & Relig. Turc.

Cap. 4. §. 3.

Primò

Digitized by Google

Primò quia quod corporeum eſt producibile eſt, partibus ſiquidem conſtat, ex quarum copulatione reſultat, copulare autẽ eas nonpoteſt, quia ſic ſeipſo eſſet prius, non ergo producere poteſt quodcumq; producibile, nec proinde eſt omnipotens.

Secundo agens corporeum efficere nihil poteſt ſe præſtantius (de agente ſeu cauſa præcipua loquor non de inſtrumentali) eo quod ea ratione ageret ſupra vires ſuas. Iam verò ſubſtantia Spiritalis præſtantior eſt corporea, vt per ſe liquet, & ſupra demonſtratum eſt cap. 4. §. 1. Ergo agens corporeum producere non poteſt rem ſpiritalem, nec proinde quodcumque producibile, quomodo ergo ſit omnipotens?

Tertio præſtantiſsimum non debetur niſi præſtantiſsimo, vt inter poſſeſſorem & rem poſſeſſam debita ſit proportio. At ſubſubſtantia corporea præſtantiſsima non eſt ſed ſpiritalis, non ergo illa ſed iſta eſt omnipotens.

Quartò effectus vnus omnipotentiæ eſt exuere ſuis proprietatibus res naturales, ab intima eorum natura emanantes; atqui hanc naturam attingere, ac cohibere ne proprietates illas pariat, non datur agenti corporeo extrinſecus ſolum oberranti, atque ad ſummũ valenti qualitates ſuas ſubiecto propoſito imprimere & imprimendo obſtare ne in actũ exeant huiuſmodi proprietates, eidem inditæ, non ergo tale agens dici poteſt omnipotens.

Quintò, effectus alius eiuſdem eſt producere aliquid nulla ſubſtãte materia; quo ſanè modo gignere nihil poteſt agens corporeũ, quocirca Ariſtoteles, l.1.Phyſ. eius naturam cõſiderãs, ſimpliciter ſcripſit, *ex nihilo nihil fieri*, ſemperq; ſubiectum aliquod ei ſupponendum in quod agat, vt agendo aliquid efficiat.

Iam de Nouatoribus ipſis quid ſentiant, age Lector videamus. Vno verbo in eodem hærent luto, nec id inficiari audebunt, ſi Iudicem admittere velint Auguſtinum. Namq; Doctor iſte inclytus Deum negat dici poſſe omnipotentem, ſi iniquè agat; ſed aget iniquè ſecundum Nouatores, ergo ſuppoſito Auguſtini iudicio videri non poſſunt Nouatores facere illum omnipotentem. Maiorem propoſitionem confirmo adductis verbis expreſsis ipſius Auguſtini. *Deus omnipotens eſt, & cum ſit omnipotens, mori non poteſt, mentiri non poteſt, negare ſeipſum non poteſt. Quàm multa non poteſt, & ideò omnipotens eſt, quia illa non poteſt. Nam ſi*

§. 4.

Aug. lib. de ſym. tract. 1.

Cap 5. §. 4. *mori posset, omnipotens non esset, si mentiri, si fallere, si iniquè agere, non esset omnipotens, quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus, qui esset omnipotens.* Minorem verò supra constabiliuimus, nempe Deum vsque eo iniquè agere ex huiusmodi erronum sententia, vt scelera omnia ei præcipuè immò soli sint adscribenda. Negant igitur reipsa esse omnipotentem. Hæc in eos vniuersim, nunc singulatim perstringamus primò quidem Lutheranos, deinde Caluinistas.

Contra Lutheranos qui transsubstantiationem Sacramentalem, hoc est, conuersionem substantiæ panis in corpus Christi negant ac rident, sic disputamus. Christus quem Deum verum esse agnoscitis, non potest iudicio vestro panem in corpus suum conuertere, ergo Deus non est omnipotens. Consequentia patet, quia si Deus negatur esse omnipotens, quando dicitur non posse creare, quanto magis quando dicitur non posse transsubstantiare, seu substantiam vnam in aliam conuertere? quippè multo minus est transsubstantiare quàm creare, quia termini transsubstantiationis seu duæ substantiæ quarum vna conuertenda est in aliam, multo minus inter se distant & opponuntur, quàm ens & non ens termini creationis, ac proinde facilior est inter illos quàm inter istos transitus. Hinc argumentum illud S. Ambrosij à maiori ad minus. *Si tanta vis est in nomine Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorium est vt sint quæ erant, & in aliud commutentur.* Hinc prisci illi Poetæ creationem tanquam omninò sua quidem sententia impossibilem, ne adumbrarunt quidem: transsubstantiationem verò variis confictis metamorphosibus attigerunt quasi à ratione minus alienam, & naturali agendi modo consentientem. Nam sicut actioni naturali aliquid supponitur nempè materia; sic transsubstantiationi res, quæ in aliam integrè quoad substantiam transit. Probatur antecedens, quia Christus tribus tantum modis intelligi potest panem in corpus suum cœnæ tempore non conuertisse, cum de illo dixit, *hoc est corpus meum*, primò quia noluit, secundò quia non debuit, tertiò quia non potuit: sed non potest dici noluisse, neque non debuisse, ergo dicendus est non potuisse. Non inquam dici potest noluisse, quia certius nobis constare non potest de sincera personæ alicuius voluntate quippiam agendi, quàm

Ambr. l. 4. de Sacr. cap. 4.

Digitized by Google

quàm ſi perſpicuè id ſe facturum polliceatur, & poſtmodum pari verborum luce id ſe facere vel feciſſe pronuntiet. Chriſtus autem Ioan. 6. perſpicuè pollicetur, ſe daturum carnem ſuam in cibum pro nobis crucifigendam dicens, *panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*, vbi apertè docet quid nomine panis intelligi velit videlicet carnem ſuam ipſiſsimam cruci affigendam, & docendo, tranſſubſtantiationem aſſerit, cum fieri non poſsit vt panis manens panis, ſit Chriſti caro quæ in cruce pependit, proinde reſtat vt factus ſit hæc eius caro per tranſſubſtantiationem. Niſi fortè reſpondeant panem dici carnem non propriè, ſed quod illam contineat, vel quod ei vniatur. Verùm neutra poſſunt elabi via, non prima quia panis ex ſe ſubſtantia non eſt nata aliquid continere vt marſupium & dolium, quorum proprium eſt continere pecuniam & vinum, ob idque non potuit Chriſtus citra ineptiam panem vocare carnem ſuam hoc ſenſu, quod carnem continuerit. Neque ſecunda, quia prædurum eſt duobus propoſitis dicere vnum eſſe alterum, propter vnionem mutuam quæ interuenit quàmuis fortiſsimam, vt patet ſi quis Chriſti humanitatem dicat eſſe diuinitatem, vel animam eſſe corpus, vel ſubſtantiam eſſe accidens & contra. Præterquam quod has exoticas & peregrinas interpretationes non ferat candor & ſinceritas qua Chriſtum loquendo vſum fuiſſe in re præſertim tanti ponderis, par eſt credere. Extant præter hanc pollicitationem, verba ipſa inſtitutionis, *accipite & manducate, hoc eſt, corpus meum.* In quibus valdè notandum eſt pronomen *hoc*, natum vt norunt omnes ſupponere pro tota ſubſtantia quæ oſtenditur. Vnde cum Chriſtus totam illam quam tunc demonſtrabat, dixerit eſſe corpus ſuum, & propter rationes allatas non poſsit hæc propoſitio aliter quàm propriè intelligi; propriè autem non poſsit niſi admiſſa tranſſubſtantiatione, eo tandem veniendum eſt, vt credamus Chriſtum voluiſſe panem in carnem ſuam tranſſubſtantiare vt loquuntur, ac reipſa tranſſubſtantiaſſe.

Non etiam dici poteſt non debuiſſe id facere ſeu panem in carnem illam ſuam conuertere, quia tametſi non debuerit hoc ſenſu quod id fuerit neceſſarium ſimpliciter, vel iure aliquo ab eo exigendum; debuit tamen ad benè eſſe, nempe vt ſic magis magiſque omnipotentiam ſuam proderet per admirabile mutationis

tationis

tationis genus. Vt præterea religiosius ad tantum Sacramentum accederemus, nulla constans peregrina & profana substantia, sed sola Christi carne sacrosancta. Iam si transsubstantiatione vsus non est Christus, vt contendunt Lutherani, idque non quia noluit, nec quia non debuit, vt probauimus, superest vt id factum dicant quia non potuit. Non ergo secundum illos est omnipotens.

Contra Caluinistas autem plura adhuc eaque nihilo infirmiora nobis argumenta suppetunt. Primum omnipotentis est plura facere posse quàm reipsa faciat, ita vt si plura non posit, non sit omnipotens. Sed Caluini sententia & gregalium eius plura non potest Deus quàm reipsa facit. Ergo Caluini sententia & gregalium eius non est omnipotens. Patet maior propositio, quia quæcumque facit Deus, fecit, aut faciet finita sunt, ad quæ proinde non requiritur omnipotentia seu vis infinita, quare si aliqua sit infinita, vtique aliquid prætereà potest; quandoquidem debet plus posse quàm finita. Quadrant his aptissimè verba illa Augustini. *Absurdum tibi videtur dici, aliquid fieri posse cuius desit exemplum, cum non dubites sicut credo, nunquam esse factum vt camelus transiret per foramen acus, & tamen illud quoque dixit Deo esse possibile. Legis fieri potuisse vt simul gentes exterminarentur à terra, quæ dabatur filiis Israel, Deum tamen id paulatim fieri voluisse, & alia sexcenta possunt occurrere, quæ fieri vel potuisse vel posse fatemur, cum eorum exempla quod facta sint proferre nequeamus.* At Caluinus nullam agnoscit in Deo potentiam, qua facere quædam valeat, quæ nunquam fecit aut facturus est, sed ridet eam à nobis propugnatam, & odiosam, vanam, ac sapit vocat. Et ne cum diuinis literis pugnare videatur, scribit nullam in iis fieri mentionem huius diuinæ potentiæ, quæ scilicet nunquam sortita est effectum suum, nec aliquando sortietur, quod quàm sit procul à vero, constat ex exemplis quæ indè proximè deprompsit B. Augustinus. Ex illis item verbis. *An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quam duodecim legiones Angelorum?* Ecce cum nunquam hoc præsidium reipsa petiuerit, se tamen petere posse, atque etiam impetrare, palam profitetur. Equidem lib. 1. Inst. cap. 15. sub finem scribit sui oblitus, creari à Deo potuisse naturam inflexibilem, qualis interim nec creata est, nec creabitur. Verùm, ad statuen-

Aug. in lib. de spir. & lit. cap. 1.

Lib. 1. Inst. cap. 16. §. 3. Lib. 3. cap. 2. §. 31.

Matth. 26.

Digitized by Google

ſtatuendum quid verè ſenſerit, habenda magis ratio eſt priorum locorum, in quibus ex profeſso tractat hoc argumentum. Cum ergo in iis inficietur poſſe aliquid à Deo fieri, quod nec fuit, nec erit, omnipotentiam Deo ademiſſe conuincitur.

Hoc perſpiciens Beza ne propter hanc blaſphemiam perpetua cum illo infamia notaretur, hîc ſe prudenter cohibuit. Siquidem cum obieciſſet Holderus dictum ab eo, *quod Chriſtus etiamſi poſſet corpore ſuo adeſſe, tamen hoc velle non poſſet.* Reſpondet. *Immò hoc docet & docuit Beza, non velle Deum quicquid poteſt.*

Secundum argumentum ſic procedit. Si Deus eſt omnipotens, vtique poteſt naturales affectiones à corporibus, vt quantitatem à materia, extrinſecam extenſionem ſeu loci occupationem à ſolido auferre. Sed iuxta Caluini dogmata non poteſt auferre, ergo iuxta Caluini dogmata non eſt omnipotens. Probo maiorem propoſitionem, quia ſi per ſuam omnipotentiam potuit ſegregare ab humanitate Chriſti propriam eius ſubſiſtentiam, ac reipſa ſegregauit (quod omninò dicendum eſt, aliàs nec defendere, nec explicare poſſemus, quomodo vnica ſit in Chriſto perſona) tanto magis poterit à rebus ſeparare naturales earum proprietates, quanto minus cum iis coniunctæ ſunt, adeò vt ad aliud prædicamentum pertineant: ſubſiſtentia autem illa cum ſit intimus ſubſtantiæ modus prorſus ad idem. Minorē verò probant quæ ſcribit Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 24. Vbi de extrinſeca illa extenſione ſolidi corporis hæc habet. *Cur non faciat Deus*, loquentem inducit Catholicum, *vt caro eadem plura diuerſaq; loca occupet, vt nullo contineatur loco, vt modo & ſpecie careat?* Et mox in perſona propria. *Inſane quid à Dei potentia poſtulas? vt faciat vt corpus ſimul ſit corpus & non ſit?* Vide quomodo exiſtimauit Deum tàm parum facere poſſe vt ſolidum ſit ſine ſua extenſione locali ſeu extrinſeca, quàm vt corpus ſit corpus & non corpus, hoc eſt, omninò non poſſe. Sed abs re forte ſupponimus extenſionem illam proprietatem duntaxat eſſe ſolidi corporis, & non eſſentiam. Et vt ſit tantum proprietas, fortè Caluinus eſſentiam eſſe credidit, vt mirum videri non debeat, ſi eam docuit nulla virtute, ne diuina quidem ſeparari poſſe à corpore. Reſpondeo nihil hic ſupponi perperam. Norunt quippè vniuerſi, etiam qui Philoſophiam vix à limine ſalutarunt, vniuſcuiuſque rei eſſen-

tiam id censeri, quo in formali eius conceptu nihil occurrit antiquius, & à quo cætera omnia deriuantur, ac posteriora esse noscuntur. At corpus seu quantitatem solidam coalescere ex partibus capacibus figuræ, loci, extensionis localis prius aliquid est ipsa figura, loco, & occupatione loci. Multum itaque aberrat, quisquis in his tribus sitam credit quantitatis essentiam, & non eam potius rationem habere proprietatis. Nec me conturbant verba illa Augustini, *tolle spatia à corporibus, & corpora non erunt*, quia loquitur ibi vniuersim de corpore, & secundum naturæ leges, quæ non patiuntur fateor, vt subsistat affectionibus suis destitutum. Nos autem de glorioso Christi corpore, & prout huiusmodi legibus non est in Sacramento obnoxium. Quod ad Caluinum nullam meretur excusationem. Peritior quippè rerum Philosophicarum ad Theologicas accedere debuit & prius discere in cymba versari quàm regere onerariam. Idem in Bezam dixerim, cuius in Cyclope hæc sunt verba. *Tria esse quatuor, & triangulum esse quadratum nihilo est absurdius, quàm corpus esse extensione destitutum, aut in duobus locis simul.*

Aug. in epist. ad Dard.

Tertium, omnipotentis est facere posse quidquid cogitatione assequi possumus, immò longè plura, quandoquidem B. Ioannes vt Deum credebat certo posse quidlibet sic eum dixit maiorem esse corde nostro. Eadem fide imbutus Paulus scribit, *ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, &c.* Nemo autem est qui vnum idemque corpus cogitare ac fingere animo non posset in variis simul locis constitutum, ac facilè intelligere nullam prorsus in eo conceptu latere contradictionem, quia non ob id erit simul vnum & non vnum, seu vnum & multa; sed vnum erit non multa, sic tamen vnum, vt quod ad loci occupationem æquiualeat multis. Item non ob id erit, & non erit in vno loco; erit enim reuera in eo, sed ita vt simul sit in alio. Quid animum commemoro? Nonne ipsimet sensui multiplex sæpè videtur, & in multis sitũ locis, quod vnum & simplex est, vnico item comprehensum loco? Vix leuiter oculum alterutrum digito superpresseris, cum mox in gemino situ repræsentabitur quod obuium erit. Ecce tibi nihilominus Gigantes istos negantes diuinæ potentiæ corporis vnius in multis simul locis constitutionem.

Epist. 1. c. 3. Ephes. 3.

Ex

Ex his procliue tibi erit lector argumenta alia in eos excogitare, exempli gratia omnipotentis eſt quodcumque ens ſi ſaltem ſit permanens, poſtquam omninò deſiit eſſe, poſſe reproducere, item reprimere vim poſſe agentium naturalium, ne in actum prorumpat. Item præſtare poſſe vt corpus ſuapte natura viſibile non videatur. Sed negant Sacramentarij iſta poſſe Deum, negãt ergo omnipotentem. Minorem probo quoad omnes partes: Inprimis operoſius eſt, vt corpus idem in diſcretis ſit temporibus, quàm ſimul in diſcretis locis. Quia enim diſcreta tempora ſimul non ſunt, ſed ſe mutuò excludunt, quæ in vno exiſtit res, nequaquam eadem videtur quæ in altero: diſcreta autem loca mutuò non pugnant quoad exiſtentiam, ſed quoad ſitum ſolum, ideòque minus eſt incredibile eſſe rem vnam eandemque in diſcretis locis, quàm in diſcretis temporibus. Sed faciamus ambo paris eſſe arduitatis, certè cum diuinæ virtuti prius illud non concedant, nec vtique poſterius. Affinis eſt locus tempori, & apud Iuriſperitos valet argumentum ab vno ad aliud.

Ad hæc non minor eſt proprietatum naturalium cum ſuis actibus, quàm cum naturis à quibus emanant connexio; vtrobique ſiquidem neceſſarius influxus interuenit, cum ergo non concedant Deo facultatem ſeparandi à naturis eiuſmodi proprietates, vt ex argumento ſecundo liquet, non concedent etiam vt eas ſeparare poſsit à ſuis actibus. Tandem corpus ſolidum non minus viſibile eſt quàm palpabile, quia ſicut Luc. 24. dicitur, *palpate*, dicitur etiam, *videte quia Spiritus carnem & oſſa non habet*. Sed eſſe palpabile ita volunt eſſe corporis proprium, vt ne per diuinam quidem potentiam corpus poſsit eſſe corpus, ſi non ſit palpabile, ergo nec poterit per eandem eſſe inuiſibile, cum tamen conſtet ex diuinis literis, non ſolum euadere poſſe inuiſibile, ſed de facto etiam humanum omnem aſpectum nonunquam effugiſſe, vt quando Ieſus tranſiens per medium Iudæorum iuit. Luc. 4. & abſcondit ſe ab eis. Ioan. 8.

Digitized by Google

De ſumma Dei Sapientia.

CAPVT VII.

§. *1. Ineſt Deo ſapientia ſumma.*
2. Perſuaſiſſimum id habent Catholici.
3. Negant Mahumetani.
4. Negant & ſectarij.

§ 1. 1. p. q. 1. p. 4. Iſa. 11. Ariſt. lib. 1. Met. c. 2. & 6. Ethic. cap. 7. SAPIENTIAE vox tria ſignificat vt notat Gregorius à Val. primò quidem peculiare donum Spiritus ſancti, de quo Iſaias. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ.* Secundo Metaphyſicam ſcientiarum omnium humanarum nobiliſsimam vt docet Ariſtoteles. Tertiò habitum intellectualem cuiuſcumque generis vel ſpeciei, quo homo in ſua arte vel ſcientia exactiſsimus eſt, & quo non tantum ſcit ea, quæ deduci ex principiis poſſunt, ſed ipſa etiam principia benè callet, vt docet idem Philoſophus. Quæ poſtrema ſignificatio proprijſsima eſt, & corroboratur authoritate S. Thomæ, & communi loquentium conſuetudine. Neque enim in vno aut altero duntaxat genere ſumus ſapientes appellare ſoliti, ſed in omnibus ſine diſcrimine, quando quis in aliquo excellit. Lib. 1. Offic. Hinc illud Ciceronis, *vt quiſque maximè perſpicit, quid in quaque re veriſsimum ſit, quique & acutiſsimè & celerrimè poteſt videre, & explicare rationem, is prudentiſsimus & ſapientiſsimus ritè haberi ſolet.* Quare per analogiam ſapientiſsimus erit Deus, ſi omnia quæcumque ſunt & eſſe poſſunt, ſupera, infera, diuina, creata, cœleſtia, terreſtria perſpectiſsima habeat, ſi iuxta ſupremam hanc cognitionem omnia ritè ordinet ac iudicet, & per altiſsimas cauſas intelligat diſpoſitionis totius ſuæ rationem.

Quod autem ſic ſe habeat oſtendunt inprimis diuina volumina. Pſal. 103. *quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti.* Pſal. 146. *Sapientiæ eius non eſt finis.* Dan. 13. *tu Domine qui noſti omnia antequam fiant.* Heb. 4. *Omnia nuda ſunt & aperta oculis eius.* Sap. 8. *Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter.*

Idem ſecundo liquet ex dictis Gentilium. *Nihil Deo clauſum eſt,*

Digitized by Google

eſt, ait Seneca, *intereſt animis noſtris, & cogitationibus medius interuenit.* *Sen. epiſt. 86.*
Interrogatus Thales an lateret Deum homo malè agens, reſpondit, *ne cogitans quidem.* Addit Epictetus, *cum ianuas adduxeritis, & tenebras intus feceritis, ne vnquam veniat in mentem dicere, quod ſoli eſtis. non enim eſtis, ſed Deus intus eſt, & Genius veſter intus eſt. Quid autem iis opus lumine, vt videant quæ agitis?* Tandem quam ob cauſam tuo iudicio Lector, aures & oculos ex pretioſa materia fabricatos Diis ſuis conſecrabant? vtique *vt ſignificarent*, inquit Clemens Alexandr. *quod Deus omnia videt & audit.* *Valer. Max lib. 7. c. 2.* *Epict. lib. 1. cap. 14.* *Clem. 1. p. Strom.*

Tertiò idem ratio perſuadet. Deus agit per intellectum, igitur quemadmodum agendi poteſtatem habet infinitam, ita & ſapientiam, qua intelligat quomodo quodcumque fieri debeat. Sicut enim potentiæ illi congruit infinitas, vt cum eſſe diuino proportionem habeat, ita & ſapientiæ. Ita fit, vt non ſit Deus quomodocumque ſapiens ſed ſapientiſsimus. Nimirum cum cœlum terramque condiderit, quid eum fugere poteſt in rebus? cur Heſiodum ſecuti non dicamus, *πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς ϗ πάντα νοήσας?* Cognoſcit omni ex parte figulus opus ſuum, immò alia quamplurima per ideam fabricatur, Deus nec ſua cognoſcet, nec alia quorum effector poteſt eſſe? Contemplatur opilio vniuerſum gregem ſibi creditum, concurrentes arietes, paſcentes oues, quas balatu proles accerſunt, cernit capellas de dumoſa pendentes rupe, & neſcius erit Dominus, quid in armento fiat creaturarum ſuarum. Intuetur è turris vertice ſpeculator, non ea modo quæ in ciuitate geruntur, ſed in tota etiam vicinia. Aquilarum item obtutibus peruia ſunt minima quæq; repentia ſuper terram. Vnus Deus eminentiſsimus rerum, & in altis habitans humilia non reſpiciet in cœlo & in terra? Si quod ſit regnum tametſi ampliſsimum, nihil grauioris notæ vigilem ſolertemque illius Adminiſtratorem fugit, ſed per ſe aut Mercurios & *προσαγωγίδας* ſuos, imperij totius perſpicit ſtatum, & Deo Regi Regum, Dominoque Dominantium propalàm non erunt quæ ad mundi Monarchiam ſpectant? Politici homines intuentur præſentia, norunt de præteritis interrogare memoriam, & ex vtriſque non infirma ſolent deducere argumenta futurorum. Deus non multo magis cuncta aſpiciet, & alta à longè cognoſcet? Eidem exploratum erit quod maximum eſt omnium, *D. Th. 1. p. q. 25. a. 2.*

mnium, id est, ipsemet, quod verò minimum seu mundum ignorabit? Nobis homuncionibus datur effectus in causis diuinare, & quodammodo contemplari; Deus seipsum perfectè sciens, res omnes quarum causa est & principium, intelligentiæ suæ acumine non penetrabit? Ratiocinatur scitè Philosophus nihil ignorans eorum, quæ ad Syllogismi sui rationem & structuram spectant, solum Deum latebunt rationes rerum, quas vel per se facit ipse, vel interuentu causarum secundarum? Quis hoc credat vel suspicetur? An non potius dicendum cum S. Dionysio, *Deus secundum causæ continentiam scit omnia, & diuina sapientia seipsam cognoscens scit aliena?*

Dion. l. de diuin. nom. cap. 7.

§. 2. Magnum in Samuele visum est argumentum innocentiæ, quod cum dixisset. *Ecce præsto sum, loquimini de me coram Domino, & coram Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tulerim, &c.* Nemo de illo expostulauit, nemo se ab eo affectum iniuria questus est. Ita dixerim meritò videri Catholicos diuinæ sapientiæ nihil detrahere, sed assertores eius esse grauissimos, quod illos nemo hactenus quasi secus facerent, accusandos susceperit. Et certè inuecti sunt in omnes semper, qui ignorantia aliqua permixtam esse dixerunt, vt quondam in Auerroem. Pone tibi ante oculos Lector, quidquid maximè censeri potest scitu arduum vel impossibile, exempli causa statum contingentium hypotheticorum, vt quod in virili ætate aut senecta facturus fuerat Adolescens qui iam moritur, si vsque ad terminum illum vitam prorogasset; statum item futurorum contingentium, infinitam rerum multitudinem, quæ creari possunt, aut partes omnes proportionales in quas diuidi potest continuum, abditas hominum cogitationes, &c. nihil horũ diuinæ illi sapientiæ adimunt, sed exploratissimum esse quidlibet etiam distinctè ac singulatim contentiosè demonstrant, præsertim quoad tria posteriora, vti apud S. Thomam videre est. Nam quod ad contingentia hypothetica maior est difficultas, qua tamen non obstante simpliciter dicimus eandem sapientiam ad illorum extendi notitiam, vt ex Theologorum nostrorum Scholasticorum commentariis intelliges ad quæstionem illam, 14. Ne mali quidem notitiam in eo negant, sed vna cum bono cognosci affirmant. Si quidem vnumquodq; est cognoscibile sicut est, vnde cum malum boni sit priuatio

1. p. q. 14.

Digitized by Google

uatio, innoteſcit per bonum & cum bono, ſicut etiam per lucem cognoſcuntur tenebræ. Prætereà cum ad ſapientiæ complementum pertineat prouidentia ſeu actus intellectus, quo per conuenientia media ordinet, ac dirigat res in ſuos fines; ita vt ea de cauſa proportione quadam ſapientem Architectum vocet Apoſtolus, qui accommodatè ponit fundamentum, vt conſurgat ædificium. Sapientes item dicantur belli duces, qui ſunt parandis rebus ad victoriam oportunis intentiſsimi, non contenti attribuiſſe Deo ſummam rerum omnium intelligentiam, eam quoq; tradunt aptiſsimè illa vti in omnibus quæ agit, nec vnquam opportuna rebus negare remedia, quib. fines ſuos aſſequantur, ſed ea ſcitè quaſi ſeligere, & ſingulis proponere ſingula, prout cuique conueniunt. Immo de hac eius prouidentia dubitantes, vel etiam curioſius interrogantes verbere dignos putant, dicuntque cum Clem. Alex. ſupra, *ſunt quæſtiones quædam dignæ quæ puniantur, cuiuſmodi eſt quærere probationes, an ſit prouidentia, cum manifeſta ſit diuina ex aſpectu omnium quæ videntur, effectorum.* Quod intelligi debet quando propriæ dubitationis tollendæ gratia inſtituuntur. Nam alioquin S. Thomas vt alienæ mederetur, hanc ipſam proponit, agitatq; more ſuo in vtramque partem. Quod ad Chriſtum Dominum quatenus homo eſt, callentiſsimum faciunt omniū quæ vnquam fuerunt, ſunt, vel erunt, etiam ab inſtante primo conceptionis, etiam diei ſupremi iudicij, vltrò amplectentes dictum illud Chryſoſtomi homil. 78. in Matth. *Si Chriſto homini datum eſt, vt ſciat qualiter oporteat iudicare, quod eſt maius; multo maius ei datum eſt ſcire quod minus eſt, ſcilicet tempus iudicij.*

D. Thom. ſup. a. 10.

L. 5. Thom.

1. p. q. 22. art. 1.

D. Th. 3. p. q 10. a. 2.

§. 3.

Ad Mahumetem iam veniamus duobus fugientem pedibus, & ne audiatur de diuina ſapientia verba faciens, graui perculſum metu: Tàm parum illi tribuit in extremo Iudicio ſumma cum authoritate conſeſſuro, vt quo in notitia venire poſsit peccatorum omnium, iudicij huius diem productum iri ſcribat in ſpatium quinquaginta millium dierum noſtris ſimiliū. Is ergo iam neſcit omnia, ſed neq; primo ſciet die quo cuncta diſcutiet, nec ſecundo, nec tertio. Porrò ſi neſcit omnia, quanto minus ea diſtinctè nouit, & tamen hæc diſtinctio ad ſapientiæ colophonē requiritur. Ecce quā ſe probat impiū, quā rudē nobis Deū fabricatur. Ad prouidentiā cōuertamus ſermonē, quæ cū perfecta illa cognitione rerū omniū æternam cōponit ſapientiā. Prouidus

In Azo. 80.

uidus dicitur qui & media nouit ad finem accommodata, & ne ea deſint dat operam. Quare cum æterna hominum ſalus potiſſimus finis ſit omnium, debuit omninò Deus, ſi quidem micam habet prouidentiæ, ſatagere, ne alicui mortalium (quos omnes condidit) deeſſet aliquando via, quæ ad eiuſmodi portum, ad beatam illam metam perducit, alias ſapiens nõ erit, ſed Struthioni ſimilis, cuius inſipientiam ex improuidentia colligit Iob. Nam cum dixiſſet, *Derelinquit oua ſua in terra, obliuiſcitur quod pes*
Iob. 39. *conculcet ea, duratur ad filios ſuos quaſi non ſint ſui,* mox ſubtexuit, *priuauit illam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam.* At neque ſategit hactenus Mahumete Iudice, nec ſatagit, ſed quos vult rectam viam docet, quos vult aberrare facit, vt ſcribit in Azo. 10. & 15. Item prouidus dicitur qui nihil agit perperam, nihil profert quo perdatur opera, ſeu quod effectum ſortiri poſſe non probe intelligat. Ecce interim in Azo. 2. & 7. Deum nobis obtendit iubentem impoſſibilia, cum tamen non ignoret nihil eſſe, quod effectum ſortiri minus poſſit, quàm quod eſt impoſſibile. Dei ergo negat prouidentiam, ac proindè ſapientiam. Denique ſapiens nihil agit pœnitendum, nihil quod mutationem poſtulet ſeu reuocationem, propterea quod rationem vbique ducem ſequitur, & eminùs cuncta proſpiciens occaſiones anteuertit in-
Lib. 2. conſtantiæ. *Stultus,* inquit S. Ambroſ. *Sicut luna mutatur, ſapiens*
epiſt. 7. *non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non attollitur proſperis, non triſtibus mergitur. Vbi enim ſapientia, ibi virtus animi, ibi conſtantia & fortitudo,* & infra, *Sapiens ergo defectus rerum ignorat, & varium animum*
L. 2. c. 17. *neſcit.* Addit Plinius. *Sicut Mercurius quàm minimo ſpatio diſcedit à ſole, licet alioquin vagus & errabundus, ita non oportet longius ab honeſto diſcedere ſapientem.* At Deus Mahumetis ſententia, inſigne ſpecimen dedit mutabilitatis & inconſtantiæ. Nam cum Chriſtum præmiſiſſet Mahumeti annis ſexcentis viginti (natus enim eſt
Bellon. l. 3. Mahumetes anno poſt Chriſtum 620.) omni veritate inſtructiſſimum, vt fatetur in Azo. 4. Chriſtus autem in Euangelio ſuo paſſim inculcauerit legem quam mundo attulerat, nunquam Dei voluntate interituram, ſed regnum fore cuius non eſſet finis. ex conſequenti conſtituerat Deus finem ei nullum afferre: poſtea tamen exoriente Mahumete attulit, & Alcoranum Chriſtianæ legi (ſi credere fas eſt) ſurrogari voluit, ac de facto ſurrogauit [illegible] vſque

vſque eo contrarium, vt ex his duabus legibus minor ſit vni cum alia, quàm frigori cum calore conſenſio. Iam ſi de illius conſtantia, ſi de ſapientia, tàm impiè ſenſit, quid ſequaces eius facere vel facturos credimus, indignos ſe arbitrantes qui in eius vmbra deliteſcant?

Benè eſt. hic vt video fidelia vna parietes duos dealbaui. §. 4. Habent in Nouatoribus locum cauſæ illæ, ob quas conuicti ſunt Mahumetani Deum facere inſipientem; quid reſtabit vbi hoc oſtendero, niſi vt ex hac parte Mahumetani eſſe, & de ſumma æternaque Dei ſapientia impiiſsimè & irreligioſiſsimè ſentire videantur? Negabant Mahumetani media ad ſalutem neceſſaria omnibus à Deo propoſita. Nonne etiam negant Nouatores, & maximè Caluiniani, gratiæ ſufficientis reſpectu reproborum inficiatores, vt iam vidimus cap. 5. §. 4? Cauſabantur illi aliquas Dei leges eſſe impoſsibiles, an iſti minus blaſphemant, qui non aliquas tantum, ſed omnes docent eſſe facultate noſtra etiam adiuta diuino auxilio ſuperiores? Docent certè vt aliàs demonſtrabimus. Faciebant illi Deum mutabilem, modo vnum volentem modo aliud, & turpiter à ſuſcepto conſilio recedentem. Hoc ipſiſsimum faciunt ſectarij, Deum introducunt pugnantem ſecum maiorem in modum, quatenus peccatum vetat, ob idque non vult fieri, & tamen peccatorem mox impellit vt committat ipſum, & ſic vult fieri. Nemo quippè vetare ſolet niſi quod non vult, nihil ſatagere ac promouere niſi quod vult.

Lib. 2. c. 4. §. 5.

Vidit hoc ſibi obiectum iri Caluinus, nec diſsimulare potuit. *Cauſatur*, inquit, *hoc modo tribui Deo inconſtantiam, quod aliud dicat aliud cogitet.* & infra, *non difficile erit eam calumniam diluere, quia Deus præcipiens quod rectum eſt verè quid ſibi placeat, teſtatur. Nec verò aliud conſilium occultat, quo iniquitatem quam apud homines damnat, apud ſe vel amet vel abſoluere velit, ſed mirabiliter iudicia ſua exercet, vt pro ſua inæſtimabili ſapientia & æquitate in bonum finem dirigat, atque ordinet quæ mala ſunt. Neque enim malum per ſe, hoc eſt, quatenus malum eſt, Deum velle concedet Caluinus.* Et alio in loco. *Deus hoc & aliud in ſe non vult, ſed pro ſapientia ſua variè multiplici attonitos reddit ſenſus noſtros, donec cognoſcere nobis dabitur mirabiliter eum velle quod nunc videtur eſſe voluntati eius aduerſum.* Vides Lector, ſi oculos habes, verſipellem hominem, & anguem lubricum appellantem ſpecioſo nomine pro-

In reſponſ. ad Caluin. de æter. prædeſt.

Lib. 4. Inſt. c. 24. n. 17.

fundam Dei sapientiam, quæ sensus nostros reddit attonitos, illam quam reipsa in Deo ponit prodigiosam pugnantiam. Vides hunc eundem Protheum quęrentem rimam qua elabi possit, ne ponere videatur in Deo contradictionem, quod Deus vna ex parte nolens & prohibens malum, ex altera illud quidem velit, sed non vt malum. Enimuerò subterfugio huic iam occurrimus supra demonstrantes quod si vult peccatorem malè agere, illumq; ad hoc impellit, propositum habeat eundem quem ille finem proximum, proindeq; non minus quàm peccator ipse, velit malum vt malum.

Cap. 5. §. 4.

Postremò negabat Mahumetus cum suis diuinam prouidentiam ac proinde sapientiam, vtpote ab illa inseparabilem, negant eandem Caluinistæ, profitentes sub finem psalmi primi nullam Deo curam esse de reprobis. Quibus sanè verbis non accusant solum mendacij diuina eloquia, quæ ad hoc quoque prouidentiam illam extendunt, tàm quoad spiritalia, cum scriptum sit, *vult omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, quàm quoad temporalia iuxta illud solem suum oriri facit super *bonos & malos*, sed etiam conuincuntur ore proprio negare perfectam in Deo sapientiam.

1. Tim. 2.
Matth.

His si adiiciamus quæ de Christi scribunt ignorantia, nihil vltrà requirendum erit vnde blasphemi, impij, irreligiosique habeantur. Adiicere certè nequaquam abs re fuerit, ferriue extra oleam. Ideo enim initio libri huius attributa Dei ponderamus, ad quorum album pertinet sapientia, vt vbi confecerimus ea in Deo qualia oportet, talia non esse iuxta Nouatorum sententiam, sciantur ab omnibus vel falsum Deum colere, vel de vero saltem deterrimè sentire, nec fieri posse vt his imbuti erroribus, debito eum cultu afficiant. Atqui idem Christo etiam vt homini deferendus est qui Deo propter vnionem hypostaticā, nec id solent abnuere: Illis ergo incumbit de Christi quoque vt hominis sapientia benè sentire, ne aliàs à nobis audiant, aut se falsum agnoscere, aut minimùm impio dogmate prohiberi, quominus ex affectu atq; vt par est ipsum colant.

Audiamus iam quàm benè sentiant. *Præceptoribus*, inquit Lutherus, *eguit Christus à quibus erudiretur.* Et Brentius eius discipulus: *Scientiam Christus discipulorum nostrorum ritu sibi comparauit*, ergo præ-

Luth. Domin. 1. post. Epiph. Brē. hom. 39. in Luc.

Digitized by Google

præextante inſcitia ſenſimque depulſa. At Zuuinglius in Confeſsione ad Carolum quintum. *Profecit Chriſtus ſapientia, quia ſecundum humanam naturam finitus eſt atque menſus.* Caluinus autem nihilo religioſior, *eius anima ſubiecta fuit ignorantiæ, hoc ſolum diſcrimen eſt inter nos & illum, quod infirmitates quæ nos neceſsitate conſtringunt, ſponte & voluntate ſua ſuſcepit.* Nicolaus item Gallus eius gregalis, *Ita ignorauit, vt diſceret ipſe atque erudiretur more hominum.* Rurſus Caluinus, *ſecundum hominem Chriſtus diem vltimum neſciuit.* De fide offerentium paralyticum ita loquitur. *Quod quidam exiſtimant Chriſtũ diuinitus conſcium fuiſſe ipſorum fidei, quæ occulta intus latebat, mihi coactum videtur. & nihil abſurdi eſt ſi dicamus ſecundum hominem ſpeciem arboris fici fuiſſe illi incognitam.* Rurſus, *quod ieiuniis mercedem à Deo promittit Chriſtus impropria eſt locutio.* Et infra, *quod ſequitur filios eorum fore Iudices impropriè dictum eſt,* & adhuc inferius, *facite arborem bonam impropria locutio eſt.* Item in illud, *de corde exeunt cogitationes malæ, impropria eſt loquendi forma.* Item in illud, *qui autem facit veritatem, hoc videtur impropriè & abſurdè dici.* Item ad illa verba, *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari videtur non quadrare partitio,* & ad illa, *omnia ergo quæcumque vultis, &c. Superuacanea eſt illatio.* Item ad hæc alia, *omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, videtur parum ſolida eſſe refutatio.* Item ad illa, *Surge tolle grabatum tuum, videtur parum ſolidè ratiocinari, Chriſtus.* Item ad iſta *Pater ſi poſsibile eſt tranſeat à me calix iſte.* ſcribit *abruptum fuiſſe hoc votum, tantoque metu & anxietate Chriſtum percul-ſum, vt neceſſe illi foret inter violentos tentationum fluctus alternis votis quaſi vacillare.* Addit, *votum ſuum ſubitò elapſum caſtigat ac reuocat.* & infra, *non fuit hæc meditata Chriſti oratio, ſed vis & impetus doloris ſubitam ei vocem extorſit, cui ſtatim addita fuit correctio.* Item *in primo voto non apparet placida illa moderatio quam dixi, quia mediatoris officio defungi quantum in ſe eſt renuit & detrectat.* Reſtabat vt admonitionem & quaſi regulam vniuerſalem daret defectuum in Chriſti verba obrepentium. Hanc autem non prætermiſit ſed inſeruit ſcholiis in cap. 12. Matthæi his verbis. *Memoria tenendum eſt vulgò receptis prouerbiis ita vſum eſſe Chriſtum vt tantum eſſent probabiles coniecturæ, non autem ſolidè probarent.* Quis iam non videat ſuperbiſsimorum iſtorum Gigantum inſolentiſsimum de Chriſto iudicium, audax, blaſphemum, temerarium? Quam item illum faciant ignorantem, in pleriſq; ſententiis abſurdum, inconſultum, præpoſterum, in

Zuuingl in Confeſ. Cal. in c. 2. Luc.

Nic. Gall. in l. 2. Iren. cap. 49.

Calu. in c. 24. Matth.

In cap. 9.

In cap. 21.

In cap. 6.

In cap. 12.

In cap. 15.

In cap. 3. Io.

In cap. 22. Matth.

In cap. 7.

In cap. 12.

In cap. 9.

In cap. 26.

ratiocinationibus infirmum, Mediatoris officium quo eum defungi volebat Pater, refugientem? Talis profectò non fuit Chriſtus, quia talem eſſe nulla ratione decuit. Venerat non ſolum vt cauſa noſtra mortem oppeteret, ſed etiam vt doctoris munus obiret præſtantiſsimi, vt ſuo nos exemplo admoneret, in tranſuerſum non agi affectibus, ſed iis tanquam procelloſo mari ventiſque imperare, & ad arbitrium rectæ rationis noſtra omnia inflectere. Vt inſuper magnam illam ſapientiam qua cumulaturus erat Apoſtolos, cui non poſſent reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij, primus ipſe arguendo, probando, argumentando depromeret, ne alioquin eſſet diſcipulus ſupra Magiſtrū. His certè muniis perfectè obeundis nullo modo accommodata erat ignorantia, ſed valdè contraria, vt docet S. Thomas. Idem de perturbationum immoderatione iudicium, quæ rationē præueniunt, peruertunt, & ſui iuris eſſe non ſinunt. Ita fit vt dum has illamque Chriſto affingunt, vehementer illum deprimant, ipſamque diuinitatem eius directricem tacitè accuſent, quæ illum in tot verborum, ſententiarumque abſurditates paſſa eſt impingere, cui ab initio poterat ac etiam debebat, ſaltem eo tempore quo opus erat, copioſiſsimam ſapientiam conferre. Quoties incurij ſeſſoris equum cernimus, aberrantem, ceſpitantem, pede ſegetes proterentem, &c. in ſeſſorem mox ipſum mala hæc omnia reiicimus, vt potè quibus occurrere poterat, & debebat ex munere. Atqui ſeſſoris rationem habere comparatam cum humanitate diuinitatem, rudis valdè eſt qui non colligit, ex verbis illis, *& vidi, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens vt vinceret.*

3. p. q. 15. a. 1. & 3.

Apoc. 6.

Sed opponent, nonne de eodem Chriſto legimus. *de die autem illo & hora nemo ſcit neque Angeli in cœlo. neque Filius ſed Pater?* & *proficiebat ſapientia, & ætate & gratia apud Deum & homines.* Legimus fateor, ſed vna ſcriptum ſcimus, *adhuc & vos ſine intellectu eſtis?* vt intelligeremus ſpiritualium ac cordatorum hominum eſſe, non verba captare, cum manifeſtè abſurdum continent, maximè ſi de Deo ſit ſermo, ſed ſolerter excogitandas interpretationes pias, rationique congruentes. Iam verò perfacilis vtrobique Nouantibus illis præſtò eſſe poterat, ſi reuera mediocris tùm ingenij fuiſſent, tùm iudicij, ac tuendæ Chriſti ſapientiæ, gloriæque

Marc. 13.
Luc. 2.
Matth. 15.

que cupidi. Non negat ſimpliciter Chriſtus ſibi vt homini innotuiſſe diem iudicij, ſed tantum negare intendit, ſe vt hominem in abſtracto conſideratum hanc ſcientiam fuiſſe conſecutum, propriis videlicet humanitatis communis viribus, quod veriſsimum eſt; obtigit enim ei vt talis eſt humanitas, ex prærogatiua ſingulari in gratiam vnionis hypoſtaticæ. Vel ſi aliter hunc locum placet exponere, ſciebat Chriſtus ſimpliciter diem illum & horam, ſed non ſciebat vt diceret. Quemadmodum enim ſcire dicitur quando ſcire facit, iuxta illud Geneſ. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum* ſic è contra neſcire, quando non facit ſcire. Profecit Chriſtus ſapientia, quia proficere videbatur, quatenus in dies plura dabat ſpecimina eiuſdem ſapientiæ: Sicut dicitur calor ignis intendi hyberno tempore, quia fortius agit vis eius, colligens ſeſe ob frigus circumſtans, non quod plures caloris gradus nanciſcatur.

De diuinarum perſonarum trinitate in vna vera Dei eſſentia.

CAPVT VIII.

§. 1. *Verus Deus eſt in perſonis trinus.*
2. *Hac fides eſt Catholicorum*
3. *Non Mahumetanorum.*
4. *Non Iudaeorum.*
5. *Sed neque Nouantium.*

QVEMADMODVM riſum non effugeret aſpicientium qui vaſculo includere niteretur Oceanum Athlanticum; ſic temerarius fortè ſim & riſu dignus, ſi hoc primo §. anguſtiſsimo vaſi perſimili anguſtiſsimum illud longeq; altiſsimum Triadis ſacroſanctæ myſterium complecti velim, & enucleandũ ſuſcipere. Eſſem profectò ſi pro dignitate, ſi diffusè, ſi quoad appendices omnes vel plurimas id mente agitarem: ſecus cum mei tantum ſit conſilij, præſtare id obiter, & quantum inſtituto noſtro eſt ſatis. §. 1.

Digitized by Google

Vnicam eſſe Dei naturam ſiue eſſentiam quæ deitas ſeu diuinitas appellatur, à me hoc loco ſupponitur tanquam dogma probatum ſatis ſupra cap. 3. §. 1. & apud Catholicos, Mahumetanos, Iudæos, adde etiam ſectarios vulgò receptiſsimum. Controuerſia eſt de diuinarum numero perſonarum, ſubſiſtatne eiuſmodi natura in vna tantum vel pluribus. Aſſeritur in hoc §. 1. in tribus ſubſiſtere, idque probatur.

Primò teſtimoniis aliquot teſtamenti veteris, quæ priuſquam adducantur, præmoneo nullum eſſe de prima perſona ſeu patre dubium. Nemo non ponit vnam ſaltem in Deo perſonam, quidquid ſit de aliis. Hanc nos communi voto agnitam & receptam vocamus patrem. Quo etiam nomine ſæpè illum inſigniuit vetus illa Gentilitas, tametſi patrem nunquam vel rariſsimè dixerit in ordine ad aliquam aliã perſonam diuinam, ſed tantum per reſpectum ad creaturas. Iam oſtendo ex teſtamento veteri præter hanc primam duas alias ponendas, hoc eſt Filium & Spiritum ſanctum, & vtramque veri Dei habendam loco. In prouerbiis ſapientia Dei à Dei perſona ſe diſtinguit, & ſe ab eodem conceptam aſſerit, idque ab æterno, & cum eodem feciſſe omnia. *Dominus*, inquit, *poſſedit me ab initio viarum ſuarum, antequam quidquã faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, nondum erant abyſſi, & ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar, quando præparabat cælos aderam, cum eo eram cuncta componens.* Cum ergo filius ſit cuius perſonæ concipi & parturiri conuenit, alia quædam perſona diuina, Deo coæterna & coæqualis quoad potentiam, ac proindè eiuſdem cum illo naturæ admittenda eſt. quomodo autem eiuſdem naturæ niſi etiam ſit Deus? Notanda ſunt hæc verba. *Cum eo eram cuncta componens.* Non dicit inſtrumentum eram cuncta componentis vel cum eo eram cuncta componente, ſed *cum eo eram*, deinde addit, *cuncta componens*, quaſi in creandis rebus cauſam ſe faciens non minus principalem, quàm Dominum ſeu Deum patrem à quo prodiit. In Pſalmis legimus, *dixit Dominus Domino meo ſede à dextris meis.* Hic perſpicuè præter perſonam primam ſecunda ponitur, & Deus verus, ac primæ Filius eidem coæqualis aſſeritur. Filius quidem quia paulo inferius ei dicitur, *ex vtero ante luciferum genui te.*

Prou. 8.

Pſal. 109.

Filius

Filius autem eſt cui gigni ſeu generari conuenit. Verus autem Deus tum quia Filio ſimiliter conuenit eiuſdem eſſe naturæ cum Patre, Filio inquam non qui adoptione tantum vel per aliam extrinſecam denominationem talis dicitur, ſed qui propriè talis eſt, & ex vtero vt iſte generatur, id eſt, ab intimis Patris ſui eſſe ſuum accipit, tùm quia ſimpliciter Dominus nuncupatur, non minus quàm Pater: Dominus autem ſimpliciter dictus pro Deo in ſcripturis ponitur iuxta illud, Pſalm. 71. *quis Deus præter Dominum?* Poſtremo coæqualis. quia vt iam dixi æquè Dominus dicitur, & æquè ab æterno ſeu antè luciferum eſſe affirmatur, & ſedere à dextris eius, qui ſanè ſitus æqualitatem ſatis portendit. Nec refert quod dicat ei Pater *hodiè genui te* quaſi neget ab æterno genitum. Immò contrarium ſequitur. Hodiè namque dixit quia Deo propter æternitatem, nec heri præteriit, nec cras imminet, ſed hodiè ſemper adeſt, cui præſentia ſunt omnia. In eodem Pſalmo 71. ſcriptum eſt, *Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam Filio Regis,* quæ verba de Salomone Dauidis filio intelligi nullo modo poſſunt. Sequitur enim, *permanet cum ſole & ante lunam, deſcendet ſicut pluuia in vellus, adorabunt eum omnes Reges terræ.* Salomon autem ætate ſolem non præceſsit aut lunam, nec ſicut pluuia in vellus deſcendit, ſeu natus eſt abſque grandi ſtrepitu regij ſplendoris & magnificentiæ, nec à cunctis aliis Regibus eſt adoratus. De alia itaque perſona ſunt accipienda, quæ ſingulariter Dei ſit Filius, ac proinde naturam habeat increatam ſeu diuinam, aliàs rationem filij communem haberet cum creaturis aliis, habet autem ſingularem, vnde ſingulariter fit eius mentio. & in Pſalmo illo 2. expreſsè additur pronomen *tu* & *te* hoc modo. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* *Pſal. 2.*

Subiiciamus & hoc argumentum. Chriſtus eſt perſona à Deo Patre diſtincta, ſed Chriſtus eſt verus Deus, ergo datur perſona quædam diuina à perſona Patris diſtincta. Maiorem propoſitionem concedunt omnes etiam Iudæi & Mahumetani, nec mirum, nam qui mittitur, apertè diſtinguitur à mittente quoad perſonam. Chriſtus autem in ſcripturis modo vt mittendus,

Digitized by Google

dus, modò vt missus describitur, vt Genes. 49. *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec veniat qui mittendus est.* Minorem confirmo quia loci multi quos de eo Iudæi ipsi interpretantur, Deum illum manifestè faciunt, & talem qui sit genitus seu filius, vt *Deus ipse veniet, & saluabit nos, vocabitur Emanuel, id est, nobiscum Deus. vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, generationem eius quis enarrabit.*

Isa. 35. 7. 9. 53.

Ad constabiliendam verò ex iisdem scripturis Spiritus sancti diuinitatem, sufficit quod scriptum est Iob. 13. *Spiritus Domini fecit me, & spiraculum omnipotentis Dei viuificauit me.* & Sap. 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum.* Haud dubiè solius Dei prærogatiua est hominem facere, vt causæ primæ & principalis, de qua ibi Propheta loquitur, & viuificare, & terram implere, & vt quidam Poëtarum expressit.

Ire per omnes

Terrasque tractusq; maris cœlumq; profundum.

At vetus scriptura vti iam audiuimus, adaptat hæc omnia Spiritui sancto, illum igitur Deum censet esse.

Quod si de instrumento nouo sit quæstio, multò clarius adhuc confirmat quod dicimus, nunc quippe vniuersim trium personarum diuinarum in vna essentia meminit, vt cum ait, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. & tres sunt qui testimoniū dant in cœlo Pater, & Verbum, Spiritus, & hi tres vnum sunt.* Nunc præter primam secundæ, quæ verbum dicitur, & post carnem assumptam Christus appellatur, vt *verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* Item *respondit Thomas & dixit Dominus meus & Deus meus.* Item *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi.* Nunc denique tertiæ seu Spiritus sancti vt Actor. 5. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? non es mentitus hominibus sed Deo.* Quibus clarissimis testimoniis quia persuaderi noluit Arius, vt Christi diuinitatem agnosceret, delitas luit pœnas. In cloaca enim aluum exonerare volens, vna cum stercoribus intestina, iecur, & splenem, atq; adeò animam ipsam blasphemam effudit.

Matth. 28. 1. Io. 5.

Io. 1. & 20. Tit. 2.

Athan. orat. 1. cont. Aria.

Parum ista proderunt dicat aliquis, aduersus Iudæos & Mahumetanos, vtpotè qui has scripturas sacras esse non concedunt. Immò valebunt plurimum. Nam in primis Iudæi testamentum

Digitized by Google

mentum vetus non repudiant, ſed nouum duntaxat, idque immeritò prorſus, quià vt infra demonſtrabimus §. 2. in eo & Chriſto eius authore impletæ ſunt Prophetiæ, conueniuntque in eundem Chtiſtum ſigna quælibet Meſsiæ ſeu Saluatoris in lege promiſsi. Quare eo ipſo quo agnoſcunt Iudæi obſtrictos ſe teneri ad habendum fidem Meſsiæ vero ac legitimo, vtique & noſtro, cuius proinde Euangelium detrectare nullo iure poſsunt. Quod ad Mahumetanos, manifeſtè perhibent vtrique ſcripturæ teſtimonium, veteri quidem vt in Azo. 12. his verbis, *Cum Iudæi teſtamentum habeant iudicium Dei docens, viamque rectam & lumen, & ſapientiam præſtans, cur à te iudicium poſtulant?* Vndè & Mahumetes vt Alcorano ſuo authoritatem conciliaret, vocauit illum in Azo. 1. *Iudaicæ legis firmamentum.* Nouæ autem his aliis quæ habentur in eadem Azo. 12. *Euangelium eſt via recta timentibus Deum*, & in prima fatetur Chriſtianos ei adhærentes ad ſalutis portum appulſuros. Reſpondet ſcio corrúptelas complures decurſu temporis in vtramque ſcripturam irrepſiſse, ſed puerilis nimis eſt hic prætextus, & inanis tergiuerſatio. Nam in primis nititur ipſemet ex Euangelio probare dogma ſuum præcipuum, hoc eſt, Chriſtum non eſſe Deum, eo quod Chriſtus Deum vocat Deum ſuum; illud ergo verax eſſe præſupponit & incorruptum, aliâs validum inde argumentum depromere non poſſet. Secundo exploratiſsimum eſt vtrumque teſtamentum fuiſſe multis ante Mahumetem ſeculis conſcriptum literis Græcis, Latinis, & Hebraicis, ac per vniuerſum orbem euulgatum. Sententias item quæ de ſacra Triade, deque filij ſeu Chriſti diuinitate loquuntur, à celeberrimis quibuſque ac vetuſtiſsimis Patribus citari ſolitas velut indè petitas, & exemplaribus omnibus ſimiliter inſertas. Vndè verò tanta cõſenſio ſi ab aliquo malæ fidei ſunt obtruſæ? ſi affixæ clanculũ? ſi veris ſurrogatæ? quis ille eſt? cuias? quo nomine? qua ratione tàm latè propagari corruptela potuit, vt ad exemplaria prorſus omnia ſeſe extenderet? vt ne vnum quidem relictum ſit erroris expers? Quomodo qui moribus ac dogmatibus hoſtes ſibi mutuo capitales erant, Orthodoxos & Hæreticos intelligo, adeò vnanimiter in vniuerſam hanc deprauationem conſenſiſſent, cum hi minimis occaſionibus etiam malitiosè conquiſitis ab iis diſcederent? Nonne tunc multò magis in eos velut ſacrile-

Azo. 12. Io. 13. & 20.

crilegos ſtilum ſtrinxiſſent, hanc præclaram ſibi gratulantes maledicendi occaſionem? At nihil vnquam auditum eiuſmodi. Hoc tandem reſtat, quod à Mahumete petam, ad quid ſententiis illis fraude vt vult, admixtis adulteratum fuiſſet à Chriſtianis Euangelium, quæ nullæ iis vtilitatem, odium erant maximum & difficultatem allaturæ? Vehementer ſiquidem ardua euadit de Deo fides noſtra eo nomine, quod qui vnus eſt in eſſentia, trinus quoad perſonas eſſe creditur, & neque Pater Filio antiquior, nec vterque Spiritu ſancto, & quod Pater Filium habeat ſibi authoritate parem. Quis corruptores fallendique cupidos non credat, ea potius inſerturos fuiſſe, quæ populari erant captui accommodata, & ad vulgi fauorem aucupandum idonea? Quid item ſibi vult, quod in Azoa. 20. credere nolentes ſe à Deo miſſum remittat ad Chriſtianos miſſionis huius ſuæ teſtimonium ex Euangelio ſuo deprompturos? ſi id eos bona fide facturos credidit, quomodo in hoc alio id eſt, tanti ponderis negotio malè verſatos fuiſſe ſuſpicatur? Viciſsim ſi hoc ſuſpicatur, qua prudentia potuit ſibi bonam ab iis fidem polliceri? Nam ſemel malus ſemper præſumitur malus in eodem mali genere.

Athan. ad Serap.

Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 1.

His ſi placet, ex abundanti ratiocinationem hanc ſubſtituamus, etſi non euincentem quod dicimus, fulcientem tamen. Equidem *Deitas non demonſtrationum ratione traditur, ſed fide & pia cogitatione cum religione*, nihil tamen obſtat quominus accitis ſyllogiſmis nihil abſurdi continere demonſtretur. *Suſcipiemus & illam ipſam quam flagitat reddere rationem*, inquit Auguſtinus, *quod Trinitas ſit vnus Deus, & ſolus, & verus, & quàm rectè Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus vnius eiuſdemq; ſubſtantiæ, vel eſſentiæ dicatur, credatur, intelligatur.* Sic autem procedit ratiocinatio. Cum Deus omnipotentem infinitamque habeat eſſentiam vtique ſterilis in intellectione ſua nec videri poteſt aut debet, nec erit, (cum ne ipſi quidem intelligendo planè ſteriles ſimus) ſed omninò vi eius terminum aliquem producit. Experimur enim ex cuiuſque rei cognitione per impreſſam ſpeciem repræſentata reſultare in intellectu noſtro expreſſam talis rei ſpeciem ſeu imaginem; quæ ſpecies expreſſa ideò verbum appellatur, quod incitetur verbum externum,

Digitized by Google

num, quo aliis ſenſa mentis noſtræ loquendo exprimimus. Antè oculos ſiquidem mentis quodammodo ponit impreſſam illam ſpeciem prius latentem,& rem cuius eſt ſpecies, vt docet S. Thom. Verùm magna in hoc eſt differentia, quod iuxta eundem Doctorem Angelicum alio in loco, intelligere in nobis non ſit ipſa ſubſtantia intellectus; vndè verbum quod ſecundum intelligibilem operationem in nobis procedit, non eſt eiuſdem naturæ cum eo à quo procedit: Intelligere autem diuinum eſt ipſa ſubſtantia intelligentis, propter ſummam Dei ſimplicitatem & perfectionem, ideòque in Deo verbum procedit vt eiuſdem naturæ ſubſiſtens. Porrò quod fit per intellectionem, ſemper vi ſuæ proceſsionis ſimile eſt intelligenti quatenus intelligens eſt, vt infra dicam. Cum ergo in diuinis intelligentia ſeu intellectio ob dictam ſimplicitatem formaliter ſit natura diuina,& conſequenter intelligens vt intelligens ſit Deus, erit verbum quod per intellectionem procedit, intelligenti patri in natura ſimile. Atque hinc intelliges, cur hoc idem verbum dicatur filius, quia vt iam indicatum eſt, vi ſuæ proceſsionis vniuerſim conſideratæ procedit vt ſimile, & vi eiuſdem vt eſt in Deo, procedit vt ſimile in natura, & proprium eſt filij vt ſic, ſimilem eſſe in natura ei à quo procedit. Intelliges præterea quomodo eadem numero natura ſit in vtroque, quia nempè aliàs non eſſet ſimilitudo perfectiſsima, nec proinde diuina. Cum autem diuina intellectio tàm ſit efficax quemadmodum iam vidimus, vt per eam ſecunda quædam perſona diuina à prima diſtincta producatur, cur non etiam tertia quædam per amorem, quo Pater ſe ac genitum filium diligit, & viciſsim Filius Patrem? (Sunt enim actiones hæ duæ in Deo eminentiſsimæ & pares) producetur ſanè, filius tamen non vocabitur, ſed Spiritus, tùm quia quod à duobus procedit, non eſt nec vocatur Filius, niſi eorum alter ſit Pater, & alter mater, vt notat S. Auguſt. quo pacto conſtat non procedere Spiritum ſanctum à Patre & Filio: tùm quia perſona in diuinis quemadmodum demonſtratum eſt, Filius dici non poteſt, niſi vi ſuæ proceſsionis ſimilis ſit ei à quo procedit, vt in Verbo contingit. At licet Spiritus ſanctus reipſa hoc habeat, cum procedat per amorem, qui realiter eſt natura diuina, tàm efficax vt per eam intimè produci non poſsit aliquid Deo minus aut diſsimile,

1 p. q. 107. art. 1.

Lib. 5. de Trin. c. 25.

D. Thom. sup. art. 4. Lib. 2. de Trin. c. 5.

mile, non tamen vi suæ processionis, vt notat S. Thomas. Ratio est quam affert Gregor. à Val. qui aliquid vult aut amat, non respicit illud vt verum, sed vt bonum, ad quod præcisè, & ex natura rei nulla est similitudo necessaria, secus cum intelligit: Tunc quippè respicit illud vt verum, & intelligendo fit quasi ipsum. Propter quod Aristoteles in libris de anima, scribit animam per species fieri quodammodo res omnes, vndè & similis erit imagini eius expressæ quam intelligendo producit.

Non desunt alia ex quibus mens naturaliter petere potest aliquid subsidij circa huius assensum mysterij. Considerat vna ex parte animam rationalem, quæ cum sit insigne Dei opificium, meritò videri potest, ipsum vtcumque adumbrare: ipsa autem substantia vna simplex est tribus constans potentiis memoria, intellectu, voluntate aliquo modo repræsentare valentibus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ex altera Ethnicos aliquot affine quiddam sibi effingentes, vt eos qui Mineruā è Iouis cerebro dimanasse tradiderunt & alios de quibus Cyrill. Alex. *Commemorabo quæ ab iis dicta sunt, vt sciant lectores, Christianorum sententiam de Deo ritè expositam, & quod illorum optimi atque sapientissimi exactè dogmata nostra secuti deprehendantur. Constituunt primum authorem summum, stantem, immobilem, beneficum per omnia, & illum dicunt esse bonum: Ex illo autem factam mentem, quæ intuitu in ipsum perficitur, quam in secundo ordine post primam supputant. Præterea tertiam narrant mundi animam, & se vt perfectè habeat minimè sortitam, sed habitudine ad proximam mentem diuiniorem, & ad viuificandi potentiam robustiorem.* Adhæc comparat naturam diuinam cum inferioribus, hoc est, cum finitis infinitam, & immensum discrimen interiectum aspiciens cohibet se, ne cum ex illis nullam deprehendat, cum qua identificari possint, quæ eadem inter se non sunt, temerè de diuina idem sentiat, præsertim cum ex ipsis creaturis quædam non conueniant inter se, quæ tamen conueniunt cum vno tertio. (Datis namque his sex vocibus musicis, vt, re, mi, fa, sol, la. Successiuè in acutum tendentibus, tribus item cantoribus, quorum vnus resonet *vt*, secundus eodem tempore *sol*, tertius *la*, certum est quod horum vterq; suauem cum primo consonantiam edet, ille quidem *Diapente* seu *quintam*, hic vero *sextam*, inter se tamen non consonabunt, nec melodiam facient, sed *secundam*, vt vocant

Lib. 8. cont. Iulia.

Digitized by Google

cant, & aures grauiter afficient) atque ita fortè contingere, vt diuinæ personæ secretæ ab inuicem, cum eadem nihilominus diuinitate communi omnibus, reipsa & formaliter identificentur. Se quoque reprimit ne facilè neget fieri posse, vt eiusdem diuinitatis beneficio quidquid perfectionis in vna est persona reipsa sit in alia, esto non sit formaliter quoad relationem personalem. Obseruat denique in animalibus ipsis tantum posse phantasiam, siue imaginationem & concupiscentiam, vt fœminæ in fœtum influant colorem, notas, ac vestigia earum rerum, quas vel ardentius appetiuerint conceptus tempore, vel fortius apprehenderint: cuiusmodi exemplum occurret tibi Genes. 30.

Hæc Trinitas diuinarum personarum in vna essentia dogma est toti Ecclesiæ Catholicæ persuasissimum. In cuius fidem non contenta publicè mentem suam his verbis prodere. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus æternus, immensus, incommutabilis, incomprehensibilis, omnipotens, & ineffabilis Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura omninò simplex.* Quotannis insuper Dominica post festum Pentecostes aliud celebrat, in quo tantum mysterium palàm cõfitetur, ac præsertim in præfatione canonis Missæ his verbis. *Verè dignum & iustum est, æquum & salutare, nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cum vnigenito tuo, & Spiritu sancto vnus es Deus, vnus es Dominus, non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus, vt in Confessione veræ sempiternæque Deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.* §. 2. *De summa Trin. & fid. Cath. c. 1.*

Opponunt ex aduersariis nonnulli vt notat Mathæus de Launoy Catholicos quidem ore confiteri verum Patrem, verum Filium, verum Spiritum sanctum, sed non re. Id probant hoc syllogismo. Qui non confitetur & colit verum Filium, non confitetur & colit verum Patrem, nec proinde verum Spiritum sanctum. sed Catholici non confitentur & colunt verum Filium, tùm quia eius meritis non nituntur sed suis; tum quia illum non faciunt Ecclesiæ caput sed Papam. Ergo. Respondeo hoc argumentum esse omni ex parte falsum & planè insulsum. Est falsum, *Lib. 4. fals. suppos. c. 4.*

 quia

quia procul à vero est, non vti nos Christi meritis aut niti vt palàm faciam lib. 2. cap. 3. §. 3. Item illum sententia nostra non esse caput Ecclesiæ, vt demonstrabitur lib. 3. cap. 1. §. 3. Insulsum verò quia licet ista vera essent, qualia nullo modo sunt, & à nobis seu Catholicis admitterentur, quod nullo modo fit, adhuc inepta esset conclusio, tùm quia argumentum totum est negatiuum, tùm quia id secundum quod Christus est Filius Dei videlicet diuinitas, non est id secundum quod est & dicitur meruisse nobis & caput Ecclesiæ videlicet humanitas, qua proinde negata cum his suis prærogatiuis illam negari non est consequens. Quâquam ne quidem negatur hæc eius humanitas, quando huiusmodi prærogatiuæ eleuantur, sed tantum probatur non ei tribui honor totus, qui debetur: quemadmodum si inficier Delphinum seu primogenitum Franciæ iure dominari Gallis omnibus, non idcircò inficias eo verum ac Germanum illum esse Regis Filium.

§. 3. Nunc de Mahumetanis. Hi cum arbitrentur cohærere non posse cum Triade nostra Dei vnitatem, vt hanc tueantur, illam execrantur. Hinc illud toties in Alcorano decantatum, *Deus vnus est, Deus participem non habet, nec filium.* Cuius propositionis rationem affert quia Deus vxore caret, quia nulla re indiget, quia

Azoa. 20. & 33. & 11. cœlum esset dissidiis obnoxium, insurgente in Patrem Filio, scilicet vt in Saturnum Ioue. En tibi lector, blasphemi & barbari huius impostoris stupiditatem, de augustissimo illo Numine non secus ac de homuncionibus ratiocinantis, quasi ad generandum fœminæ concursu indigeret omnipotens, quasi non omnia condiderit, tametsi vsui sibi nulli futura, quasi non sit diuina mens ab omni perturbatione libera, & vnitas eiusdem voluntatis communis tribus personis non excludat omne diuortium.

Addit Mahumetus in Azo. 13. *Sciendum incredulos esse qui Iesum Mariæ Filium Deum dicunt*, quo non contentus inducit Deum ita Christo succensentem. *O Iesu Fili Mariæ tu persuades hominibus, vt te Dei loco habeant.* Certè si præter Deum Patrem, secundam aliquam personam in diuinis posuisset, maximè Christum quem hominibus omnib. anteponit, & Dei Verbũ, animam, sapientiamq; appellat: cui prætereà scripturas tantum tribuere constat, quantum nemini alteri, & tamen eripit illi diuinitatem.

Tra-

Digitized by Google

Trahunt & Iudæi eundem impietatis funiculum, atque in eodem errore versantur sed tantò culpabilius, quanto secretius concreditum illis est instrumentum sacrum, & in eius Lectionem impensius incumbunt, ex quo vt supra audiuimus, non infirma deducuntur mysterij huius testimonia. Cum autem illos reos faciat tam secundæ quàm tertiæ personæ inficiatio, præcipuè tamen secundæ. Nam sacra eloquia tria docent de Messia quem expectant adhuc, nos verò iam venisse credimus. Primum, quod ille sit Deus, vt liquet ex dictis §. 1. alterum quod sit Dei Filius, vt ibidem quoque demonstratum est. Tertium quod sit ipsissimus Christus noster, quatenus varia eius assignant indicia quæ in Christum adamussim conueniunt, & in alium cadere nullo modo possunt.

Primum indicium est adimpletio figurarum Mosaicæ legis, quam præcipuè seruauit Deus Messiæ temporib. Quippè grauissimæ mutationes si quæ in Republ. fieri debent, futuro principi seruari solent, mutaturo in statum tanto meliorem, quæ à temporaneis eius vicariis fuerunt constituta, quanto eos vincit authoritate & sapientia. Quod autem non Apostolus modò, sed ipsi quoque Iudæi satis intellexerint omnia sibi in figura contingere, & suo tempore cessura veritati, finemque habitura, multipliciter constat. Indicari hoc viderunt, cum tabernaculo surrogatum est templum & legerunt fore domum nouissimam, cuius maior esset gloria quàm primæ, & apud Isa. *Computrescet iugum à facie olei*, ac si enucleatius dicat Propheta, veniet tempus, cum finem accipiet prædurus circumcisionis ritus, & in suauiorem mutabitur. Nec obstat qnod de ea scriptum sit, *eritque pactum meum in carne vestra in fœdus æternum*, notum quippè est locis aliis nonnunquam *sempiternum*, impropriè sumi pro eo quod durat diu quidem, non tamē semper, sicut *impossibile* pro eo quod ægrè quidem, absolutè tamen fieri potest. An non paschalis solēnitas dicta est celebranda fœdere sempiterno? eam tamē aliquando desiturā prædixit Hier. dicens. *Ecce dies veniunt dicit Dominus, & non dicent vltra viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Aegypti,* quasi diceret, consequenter illo tempore prætermittetur Phase institutum in memoriam liberationis filiorum Israel de

1. Cor. 10.
Agg. 2.
Isa. 10.
Genes. 17.
Exod. 12.
Hier. 23.

Aegy-

Aegypto. Atque hoc eſt exemplum aliud Iudaicorum rituum iuxta prophetias mutandorum. Quid ſacrificia commemorem? Nonne iis ſucceſſurum aliud præmonuit his verbis Dauid, *holocauſtum pro peccato non poſtulaſti*, & his aliis Malachias, *munus non*
Pſal. 39. Mal. 1. *ſuſcipiam de manu veſtra; ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*? Sanè Chriſti aduentus & circumciſionem per baptiſmum, & phaſe veteraque illa ſacrificia per mortem ſuam & Euchariſtiæ inſtitutionem de medio ſuſtulit. Ita vt totis 620. annis hoc eſt ad Mahumetem vſque hæc abolitio in vniuerſo mundo durauerit.

Secundum fuit abolitio regni Iſraelitici futura in diebus eiuſdem Meſsiæ iuxta prophetiam Iacob Geneſ. 49. *Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, &c. donec veniat qui mittendus eſt.* Atqui ablatum eſt circa Chriſti natiuitatem. Notum quippè quomodo deficiente regno, interfectoque Rege Sedecia in captiuitate Babylonica duces de tribu Iuda regendum ſuſceperunt populum Iudaicum; vt Zorobabel poſt captiuitatem Zach. 4. & Agg. 1. quo in munere ſucceſſerunt eis Onias & alij ſacerdotes tempore Machabæorum, qui etiam erant de tribu Iuda, productumque eſt eiuſmodi regimen vſque ad Herodem, qui fuit alienigena de gente Idumæorum, quo regnante natus eſt Chriſtus Math. 2.

Tertium fuit decurſus 70. Hebdomadarum antè Meſsiæ exortum, quas ſic expreſsit Daniel, *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, &c. vt vngatur ſanctus ſanctorum.* Hebdo-
Dan. 9. madarum tantum trium ſcriptura ſacra meminit, videlicet dierum, menſium, annorum. Extra controuerſiam eſt non loqui Danielem de duabus primis ſpeciebus, quia ante aduentum Chriſti Meſsias in lege promiſsus à nullo veniſſe credebatur, & tamen iamdudum impletæ erant 70. hebdomadæ tàm dierum quàm menſium. Reſtat ergo vt de tertia ſpecie locutus videatur. Porrò huiuſmodi hebdomadæ complectuntur annos 490. quot videlicet elapſis contigerunt & contingere debuerunt omnia, quæ in Prophetia illa continentur. Inter alia meminit vnctionis ſancti ſanctorum, & inferendæ ei necis, & exitij quod dux venturus erat vrbi allaturus. Cum igitur Chriſtus noſter circa tempus illud

Digitized by Google

illud prodierit (& alius nemo qui Meſsias ſit habitus) vnctus à Spiritu ſancto ſingulari oleo gratiarum, vt eius teſtantur miracula, & poſt annos aliquot in crucem actus ſit, & veniens cum Tito Veſpaſianus Romanorum Imperator vrbem exciderit, nihil iam habent, nec tunc habuerunt Iudæi, quo Chriſtum verum eſſe Meſsiam iure poſsint inficiari, illum præſertim in veri Meſſiæ tempus incidiſſe. Quippè ſi legitimum tempus nondum impletum credebant, quorſum Legatos ad Ioannem direxerunt, eſſetne Chriſtus interrogantes?

Quartum complectitur eiuſdem Meſsiæ ingenium, naturam, qualitates à ſacris vatibus prænunciatas, vt quod futurus pacificus, & nomen nouum ſortiturus Iſa. 62. ex virgine naſciturus Iſa. 9. à Magis auro & thure donandus Iſa. 60. Pſal. 71. cæcos illuminaturus, Iſa. 35. ad templum venturus miſſo ante præcurſore Mal. 3. congregaturus gentes Iſa. 49. Hieroſolymam ingreſſurus inſidens aſinæ Zach. 9. tanquam ouis ad occiſionem ducendus Iſa. 53. inter iniquos deputandus, & pro tranſgreſſoribus rogaturus ibidem. Quæ omnia tàm dilucidè in eo impleta ſunt, vt quidnam magis, arduum ſit definire. Niſi fortè inficiari lubeat Ieſu nomen fuiſſe nouum, cum præ illo viri tres fortiſsimi eo inſigniti legantur, nempe Ieſus Syrach, Ieſus Naue, & Ieſus Filius Ioſedech. Verum hoc non obſtat quo minus ratione effectus nouum cenſeatur. Alij enim nullo modo, aut certè admodum imperfectè rem habuerunt voci reſpondentem, cum paucis tantum hominibus ſalutem eamque temporalem attulerint. Chriſtus autem omnes ſaluos fecit, & quidem à peccatis eorum. Deinde nouum dici poteſt, quia nouo modo inditum id eſt per reuelationem.

Ad quintum pertinent effectus inſignes, quos Verbum Dei prædicit ſecuturos aduentum Meſsiæ, & quos oportet ſpiritaliter potiùs, quàm materialiter accipere. Namque vt natura ſic Deus ab imperfectis ad perfecta progreditur, quod melius videri non poteſt feciſſe, quam ſi materialibus ſpiritualia ſubſtituat, & veniens in mundum illis quaſi ſuppreſsis iſta velut nobiliſsima ſecum afferat. Prædictum eſt fore vt habitet Lupus cum agno, Iſa. 11. & Iudæi à captiuitate liberentur, Deut. 30. & congregentur in Hieruſalem, Hier. 3. & ædificetur templum

S Domi-

Digitized by Google

Domino Zach. 6. & saluetur Iuda & Hierusalem Hier. 23. & nanciscatur Mesias semen longæuum, Isa. 53. & lumen tàm solis quã lunæ augeatur septempliciter Isa. 30. & veniat Christus in nubibus cœli Dan. 7. Homines certè prius feri lupisque simillimi post datum Christo nomen cum cæteris sunt pacificè conuersati, vt Saulus cum grege Christiano. Iudæi qui voluerunt, à spirituali captiuitate liberati sunt, & coniuncti gentibus per fidem & charitatem, ac nisi stet per illos magis magisque congregabuntur in superna illa Hierusalem, quæ ædificatur vt ciuitas. Templum æ-
1. Cor. 3. dificauit Iesus, & quidem multiplex dicente Apostolo viris bonis, *templum Dei sanctum est quod estis vos.* Saluatus est Iuda venien-
Luc. 19. te Christo, quantum fuit ex parte Christi, vnde dicebat. *Si cognouisses & tu, & quidem in hac die qua ad pacem tibi, &c.* Habeat Christus semen longæuum filios inquam spirituales, nouam in dies constantiam accipientes nouumque incrementum vsque ad seculi finem. Eodem in terris commorante fuit lux solis & lunæ septempliciter, id est, exorta lux est mortalibus septuplo maior quàm prius esset, ita vt verè dici potuerit, *populus qui habitabat in te-*
Isa. 9. *nebris vidit lucem magnam.* In secundo aduentu veniet in nubibus cœli. Ideò autem spiritualia hæc sub inuolucris sensilibus promissa sunt, quia populus ille Israel affixus erat sensibilibus.

Sextum indicium sit cessatio Prophetarum. Quemadmodum Rex aditurus prouinciam; mittit antè se præparatores ac prænuntios, & quanto magis appropinquat, tanto plures aduentum illius præuertunt ac nunciant: vbi verò iam venerit in vrbem cessat lingua præconum, & vicissim dum cessat indicium manifestum est peruenisse Regem. Sic venturum Christum Prophetæ multi prænuntiarunt vt palàm est, quia autem iam venit, nulli amplius venturum prænuntiant quos scilicet aliunde constet veros esse Prophetas, & cum nulli prænuntient, ipsum venisse argumento profectò est desineret aliàs diuina prouidentia, non mittens illius ante ambulones quando maximè mittendi sunt.

Demonstrant hæc omnia sanè, nihil excusationis habere Iudæos, dum à Trinitatis fide recedunt, ac peculiariter dum Christum nostrum secundam eius personam verumque Mesiam in lege promissum esse renuunt confiteri, vt nihil mirum videri debeat

Digitized by Google

debeat, ſi ſint à Romanis illis Imperatoribus profligati, ſi vbiq; terrarum maledicti, ſi calamitoſi, ſi ludibrio expoſiti, ſi omni Propheta deſtituti à quo conſolationem accipiant, ſi templo careant & ſacrificio. Siquidem in Hyeroſolymitano tantum eis lex ſacrificare permittit, à quo interim ſic excluduntur, vt quod obſeruat Iuſtin. martyr. eodem pedem inferre capitale ſit. Ita impletum eſt illud Iſaiæ vaticiniū. *Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta. Sion deſerta facta eſt, domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ, vbi laudauerūt te Patres noſtri facta eſt in exuſtionē ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.* Aliquam certè & quidem grauiſsimam tanti cauſam exitij, ſubeſſe oportet, niſi quod abhorrent aures, Deum ſponte furere iudicemus, & nulla iuſta indignatione commotum in eiuſmodi populum ſibi peculiarem diriſsima quæque furoris tela dirigere. At non aliam profectò reperturus es, quàm illam Chriſti abnegationem, & illatam ei necem, vt notat Tertull. & Nazianz. dicens

In Apolog. ad Anton.

Iſa. 64.

Tertull. in lib. aduerſ. Iudæos.

Nazianz. in Chriſto pat.

Ipſos magis, cladem que eorum defleo.
Namque vltione vindicabitur graui
Liuore cædes inuido quam perpetrant.

Hanc vnam protulit Chriſtus Luc. 19. Certè idololatria maximè, ſi quæ alia tot iis calamitates peperiſſet; at eo tempore adeò idololatræ non erant, vt Petronius Proconſul etſi Romano præſidio ferox potenſq;, & importunis ac minacibus Imperatoris Caij iuſsionib. exſtimulatus ad inferendam illius ſtatuam in templum Hieroſolymitanum in quo coleretur, nihil tale auſus ſit aggredi, ſed ad tergiuerſationes confugerit, certiſsimè ſciens maius ſe vitæ periculum inter Iudæos adire non poſſe, quàm ſi profana imagine templum illud auguſtiſsimum inquinaret. Tantum ergò iſta pertuliſſe credendi ſunt, quia Chriſtum nec Meſsiæ, nec Dei loco habuerunt. Quod eius repudium ſi fuiſſet iuſtum & laude dignum, vtique oportuiſſet eos non pœnas luere, ſed inſignem aliquam mercedem reportare. *Phinees,* inquit S. Chryſoſt. *ob interſectum vnum diuinæ legis transgreſſorem ſacerdotio mox decoratur, & vos Iudæi poſt occiſum impoſtorem publicum vt dicitis, ſine præmio eritis, & quod grauius eſt plectemini?* Atque hæc contra illos dicta ſufficiant. Tantum ad pauca illorum obiecta reſpondeamus. Scriptum eſt, *erit in nouiſſimis*

Orat. 3. cont. Iud.

Iſa. 2.

diebus praeparatus mons Domus Domini, &c. at nouiſsimi dies nondum venerunt, nec ergo Meſsias populum ad ſe in domo illa congregaturus. Sufficiet reſponſio quæ ad hominem dici ſolet hoc modo. Cum iuxta communem Rabbinorum ſuorum Cabalam exceſſurus non ſit mundus ſex annorum millia, & Chriſtus venerit circa tertiæ partis initium, ſatis intelligi poteſt veniſſe nouiſsimis temporibus. Abſit vt per nouiſsimos dies mundi partem omninò extremam intelligamus, & Meſsiam faciamus adeò
Abac. 3. cunctabundum, ac verbis illis ſacris, *in medio annorum notum facies*, repugnantem. Haud dubiè ſcriptura ſæpè nouiſsima vocat, quæ ſunt valdè remota, etſi non omninò poſtrema vt *congregamini filij*
Gen. 49. *Iſrael, vt annuntiem vobis, quæ ventura ſunt in nouiſsimis diebus.* quo loco multa pronuntiat quæ Chriſtum præceſſerunt, & completa ſunt tempore Regum Iſrael, vt laudem & primatum Iuda.

Præterea diſciplicet illis quod Chriſtus Iudaicam legem expunxerit, quæ cum bona eſſet, bonũ autẽ non videatur niſi à malo deſtrui, concludunt non Meſsiam ſed nefarium fuiſſe hominem. At enim non eam aboleuit vt malam, ſed vt non neceſſariã, ſed vt vmbrã & figuram corpori ac veritati debentem cedere. Vt ex nobis ipſis diſcant, non illam vt malam reiici, ſed hoc ſenſu quod iam non obſeruetur, nec obſeruari debeat ob cauſam allatam, libros illius omnes retinemus, veneramur, inter ſacros ponimus, & in vſus noſtros adducimus; nec eo nomine contemnendos credimus, quod ritibus illis amplius non ſit locus, quos continent vt ſymbola futurorum. Quemadmodum ſi quis Pædagogum habet (velut etiam dicit Apoſtolus, quod lex Pædagogus noſter eſt vſque ad Domini aduentum) vbi peruenerit ad ætatem, & acceperit Præceptorem, non omninò reiicit Pædagogum velut inimicum, ſed gratiam ei habet, quod ſe puerum inſtituerit, & ad grauiores diſciplinas tali inſtitutione præparauerit. Aut quemadmodum ſi quis in mari nauigare vellet, & magnam nauem haberet, verùm in parua ſcapha commotionem circa ripam maris tranſiret, & ſcapha hominem ad magnam nauem proueheret, non omninò ſubmergeret ſcapham, vbi magnam ſubiret nauem, ſed cum hoc quod gratiam illi haberet, in hac ſe contineret. Aut etiam quemadmodum ſi quis expoſitus, ab aliquo aſſumptus ſit quocumque tandem, & poſteà vir factus

Digitized by Google

factus germanum Patrem ſuum agnouerit, non ob id reprobat nutritorem à quo fuit educatus.

Tempus eſt vt mea ad Nouantes conuertatur oratio. Ex his §. 5.
quidam Trinitatem aperto Marte oppugnant, videlicet tàm ij qui vnicam in Deo perſonam eſſe dixerunt vt Michael Seruetus, Franciſcus Dauid, Georgius Blandrata; quàm qui ex aduerſo tres in diuinis perſonas ponunt indiuiduis naturis ſeparatas, nō minus quàm hypoſtaſibus, vt Valentinus Gentilis, & Tritheitæ alij in quorum albo non malè reponi poteſt Beza, cuius hæc ſunt *In Confeſſ.*
verba. *Verbum Dei clare nos docet, quod iſta eſſentia diuina eſt diſtincta* *fidei.*
realiter, & ſecundum veritatem, & ab æterno in tres perſonas. Alij verò clanculariè, vt Lutherus & Caluinus, cum multis Anabaptiſtis.

Lutherus Trinitatis nomen & inuocationem è ſuis Litaniis ſuſtulit anno 1543. & in lib. contra Latom. expunxit vocem ὁμοούσιος, qua ſancti Patres ſemper & appoſitiſsimè exprimebant contra Arianos filij conſubſtantialitatem. Suſtulit item ex epiſt. 1. Io. cap. 5. ſententiam hanc Trinitati in primis patrocinantem. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Elucubrans cap. 1. Geneſ. ſcribit Chriſtum fuiſſe inſtrumentum Dei, quod idem dicebant Ariani, & diuinitatem ei conſequenter adimebant. Alibi ſcriptum reliquit, hanc eandem Chriſti diuinitatem multa perpeſſam. at ſi paſſa eſt ſiue *L.2.Concil.*
multum ſiue parum, vera diuinitas non eſt, nec ergo vera Trinitas, cuius Chriſtum quatenus Deum ſecundam perſonam dicit eſſe.

Optat Caluinus vt Trinitatis, perſonæ, hypoſtaſis, & alia eiuſmodi vocabula, ſine quibus nec intelligi, nec explicari poteſt, altè infoſſa lateant, nec vnquam audiantur. *Vtinam* inquit *Lib. 1. Inſt.*
ſepulta eſſent. Cognata certè ſunt nomina rebus, vt quiſquis illa *c. 13. § 5.*
oderit, hoc ipſo non parum à rebus ipſis alienum ſe eſſe demonſtret. Immò ſi quis hominem, vel rem quamcumque aliam auerſatur, hunc videmus non à commemoratione ſolùm, ſed ab affinibus quoque voculis abſtinere; quod quidem eleganter expreſsit Ariſtophanes, perſonam quandam faciens ſic loquen- *In Auib.*
tem ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν, id eſt, Ariſtocratiam palàm eſt te quærere. Reſpondet altera ἥκιστα καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι, id eſt,

minimè verò, sed ipsum quoque Scellij filium abominor. Scellij filius dictus est Aristocrates, quod nomen iure inuisum fuit Aristocratiam detestanti, quod ea vox abominandæ rei, vocisq; memoriam refricaret. Ita cum Caluinus voces illas exosas habeat, aliud suspicari non possumus, quàm osorem illum fuisse inficiatoremque Trinitatis. Attexit quidem quod sequitur, *constaret modò Patrem, Filium, & Spiritum sanctum vnum esse Deum.* Verùm nihil hoc eum ab impietatis suspicione liberat, immò auget suspicionem. Sic quippè loquitur, quasi censeat nondum constare satis sintne vnus Deus Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Et vt de Trinitate vtcumque sermocinetur, nonne similiter Epicurus cum decretis suis virtutem omnem sustulisset, de virtute interdum magnificè disserebat? Omninò, idcirco tamen nasutis hominibus non alius quàm virtutis hostis apparebat, habentibus magis præ oculis decreta illa quàm affectatam simulationem: Nonnè etiam Arius Christum Dei Filium passim confitebatur? haud dubiè, sed quoniam aliundè facturam Dei, seu creaturam appellabat, visus est ac iudicatus ore duntaxat dicere Filium Dei.

In l. cont. Valent. Scribit insuper Caluinus Filij personam non nisi impropriè creatorem cœli & terræ nominari, Patrem autem propriè, & rursus Dei nomen soli Patri per excellentiam competere. Certè cum creatio sit actio ad extrà tribus personis communis sicut & diuinitas, si illa impropriè filio conuenit, & diuinitas conueniet. Rursus cum diuinitas Dei nomine significetur, si Pater excellentiùs Deus est quàm Filius, diuinitas inæqualiter ab vtroque participatur. Quid verò aliud prætendebant Ariani? liquet certè quantũ illis consenserit in sui recessu pectoris, vt non abs re scripserit Ioannes Schutz *Caluinismum, Arianismum, & Mahumetismum tres esse fratres; aut totidem sorores, tres item eiusdem panni caligas*, ac paulò post, *nullus nostro tempore mihi notus factus est Arianus, qui non anteà fuerit Caluinista, vt in Serueto liquet, in Blandrata, Alciato, Francisco Dauide, Gribaldo, Syluano & aliis.* tandemque concludit, *igitur qui timet sibi ne incidat in Arianismum, caueat Caluinismum.* Bernardinus Ochinus, hostis capitalis fuit diuinitatis Christi, vt constat ex eius dialogo de vno Deo, & docet Beza epist. 1. & tamen eum Caluinus tantopere extollit, vt cum eo conferendũ putet neminem.

E. 50. Causarũ in 48.

Quos

Quos Monachos habuit Germania, inquit, *qui vel Doctrina, vel ſanctitate cum Luthero & ſimilibus conferre ſe nimis impudenter audeant? Quos Itali Bernardino Ochino opponent?* an videri quis poteſt cuius Authoris doctrinā reprobauerit, non eundē etiam reprobare & contra? Ad hæc cui ineſt ignorantia etiā vt homini, hunc Deum eſſe non eſt verſimile, ſed ſecundum Caluini doctrinam ineſt Chriſto vt homini, ergo ſecundum Caluini doctrinam illum Deum eſſe non eſt veriſimile. Minoris propoſitionis veritatem ſupra demonſtrauimus. Maior autem tàm perſpicuè vera viſa eſt ſuperioribus ſeculis, vt Neſtoriani non aliam ob cauſam Chriſto diuinitatem ademerint teſte Damaſc. quàm quia rebantur illius ſcientiam ætatis proportione incrementum accepiſſe. Nimirum non capiebant quomodo eius humanitati hypoſtatice vnita eſſe poſſet diuinitas, ſi non ex conſequenti perfectam ei ſcientiam incrementi nullius indigam à principio contuliſſet. Tandem ſi diſcipulum de Magiſtri doctrina interrogare lubet, docebit nos Stancarus ſummus olim Caluiniſta nihil eſſe ꝙ dubitemus Caluini pectus Arianiſmi fuiſſe receptaculum, ſic enim eum alloquitur. *Concluſum eſt ô Caluine, doctrinam tuam de Filio Dei eſſe planè Arianam, à qua reſilias quamprimùm, te oro atque obſecro, atque has hæreſes quàm citius fieri poterit retractes in gloriam Trinitatis, & liberes Chriſti Eccleſiam ab iſtis blaſphemiis, quibus eam contaminaſti. Ne contemnas hanc fraternam admonitionem.* At non retractauit homo peruicax & duræ ceruicis, propter quod iuſto Dei iudicio horrendus illum morbus id eſt pedicularis è medio ſuſtulit, ſicut & Arium eiuſdem erroris defenſorem alius æquè formidabilis. Hunc enim vt ſupra vidimus, de repentè obiiſſe conſtat κατὰ μυὸς ὄλεθρον, id eſt, iuxta muris interitum. Mus enim Aeliano teſte defluentibus ſua ſponte inteſtinis emoritur. Non deſunt Caluiniſtæ alij inquit Mathæus Launoy, qui docent eos non propriè Chriſtum abnegare, qui negant eſſe Filium Dei. Certè ſi ipſum eſſe Dei Filium verè crederent, atque ita Deum, nunquam negarent illum propriè ab iis abnegari qui hoc de illo pronuntiant. Idem in alio loco ſcribit ſe in Anabaptiſtas non paucos incidiſſe, qui ſimiliter Chriſtum nec pro vero Dei aut Dei Filio agnoſcebant.

In lib. de ſcand.

Cap. 7. §. 4.

L. 3. de fid. cap. 22.

In lib. cont. Geneu. & Tigur.

Lib. 12. c. 12.

Lib. 3. falſ. ſuppoſ. c. 5.

De deuotione actu primo interno & elicito primaque nota veræ Religionis.

CAPVT IX.

§. 1. *Deuotio quid sit propriè.*
2. *Actus verus est Religionis.*
3. *In Ecclesia Catholica præclarè enitet.*
4. *Nequaquam in Mahumetana.*
5. *Minus adhuc in Pseudoeuangelica.*

§. 1. DEVOTIONEM à deuouendo dictam tradit S. Thom. 2.2. q. 82. art. 1. & deuotos olim appellatos, qui se Diis offerrent, siue in obsequium vt iis subderentur, siue in mortem pro exercitus sui salute, quemadmodum de Deciis narrat M. Tullius. *Lib. 1. Tusc.* Translatam quoque video hanc vocem ad actum illum significandum, quo se veteres ad aliquid moliendum adstringebant grauissima pœna proposita. Quomodo capitales Pauli hostes. *deuouerunt se dicentes neq; manducaturos neq; bibituros donec occiderēt eum.* Affine est illud eiusdem Cic. *Actor. 23.* ad Quirites. *Precatus à Ioue opt. max. cæterisque Diis immortalibus sum Quirites, eo tempore quo me fortunasque meas pro vestra incolumitate, otio, concordia deuoui, vt si meas rationes vnquam vestræ incolumitati anteposuissem, sempiternam pœnam sustinerem mea voluntate susceptam.* Quin etiam execratio, maledictioq; omnis deuotio dicebatur, qualis Pisonis erat in Caligulā, de quo Suetonius. *Lenis adeò erat & innoxius,* mores describit non adulti sed adolescentis, *vt Pisoni decreta sua rescindenti non prius succensere in animum induxerit, quàm veneficiis & deuotionibus impugnari se comperisset.* Vulgus deuotionem interpretatur asiduum Deo supplicandi studium cum delectatione coniunctum, non quod hoc studium seu frequens oratio verè deuotio sit, sed quod ei coniungatur ac proportionetur, ab eaque pendeat sicut & actus sequentes vt dicam §. 2. Propriè vero definitur ab eodem S. Thoma supra & aliis Theologis, *prompta voluntas aliquid efficiendi ad obsequium, honorem, & cultum Dei.* Quo loco voluntatis nomine ipsam potentiam seu animæ facultatem non intelligimus,

Digitized by Google

gimus, nec habitum bonum à quo inclinamur ad cultum illum exhibendum; sed volitionem seu actum illum voluntatis, qui iteratus talem parit habitum, & quo reipsa voluntas tale quid obire percupit. Ratio est, quia neque voluntas neque huiusmodi habitus præcisè sumptus Deum glorificat sed solus actus: Hic autem ea tantum spectamus, quibus colitur Deus, & glorificatur. Deinde sicut actus vitij vitio ipso est deterior, vt potè qui solus animas interimit, & à Deo atque à bonis illis supernis excludit; sic actus virtutis ipsa virtute siue habitu bono melior censetur, eidem vni merces proponitur iuxta doctrinam communem, nec est ipse propter habitum sed contra; & cum per se nondum comparato habitu magni sit pretij; habitus bonus ex aduerso si otietur, si in actum non prorumpat pennæ struthiocameli similis est, de qua vulgò dicitur, *nihil penna sed vsus*. In hac definitione hæc particula *prompta* indicat deuoti hominis voluntatem ad obsequium illud præstandum valdè inclinari, atq; ita intensionem feruoremque connotat in actu illo deuotionis, seu in volitione ac desiderio talis obsequij, multum quippè propendere solemus ad ea, erga quæ ardenter afficimur, immò hæc ardens affectio ipsa magna propensio est. *D. Thom. 1. 2. q. 71. a. 3.*

Iuuat hic obiter ex his elicere præcipua munia deuotorum hominum, quæ simul totidem coniecturarum loco esse possint, quosnam in tanto mortalium numero qui verã sibi religionem vendicant, verè deuotos æstimare debeamus. *Psal. 118.*

Primum eiusmodi munus est supplere interius hanc promptam voluntatem si quando langueat, per eius desiderium, & Psalmographum imitari dicentem, *concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas.* Nihil dubium quin in præstando Dei obsequio aliqua sæpè sit difficultas, quæ voluntati repræsentata horret infirma voluntas, nec multum inclinatur ad tale obiectum siue obsequium. Quid tunc facit Religionis virtus quando verè animo insidet? mouet eandem voluntatem vt desiderij desiderium concipiat, quod & facile sic mota facit & perutiliter, facilè quidem quia in desiderio promptè seruiendi Deo quod est obiectum reflexi desiderij non apparet vlla per se difficultas, sicut in ipso cultu Dei qui est obiectum primi seu directi desiderij, quo fit vt istud quidem desiderium ægrè, illud facilè eliciatur: Perutiliter

Digitized by Google

tiliter verò quia reflexum eminenter directum continet, estque Deo gratissimum, connotans excellens quoddam studium seruiendi Deo: quemadmodum si quis nec volens nec audens metu supplicij Germanum suum occidere, velle & audere cuperet, argumentum id esset insignis odij & malitiæ intro latentis. Sed quo artificio vti solet Religio, vt ad desiderium illud reflexum impellat voluntatem? Ponit ante oculos considerationem propriæ infirmitatis. Quæ consideratio si rectè fiat, tàm est efficax, vt eam S. Thomas causam credat esse, cur vulgares homines potentioribus deuotione antecellant, & viris fœminæ, sexusque illarum deuotus appelletur. Nimirum sicut hedera infirmitatis suæ naturalis veluti conscia murum ambit cui fortissimè adhærendo fulciatur; Ita quo quis miseriam & indigentiam propriam magis perspectam habet, eo studiosius perfectionem & munimentum aliundè quærit. Melius autem quærere non potest, quàm si præstantissimum Dominum colat; sic quippè eius conditionem participabit, & ab eo iuuabitur. Quia itaque fœminæ & abiectæ sortis homines imperfectum suum acutius vident quàm cæteri, citò concipiunt desiderium promptè seruiendi Deo, atq; ad illum se totos conuertendi, dicuntque, *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, vt oculos nostros dirigamus ad te.* Deuotioni quoque excitandæ conferre plurimum diuinæ clementiæ bonitatisque meditationem testis est Aug. in lib. de orando Deo, atque ex eo liquet, quod nulli seruiatur libentius quàm ei qui bonus videatur, & clemens, & veniam minimè negaturus poscentibus, & à se magna multaque iubeat expectari. Huic benè volũt omnes, huius seruitus certatim expetitur. Hinc tot clientes famuliq; Iulij Cæsaris, quẽ hæc potissimũ virtus orbi cõmendauit, fecitq; vt omniũ penè obsequio dignus haberetur. Ecce autem plus quàm Cæsar hic, Deus inquam noster cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus.

S.Thom. Sup.art.3.

2.paral.20.

Alterum est diuino cultu cætera omnia posteriora ducere, proindeq; ea cum illi officiunt seu illud impediunt abiicere. Da mihi hominẽ qui magno teneatur brauij desiderio, illũ videbis cursui sese accingentẽ, abstinere ab omnib. quæ obstare solẽt pernicitati; sic prout quisq; deuotior fuerit, obstacula diuini cultus à se magis magisq; remouebit. Hinc toties Aeneas pius dicitur, quod

Digitized by Google

quod cum captum esset Ilium, & Achiui prout decebat Græcos homines, captiuorum sortem miserati per præconem edixissent, vt singuli ex liberis ciuibus quod vellent, vnum aliquid secum auferrent, Aeneas cæteris neglectis velut impedimentis Deos Pænates asportabat. Hæc obstacula quinq; sunt præcipua.

Primum, Impiorum contubernium de quo Prou. 13. *amicus stultorum similis efficietur.* Vnde Abrahæ dictũ est Gen. 12. *egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de Domo Patris tui.* Scatebat enim Idololatris. Exo. 34. Seuerè interdicit Dominus cõnubio cũ alienigenis dicens. *Certissimè enim auertent corda vestra vt colatis Deos alienos.* L. 8. Conf. c. 10.

Secundum seculi vanitates de quib. S. Aug. *retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatũ antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant dimittisne nos?* Cõiungo his occupationes seculares, quas plurimũ quoq; latriæ aduersari, satis docuit Apostolus cum de eo verba faciens, qui perfectè Deo viuere cogitat ait. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularib.* quod sic exponit S. Hier. *Militum Christi perfectio est exutam habere mentem à cunctis terrenis negotiis, & tumultu seculi, eamq; in quantum humana imbecillitas sinit festinare vnire cũ Christo.* Simile quid dicere voluit his verbis Cic. *cum sumus necessariis negotiis curisq; vacui, tum auemus aliquid videre, audire & discere, cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad benè beatèque viuendum necessariam ducimus.* 2. Tim. 2. Lib. 1. offic.

Tertium diuitiæ, quæ nisi diuinæ seruituti multum incommodarent, non dixisset Dominus Math. 6. *non potestis Deo seruire & Mammonæ*, non eas cum spinis comparasset præfocantibus semen bonum Luc. 8. Nec secuturo se adolescenti author fuisset, sua vt omnia prius in pauperes erogaret, Math. 19. Nec Crates ille Thebanus expeditè volens Philosophiæ operam dare aurum in mare suum demersisset. Constringitur certè per opulentiam animus sollicitudinum vinculis, vt liberè nequeat in Deum assurgere, ibi negotiũ aliud ex alio seritur, & vt vnda vndæ, sic occupationi succedit occupatio, quæ proindè cũ hydra nõ inscitè comparatur, cuius vno rescisso capite plura renascebantur, confligentique Herculi molestiam non paruam afferebant. Liquet itaq; non posse alicui virtutem hanc perfectè obtingere, cui non vilescunt opes & eiusmodi alia, quique affectum saltem ab iis segregatum non habet. Quandiu enim vel in iis multum credet esse repositum, vel eorum amorem valde in sinu fouebit, multum affici

Digitized by Google

fici erga Dei obsequium tàm parum poterit, quàm difficile est integrè aliquid dare pluribus.

Quartum voluptates corporis tàm inconcessę quàm concessæ vt coniugales. Illis sic deprauatum est cor Salomonis aliàs sapientissimi, vt etiam cum iam senex esset, Deo vero posthabito alienos sequeretur. Has docet Apostolus cum oratione quæ diuini cultus pars est, non satis cohærere. Virgines quoque hortatur, si Deo liberè, perfectè, & sine impedimento seruire velint, ne coniugalibus se pedicis irretiant.

1. Cor. 7.

Quintum & postremum voluntas propria, quæ nisi graue quoque esset obstaculum existimas dicturum fuisse Dominum, *qui non odit animam suam, non potest meus esse discipulus & si quis vult venire post me, abneget semetipsum?* Addamus dignam S. Bernardo sententiam. *Voluntas propria quo furore maiestatem Dei oppugnat, audiant & timeant serui propriæ voluntatis. Primo namque seipsam subtrahit & subducit eius dominatui, cuius tanquam authori seruire debuerat, dum efficitur sua; sed nunquid contenta erit hac iniuria?*

Luc. 14. Math. 19. Bern. ser. 3. de Resur.

Tertium hominis verè deuoti officium est in iis etiam versari, quæ tametsi obligationem non inducant, pertinere tamen ad Dei gloriam cultumque iudicantur. Vnde sacrificia, sacra, oblationes offerebant antè legem viri religiosi, non authoritate legis alicuius determinatæ, sed ex quodam affectu propriæ voluntatis, vt docet S. Thomas. Et constat seruos bonos non ea obire solùm quæ sibi præcepta sunt, sed etiam quæ è re Dominorum suorum fore ratiocinantur, siue quod tunc faciunt reipsa bonum sit aut indifferens, vt cum tres viri fortissimi irruperunt in castra Philistinorum, & hauserunt aquam de cisterna Bethleem, mox vbi Dauid audierunt dicentem, *O si quis mihi daret poculum aquæ de cisterna quæ est in Bethleem iuxta portam,* siue opinione tantùm, vt cum Seruus Pontificis percussit max illam Christi.

2. Reg. 23. Ioan. 18.

Quartum est promissis aut iuramento obligare sese Numini, vt aliis in rebus facere solent, quotquot verentur ne temerè discedant ab eo cui se totos addixerunt, & renuntiare nefas putant. Coniuges certè vt cæteros prætercam, eo ipso quo magno ad inuicem amore propendent de indissolubilib. quibusdã vinculis vltrò cogitant, de consensu inquã & traditione mutua, quã sui iuris esse desinunt, vt in æternum alterius fiant.

Quin-

Digitized by Google

Quintum est promptitudinem illam occurrente occasione testificari, quod fit quando homo in religionis operibus creber est ac strenuus, nihil remisse facit, nihil ad vsurpationem consuetudinis, sed vires suas exerit. Nam & corpora grauia eo ipso quo mundi medium vehementer appetunt, feruntur eò quàm citissimè, & contra, tendendo ad illud citissimè indicant magnam suam eius appetitionem. In leuium vicissim motu sursum aspirantium nulla segnities, sed summa quædam pernicitas, & ad perrumpenda obiecta omnia contentio. Militi sanguinem feruere in præcordiis, & egregium dimicandi animum, cum scire volumus, motum solemus obseruare corporis, & quidem ita esse concludimus, si lacessat hostem, si dum expectatur, ad pugnam proludens auram gladio verberet, si primus irruat, si non cedat, si non hæreat pede pes, si viam vi faciat, si obuios demetat

Quod autem deuotio actibus sit Religionis annumeranda, facilè hoc argumento S. Thomam secuti demonstrare possumus. §. 2. Religio habitus est virtusque moralis qua debitum Deo cultum & honorem exhibemus, eiusque gloriam oratione, adoratione & actu alio quocumque possumus, amplificamus. At deuotio motus est seu actus voluntatis, qui hos omnes præcedit habetque se ad eos per motum communis principij, eosque eminenter complectitur: prius siquidem est vt voluntas exercere illos velit, quàm vt exerceat, & quemcumq; hæc volitio vniuersim in id omne inclinauerit, quod ad Dei gloriam profuturum iudicabitur, is postmodum facilè adducetur, vt oblatis occasionibus hîc & nunc, hoc & illo actu Deum colat, seu quod idem est priuatos illos actus exerceat. Qui si actus Religionis sunt, quanto hic magis omnes vt dixi anteuertens, & implicitè complectens? Erit certè & quidem primus, ac internorum præstantissimus, vt docet Doctor idem Angelicus, & ante illum S. Ambrosius cum ait. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus, quem votis suis Philosophia æquare non potuit. Itaque cuiusmodi in eo fuerit deuotio, consideremus: Ea enim virtus ordine prima est, quæ est fundamentum cæterarum, meritoque hanc ab eo primam exigit Deus dicens exi de terra tua, &c.* Dicam amplius sine deuota feruida & prompta voluntate, illos alios actus nihili aut parui facit Deus; tunc

22. q. 82. 82. Art. 2.

In lib. de Abraham.

enim ſit opus Dei negligenter, atque ita non ſine maledictione Hier. 48. tunc tepeſcit homo, & euomitur ex ore Dei Apocal. 3. Deuotio contrà, etiam ab iis ſeparata magni eſt pretij. Abraham reipſa filium non obtulit in ſacrificium, ſed quia deuotus fuit, id eſt efficacem promptamque habuit offerendi voluntatem, ſic vt per ipſum nullo modo ſteterit, mercedem à Deo magnam accepit Geneſ. 22. Dauid ſimiliter templum Deo non ædificauit, enimuerò quia deuotionem habuit ædificandi, ſeu ingens deſiderium, ore laudatus eſt Dominico 2. Paral. 6. Quid dico magni pretij? immò inſtar eſt actuum cæterorum, vt indicauit priori illi patriarchæ Dominus dicens, *quia feciſti hanc rem, & non peperciſti vnigenito filio tuo propter me, &c.* pepercerat haud dubiè, non peperciſſe tamen reputatus eſt, ſed filium immolaſſe, quia deuotiſſimus fuit, hoc eſt, ad immolandum promptiſsimus. Supplet
Lib. 1. de Beneſ. c. 6. inſuper defectum eiuſmodi actuum, nec id Senecam latuit, ſed impulit vt diceret *In victimis licet optimæ ſint, auroque præfulgeant, non eſt Deorum honos, ſed in pia, ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre & fictili religioſi ſunt.*

§. 2. Oſtenſuri nunc ea excellere Catholicos, percurramus quinq; illa munia, quæ §. 1. Germana illius indicia eſſe docuimus. Primùm erat deſiderium deuotionis ſeu promptæ voluntatis circa Dei cultum. Hoc deſiderium fateor, cum in mente lateat, clarè oſtendi non poteſt ineſſe aliquibus, meritò tamen in Catholicis præſumitur, tùm quia docentur in rebus aliis cum deeſt requiſitus aliquis actus voluntatis, aut non ſatis ſentitur, vel non ſatis perfectè concipitur, ad eius deſiderium recurrere, exempli cauſa ad contritionis deſiderium, quando pœnitens ægrè adducitur, vt de peccatis quæ olim vel temporalem vtilitatem, vel delectationem magnam attulerunt, ſerio doleat: tùm quia verè profitentur & cognoſcunt magnam ſuam imbecillitatem & indigentiã, vt palàm fiet lib. 2. cap. 3. §. 3. ad quam ſubleuandam conſultiſsimum ſit concipere feruentem voluntatem Deo ſeruiendi, &
Pſal. 70. ſic in eius introeundi potentiam vt propheta loquitur, quam idcirco voluntatem citò concipiunt. Agnoſcunt ſimiliter & crebrò ſecum reputant & reputare docentur, quàm ſit bonus iis qui ſibi ſeruiunt, quàm copioſè præueniat eos in benedictionibus dulcedinis, quot perfundat conſolationibus, quàm profuſè remuneret, quantam de illorum ſalute curam gerat, quàm paternè illorum

lorum defectus ſuſtineat, quot mediis inſtiget ad pœnitentiam, quàm facile in gratiam recipiat, quot eis præparet bona. Fit ſanè his cogitationibus, vt in eius amorem cultumq; exardeſcant, nec melius operam ſuã locare ſe poſſe exiſtiment, quàm illius obſequio ſe totos tradendo, quem firma fide credunt ſummè miſericordem ac munificum.

Secundum erat impedimenta omnia diuini famulatus miſſa facere, hoc eſt, impiorum contubernium, mundi vanitates, opes, voluptates, arbitriũ ſeu velle proprium. Atqui ſeriò iubetur quilibet ab impiis recedere, ne ſicut ille qui communicat ſuperbo inudit ſuperbiam, Eccleſ.13. ſic illis ſe affricãs euadat impius, & deuotionis Spiritum ſeu diuini cultus ſtudium ſenſim exuat. Impij ſunt non barbari ſolùm vt Turcæ, ſed etiam Iudæi, & ſi qui è Catholicis corruptiſsimam vitam viuunt, præ omnibus autem Hæretici (quos proinde ſingulariter vitandos monet S. Cyprianus inquiens. *Nulla cum talibus colloquia miſceantur, ſimus ab iis tàm ſeparati, quàm ſunt ab Eccleſia profugi.*) Interdicit Eccleſia Catholica filiis ſuis omnib. ſocietate tàm barbarorũ, maximè quoad cõnubium c. alieni 3. q. 4. quàm Iudæorũ in Conc. 4. Tolet. & Hæreticorũ c. omnis 24. q. 1. & c. quicumq; de Hæret. in 6. vbi etiã prohibet ſub graui pœna Alex. 4. ne ad Eccleſiaſticam ſepulturã admittantur. *Quicumq;*, inquit, *Hæreticos ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſtica tradere ſepulturæ, vſq; ad ſatiſfactionẽ idoneã excõmunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere, nec abſolutionis beneficiũ mereãtur, niſi propriis manib. publicè extumulent, & proiiciant huiuſmodi corpora damnatorũ.* Quantũ eos vult dum adhuc viuunt & venena ſpirant euitari, cũ etiã mortuos vult à ſua prole ſecerni, & in ſterquiliniũ deportari? Scio Catholicos nõnullos his decretis morẽ non gerere, ſed id nõ moror, ſatis eſt quod oſtenderim Eccleſiã, cuius ſunt mẽbra, & cui obedire profitentur, conſortium illud prohibere, vt in ea conſtet deuotioni quoad hoc primum punctũ, rectè conſuli, ſufficit maiorem partem iis obtemperare, ſufficit deniq; omnes profiteri iis parere, ſicut & Eccleſiæ. Quod quidem ſemel pro ſemper albo vt aiunt, lapillo notare expediet, ne id in ſimilibus iterare ſit opus. L. 1. epiſt. 3.

Omnes vt ſeipſos mundi nugamentis ſubtrahere velle oſtendant, ab ipſo ſacro fonte abrenuntiant mundo, & Diabolo ac pompis eius; frequenter terunt manibus libellos, qui has vanitates ex inſtituto inſectantur, vt qui inſcribuntur, *de quatuor nouiſſi-*

pauperculis debita remittere, loca pia ædificare, dotare, exornare vt dicere possint, *Domine dilexi decorem domus tuæ*, inopes virgines ad matrimonium prouehere, inopum adolescentium studia suis sumptibus sustinere. Clerici qui regulares non sunt, iubentur postquam ex præbendis suis statui vitæque propriæ honestè prospexerint, quicquid superfuerit erogare in subsidia pauperum aliaq; id genus pia opera. Regulares autem nihil prorsus ne teruntium quidem possidere vt proprium, cui renuntiandum putauerunt. tit. de Regular. *Psal. 25.*

Illicitas omnes carnis voluptates, distinctas scilicet à coniugalibus, vt quibus fornicarij, quibus adulteri sese proluunt, nemo non damnat de sua professione interrogatus, nemo non erubescit. Quod ad coniugales, admonentur coniuges, vt quando vel impensius orandum est, aut communicandum illas ad tempus suspendant iuxta præscriptum Apostoli 1. Cor. 7. Quoniam autem impense semper orandum est, nec tamen id fieri lex finit coniugij, sapienter institutum, vt à cœlibibus Clericis vltrò cœlibatum amplectentibus defectus hic plebis suppleretur, & pro ea iuges ad Deum preces offerrentur, vtque cœlibatus illius sui inprimis memores oculorum lasciuiam, & alia quæque in eo genere vel minima sibi fugienda existiment, quo puriores ad Deum leuent manus dicente August. *ne dicatis vos animos habere pudicos si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius.* *33. q. 4. c. 2.* *Conc. Trid. S. 24. c. 8. & S. 25. c. 14.* *Lib. de fid. Christ.*

Voluntatem propriam frangere ac subigere quàm sit eis familiare, ex præclara illorum obedientia constabit, de qua lib. 2. cap. 4. §. 3.

Tertium deuotionis munus atque indicium erat iusiurandum seu promissio spontanea seruiendi Deo. Hac autem obstringunt sese omnes quando baptismate initiantur, quando interrogati, *abrenuntias Diabolo, abrenuntias mundo?* per susceptores suos interpositos respondent abrenuntio. Quod enim Diabolo, & mundo capitalibus Christi hostibus renuntiare sit Christo seu Deo sese obstringere, ex eo liquet, quod contrariorum contraria sit consequentia, & quod res ipsæ inanimatæ à loco vno recedentes exempli causa à supero, ex consequenti tendant ad oppositum seu inferum. Deinde notandæ circumstantiæ sunt. Non

V sic

fit vbicumque publica hæc Dæmonis abrenuntiatio, sed in Domo Christi, & eo tempore quo in eius nomine Baptismus suscipitur, vt detur intelligi illius detestationem, huius esse electionem. Quod rursus responsio illa promissionis vim habeat, testatur his verbis Ambros. *Quando te Leuita interrogauit, abrenuntias Diabolo, & operibus eius? quid respondisti? abrenuntio.* & infra, *memor, esto sermonis tui & nunquam tibi excidat tua series cautionis*, ac paulo post, *vbi promiseris considera.*

Lib. 1. de Sacr. c. 2.

Quartum erat obsequiorum etiam illorum exhibitio, quæ præcepta non sunt, cuius si apud Catholicos vsus non esset maximus, nunquam qui Catholici non sunt, supererogationis opera tanto in eis furore insectarentur. Insectantur autem, quia cum hæresis illorum mentibus impresserit, illicitum esse ac superstitiosum, quidquid in Dei cultum dirigitur, à Deo tamen non legitur imperatum, tanto eos superstitiosiores esse clamant, quanto eiusmodi operibus atque obsequiis addictiores esse conspiciunt. Alios vident vniuersa approbante Ecclesia, bonis se suis omnibus propter Christum abdicare, peregrinationes longas suscipere, quosdam in crebris se ieiuniis sponte exercere, nonnullos vitam totam virginitati consecrare, &c.

Quintum in iis quæ Dei sunt obeundis alacritas & fortitudo, quam apud Catholicos ex tribus alioqui difficillimis coniectare atque in cæteris præsumere poteris. Age nunquid perarduum non est peccata quæ in mente latent etiam grauissima atque ex se turpissima nescienti prodere? bonis se suis omnibus exuere, Christi Euangelium apud gentes natione barbaras, efferatissimas, agrestissimas, circũferre, procul relicto natali ac dulcissimo solo, relictis parentibus & notis, omnique spe rescissa eos vlterius in hac reuisendi? Et tamen non solum ista faciunt ex iis quamplurimi, sed animi etiam ardore tanto, vt iis qui nec antea viderunt nec experti sunt admirationem magnam afferant. Certant inter se in festis solennioribus quis priùs peccatorum suorum exomologesim apud sacerdotem faciat, quem hac pietate sua interdum adeò premunt, vt ne quidem ei per otium liceat longissimum ieiunium soluere. Item vt opes suas abiiciant, vt sibi ad nuptias viam præcludant, vt alterius se arbitrio regendos præbeant, ad regulare institutum procurrunt tanta animi

Digitized by Google

nimi contentione, tanto feruore Spiritus, vt neque Patrum minis dissuaderi, neque matrum blandimentis reuocari nec promissionibus vllis frangi flectique possint. Item diuini cultus apud barbaros illos populos plantandi ac propagandi gratia, abstrahunt se fortissimè ab affinibus, ab iis quibuscum prius omnes sibi necessitudines fuerunt, à deliciis omnibus temporalibus quibus apud suos frui poterant, & caput suum mille mortis periculis obiicere non reformidant.

In Mahumetanis contrà, nihil horum cernitur, propter quod scilicet à deuotione laudari possint aut debeant. Singula ordine percurramus. §. 4.

Primò de Deo pessimè sentiunt vt demonstratum est cap. 5. §. 3. non ergo videri possunt habere promptam ei seruiendi voluntatem aut eiusmodi voluntatis desiderium. Tument item supra modum opinione sui, vt constabit ex lib. 2. cap. 3. §. 4. atque ita verisimile non est, multum eos ambire hanc seruitutem, si quidem ab iis tantum ambiri solet, qui magnæ suæ imbecillitati cuius sibi conscij sunt, à præpotente Domino auxilium quærunt.

Secundò à se non remouent, sed magis prosequuntur ea, quæ studio seruiendi Deo valdè officiunt, videlicet cultus peregrinos iudicio suo superstitiosos, seculares nugas, ardens lucri studium, voluptates, arbitrium proprium. Extranearum Religionum Professores lege sua nulla arcere iubentur, sed in terris suis vltrò tolerant, modò tributis satisfaciant: Immò ad se inuitant eos qui Alcoranum angue peius oderunt, modo vtiles sibi fore sentiant, adeò iis lucri bonus odor est ex re qualibet. Inuitauit Solymannus & suscepit gaudens centum illa Iudæorum millia, quæ solum vertere, & regno suo excedere iusserat Emanuel Portugalliæ Rex, vt narrat Boterus. Qui inter eos Religiosi habētur, & maximè videri possunt à nugis abstracti, professione nugacissimi sunt. Imaileros intelligo amatoriis næniis vsq; eo deditos, vt ob id amoris fratres vulgò à Turcis appellentur, atq; vt scribit Ant. Mænaulnus foros circumeant, palàm tripudient, argenteis cymbalis ad suram succincti sese agitent, atque ita clangore quem edunt suauissimum oblectent vacantes otio. Iidem cæsariem nutriunt nitidam, per humeros crispantem, in qua curanda plus operæ, quàm in aliis quibusque negotiis ponunt, eamque

Lib. 8. polit. cap. 6.

Lib. 2. de Rel. Turc. cap. 10.

Digitized by Google

quo magis reſplendeat, reſina & pilis ex quib. tela texitur quam vndulatam vocant, conglutinant. De Religioſis aliis nomine Deruiſeris ſic loquitur, *aures habent perforatas iiſque annulos inſerunt*

Cap. 12.

pretioſis gemmis inſignes, choreas ducunt, &c. Populus vniuerſus vt minimùm abſtrahatur à mundanis occupationibus, quibus deditiſsimus eſt, vnicum ſingulis hebdomadis feſtum colit, ſextam inquam feriam, idque non ita, quin orationis elapſo tempore per Alcorani leges cuique liceat in labores & artes cuiuſque generis incumbere Chriſt. Richerio teſte. Quid de Cadi Leskeris

Lib. 2. de mor. Turc.

& Cadiis ſacerdotibus eorum præcipuis dicam? Hos maxime oportebat non intricari occupationib. temporalibus: & tamen hi ipſi ſunt qui iura dicunt, & ciuiles tractant cauſas ex Lonicero. Inferiores autem ſacrifici *mercantur*, inquit Reginaldus, *iumenta curant, agros colunt, vites conſerunt, meſſem colligunt, arant, fodiunt, aliaq; id genus mechanica ſtudia conſectantur.* Mahumetanorum nemo

L. 2. eiuſd. argum. l. 2. Calu. c. 15.

propter Deum opes ſuas etiam modicas abieciſſe legitur. Niſi fortè excipiendum putes Amurathem illum Imperatorem Turcicum, qui valdè in Aſia Europaque Ottomannicum imperium amplificauit, & memorabili prælio Varnenſi ad tres dies continuato & Vladiſlai Hungariæ, Poloniæque Regis morte nobilitato præfuit: Hic enim quo Religioſam vitam duceret regno ſe ſuo exuit. Ita eſt, ſed cum breui poſt, opes dignitatemque illam ſuam repetierit, cum ſolus hoc ſpecimen pietatis dederit, cum ab Alcorano morem hunc non didicerit, cauſam illorum nihil aut parum iuuat. Ipſius vim legis præcipuè inſpicimus, & inſpicere debemus: Lex autem illa id non conſulit, quin potius opes quomodocumque augere etiam rapinis & direptionibus mandat. Venereis voluptatibus ſi qui mortalium maximè tenentur

In Az. c. 32. & 57.

obſtricti. Vbi primùm ſunt matura ætate & procreandis liberis idonei, coguntur ac iubentur primo legis ſuæ præcepto nubere vt ſcribit Cuſpinianus, niſi malint eſſe Religioſi, quales ſi velint eſſe, libere tunc omni ſe Venere proluunt, Imaileri ſaltem ac Deruiſeri de quorum primis ſic ſcribit Mænauinus ſupra. *Hi ſunt qui tàm mulierum, quàm Adoleſcentum pudicitia inſidiantur, voluptatibus dediti per quoſuis vrbes & regiones pro ſuo libito hinc inde vagãtur.* De ſecundis vero. *Vnuſquiſque cultello vel brachiis vel cruribus picturas inſignes ramorum, vel cordis imprimit, ſimulque ait, cutem incido mihi in gratiam mu-*

lieris

liberis quam amo. Quanquam ipſa quoque coniugia eiuſmodi ſunt in tota illa ſecta, vt omninò ſufficiant, ne ſerio intendere & curare animus poſsit quæ Dei ſunt. Tot ducunt vxores, quot volunt, & poſſunt alere, iuxta Azoaram decimam. Atqui vel vnicam impedimenta magna ſequuntur: Iuxta tertiam verò aſſumunt ſibi præter eas, quotquot libuerit ſeruas ſeu emptitias in eundem vſum. Qua ratione facilè fit, vt quo modico ſpatio de Deo cogitare Patri familias per vxorem vel ſeruam vnam licet, per aliam non liceat, curis præſertim totius rei familiaris turmatim concurrentibus, & in eum ſolum recumbentibus. Neque enim apud illos fœminæ vllius etiam domeſticæ rei curam gerunt. Voluntatem propriam ita deponere, vt in tota vitæ ratione ab aliena pendeat, apud eoſdem prorſus eſt inſolitum. Vndè nec Religioſi ipſi ſimul habitant ſub Antiſtite vno cui morem gerant, ſed ſcopæ ſunt diſſolutæ, oberrantes per capita omnium platearum, facit quilibet quod ſibi videtur, adinuentiones cordis ſui ſequitur. Excipit Deruiſeros Philipp. Lonicerus loco citato, ſed ſimul addit, quod ſuperiori ſuo cui nomē *Aſambaſſa* imperfectè tantum parent, eo modo quo Patrifamilias domeſtici, non de interna moderatione voluntatis, ſed de externo tantum opere ſolliciti.

Tertiò iuxta Alcoranum opera nulla ſpontanea ad colendum Deum accommodata ſuſcipere poſſunt aut debent: In eo quippè nulla talia commendantur: In Azoara autem 60. ſic Deus loquens inducitur. *Tantum Alcoranum iſtum illis explana, vt ſic timentes dirigas.* Aut ergo faciunt præter Alcoranum Deique voluntatem, aut ab omnibus eiuſmodi operibus abſtinent. Habent fateor votiuas quaſdam oblationes, vt infra dicemus, ac proindè ſpontaneas, ſed dum illas offerunt, ab Alcorani illius ſui legibus recedunt. Deinde quam plurima alia ſunt huius generis, quæ ab illis prætermittuntur omnibus, à multis interim capeſſerentur, ſi vigeret inter eos inflammata ac prona voluntas colendi Deum. Exempli gratia continentia, ſolitudo, abdicatio rerum temporalium, aſsidua diuinæ bonitatis ſpiritualiumque rerum meditatio, &c. *Cap.16.§.4.*

Quartò ad firmandam in Dei obſequio voluntatem nullis ſe promiſsionibus obligant, ſilet eiuſmodi omnes liber Alcorani. Sed neque vllam earum mentionem faciunt, velut apud eos

in more positatum, qui res Turcicas scripto ad posteros transmiserunt.

Quintò, multa eaque ardua faciunt in prætenta religione sua accuratissimè, sed quæ non idcircò verâ in iis deuotionem arguunt: Veræ argumentum accuratio illa sola est, ad quam nec impellit metus pœnæ aut mulctæ alicuius, nec emolumenti magni spes, nec aliud simile, qui interim duo vectes vbique illorum animos ad ardua complectenda mouent ac regunt. Consistunt in Meschitis diu. Nihil mirum, mulctantur quoties sistere se templo negligunt, obseruantur item à Censoribus, vt scribit Postellus & alij. Ieiunant non infrequenter, sed vt inaniores accedant ad comessationem, & pergræcationem, quæ in totas sequentes noctes extenduntur, vt docebit lib. 2. c. 5. §. 4. Peregrinationes Constantinopoli ad Mecham & Medinam inter grauissimos æstus, & grassantium incursiones Arabum, non pauciorum quàm 50. circiter dierum spatio instituunt; Sed cum vbi redierint eo nomine magni fiant, sancti habeantur, ad complures prærogatiuas cæteris inconcessas admittantur, præpingues eleemosynas à vulgo accipiant, vt alibi dicam, magna præsumptio est peregrinari eos, instigante lucri vel auræ popularis studio potiùs, quàm religionis.

§. 5. Simillima de sectariis Europæis dicenda occurrunt, destituuntur verè his quinque deuotionis indiciis ac speciminibus.

Primò iuxta dogmata sua & haustam doctrinã à suis primipilis, odiosissimè de Deo loquuntur ac sentiunt, vti iam euici supra cap. 5. §. 4. fontem illum faciunt malorum omnium, quæ sub sole geruntur, iniustum, immitem, hostem humani generis, &c. quo stante principio mox intelligunt, nec amore dignum esse nec obsequio, tantum abest, vt ad colendum ipsum procliues videri possint, aut debeant. Nisi fortè respondeant, Deo quidem nihil inesse clementiæ ac bonitatis respectu reproborum, quos creauit vt æternas pœnas luerent, secus ratione sui & aliorum prædestinatorum, quos sine vllis eorum meritis consortes facere decreuit regni cœlestis. Verum hoc responso principium petent, supponentes de numero se esse prædestinatorum, cum interim nihil magis inexploratum. Deinde quis eorum securus sit apud illum, quem erga innocentes illos fateri coguntur

tur

tur iniquum & serum? An maius aliquid polliceri sibi possunt, quàm propter fidem propriam, vel parentum suorum, in albo se esse innocentium, & tamen miseros illos verè innocentes destinare dicitur æternis suppliciis. Nihil damni acceperat populus, *Exod. 20.*
cum legē ei daret Dominus è monte Sina; nihilominus cum voces audiret sonitumq; buccinæ, cum montē cerneret fumigantem, sibi ipsi timere cœpit stanti ad radicem montis, dixitq;, *non loquatur nobis Dominus ne fortè moriamur.* quid dixisset ac fecisset, si ingentem hominum multitudinem, culpa vacuam vidisset à furente Deo internecione deletam? quanto ipse metu perculsus exhorruisset? quis se tutū credat, si ebriū videat, vel aliū mēte captū in sapientes etiā & bonos impetum facere? quis talē arbitretur minimo dignū obsequio? quis teneatur ei seruiendi desiderio?

Secundò nihil eorum à se remouere aut moderari curant, quæ inimica sunt religioni. Peregrinas quasque sectas secum habitare sustinent, quandiu periculum nullum subesse credunt ne ab iis libertate priuentur, aut quoad temporalia subigantur; vel si non sustinent, saltem debent sustinere secundum sua pronuntiata. Cur enim non sustineant, nisi quia metuendum est, ne prauo illorum consortio inficiantur, & à vera fide atque religione abstrahantur? Atqui profitentur tàm se tutos esse, vt abstrahi nullo modo possint, abutunturque in hunc finem verbis illis Euangelicis, *non rapiet eas quisquam de manu mea.* Seculi vanitates *Io. 10.*
non oderunt, sed studiosè consectantur ipsi etiam Prædicantes, aliàs cur adeò consectarentur institutum Regularium, iis sese eripientium, atque in montem illum recipientium, in quo Dominus videt & videtur? Ait namque *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Sed quid? *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Rosæ sunt cuilibet nugæ illæ nugarum inter quas versatur, garrire quidlibet, effutire quidquid in buccam venit, inter media pocula hodie Romanum Pontificem, cras loci Episcopum, modò hunc modò illum sacerdotem atramento inficere maledicentiæ, mendacia vt nuces spargere, in popinis cachinnari, admiscere amatoria, odore fragrare, pasci laudibus, in veste, in cincinnis, & barba comptulum apparere, dicendique peritum huc atque illuc discurrere, mulieris illius more, quæ in *Prou. 7.*
prouerbiis *preparatur ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens*

Osee. 2.
Psal. 91.

patiens, nec valens in domo consistere pedibus suit. Vix Sol in cœlo magis est conspicuus, quam in talibus hæ nugacitatis fascinationes, potiusque alaudam sine crista videas, quàm illos sine his scurrilitatibus, quas deuotioni constat mentique collectæ plurimum aduersari. Quoniam rursus seculi mancipia sunt, atque ita periisse putant, quidquid cultui Dii, quem mundus odit tribuitur, Sacramentarij vnicum in hebdomade festum more Turcico habere solent, ne multitudine huic multum, illi parum seruiant. Vt propterea illi quidem circulo simillimi sint, Dei autem cultus plano, seu rectæ lineæ. Quænam verò est circuli ad planum habitudo? Tangit illud minimo sui, id est, in puncto ex Euclide: Ita Nouatores perexiguo temporis spatio cultum illum attingunt, illum vt curuitas discrepantem à se rectitudinem refugiunt. Non sic cum Aulicis agitur, quibus promptissima mens est ad præstandum Regi famulatum. Hos videas lege etiam nulla adactos magnam temporis partem, meliores item horas occupationibus suis domesticis subtrahere, vt illas Regiæ tribuant Maiestati, & stent coram illa semper ad omnia Mercurio ipso paratiores.

Lib. 3. propos. 16.

Exuere se Dominio rerum suarum propter liberiorem & accuratiorem Dei seruitutem, tàm est illis infrequens, vt nec vni quidem hucusque contigerit, clarum contra est æmulari omnes naturam ignis nunquam dicentis sufficit, coniungere quoad licet domum ad domum vt Propheta loquitur, & agrum agro copulare vsque ad terminum loci, vt si fieri posSit habitent soli in medio terræ. Ita est profecto lector, & manebit testificatum posteris, etiam rumpantur isti vitilitigatores, neque Deum reuera curantes, neque veritate conuicti pudescentes. Adhæc vt hæc veritas magis adhuc eniteat, ridentur ab illis tanquam phrenetici, maximè autem à Caluino, qui huiusmodi rerum omnium abdicationem Deo probari arbitrantur. Sic feris vnguenta putent; & ab ignaris reprobantur acutæ illæ ac per elegantes loquendi formulæ, quæ à Græcis ὀξύμωρα nuncupantur. Multum itaque absunt ab eo, vt aliquando simile quid aggrediantur.

Isa. 5.

Instit. contra liber. c. 21.

Sequitur fuga detestatioq; voluptatum quas quomodo videri possunt procul repellere, qui acerrimi hostes sunt Virginitatis, qui cœlibatum sic abominantur, vt quamprimum vox ista auditur

Digitized by Google

auditur, aures excutiant, nec eam minus auerſentur, quàm ſerpentes florentem vineam? Omnes generationi incumbunt. Ne decrepitæ quidem ætati ſuæ vxorios amplexus deeſſe Beza eſt paſſus. Septuagenarius duxit vxorem. Illorum fides eſt, quæ vt quondam Aetiana coeundi pronitatem χρεῖαν; id eſt, neceſsitatem appellat, & gignendis liberis operam dare opus operum eſſe tantum non pronuntiat. Quo fit vt experientia teſte apud illos eueniat, quod ætati ſuæ metuebat Auguſtinus cum dicebat, *tanta eſt peruerſitas humani generis, vt verendum ſit ne caſtus erubeſcat inter impudicos.* Atque vtinam continerent ſe ſaltem inter caſti metas coniugij. At notum eſt lippis & tonſoribus, quàm leui negotio violetur apud illos fides coniugalis, matrimonia etiam conſummata quoad vinculum diſſoluantur, accerſatur ancilla ſi detrectet vxor, Mollitiei peccatum tametſi contra naturam, & fornicatio ſoluti cum ſoluta liberè conſentiente, nec ſub parentis exiſtente poteſtate, religionem authoribus ſuis nullam moueant, nullique ſint adnimaduerſioni obnoxia. An non mores iſti ſunt voluptuoſiſsimorum hominum de continentia deuotionis cognata ne per ſomnium quidem cogitantium? Propriæ voluntatis niſi ſerui eſſent & mancipia, niſi eam vt Deam colerent, niſi exoſcularentur vt vnigenitam, multo magis factos ſe probarent ad obedientiam, ad gerendum morem Deo & iis, quos ſibi Deus in terris ſurrogauit. Huiuſmodi quippè voluntati è diametro repugnat obedientia, & quantum quis vnam odio habet, tantum alteram diligit, quantum illam ſuſtinet, tantum hanc contemnit. Iam verò docebit nos 5. vltimus cap. 4. lib. 2. funditus illos obedientiam tollere, atque adeò niti principiis ſeu axiomatis, ſecundum quæ nec diuinis nec humanis legibus obſequi poſsint ac debeant.

Lib. de decem chord. cap. 9.

Tertiò omnia ſupererogationis opera circa Dei cultum damnant, nullum approbantes aut recipientes, niſi quod contineatur Dei verbo & præceptum ſit, vt aliàs videbimus.

Quartò rident ſimiliter ac deteſtantur promiſsiones & vota ſpontanea, quibus quaſi vinculis piæ mentes ſeſe ad cultum illum alligant, quominus ab eo recedant.

Quod deniq; ad feruorē circa Dei cultū, nullū prolaturi ſunt religionis actū, cui ſeſe impensè dare ſoleant, graui aliqua diffi-

cultate quæ illi admixta sit, superata; & tamen eiusmodi actum quærimus, vt modus in eo versandi deuotionis seu feruidæ voluntatis posit esse augurium. Vt inter spinas liliũ, inter ardentes prunas aurum verum, sic inter solas res arduas mentis sese ardor aperit. Currunt illi feruenter satis immò nimis ad excipienda auribus quæ dicturi sunt Prædicantes, sed quæ ibi arduitas, immò quæ non mundana consolatio, cum nihil audire soleant quàm in ludibrium sacerdotum aut Monachorum aut Romanorum Pontificum lepidè confictas fabulas, aut quod libertatis carnis posit esse patrocinium, & ostendat nec pœnitentiam esse necessariam, nec bona opera? Sistunt se alacriter fanis suis profanissimis, sed in quibus ipsa cantus mollities, quem semper resonant ora fœminarum, molestias ac tædium si quod esset, amolitur.

De oratione actu 2. interno & elicito nota item 2. veræ Religionis.

CAPVT X.

§. 1. *Oratio quid sit, & quæ præstantissima omnium.*
2. *Adducuntur eius conditiones seu qualitates.*
3. *Actus Religionis esse ostenditur*
4. *Et à Catholicis insigniter cum omnibus eiusmodi conditionibus vsurpari.*
5. *Non à Mahumetanis.*
6. *Minimè omnium à sectariis.*

§. 1. VAGVM est orationis nomen, & ad res varias transfertur. Ac primò, quia desiderare quoddam est orationis principium, Orando quippè ea tantum impetrare satagimus quæ appetimus, fit interdum, vt hæc duo pro synonymis habeantur, vt apud Augustinum dicentem, *quid est oratio nisi inquisitio supernorum, inuisibilium desiderium?* Et alio in loco, *si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare.* Quia rursus coniunctio cum Deo, & mentis illuminatio orationis effectus

Serm. 230. de temp.
In Psal. 37.

Digitized by Google

fectus ſunt, vt inſinuarunt quondam ſtupendi illi radij, qui ex vultu Moyſis poſt ſermocinationem cum Deo emicabant, nonnunquam per tales effectus deſcribitur, vt à Bernardo. *Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam piaque allocutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo quandiu licet.* Propius ad ſcopum acceſsit, immò attigit S. Baſilius, cum eam definiuit, *boni alicuius petitionē, quæ ad Deum à piis effunditur,* vndè & dicta videtur oratio quaſi oris ratio, q̀ ſit ore expreſſa rationabilis petitio. Nō quod ore illam exprimere neceſſe ſit, ſola ſiquidē mente licet dicente Apoſtolo. *orabo Spiritu orabo & mente,* ſed quod ita plerumque fiat. Similem definitionem adducit S. Thomas & alij. Adhæc, quia par eſt poſtulationis comitem eſſe actionem gratiarum, vt conſtabit ex ſeq. §. orationis vox huic actioni aliquando tribuitur, & ſic Math. 18. ex duobus illis hominibus qui in templum aſcenderunt vt orarēt, vnus gratias duntaxat egiſſe legitur. Quia ſimiliter benedictionis rerum tanta eſt cum oratione conſenſio, vt Caluinus eam nihil aliud quàm ſpecialem orationem velit eſſe, qua ſcilicet aliis precamur, ſortitur & ipſa quandoque orationis nomen, quo ſenſu ſcriptum eſt, *vnus orans & vnus maledicens cuius vocem exaudiet Deus?* an non hic oratio maledictioni opponitur? quid autem opponitur præter benedictionem? Porrò omnium præſtantiſsima oratio illa eſt quæ dominica ſeu Dominicalis dicitur, non ſolum quia deſideranda omnia continet, ac conuenientem eorum ordinem demonſtrat, & affectus omnes informat, vt notat S. Thomas, & ante illum S. Auguſt. epiſt. 121. vbi ait. *quantum libet alia verba dicamus, nihil aliud dicimus, quàm quod in iſta Dominica oratione poſitum eſt, ſi rectè & congruenter oramus.* & infra. *Si per omnia precationū ſanctarum verba diſcurras, quantum exiſtimo nihil inuenies, quod non iſta Dominica contineat, & concludat oratio.* Sed multò magis, quia illam Dominus immediatè ac per ſe condidit. Quis autem ignorat quæcumque immediatè à Deo prodierunt vt parentem primum, vt voluptatis paradiſum, vt infuſam Salomoni ſapientiam, inditum Samſoni robur, aut paralytico qui in humeros tollere ſolus potuit totum grabatum ſuum & ambulare, vt vinum quod in Cana Galilææ ex aqua factum legitur, longè antecellere cæteris eiuſdem generis?

In epiſt. ad frat. de mont. Dei
Homil. 5. de Variis.
1. Cor. 14.
2. 2. q. 38. art. 1.
In cap. 14. Marc.
Eccleſ. 34.
2. 2. q. 38. art. 9.

Digitized by Google

§. 2 Proferamus iam præcipuas orationis qualitates siue conditiones, quæ adhiberi debent vt grata sit Deo, vt efficax, vt perfecta, Græcorumque imitetur exercitum de quo Virgilius

Et iam Argiua phalanx instructis nauibus ibat.

Prima est humilitas in diuinis eloquiis decantatissima. Iudith 9. *Superbi ab initio non placuerunt tibi; sed humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio.* Eccles. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet donec Altißimus aspiciat,* Iacob 4. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Quocirca Helias Deum adumbrans priores duos quinquagenarios, à quibus descendere superbe iubebatur, euocato de cœlo igne consumpsit; tertium autem humiliter sese demittentem dimisit illæsum atque innoxium, fecitq; voti compotem 4. Reg. 1.

Altera est mentis puritas, quippè casta placent superis, iuxta tritam vetustatis ore sententiam, cui ob id fuerunt lustrationes plurimæ, de quibus Rosinus, Alexander ab Alexandro, & alij. Quorsum, putas, non respexit Dominus ad munera Cain, nisi quia non respexit ad ipsum Cain scelestum, impurum, odij fraterni scelere inquinatum? Scriptum est, *cum multiplicaueritis orationem non exaudiam*, causa mox additur, *quia manus vestræ plenæ sunt sanguine*, & rursus, *peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.* ait item Psalmorũ author, *iniquitatẽ si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Nimirũ cum simile simili gaudeat, & pares cum paribus facilè congrediantur, non satis mens capit, quomodo adduci posSit Deus ad miscendum cum impuris colloquium. Sicut *oratio iusti clauis est cœli*, inquit S. Chrysostomus, *ascendit precatio & descendit Dei miseratio; licet alta sit terra altum cœlum, audit tamen hominũ linguam si mundam habet conscientiam,* sic in more habet aures claudere ne iniqui atq; impuri hominis vocem audiat. At nunquid non exauditus est Publicanus alienorum bonorum expilator Math. 18. & helluones illi qui spreta cœli ambrosia carnes in deserto petiuerunt? Ita est. Verùm ille si impius erat cum orare cœpit, quod adhuc vocatur in dubium, appetebat saltem sanus fieri, iam deposuerat peccandi affectum, & sic inchoatam habebat innocentiã. Vulgò dicitur sanitatis desideriũ sanitatis est principiũ. Non detestatur Deus peccatoris cuiusque

Genes. 4. Isa. 1. & 59. Psal. 65. Comment. in Math.

iuſque preces, ſed eius in quo perſeuerat affectus ille improbus vt te docebit S. Thomas. Helluonum illorum vox non tam oratio fuit, quàm exacerbatio & contumelia, quæ diuinam accerſiuit iram, vt in pœnam & noxiè impetrarent, quod arroganter inepteque petiuerant. Nec tamen iſta mouere quẽquam debent, vt exiſtimet fruſtra ſe interpoſitis Eccleſiæ Miniſtris ſæpè deprauatis preces ad Deum fundere, quaſi horum vitio futurum ſit, vt quod à Deo expectat, minimè aſſequatur. Nam cum iuxta dictamen rectæ rationis, vnius odio prægrauari alter non debeat: qui autem praui Miniſtri opera vtitur ad offerendas Deo preces, conſcius non ſit illius qua hic ſcatet iniuſtitiæ, idemq; Miniſter non ſuo, ſed illius nomine ad precandum accedat, eiuſmodi preces irritas eſſe nefas eſt ſuſpicari. 2.2.q.83. art. 16.

Tertia eſt fides, quæ perſuadeat Deum facere poſſe quod petimus, iuxta illud, *creditis quia hoc poſſum facere vobis?* ac reipſa pro ſua bonitate atque munificentia effecturum cooperantib. nobis, ſi ſaluti noſtræ oportunius fore perſpexerit, vel ſi ſecus, aliquid aliud æquè bonum, aut etiã melius largiturum B. Petri exemplo qui auro argentoque negato integram ſanitatem claudo contulit omni auro potiorem. Meminit conditionis huius Apoſtolus dicens, *accedentem ad Deum credere oportet, quia inquirentibus ſe remunerator ſit.* Meminit & S. Iacob. cum ait, *poſtulet in fide nihil hæſitans.* Dixi cooperantibus nobis, quia haud dubiè cooperationem ſubinde noſtram, quæ conſiſtit in vſu naturalium, communiumque mediorum, quando ad manum ſunt, exigit Deus, & tentatores reputat, qui eam conferre prætermittunt, qualis ne deprehenderetur Moyſes, voluit vt orante ſe in montis vertice, in campo Ioſue pugnaret contra Amalechitas. Præclarè & eleganter S. Auguſt. *qui fecit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.* Et Plutarchus in Laconicis ſcribit familiare Laconibus fuiſſe prouerbium inuocandam fortunam exporrectis manibus, vt quemlibet admonerent, ne Deo ſupplicans negligeret, quam conferre poſſet operam. Math. 9. Actor. 3. Hebr. 11. Iac. 1. Serm. 15. de Verb. Apoſt.

Quarta eſt attentio, ſine qua diuinam Maieſtatem inter orandum contumelia potius, quàm honore afficimus vt demonſtrat S. Thom. ſupra, aut certè honore duntaxat vmbratili, de quo expoſtulans ait, *appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me;* Arti. 13. Iſa. 29.

cor autem eius longè est à me. Addit S. Chrys. homil. 1. in illud Isa. *Vidi Dominum quomodo sustinebis istius contemptus pœnam, quis te liberabit ab hac vindicta?* Apud ipsos Romanorum Pontifices vsu receptum fuisse legimus, adsciscere sibi commonitorem, qui sacrificantibus suggereret, *hoc age*, quasi diceret attende tibi, quid agas cogita, quo in loco verfere considera. Est autem oratio species quædam sacrificij. Hic iam attentionis genus siue speciem non definio, vtrum ad Deum ipsum esse debeat, an ad verba, aut sensum verborum. Sufficit ex his quælibet, eo ipso quo mentem retinet supplicantis, ne ad rem aliquam voluntariè conuertatur cogitationi de Deo repugnantem.

In Laelio Quinta est prudentia, qua nihil Deo indignum postulemus. Nam si humanæ ipsius amicitiæ prima lex est iuxta M. Tullium, vt non rogemus res turpes. Si lege ciuili cauetur, ne quis vel damnosa fisco postulet, vel iuri contraria. Si poëtæ sagaces Themidem finxerunt Ioui assidentem, & supplicum mortalium expendentem preces, ne inepta aliqua ad illum perueniret, aut si perueniret non tàm exaudiretur quàm castigaretur. Si iidem vt hoc ipsum per subtilem indicarent apologum, scripto prodiderunt camelum cum per oratorem cornua postulasset, resectis quoque auribus dimissum à Numine stulta petitione offenso, quanto magis nos flagitandarum à Deo rerum delectum habere conuenit? Habebimus autem si quæ per se mala sunt, omninò non rogemus. Si prætereà infimi ordinis bona, hoc est temporalia neque precibus nimis anxiis ambiamus, neque propter seipsa, sed in ordine ad animi bona, & quatenus cum Dei voluntate consentient. Ratio est, quia mala execratur Dominus; hæc autem minoris notæ bona flocci facit, inque iis anxiè aut propter se postulatis contemni se putat multo magis, quàm putaret Imperator, à quo magna contentione astrigmentum peteretur. Quocirca apud Lacedemonios cõprecationis forma erat, vt dij honesta bonis impertirentur, prætereà nihil. & S. Hilarius scriptum reliquit. *Despiciuntur orationes leues, diffidentes, inutiles seculi curis anxiæ, & rerum corporalium desideriis implicatæ, bonorum operum fructibus infœcundæ. Hæ igitur despicabiles sunt orationes, Dei dignatione non dignæ.*

D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 5. & 6.

In Psal. 53.

Sexta

Digitized by Google

Sexta eſt aſsiduitas de qua Luc. 18. *oportet ſemper orare.* Huius tenax Anna illa Prophetiſſa non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte Luc. 2. & Propheta ille coronatus ſepties in die dicebat Deo laudem Pſalm. 118. Non quod propriè ſemper orare nos oporteat; neque enim Angeli ſumus, quibus datum eſt, ſine vlla prorſus interruptione in actu eſſe intelligendi, & non in potentia, vnde & ſubſtantiarum ſemper mobilium nomen acceperunt; ſed homines variis obicibus ac neceſsitatibus circumſepti. Nam vt edentes bibenteſque orare poſsimus, quod non niſi valdè perfecti faciunt, certè dormientes minimè poſsumus, & eſt neceſſarium ſanctiſsimo cuiq; dormire. Sed aſsiduitatis nomine monemur, vel orandũ quotidie, (quod enim fit quotidie, ſemper videtur fieri, quo ſenſu Numer. 4. ſacrificium quotidianum ſemper offerri dicitur) vel quàm frequenter commodè poſſumus. Quippè cæteris paribus eo melior oratio eſt quo productior, nec Math. 6. vituperantur quiuis multiloqui, ſed qui Ethnicorum more in multiloquio ipſo vim ponunt orationis, & Deum melius percipere credunt quod petitur, ſi multis verbis exprimatur. Vel denique admonemur, non debere nos abiicere animum, ſi quod iam aliquoties petiuimus, nondum ſimus conſequuti. Inſtandum potius vt illud, aut certè melius quiddam impetremus, magnam quippè vim eſſe inſtantiæ amico illo teſte, qui precum importunitate non tres ſolum panes impetrauit, quibus fuiſſet contentus, ſed quotquot habuit neceſſarios. *Luc. 11.*

Septima eſt petere in nomine Chriſti Ioan. 16. *Vſque modo non petiſtis quidquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum.* Hanc nec ipſi quidem Mahumetani poſſunt reſpuere, cum Mahumetem & in nomine Mahumetis frequenter orent; Chriſtum autem agnoſcant in Azoa. 4. & 5. omnium Prophetarum auguſtiſsimum, & Mahumete ipſo longè eminentiorem. Petere porrò in nomine Chriſti, non eſt tantum dicere, rogamus te Domine in nomine Chriſti, vel per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; ſed de illo inſuper magnificè & præclarè ſentire, exempli gratia quod verus ſit Deus, Deiq; Filius. *Qui hoc ſentit de Chriſto,* inquit S. Aug. *quod non eſt de vnico Dei Filio ſentiendum, non petit in nomine eius, etiamſi non taceat in eo literis & ſyl-*

& syllabis Christum: Qui verò, quod est de illo sentiendum sentit, ipse in nomine eius petit & accipit, si non contra salutem suam sempiternam petat.

Octaua est, vt quoad fieri potest obseruetur diei pars aptissima, qualem ideò matutinam dicimus, quod rationem habeat primitiarum, & animum deprehendat curis nondum diurnis implicitum, nec cibi potusue vsu profusiore depressum, quo fit vt liberè in Deum posit assurgere. vnde apud Virgilium Heros ille inclytus

Vota Deûm primo victor soluebat Eoo

Et veteres quidam mane Musis consecrarunt, diuinis haud dubiè precationibus multo magis dedicandum Psalmographi exemplo, qui in hac parte quàm esset religiosus multoties professus est, *ad te de luce vigilo,* inquit, *praeuenerunt oculi mei ad te diluculo, in* Psal. 62. 118. *matutinũ meditabor in te, mane astabo tibi, mane oratio mea praeueniet te,* 26. 5. 87. 5. *mane exaudies vocem meam, exurge Psalterium & cythara, exurgam* 56. *diluculo.*

Nona est delectus loci pariter aptissimi, sacrum intelligo, & publicum vt templum; quod idcircò domus orationis à Christo Domino dici meruit Math. 21. Equidem vbique orare licet, & cum Dauid in omni loco dominationis eius benedicere Domino Psal. 102. reipsa precatus est Hieremias in cœno positus, Daniel in lacu, Iob in sterquilinio, Ionas in ventre Ceti, Ezechias in lectulo, tres pueri in fornace, Iudith in solario domus suæ, Christus in horto, Paulus in carcere, Latro in cruce. Sed hoc non obstat, quominus ob rationes allatas templa videri debeant loca ad supplicandum longè cæteris aptiora: Reputabant ea ipsimet Ethnici propria Deorum suorum domicilia. Vnde apud Cornel. Tacit. Heluidius Priscus prætor in templi cuiusdam Lib. 20. dedicatione Iouem, Iunonem, & Mineruam Imperij præsides precatur, *vt cœpta prosperent, sedesque suas pietate hominum inchoatas diuina ope attollant.* Quis ergo iam tergiuersari audeat, & proinde In l. de incompreh. Dei. esse putare, preces in templo fundere vel alibi? *O frigidam excusationem* verba profero S. Chrys. *orare domi possum. O homo falleris, & in magno errore versaris. Etsi enim datum sit etiam domi orare, nequaquam tamen fieri potest, vt tàm benè ores domi atque in Ecclesia, vbi tot Patres, & excitu multorum clamor ascendit in cælum.* Præter hanc causam, sunt & aliæ,

Digitized by Google

& aliæ, ob quas in templo orare melius est cæteris paribus, verbi causa Ecclesiæ preces quibuscum dedicantur, quæ si ad impetrandum non valerent plurimum, nequaquam post eas fusas dixisset Dominus, *erunt oculi mei aperti, & aures meæ intentæ ad orationem eius qui orauerit in loco isto.* 3. Reg. 8. 2. Paral. 7.

Decima sicut publicus orationis locus priuato est præferendus, sic priuatis orationes publicæ, quia maiore nituntur authoritate, & plurium in se vota continent. *Diuinarum reuerentia sanctionum*, inquit S. Leo, *inter qualibet spontanea obseruantia studia habet semper priuilegium suum, vt sacratius sit quod publica lege, quàm quod priuata institutione tenetur.* Vt conuersationem cum conuersatione, ita profectò expedit religionem in hac vita nostram cum cœlesti congruere: In cœlo autem publica & communis Psalmodia est, & actio gratiarũ, *illuc ascendunt tribus tribus Domini testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini.* Cum Deus non in angulis existat solùm, sed vbique, cur non à nobis iure suo exigat, vt præter priuatas, publicas quoque orationes adhibeamus? Nemo nescit ex fidelibus omnibus resultare Ecclesiam, seu corpus quoddam commune ac mysticum; quare sicut dedecere intelligimus si priuatus quispiam priuatas Deo preces nunquam offerat, ita cum æquitate pugnare, si ab eiusmodi communi corpore communes seu publicæ nullæ ad eundem dirigantur. Valentior tandem Deoque gratior est multorum deprecatio, propter quod leuant simul decem leprosi vocem suam dicentes, *Iesu præceptor miserere nostri*, non pro se quisque dixit *miserere mei*, sed conglobatim exclamant, *miserere nostri*, quod verisimile est de industria factum, quo magis & numero, & communi causa quasi coniunctis viribus, factaque impressione, & velut conspiratione quadam Christum ad misericordiam commouerent. Nihil dubium quin vt prunis, sic iis qui simul orant facilè sit incendere se mutuò. Vix peruenit Saul ad cuneum Prophetarum, quandò prophetantibus illis cœpit ipse prophetare. Vt nonnulli per se cibos fastidiunt, & ægrè salebrosum ingrediuntur iter, sed vbi alios viderint comedentes, vel illam carpentes viam conuersis studiis edunt, atque ad iter vltrò se comparant. Ita planè iis sæpè accidit, quibus friget in mente pietas, nec orare lubet, incalescunt admixti cæ-

Serm. de Ieiunio 7. mens.

Psal. 121.

Luc. 17.

teris, trahuntur exemplo ad imitationem, & paulatim dulcescere sibi sentiunt, quod felle refertum prius apparebat.

Vndecima, orationem antecedere vel sequi debet actio gratiarũ. Diligenter sanè Apostolus alteram coniunxit cum altera, dicẽs, *sine intermissione orate, in omnib. gratias agite*, & rursus, *in omni oratione & obsecratione cum gratiarũ actione petitiones vestra innotescant apud Deum.* Nempè sicut in terrã non mittitur semen nouum, quæ nondum iam acceptum reddidit; ita dignus non est qui beneficium à Deo nouum accipiat, qui ei gratias pro iam acceptis nondum retribuit. Proindè rectè monet S. Basilius, *simul ac vero ambabus hisce partibus satisfeceris, gratiarum actionis videlicet & humilitatis, tùm demũ quod petere debes, petito.* Ac ne sim lõgior, cum ad hoc collimare nos deceat, vt voluntas & affectus noster Deo vniatur, vt perfecta mente eius maiestatem honoremus ac reuereamur, mihi hoc videtur ab eo plenius, & perfectius præstari, qui in sola Dei bonitate contuenda defixus est totus, sine vlla suæ vtilitatis ratione, quàm ab eo, qui mentem suam quasi diuisam habet, vt alteram partem tribuat Deo, alteram suis necessitatibus accommodet. Hoc autem posterius facit qui postulat, prius autem quisquis id solum spectat, vt actione gratiarum diuinam erga se munificentiam testetur & agnoscat.

In Const. mon. c. 1.

Tantum ergò abest, vt inter orandum post haberi huiusmodi actio debeat, vt vel maximè habenda sit præ oculis.

Duodecima, vt aliquando saltem oretur, quisquis eiusmodi est, ad quem dirigi possit oratio. Nam quemadmodum perfectum corpus humanum censeri non potest, quandiu membro aliquo caret ad eius spectante integritatem: sic neq; perfecta Religio, quandiu aliquem præteribit, cuius honor collectus ex directis ad ipsum precibus, redundat in Deum. Huiusmodi aio Angelos esse, & sanctos in cœlis cum Christo regnantes. Hic meo iure iustitiæ stateram postulo, patientes aures, ac præiudicio vacuas, animum tranquillum, qui singula momento suo ponderet, qui desiderio ardeat detegendæ veritatis, tot inter tricas & inuolucra sententiarum. Consectabor in argumento vastissimo breuitatem.

Bonum esse, & diuinis conforme literis beatos Angelos inuocare, concedit Caluinus in sua Instit. & perspicuè liquet ex

cap. 48.

Digitized by Google

cap. 48. Genes. vbi Iacob vir plenus Spiritu sancto Angelum suum orat, suis vt nepotibus benedicat: *Angelus Domini*, inquit, *qui eruit me de omni angustia, benedicat pueris istis*. Nec refert quod non dixerit, *Angele Dei benedic*. sed *Angelus Domini benedicat*, quia familiare est orationes etiam sacras hoc retento loquendi modo & forma fieri, vt Psal. 66. *Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus*. Act. 9. *Aenea sanet te Dominus Iesus Christus*. Et certè in Angelis non habet locum vna ex præcipuis rationibus, ob quas aduersarij sanctos orare fas esse negant, quod scilicet eis necessitates & preces nostræ non innotescant. Namque Angelis omnes peruias esse vltrò concedunt.

Iam bonum quoque esse, atq; iisdem literis consentaneum ad ipsos quoque sanctos orationes dirigere, probatur primùm testimonio eorundem sacrorum Codicum. Nam Luc. 20. Angeli sanctis æquales esse dicuntur, at non æqualitate molis, cum corpore & extrinseca illa quantitate careant, ergo æqualitate virtutis, & conditionis, & authoritatis; possunt itaque sicut & Angeli, vota ac negotia nostra perspecta habere, & apud Deum promouere. Promouit reipsa precibus suis Iudæorum res Hieremias extra hanc vitam positus 2. Machab. 12. quorum librorum authoritatem euincam sub huius finem §. Ad hæc cum scriptum sit, *si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum*, argumento planè est potuisse, & solitos fuisse Moysem & Samuelem, etiam cum adhuc post hanc vitam in limbo Patrum detinebantur, orare Deum pro mortalibus, & impetrare, quando cognoscebant hoc Deo gratum fore, aliàs impropriissima fuisset locutio, sicut si Rex diceret, non tibi parcam, esto pro te Pater meus vita functus, aut brutum animal apud me intercedat, quia scilicet tales nec possunt nec solent apud illum intercedere: Propria autem si dicat, non tibi parcam, etsi pro te intercedant Palatini mei charissimi. Hier. 15.

Probatur secundo totius vsu Ecclesiæ etiam primigeneæ, cuius mores agendique rationem exploratissimam sanè habuit S. Augustinus, vt passim Caluinus ipse fatetur, nec aliquid aduersus eam fecisse aut scripsisse præsumitur. Huic autem quis nescit familiare fuisse inuocare sanctorum patrocinium? *Sancta Maria*, inquit ille, *succurre miseris, iuua pusillanimes, refoue flebiles, ora pro po-* Serm. 16. de Annunt.

 pulo,

Digitized by Google

pulo. interueni pro Clero, intercede pro deuoto fœmineo sexu, sentiant omnes tuum iuuamen, quàm celebre ac numerosum fuit Chalced. Concilium? In eo autem act. 11. confertissima turba exclamat. *Flauianus post mortem viuit, martyr intercede pro nobis.* Inuenies lector huiusmodi infinita apud Chrysostomũ, Basilium, Cyprianum, Ambrosium, &c. quorum profectò tempore sic orans Ecclesia næuo carebat, vt mira Dei prouidentia idem Caluinus agnouit in epist. ad Cardin. Sadoletum sic scribens. *statue tibi ante oculos veterem illam Ecclesiæ faciem, qualem Chrysostomi aut Basilij ætate apud Græcos, Cypriani, Ambrosij, Augustini seculo apud Latinos fuisse, ipsorum monimenta fidem faciunt, &c.*

Probatur tertio ratione. Si orare sanctos nefas est aut superuacaneum, id fit vel quia necessitates nostras & preces ignorant, vel quia patrocinio nos suo iuuare nolunt, vel quia non possunt, vel quia in scripturis non iubemur ad illorum recurrere patrocinium, vel denique quia illorum inuocatio cedit in diuini honoris detrimentum. Atqui obiecta ista præstigiæ tantum sunt, nec in recessu quidquam habent roboris. Vnde scis mi homo, nescire eos necessitates & preces nostras? cur diuinitas Sap. 7. *Speculum sine macula* dicitur, nisi quia præter se, externa quoque alia iis manifestat? Hoc enim est speculi proprium, ea repræsentare, quæ geruntur & sunt extrinsecus. Quid porrò iis illa reuelabit magis, quàm id quod illos maxime tangit, & ad gloriam ipsorum facit, & ad bonum eorum, à quibus interpellantur? Pertinebat ad Moysem populi ducem, vt sciret etiam absens, quid rerum moliretur, & ecce Deus id illi manifestauit, & ad offerendas pro eo preces impulit, quod & fecit, & exauditus est. Pertinebat ad Helisæum nosse sacrilegam Giezi sui negotiationem, ea mox sibi est à Deo reuelata, sicut etiam id quod in conclaui suo contra populum Dei agitabat Rex Syriæ. Loqui voluit vxor Ieroboam Ahiæ Prophetæ, eoque fine venit in Sylo 3. Reg. 14. de toto hoc consilio virum sanctum adhuc absentem Deus præmonuit, & responsum conueniens posuit in ore eius. Samueli iam vita functo Saul Rex loqui voluit, oppressus penè ingentibus malis, quæ magis magisque ingruebant, eumque rogare, vt quid sibi facto opus esset, præscriberet. Totum hoc Samueli à Deo innotuit, cuius etiam arcana ordinatione Regi alioquin indigno pessimo

Exod. 32.

4. Reg. 5. & 6.

Digitized by Google

pessimoque apparuit, & exitum prædixit belli, quod gerebat cum Philistæis. Tandem orans Saulus qui & Paulus, ardebat desiderio agendi cum viro à quo docendus erat, quid facere deberet, id est cum Anania, & confestim Dominus illius votum,& orationem, & necessitatem Ananiæ patefecit. Intererat vicissim Pauli certò eum nosse, cuius deberet institutioni acquiescere; & ecce videt illum, ac de nomine perspectum habuit priusquam ab illo inuiseretur. Et quamuis nulla interueniret diuina reuelatio, nonne in promptu esset, ac esse posset Angelica? sicut Angeli offerunt Deo preces mortalium, cur non etiam sanctis si ad eos dirigantur? *Actor. 9.* *Tob. 12.*

Dicere quod patrocinio nos suo iuuare negligant, magnam illis iniuriam irrogare est, quia sic insinuatur charitate illos destitui, quam quisquis non habet nihil est quantuscumque alioqui appareat. De Deo sentiendum in bonitate Sap. 1. cur non etiam de sanctis eius? Si epulo ille Euangelicus inter medias flammas superstitum fratrum suorum meminit.& curam egit, ne venirent in eum locum tormentorum; nonne immitiores illo,& deteriores sanctos facit, quisquis simili eos cura tangi abnuit? Si cum adhuc peregrinabantur, & de seipsis erant solliciti, amicorum suorum rebus apud Deum cõsulebant, vt poterant; quanto nunc magis in fida illa statione positi, nec amplius sibi quicquam metuentes, patrocinium illorum suscipient? Id si facere detrectarent, meritò videri possent charitate orbati, (quam interim nunquam excidere docet Apostolus) ne dicam crudeles & barbari. Nam profectò crudeles dicerentur, qui prius cum aliis periculosissimè transfretantes, postquam erepti naufragio portum subiissent, curam omnem sociorum deponerent adhuc fluctuantium, atque ipsis videntibus tantum non pereuntium: Inhumanus quoq; habitus est Magister ille Pincernarum, eo quod eductus è carere, interpretis sui adhuc in eo detenti memoriam abiecit, atque sollicitudinem. Aequè absurdè asseritur, nihil ipsis esse authoritatis ad opitulandum nobis. Cur enim Angelis sit, & non illis, cum Angelis pares illos scriptura faciat? Quàm iniquus est Deus, & mortali quouis principe inurbanior atque ingratior, si strenuissimis seruis suis post exantlatos labores grauissimos, post deuictos hostes, post insignes reportatas de illis *1. Cor. 13.* *1. Cor. 13.* *Math. 22.* *Marc. 12.*

Digitized by Google

victorias, post fidem seruatam, post cursum consummatum, potestatem eis non confert quicquam nobis impetrandi? vbi erit, & qua veritate pronuntiabitur dictum illud Psalmographi, *nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum*? Si potentes sunt ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, estque hæc gloria illis omnibus, nonne multò magis ad benefaciendum illis, & opitulandum in opportunitatibus in tribulatione? si dum adhuc viuerent, & circumdabantur suis infirmitatibus, atque mutuo aliorum indigebant adiutorio, multa illis à Deo impetrare poterant, ac reipsa impetrabant, desipit valdè, qui iam illos in cœlo regnantes innocentissimos, Deo coniunctissimos simili exuit potestate.

Psal. 138.

Nihilo neruosius est argumentum à scripturis petitum, non præcipientibus vt sanctorum opem precibus accersamus. Namque si non præcipiunt vicissim non vetant, secundum iura autem concessum videtur, quod non inuenitur prohibitum. Deinde an præceptum erat Iacob Patriarchæ custodem Angelum suum inuocare? inuocauit tamen scriptura teste, & inuocari potuisse Caluinus annuit. Interrogati aduersarij quid per præceptum intelligant, cum ea quæ præcepta non sunt, minimè recipienda censent; respondent pias quoque admonitiones & exempla sanctorum eo nomine comprehendi. Benè est. neque enim hoc responso melius opto quippiam, ad probandum quod volumus. Sanctus erat Iacob, is autem non solum Angelo suo preces obtulit vt vidimus, & beatis animabus offerri similiter posse indicauit, cum æquales sint Angelis; sed etiam dixit, *inuocetur super eos*, id est, super Ephraim & Manassem, *nomen meum, nomina quoq; Patrum meorum Abraham & Isaac*. Quid est obsecro inuocari super eos nomina horum Patriarcharum, nisi in eorum auxilium siue patrocinium inuocari hos sanctos Patriarchas, qui iam ex mortali vita discesserant? Adhæc nonne diuina eloquia manifestè nos hortantur, vt quæcumq; occurrere poterunt salutis nostræ media consectemur? *quidquid potest manus tua*, inquit Ecclesiastes, *instanter operare*. Hoc autem facit, qui indignissimum se sentiens quem exaudiat Deus, sic illum orat, vt sanctos quoque magnos Dei amicos adeat, quorum patrocinio apud tantam maiestatẽ subleuetur, non secus atque apud Dauid Regem, promouit Absalonem sistere se metuen-

Genes. 48.

Cap. 9.

Digitized by Google

metuentem fœminæ Thecuitis interceſsio, & Ioab Ducis, ad quem Rex. *Ecce placatus feci verbum tuum, vade ergò, & reuoca puerum Abſalon.* Sic ergo liquet iuxta Nouantium interpretationem, in ſcripturis præcipi ſanctorum inuocationem quantum eſt ſatis, vt licitè fiat. Et vt demus propriè loquendo nullibi eam præcipi, nihil hoc aſſertioni huic incommodabit. Namque vt dicere cœpi, quamplurima non præcipiuntur, quæ tamen perſpicuè ſunt laude digniſsima. Nullum extat pręceptum verum de implorandis fidelium precibus qui adhuc viuunt, nec de colenda virginitate toto vitæ tempore, vt ſcribit Apoſtolus 1. Cor. 7. nec de facultatibus omnibus in pauperes, vel pia alia opera erogandis, cum vni ſuarum poſſeſſori dictum ſit, *nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* & tamen quis ſana mente præditus factum arguat, ac reprehendat? 2. Reg. 14. Actor. 5.

Tandem non niſi ridiculè cauſari licet, inuocatione illa ſanctorum obſcurari Dei vel mediatoris Chriſti gloriã. Nam quod ad Deum, vel obſcuratur eius gloria, quia hoc pacto cultus ei ſoli debitus in ſanctos trãsfertur, aut quia eius bonitati & omniſciẽtiæ non ſatis fiditur. At quomodo idcircò in aliũ transfertur honor quẽ ei debemus, cum illa ipſa oratio quæ fit ſanctis in ipſum tandem terminetur, non ſecus ac motus quo vectem vel inſtrumentũ aliud mouemus in ipſum mobile? nõne filij Zebedei cum per interpoſitã matrem à Chriſto petiuiſſent, vt ſederet illorum vnus ad eius dexteram, alter ad ſiniſtrã, ipſimet petiuiſſe & Chriſtum rogaſſe iudicati ſunt? omninò. Idcircò enim audiuerunt ſibi dictũ, *neſcitũ quid petatũ?* Haud dubiè ſicut ſecundũ iura, *quod quis per alium facit, per ſeipſum facere videtur*, ita quod quis per alium orat. Deinde ſi cum oramus ſanctos, vt pro nobis orent, iniuriã Deo facimus, ergo illi quoq; iniurij ſumus, cum mortalib. apud illum vt patronis vtimur, eadem enim prorſus vtrobiq; eſt ratio. Imò tãto minus decorum videtur, mortales patronos peccatorũ multorũ reos adhibere, quãto ſunt ſanctis inferiores. Sanè tantũ abeſt vt honor quo afficiuntur ſancti, cum illorũ patrociniũ exquiritur, diuinus ſit, hoc eſt, Deo debitus, vt ex oppoſito nullo modo poſsit in deum, vt Deus eſt conuenire. Quod ſi euicero, liquidò cõſtabit, nihil prorſus diuino per eum decedere. Argumẽtationem ſic inſtituo. Sanctos nec oramus nec orãdos credimus, Math. 20.

vt ve-

vt verè datores gratiæ, & aliarum rerum quibus indigemus; ſed præciſe ac tantum vt interceſſores, vnde & honor qui inde ad eos deriuatur, non alius eſt quam interceſſoris vt interceſſor eſt videlicet recognitio & proteſtatio authoritatis qua pollere creduntur apud Deum, vt ſerui optimi apud Dominum. Iam vero Deo vt Deus eſt nullo modo conuenit interceſſorem agere, vt ſuppono ex doctrina certiſsima Theologorum, ac S Aug. lib. 9. de ciuit. Dei cap. 15. vbi ait, *non ob hoc mediator eſt Chriſtus quia eſt verbum, ſed mediator eſt ſecundum quod homo.* Ergo neque conuenit honor, qui huic muneri coniungitur, vt pote connotans imperfectionem quæ in illum non cadit, nempe ſubiectionem. Quippè mediator dicitur reſpectu altioris, quem inclinare nititur ad miſericordiam. Hoc totum ſi ſuo pondere librarent Nouatores, citò acquieſcerent.

D. Thom. 3. p. q. 26. a. 2.

Quomodo rurſus per inuocatum ſanctorum patrocinium, aut Deus bonus non creditur, aut neſcire omnia, ſed interpretibus indigere, qui neceſsitates ei noſtras aperiant? quomodo non vident, qui nugas iſta proferunt in promptu nobis eſſe illas in ſe regerere, quoties coætaneos ſuos apud Deum patronos adhibent? Nimirum excæcauit illos malitia, & dicentes ſe eſſe ſapientes ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis. Mediatore Chriſto apud Deum patrem vtimur, & aulico modò vno modò altero apud Regem, nec tamen idcircò de diuina aut regia bonitate diffidimus, vel aliquid eſſe ſignificamus quod Deum lateat. Oramus ipſi & Deum & Chriſtum, vtrique interim ineſſe ſcimus perfectã cum ſumma bonitate ſcientiã. Percupiens Petrus noſſe quis Chriſtum eſſet traditurus, vt hanc ab eo notitiam impetraret, interpoſitione vſus eſt diſcipuli, qui ſupra pectus Ieſu in cœna recubuit, vtique ob ſolam reuerentiam, non vt ſic Chriſtum quaſi neſcium doceret quid appeteret, quem certo nouerat non neſcire omnia (ita vt ei dixerit, *Domine tu omnia noſti*) & ſic ei tacitè cantabat illud Pſalmi 37. *Domine ante te omne deſiderium meum.* Tandem ſi rei non habentur velut in dubium reuocantes diuinam circa ſe prouidentiam, qui panem à ſuis progenitoribus, ſcientiam à Doctoribus, ſanitatem petunt à Medicis, licet dona hæc omnia à Deo, velut primo ac præcipuo fonte profluant, & credantur profluere; multo minus qui ſanctos inuocant,

Io. 21.

Digitized by Google

nocant, vt potè quibus intelligunt longè perfectiorem inesse rationem causæ secundæ seu instrumentalis, nec eos solitos physicè influere in largitionem rerum quas à Deo petimus, quo interim modo in scientiam discipuli Doctor influit, sed moraliter tantum.

Quod verò ad Christum spectat, nec similiter aliquid honori eius vt mediator est detrahitur. Namque esse mediatorem longè aliud in Christo sonat, quàm in sanctis, sicut esse Patrem, Magistrum, Dominum, medicum; Doctorem, longe aliter in eodem accipitur, quàm in puris hominibus, ideoque nihil ei detrahitur, cum hi quoque Patres, Magistri, &c. appellantur. Esse mediatorem in Christo, est ex suorum operum vi obligare Patrem æternum ad se reconciliandum hominibus, quatenus ipsi homines vterentur mediis, quæ propter ipsorum gloriam, atque vtilitatem maiorem, quasi ex conuentione inter Christum, & ipsum Patrem inita ad eum effectum valerent. Est præterea preces offerre nullius alterius meritis fultas vel fulciendas, vt vim habeant, sed potius vim dare precibus aliorum, vt suo etiam modo queant amicis suis ab eodem patre misericordiarum aliquid impetrare. Est denique redimere nos & pro nobis satisfacere. At nihil horum sanctis tribuunt qui eos inuocant, etiam cum intercessores seu mediatores appellant, vel vt tales adeunt, sed duntaxat authoritatem multa iis impetrandi, qui adhuc peregrinantur à Domino: Quæ authoritas cum à Christi meritis proficiscatur & pendeat, nimis profectò iniquus est, ne dicam stupidus, quisquis ea obscurari putat eius gloriam, & non potius illustrari. Quid? an quia cor in animalibus caloris est principium, hepar accusabimus, quod calefaciens chylum à ventriculo susceptum, & ita quidem, vt calefactum concoctumque vertat in sanguinem, vsurpare videatur cordis officium, multumque ei derogare? nequaquam certè, cum cor ipsum totam hanc concoquendi vim ei contulerit. Si pugnaret cum Christi gloria, sanctorum preces apud Deum interponere, ergo etiam mortalium. Ergo pariter nefas esset aliorum interponere merita, ecce nihilominus sæpè in sacris paginis interponuntur, Dan. 3. Baruch. 3. etiam à Deo ipso Exod. 32.

Postrema conditio perfectæ orationis postulat, vt iuxta con-

silium Apostoli 1. Tim. 2. fiant orationes pro omnibus hominibus, *hoc enim bonum est*, inquit, *& acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes vult saluos fieri*. Rationem affert S. Thomas, quia cum non modo nobis, sed aliis ex charitate desiderare bona debeamus, pro aliis quoque orare, & non pro nobis solis oportet. Porrò si orandum pro omnibus, ergo etiam pro defunctis, qui neque adhuc in cœlis viuunt semper beati, nec inferno mancipantur, sed in purgatorio detinentur. Hic si quis frontem contrahat, & naribus fumos dare incipiat, meminisse debet pacti nostri, prius vt totum audiat, quàm se commoueri sinat, aut sententiam ferat. A purgatorij voce incipiam, qua si offenditur, eo quod nullibi extat scripturarum sacrarum, nihil super est nisi vt eandem ob causam Trinitatem quoque inficietur, & Christi incarnationem, & Verbi eiuret consubstantialitatem. Neque enim eiusmodi nomina in scripturis illis inueniet. Nullo modo viri est iudiciosi rebus prætermissis de voce litigare. *Scimus quàm non deceant logomachiæ Christi seruos*, verba sunt ipsiusmet Caluini, & infra, *si de vocula tantum vna dimicant, ablegandum erit hoc certamen ad Grammaticos*, & rursus, *quisquis à logomachia non abhorret se nequaquam Christi seruum esse prodit*. Ergo rem ipsam inspiciamus. Clauditur caput duodecimum libri secundi Machabęorum hac sententia, *Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Quid obsecro dici potuit apertius, atque assertioni huic constabiliendæ opportunum magis? Nihil inquies, si libri qui testimonium hoc subministrant, ad canonem pertineant verbi Dei. Sed nego libros esse huius generis, nego partem esse scripturæ sacræ. Si negas, in eundem Caluinum iacis lapidem, namque lib. 1. Inst. cap. 8. §. 10. aliud quiddam tractans nihilo minoris momenti, ex libris illis potissimum petit argumenta. Quæstio erat de libris Moysis & Prophetarum, essentne genuini, & illi ipsi qui ab iis conscripti sunt. Probat esse Caluinus, quod vigente grauissima illa persecutione Antiochi, de qua lib. 1. Mach. cap. 1. non sine insigni ac mirifico Dei opere conseruati sunt, ne interirent, & à Iudæorum sacerdotibus ad nos transmissi. Adhæc vetustissimi saltem sunt, vt fatentur omnes, quod sufficit, vt eis quisque tribuere non parum debeat; si quidem similem ob causam, idem Caluinus Ecclesiasticum & Sapientiæ librum magnifa-

In Consens. de re sacra cum Tigur.

Digitized by Google

gniſaciendos docet, eſto canonici non ſint, vt falsò putat. Verba eius ſunt, *aliquo loco nobis eſſe debent, ſi non vt canonici, certè vt veteres, vt pij & multorum ſuffragiis recepti.* Alio in loco, vt nefas eſſe oſtendat intereſſe Miſſæ ſacrificio, hoc eſt, cæremoniis vt putat ſacrilegis, in medium adducit valdeque vrget exemplum Eleazari de quo lib. 2. Machab. cap. 6. quod profectò abſurdè faceret, niſi eiuſmodi libros non contemnendæ authoritatis eſſe crederet. Sed quia perparum curandum eſt, quid ipſe ſenſerit, ad grauiora tranſeamus. Libri canonici ſeu pertinentes ad ſacrum canonem ij ſoli appellantur quos Catholica Eccleſia (ſeu Romana, neq; enim alia poteſt aſsignari quæ ſit Catholica ſiue vniuerſalis, vt conſtabit ex lib. 3. c. 3. §. 1.) pertinere definit. Hæc ſola eius determinatio fecit, vt Geneſim, Exodum, & id genus alios ſacrorum loco haberemus. Nec Lutherus, Caluinus, & ſimiles cauſam aliam afferre potuerunt, cur eos potius, quàm M. Tullij quæſtiones Tuſculanas, Virgilij Aeneidem, T. Liuij Decades, ſacros eſſe crederet, quàm quia illos pro ſacris habebat Catholica illa, quæ tunc ſola erat Eccleſia, iſtos pro mere profanis. Sed libros Machabæorum pertinere definit, ergo libri Machabæorum ſunt canonici. Hic quidem ſyllogiſmus in ſecunda figura eſt ex puris affirmatiuis, ſed cum in maiori propoſitione apponatur dictio *Soli*, æquiualet ſyllogiſmo primæ, atque in eum facilè reſoluitur, itaque quod ad figuram nihil eſt quod reprehendas. Confirmatur nunc minor Propoſitio. Nam ſi ad nouiſsima eiuſdem Eccleſiæ decreta reſpicias, affirmat in limine Tridentini Concilij eos in ſacrorum catalogo habere locum; ſi ad vetuſtiſſima, idem olim de iis ſenſit in Conc. Laodicæno, in 3. Cartag. in Epheſino 1. in Chalced. can. 1. quæ omnia Concilia celebrata ſunt intra quinque prima ſecula poſt Chriſtum natum, hoc eſt, eo tempore, quo Eccleſiam labe caruiſſe fatetur Caluinus lib. 1. Inſt. cap. 11. §. 13. Patet ſanè omnes aut nullos habendos pro Canonicis, quos Romanæ Eccleſiæ commendat authoritas, atque ita Nouantes dum aliquos duntaxat recipiunt, affectum proprium ſequi non rationem, non ſecus ac Nouatianos, qui cum ſoli Baptiſmo virtutem tribuerent conferendi gratiam, & remittendi peccata, quam Pœnitentiæ quoque Sacramento tribuere debebant, à D. Ambroſio audierunt lib. 1. de Pœnit. cap. 7. *Vbi vultis*

In Pſycopannich. Epiſt. 1.

vendicatis vobis Dei gratiam, vbi vultis repudiatis. Deinde ſi libri illi canonici videri non debent, maximè quia illos pro talibus non habent Iudæi, aut quia de iis aliquando eſt dubitatum eſſentne eiuſmodi, aut denique quia illorum author contra morem ſcriptorum canonicorum excuſat ſe ſub finem, quod ſtilo minus exculto ſit vſus. Atqui hæ ratiunculæ, infirmiſsimæ ſunt. Nam ſi iudicio ſtandum ſit Iudæorum, recipiendum non erit Euangeliũ quia illud deteſtantur. Et quid mirum ſi Machabæorum libri in eorum non ſint catalogo, cum hic catalogus editus ſit longe antè Machabæos & Machabæorum hiſtoriam, nempe poſt reditum è captiuitate Babylonica cuius mentio fit velut iamdudum præteritæ lib. 2. cap. 1. Et vt non habeantur apud illos pro canonicis, magno tamen in pretio ſunt. Quod de iis dubitatum ſit aliquando eſſentne eiuſmodi, quid hoc refert? Fuerit à priuatis dubitatum, an idcirco à tota Eccleſia? & quamuis à tota, quid hoc obſtat, modò poſteà inuocato Spiritu ſancto in præfatis Conciliis dubium omne ſuſtulerit, & peremptoriè definiuerit quid eſſet ſentiendum? Nihil eſt opus vt Deus ſtatim Eccleſiæ ſuæ lumen omne conferat, ſed in opportunitatibus, in neceſsitate, & quando confirmanda & tranquillanda ſunt filiorum corda fluctantium vel altercantium. *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini,* (*Math. 10.*) ait Chriſtus. Quod ius partium litigantium anceps principio non fuit? & tamen ratum ſtat ei cui fauit ſententia Iudicis, nec poſt eam latam vocari ſolet in controuerſiam, tametſi non vt Eccleſiæ, Iudici facta ſit auguſtiſsima illa promiſsio, *Paracletus docebit vos omnia, & docebit vos omnem veritatem.* (*Io. 14. & 16.*)

Tandem cupit author boni conſuli ſtilum rudiorem, ſed nego inſuetum hoc eſſe ſacris ſcriptoribus, nonne dicebat Moyſes, *non ſum eloquens ab heri & nudius tertius.* (*Exod. 4.*) & Hieremias, a, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui, & Apoſtolus 2. Cor. 11. vocat ſe ſermone imperitum? ſed faciamus ſcriptorem hunc ſolum excuſationem prætendere. Nihil ne in ſcriptura ſingulare? negabimus Abacuch Prophetam à Iudæa tranſlatum in Babylonem, & Amos dicentem cap. 7. *non ſum Propheta, & non ſum filius Prophetæ, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros,* de numero fuiſſe Prophetarum ac ſcriptorum canonicorum, quia nulli alteri Prophe-

tæ

tæ ſic transferri vel loqui contigit? Hæc de huiuſmodi libris dicta ſunto, in tutelam orationis pro defunctis.

Poſsumus ſi volumus eandem ex aliis quoque ſcripturis obiter aſſerere, vt ex verbis illis Apoſtoli, 1. Cor. 3. *vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit*, & paulo poſt, *ſi cuius opus arſerit detrimentum patietur, ipſe autem ſaluus fiet, ſic tamen quaſi per ignem.* De igne poſt hanc vitam agit, ſeu ſequente priuatum cuiuſque iudicium, quod in ſcriptura paſsim vocatur dies Domini vt 1. Cor. 5. at de igne inferni non agit, vt pote æterno, & nullam admittente redemptionem Math. 25. cum tamen homo cuius probanda dicit opera, ex illo de quo verba facit, tandem ſit ipſo teſte eripiendus, ac ſalutem conſecuturus. Ergo de alio quodam, qui cum ad hoc tandum comparatus videri poſsit vt purget, vt emundet, vt ſcoriam auferat, meritò purgatorius vel alio quo libuerit epitheto modo æquipollente, appellabitur.

Item cum dicat Chriſtus Math. 12. *non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro,* innuit profectò in futuro ſeculo ſeu poſt hanc vitam, aliquem eſſe ſtatum, in qua fiat aliqua remiſsio peccatorum ac proinde à Paradiſo & inferno diſtinctum, non ſecus ac ſcriptura inſinuat Deum reſpondere ſolitum tàm per ſomnia, quàm per ſacerdotes & Prophetas, cum ita loquitur, 1. Reg. 28. *non reſpondit ei neque per ſomnia, neque per ſacerdotes, neque per Prophetas.* *21. ciu. c. 24.* Vnde Auguſtinus, *non enim veraciter de quibuſdam diceretur quod non eis remittetur neque in hoc ſeculo neque in futuro, niſi eſſent quibus etſi non in iſto, tamen remitterentur in futuro.*

Et quandoquidem in Auguſtini mentionem incidimus quem Caluinus ipſe oraculum facit antiquæ totius Eccleſiæ ſic *In gratu-* ſcribens. *Cum modeſtia præ cæteris excelluerit ſanctus ille vir, minimè du-* *lat. ad pra.* *bium eſt ex recepto conſenſu id ſumpſiſſe*, audiamus quid de hoc argumento alibi ſcriptum reliquerit, *qui agrum non coluerit & ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus* *Aug. l. 2. de* *operibus. & poſt hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æter-* *Gen. & lib.* *nam.* & rurſus loquens de eo qui in bono quidem ſtatu mortem *de vera pœnit. c. 17.* obit, pœnitentiam tamen agere in hac vita renuit, hæc addit, *non promittimus quod euadet omnem pœnam, nam prius purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. His autem*

ignis licet æternus non sit, miro tamen modo grauis est. Addit S. Cypr. *Si* L.1. epist.1. *quis nostrum prior diuinæ dignationis celeritate præcesserit, perseueret apud Deum nostra dilectio, pro fratribus & sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*

Concludamus ratione vna vel altera. Decretum est diuinæ iustitiæ pœnas aliquas temporales à peccatoribus repetere, etiam ab iis, qui in gratiam cum Deo redierunt, & peccatorum suorum remissionem quoad culpam sunt consecuti, vti ex Codicillo constabit. At sæpissimè contingit, vt sub vitæ exitum duntaxat resipiscant, & in gratiam illam redeant, atque ita destituantur vitæ spatio ad pœnas illas Deo pendendas idoneo; aliquis igitur admittendus est alterius vitæ status, in quo eas luant, priusquam ad beatas illas sedes admittantur, quibus flagellum non appropinquabit. Decedunt quoque penè omnes cum peccato aliquo veniali, quale haud dubiè cum veniale tantum sit, non potest peccatorem in infernum demergere, expiari interim debet antè ingressum illum in regnum cœlorum, cum sit quoddam inquinamentum, & scribat Ioannes Apoc. 21. nihil coinquinatum eo intraturum. Iam si datur status eiusmodi purgatorius, quomodo non incumbet charitati nostræ suis ad Deum precibus, & sacrificiis, & pietatis operibus purgandarum ibi animarum pœnas mitigare? forte quia eiusmodi animæ membra non sunt eiusdem cuius nos Ecclesiæ. Sednim falsissima est ista suppositio teste Augustino cum ait. Lib. 20. de ciuit. c. 9. *Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia quæ etiam nunc est regnum Christi, alioquin nec ad altare Dei fieret illarum memoria in communione corporis Christi*, & certè eodem iure beatorum animæ ad eandem Ecclesiam non pertinerent, quod si ita esset quomodo gauderent super vno peccatore pœnitentiam inter nos agente? quomodo expectarent donec cœlestis gloria prædestinatis aliis Psal. 141. retribueretur?

§. 3. Orationem actum esse religionis probat S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3. hoc modo. Ad religionem spectat exhibere honorem Deo: exhibemus autem per orationem quatenus necessariam nobis illius opem esse profitemur, velut authoris bonorum omnium, valentis volentisque necessitatibus nostris remedium

medium afferre. Prætereà ſacrificium ad veros religionis actus pertinet, vt te docebit capitis ſequentis §. atqui oratio ſpecies quædam eſt ſacrificij. *Dirigatur oratio mea*, inquit Dauid, *ſicut incenſum in conſpectu tuo*, & Oſeas cap. 14. *reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Plenus eſt leuiticus thymiamate illo ſuauiſsimo, quod ſibi incendi à cultoribus ſuis Deus voluit. Nemo tàm rudis ſit, qui hunc alioſue ſuffitus eſto dulciſsimos ei curæ fuiſſe putet, aut inditam ei vim ad ſupremum illud numen gloria & honore afficiendum. Sed cum populo Iudaico omnia in figura contingerent, fuit inter alia thymiamati locus, tanquam orationis ſymbolo, per quam Deus verè colitur. Vnde Origin. *Pro aris nobis eſt mens ſua cuique, ex qua feruntur ſurſum verè & intelligibiliter ſuaueolentes ſuffitus, preces ex pura conſcientia*, & Apocal. 8. legimus, *ſuffitus orationes ſanctorum ſunt.* Non ergo ſolum oratio pars eſt Religionis, ſed etiam vna de præcipuis. Propter quod nulla vnquam fuit natio religionem colens, quæ certam ſupplicandi Deo rationem non habuerit, & quiſquis vnquam religionem mutare aggreſſus eſt, orandi ſimul rationem mutauit. Ob id S. Ioann. Baptiſtæ nitenti homines à vetere Moſaicæ legis religione auellere, & ad Chriſtum conuertere, id in primis curæ fuit, vt diſcipulis ſuis orandi modum præſcriberet Luc. 11. Idem fecit Chriſtus, nouam religionem instituens, atque vt id faceret, à diſcipulis ſuis rogatus eſt, *Domine*, inquiunt, *doce nos orare, ſicut Ioannes docuit diſcipulos ſuos.* Ibidem. Imitati hoc ſunt Mahumetani, ac præter illos Hæretici, Ioannis & Chriſti exemplo abutentes. Nulla enim vnquam hæreſis fuit, quæ non continuò ſuas effingeret preces. Id de Arianis paſsim teſtatur Athanaſius, de Valentinianis Irenæus, de Marcioniſtis Tertullianus, de Manichæis & Donatiſtis Auguſtinus, de omnibus ſimul Epiphanius. Et noſtro tempore per libellos precarios Lutheri, Caluini & ſimilium ſpecie religionis ornatos, eorum ſe primùm hæreſis inſinuauit.

Pſal.140.

Lib.7.cont. Celſum.

§. 4. Demonſtraturus in Catholica Eccleſia rectè ſe habere omnia quoad orationem: ſilebo quod exploratum nimis eſt, vigere in ea præcipuè vſum Dominicalis. Recitare iam ſolent omnes vt omnium præſtantiſsimam manè & veſpere, & cum lacte paruuli can-

cato mortali ſordeant, ſed admiſſum mox ſi non pœnitentiæ Sacramento; ad quod recurrendi præſtò ſemper non eſt occaſio, contritione ſaltem vera expient, nec tardent conuerti ad Dominum. Ad abluendas prætereà leuiores ſeu veniales culpas, ſine quibus nemo viuit mortalium, vbique ad templorum limina luſtralis aqua proponitur, quam benedicens per miniſtros ſuos Eccleſia Chriſti ſponſa ſtudioſè precatur, & ſine dubio impetrat, vt quiſquis filiorum ſuorum ea ſe piè reſperſerit, à næuis illis minoribus liberetur, atque ita purus ac diſpoſitus ad orationem accedat. Adhæc omnibus qui ſollicitiùs pietatem colunt, in more eſt ſemel ſaltem in die repurgare, & vt Propheta loquitur, ſcopere domi Spiritum ſuum, per examen quod conſcientiæ vocant, expendendo

Quo prætergreſſi, quid geſſum in tempore, quid non,
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi.

Specialiter autem Clericis author eſt Tridentina ſynodus, vt horas canonicas reuerenter, ac proindè in ſtatu quoad fieri poterit bono, perſoluere & recitare teneantur. *Seſſ. 24. cap. 12.*

Tertia erat fides, cuius defectu laborare dici non poſſunt, cum Deum credant optimum, qui ob id dare velit ſi expediat, vt vidimus cap. 5. §. 2. & omnipotentem qui poſsit cap. 6. §. 2. planèque in animum inducant ſuum, nunquam ſine fructu eſſe orationem, vt notat S. Ambroſ. etiam quando non impetratur quod petitur. Ipſum namque petere magnum beneficium eſt, cum ſit eximij actus religionis exercitium, quem profectò aliundè remunerabit Dominus. Catholicus erat, idemque Cœnobiarcha S. Bernardus adhærens per omnia Romanæ ſedi. Vide autem quibus verbis ſuo & aliorum nomine ſuam in hac parte fidem teſtetur. *Vnum indubitanter ſperare poſſumus, quia aut dabit quod volumus, aut quod nouerit eſſe vtilius.* *Epiſt. 84. ad Demetri.* *Serm. 5. de Quadrag.*

Quarta erat attentio, quam iis multa ſanè conciliant. Præſentem habent & habere ſe credunt Chriſtum Dominum in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento, in Parochia quauis & Regulari Domo aſſeruari ſolito, cuius præſentia veriſimile non eſt, eos non moueri plurimùm ad attentionem & reuerentiã, & cum eodem S. Bern. dicere. *Intentiones, cogitationes, affectiones, & omnia interiora mea venite aſcendamus montem, vbi Dominus videt & videtur.* Cu- *Lib. de amore Dei.*

ra, sollicitudines, &c. expectate hic cum asino corpore isto, donec reuertamur ad vos. Prostant insuper imagines sacræ, ac præcipuè & præcelso in loco pendentis in cruce Domini, sanctorum reliquiæ, cæremoniæ item sacræ, lampades, ornatus altarium, ordo ministrantium, &c. quæ omnia mentem à terrenis facilè abstrahunt, ad cogitandum de iis quæ Dei sunt. Vt nihil mirum videri debeat, si quilibet diebus solennioribus accuratiùs multò id faciat quàm aliàs, nempè quia tunc longè maior est horum omnium apparatus. Adhęc oraturi vsurpant maximè tempus matutinum, in quo non ægrè mens potest in Deum intendere. Et cum in templo versantur sæpè his verbis, *Dominus vobiscum & sursum corda*, admonentur iuxta primæuæ ritum Ecclesiæ erectam ad supera mentem gerere. Denique cum vxoratos recens vsus coniugij repleat impuris speciebus, & cogitationem importunè ad se trahat, in memoriam illis solet reuocari, vt iuxtà consilium Apostoli tunc saltem vsum illum suspendant, cum instantius offerre Deo preces apud se statuunt. Clericis singulariter interdicitur, ne inter psallendum nugentur, ne colloquia inter se attentionis inimica misceant, ne extra templum horas recitent, vel saltem in loco vbi abundant externarum rerum ludibria (cum haberi potest alius) *in quibus quando conceptaculum fit cor nostrum, portat copiosa vanitatis cateruas, orationes sæpè interrumpuntur, & irruentibus nugatoriis cogitationibus res tanta præciditur.* Quo autem eas publicè collecto magis animo recitent, in parte illa templi consistunt, quæ chorus dicitur, estque ad piè psallendum in primis idonea. Cingitur vndiq; murulis vel tabulatis, externa obiecta excludentib. ne oculos feriant cantantium. In eundem finem capucciis vtuntur Monachi, quæ publicæ orationis tempore demittant supra oculos, & velis Moniales, & quondã Canonici pellibus.

Cas. dolentes de celeb. Miss.

Aug. lib. 10. conf. c. 35.

Quinta erat circumspectio siue prudentia in delectu rerum quæ postulantur. Catholici certè mala nulla à Deo fieri petunt. Nam quod ad orationem illam. *Hostium nostrorum quæsumus Domine elide superbiam, & eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.* Hostibus ipsis Christi Ecclesiam affligentibus vtilis est, quia temporalibus pœnis coerciti fortè resipiscent, ac saltem peccantes parcius, in inferno minus torquebuntur, vndè orat vir ille Dei, *in chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.*

Ps. 31. & 82.

ad te. & rursus, *imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Temporalia item perrarò exprimunt, & quidem in Litaniis, quæ cumuli quidam sunt variarum precationum, semel tantum his verbis. *Vt fructus terræ dare & conseruare digneris, te rogamus audi nos,* & in oratione Dominica nomine panis quotidiani animæ potius alimentum intelligunt, quàm corporis. Spiritualia sunt quæ propriè & instanter sibi è cœlo venire flagitant, nunc in Collectis publicis, de quib. præcipuè loqui nos conuenit, pro pace oratur Ecclesiæ, pro concordia Christianorum Principum, pro impetrandis lachrimis; nunc pro remissione peccatorum, pro inimicis, pro viuis & defunctis, ad repellendas cogitationes malas; ad postulandam charitatem, continentiam, patientiam, &c.

Sexta erat assiduitas. Possem Catholicas Ecclesias nominare, in quibus Psalterium nocte ac die sine vlla prorsus interpolatione decantatur, succedentibus sibi perpetuò Clericis in eum finem comparatis. Sed ad notiora transeo. Horas septem canonicas, quarum decursus non modicam diei naturalis partem occupat, tàm multi recitant, vt vix quinquagesimam eius partem possint Prædicantes omnes in fasciculum coniecti exæquare. Incumbit primùm hæc obligatio Clericis vniuersis ordine aliquo sacro initiatis, hoc est, Subdiaconis, Diaconis, & Sacerdotibus. Incumbit prætereà singulis Ecclesiasticũ beneficium consecutis (quandoquidẽ beneficium datur propter officium c. fi. de Rescript. quale omniũ primum & cõmunissimum istud est) idq; ab eo die quo illius titulum via canonicæ institutionis obtinent, fructusq; suos facere posse incipiunt. Tametsi enim Pius quintus cũ iis dispensauerit, vt huic obligationi non satisfacientes primo semestri restitutionis lege non teneantur: quod nihilominus ad contrahendam culpam attinet, in nullo meliorem illorum conditionem fecit, quàm prius esset de iure. Incumbit insuper Regularibus omnibus, qui vi voti professionisque suæ huic oneri sponte ceruices supposuerunt. Quot autem supposuerint, quot ad sacros ordines gradum fecerint, quot Ecclesiasticis sint beneficiis præpositi, nemo facilè recenseat. Et cum iam orbẽ terræ Catholica religio ambiat, fit vt quemadmodum quouis tempore aliquibus sol oritur, aliis occidit,

Cap. fi. dist. 92. c. dolentes. & cap. presbyteri. de cel. Miss.

Digitized by Google

alicubi à somno surgitur, mensæ accumbitur, ad lectum itur, eiusdem solis circumlatione has successiue mutationes variis mundi plagis afferente; ita alicubi semper Deo preces à Catholicis offerantur. Hæc de horis illis Canonicis. Quod ad missarum solennia, in quibus augustissimæ quoque preces diriguntur in cœlum, in quo templo Catholici orbis paulò illustriore quotidie non fiunt, & multa quidem? quot eo de plebe conueniunt, etiam qui mechanica tractant, & curis grauibus implicantur? quot symbola priuatarum precum in commune conferunt? Quis denique nescit magnis in periculis vel necessitatibus, plerisque in locis ad orationem continuam 40. horarum recurri solitum?

Septima erat petere in nomine Christi. Semper hoc illi faciunt, quidquid demùm hac orandi forma significetur. Optimè de illo sentiunt, & quidquid eius contemptum reuera parit, abominantur. Credunt illum verum Deum, verum Dei Filium, solum Redemptorem nostrum, solum summum ac supremum Ecclesiæ caput. Toti nituntur eius meritis, per illum solent orationes suas concludere, notior res est, quàm vt probatione indigeat.

Octaua erat obseruatio partis diei aptissimæ seu matutinæ. Vtuntur ea si qua alia laici Catholici vt supra vidimus, sed magis adhuc ipse Clerus pro iis legatione fungens ad Dominum. Persoluit tunc sanctione publica horarum suarum penè dimidium, quod propterea matutinum appellatur. Imò Cœnobitæ interuallo non modico tempus hoc anteuertunt, ita vt ab hora noctis decima ad quartam vsque matutinam omnes fere pensi huius debito se liberent.

Nona erat delectus loci quoque aptissimi. Equidem vbique preces fundunt, vt plurimum tamen oraturi templum adeunt nulla etiam necessitate, nullo adducti præcepto. Hoc de laicis. Nam quod ad Clerum, seu publicos Ecclesiæ Ministros longè id est certius. Quia statas eorum preces ac publicas esse oportuit, decretum apud illos est sapientissimè, vt Diuinum officium ibi tantum perageretur, & ita fieri cernimus.

Decima erat, vt à publica potius quàm priuata persona offerretur. Publica dicitur quæ ad orandum pro toto populo ab iis

iis assumitur & instituitur, qui legitimam habent authoritatem, seu qui Ecclesiam regunt in spiritualibus. Talis profectò populum illum totum repræsentat. Quemadmodum itaque populi totius, sic eiusmodi personæ efficacior est quàm priuatæ oratio cæteris paribus. In ipso iure ciuili complura quæ nullius sunt roboris, cum à priuatis fiunt, facta ab iis quos Magistratus instituit, efficacissima existunt. Clerus totus Catholicus ex eiusmodi personis coalescit, deputatis videlicet ad orandum authoritate publica, esto non inficier eam curam specialiter sacerdotibus demandari (ac præcipuè iis, quibus credita est animarum cura) de quibus Ioel. *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent parce Domine, parce populo tuo, &c.* Cap. 2.

Vndecima gratiarum actio, vel comitans aut subsequens petitionem, vel antecedens. Nullo certè modo piam hanc grati animi significationem ob accepta diuinitus beneficia missam faciunt, sed illa post sumptum cibum piè vtuntur in priuatis domibus, ac multo augustius in Domo Dei, in Missarum solenniis. Nam collectæ quæ sub finem recitantur, & post communiones appellantur, argumenti huius esse solent. In hymno qui incipit, *gloria in excelsis Deo*, exclamant inter cætera, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, quam scilicet nobis præparasti, proque mediis omnibus quibus ad illam peruenitur. Nemo rursus apud illos diuini verbi præconem agit, qui Euangelium explicans de decem leprosis atque ad locum illum veniens. *Nonne decem* Luc. 17. *mundati sunt & nouem vbi sunt? non est inuentus nisi hic alienigena, qui rediret & daret gloriam Deo*, serio admodùm auditoribus non inculcet suis hanc gratitudinem, seu actionem gratiarum, & donorum commemorationem à Deo collatorum, ne deprehendantur profano illo deteriores qui ne ingratus videretur ementitam sic Deam affabatur.

Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptra Iouemque
Concilias, tu das epulis accumbere diuum
Nimborumque facis tempestatumque potentem.

Vt concludam, videre est nonnunquam in vna eademque prece Catholica preces omnes ab Apostolo expressas 1. Tim. 2. videlicet obsecrationem, gratiarum actionem, orationem, & postulationem, vt in ea quæ legitur in festo sanctissimæ Trinita-

Digitized by Google

tis, & sic habet. *Omnipotens sempiterne Deus qui dedisti famulis tuis, &c.* hæc particula, *omnipotens sempiterne Deus*, pertinet ad orationis ascensum in Deum. hæc alia *qui dedisti famulis tuis*, pertinet ad gratiarum actionem, tertia, *præsta quæsumus* ad postulationem, quod denique in fine ponitur, *per Dominum nostrum Iesum Christum, &c.* ad obsecrationem, quæ nihil aliud est, quàm interpositio rei sacræ, seu per sacra contestatio, vt illud Dan. 9. *propter temetipsum inclina Deus aurem tuam.*

Duodecima, vt præter sacram Triadem, & singulas eius personas orentur interdum Angeli & Sancti Dei. Nemo negat his omnibus supplicari à Catholicis, suo cuique modo; sanctissimæ inquam Trinitati, Deo Patri, Deo Filio, Deo Spiritui sancto, beatis Spiritibus, & reliquis cœlorum ciuibus, vt ex Litaniis liquidò constat.

Postrema erat, pro fidelibus quoq; defunctis interdum preces offerre, quod ita præstat grex ille totus, vt paratus sit iudicio stare aduersariorum suorum, ab iisque eo nomine, vt valdè superstitiosus traducatur.

§. 5. In Mahumetanis dissimillima omnia.

Primò incredibili tument fastu & superbia de qua lib. 3. c. 3. §. 4. sicut autem Deo humilium semper placuit deprecatio, ita grauis & ingrata fuit superborum.

Secundò, nunquam ad precandum accedunt nisi peccatis onusti quod sic ostẽdo ex ipso Alcorano. Iuxta Azo. 9. peccatis pleni sunt priusquam corpus abluant, potissimùm post vsum Veneris, in quo continuò penè, vt in luto sues volutantur, & iuxta eandem, lixiuium aliud non habent, quo ablutio illa peragatur, quam aquam, vnde ad illam ibi suos remittit Mahumetes sic loquens, *post coitum & egestionem antequam orent, abluantur, nisi vbi aquam reperire fuerit impossibile: tunc enim terra munda puluere, quasi aqua tergendo emundari licet.* Sed ab aqua repurgari anima non potest, hoc est, à materiali substantia immaterialis, nec magis impressionem ab illa accipere, quàm olim à Nicocreontis Cypriorum Tyranni tunsionibus detrimentum, cum ei diceret Anaxarchus. *Tunde Anaxarchi carnes & ossa. verum Anaxarchum nequaquam lædes.* Apud Christianos alia est ratio, quorum animæ

etsi

etsi spiritales sanctificantur, purgantur, liberantur à peccatis per aquam Baptismi alioqui materialem, siquidem ex Euangeliorum libro quem Mahumetani ipsi reuerentur, & honoris gratia capitibus sæpè suis superponunt, scimus Christum quamplurima edidisse miracula quæ Mahumetes ipse agnoscit in Azo. 13. & quibus omnipotentem ac Deum se esse demonstrauit, atque ita potuit per suam illam omnipotentiam aquæ baptismi vim illam supernaturalem indere, & facere vt talis aqua eorum peccata abstergeret, qui ea baptizarentur sub certa forma in nomine sanctissimæ Trinitatis Patris, Filij, & Spiritus sancti. Mahumetes autem miraculum fecit nullum, vt ex proprio ipsius ore palàm faciam, quo ostenderet ea se virtute præditum, seu eleuare posse aquam ad tam sublimem effectum. Quæ sanè eleuatio distincta esse debuit ab eleuatione facta per Christum, sicut & baptismus vtrobique distinctus est. Neque enim Mahumetes baptizari suos voluit, vi institutionis Christi, aut in nomine sanctiss. Trinitatis cuius hostis est capitalis, nec prohibere suos vti materia alia loco aquæ deficientis, vt prohibuit Christus. Ex his ergo patet, Mahumetanos ad orationem non verè purgatos sed impuros accedere, præsertim cum semper affectum retineant reuertendi more canum ad vomitum, seu ad peccata, quæ ablutione illa ridicula credunt aboleri.

Lib. 4. sub finem.

Tertiò fide carent, quia vt nos docuit §. 4. capitis 5. & 6. nec bonitatem summam Deo tribuunt, nec omnipotentiam.

Quartò ex triplici capite miris animi euagationibus dum orant, obnoxij sunt, hoc est, quia libidinosissimi sunt, quia gulæ deditissimi, quia prædas & rapinas perpetuò spirant. Non caret magna sollicitudine iuxta Apostolum, qui vel vxoris vnius est vir, sed cogitat quæ mundi sunt quomodo ei placeat, quanto magis si tot habet quot potest alere, si supra modum sit Zelotypus, si assiduè & pro arbitrio libidini det operam? quo non rapietur eius animus quoties orationi volet incumbere? Hæc autem omnia Mahumetanorum sunt propria. Iuxta suum Alcoranum

Digitized by Google

ranum tot ducunt vxores, quot alendis pares se esse vident, præter seruas quibus abundare consueuerunt. Adeo vexat illos Zelotypia, vt nec propriis filiis satis fidant, quos proindè vix secum retinent, nec vxores ab aliquo conspici patiuntur, sed magna cautione domi recludunt omnia tuta timentes. In vsu coniugij nullis docentur vel norunt vti induciis. Dissipatissimas quoque cogitationes pati helluones solent, atque vt habet parœmia *Gnatonis animus semper in patinis*. Atqui gregales illi Mahumetis, lege sua permittuntur in ingluuiem & ebrietatem se totos effundere, eo etiam tempore quo maximè orationi vacare conuenit, hoc est, quo ieiunium 30. dierum decurritur. Namque occidente sole & claudente ieiunium, tota nocte crapulantur, iuxta Azo. 2. quæ sic habet. *Sub occasum solis ieiunium soluite, tunc comedentes & bibentes quantum libuerit, ferè vsque ad principium horæ, quæ solis exortum antecedit*. Profectò cum crapula adeò profusa vbi finem acceperit, somnum conciliet, vaporibus caput oneret, animum sibi præsentem non sinat esse, incredibile est posse debitam attentionem fundendis tum precibus interuenire: credibile contra recurrere turmatim antecedentis illius comissationis imagines. Sed & tenentur omnes immani belligerandi studio, quod procul dubio non potest non esse maximum Deo vacandi, & attendendi obstaculum, quippe: Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.

De bello offensiuo loquor, de viris qui litium appetentissimi sunt, qui oderunt pacem, qui cruore delectantur, quibus ludus est proterere innocentes, qui miscent & depopulantur omnia. A pumice ego aquam potius, quàm à talibus cœlestes aliquas cogitationes expectauerim. Nam sicut Numam Pompilium, & alios qui religionem seriò coluerunt, à bellis abhorruisse legimus, nec ea nisi necessitate adactos suscepisse: Ita quos insana hæc armorum & direptionum cupido incessit, describunt nobis Annales veterum impios, sceleratos, in speciem duntaxat curantes quæ ad Deorum cultum pertinerent. Nempè religio mite pectus postulat, quietum, segregatum. Mars autem immite, ferreum, vagum, promiscuum. Illius conuersatio in cœlis est, istius in terra. Ille quæ supera sunt cogitat, iste quæ carnis, cuius proinde bella à sanctis patribus carnalia appellantur.

Quintò

Quintò iniquissima quæque à Deo flagitant, imminente præsertim congressu bellico, vt scilicet inuadere, aggredi, spoliare, subigere, captiuos ducere vel etiam neci dare possint innocentes, à quibus nihil vnquam iniuriarum acceperunt. Aliàs temporalia tantum bona sibi dari postulant, vt in Azo. 34. *Deum voto precetur supplici, vt ex suis diuitias adaugeat.* Scribit fateor Antonius Mænauinus finita hymni lectione, omnes simul in terram procidere clamantes, *Sabanalla, Sabanalla, Sabanalla*, id est, ô Deus esto misericors nobis peccatoribus. Sic quoque orant in Azo. 7. *tu Domine misericors nostra condona peccamina, nosque defunctos bonis adiunge, & in die iudicij ab ignis feruore, quo malos sine remedio grauiter affliges libera.* Verùm cum peccata illa velint sordes esse corporis, vt potè quæ naturalis aquæ lotione abstergi credunt, bonorum item beatitudinem in gustus tactusque sensu Epicureorum more constituant, temporalia bona seu sensibilia solum postulare conuincuntur. Similiter liberatio quidem ab inferno spirituale quiddam est sed priuatiuum, hic autem de bono spirituali proprio ac positiuo loquimur.

Sextò minus quàm iactare solent, ab orandi assiduitate laudari possunt. Licet enim quinque diei tempora orationi destinent ortiuum, meridianum, vespertinum, occiduum, & quod cœnam proximè sequitur vt scribit Richerius; hoc tamen non de die quouis est intelligendum, vt notat Postellus in lib. Relig. & Republ. Turc. pag. 51. 52. 53. sed de solis feriis sextis, & quadragesimalibus. Immò ex 5. illis temporibus duo duntaxat propriè obligant, matutinum vt insinuant hæc verba Azoaræ 27. *Summè cauete, ne matutinalis oratio deficiat*, & meridianum, vt tradit idem Postellus ibidem, additque non orantes puniri grauiter in ære & corpore. Vndè coniectare licet, quidquid orant coactum esse, parùmque religiosum. Est quoque animaduertendum eos non domi sed in Meschitis tantum suis orare solitos, quod abundè sufficit, vt orationi perparum addicti videantur.

Lib. 2. de Turc. moribus.

Septimò, nihil prorsus petunt in Christi nomine, quod profectò in iis tanto est culpabilius, quanto liberius illum confitentur summum esse Prophetarum, Dei animam, Verbum, & Sapientiam, qui proindè valeat authoritate plurimum.

Digitized by Google

Octauò, manè orant fateor, vt proximè docuit nos Azo.27. sed nunquam tempus illud anteuertunt, cum interim quod præcedit, longè sit fundendis precibus accommodatius, propter maius noctis silentium atque solitudinem. Vnde & Christus in oratione pernoctabat, Luc. 6.

Nonò, intra fana illa sua orant, sed merè profana, vt quæ nullis cæremoniis & sacris precibus Deo dicantur, nullis instructa sunt pietatis symbolis, si lampades excipias, ita fit vt ad excitandum augendumque orationis Spiritum parum prosint.

Decimò, esto preces fundant hoc sensu publicas, quòd publico in loco, & à multitudine ad illum conueniente fiant, non tamen quod à specialibus personis offerantur, publica authoritate ad id deputatis, & ritu consecratis; cum tamen hinc propriè dicantur publicæ. At nonne ad Meschitas vna cum populo Mahumetani sacerdotes conueniunt? Ita quidem, verum si Postello credimus, non tàm orant, quàm orantes obseruant. Et certè nulla in tota Alcorano lex est, qua teneantur aliquas fundere, quantum obseruare potui.

Vndecimò in eodem libro nullibi quidquam præscriptum est de agendis Deo gratiis, nec ipsius Mahumetis oratio aliqua eo spectans circumfertur.

Duodecimò, nec Trinitatem inuocant, nec Christum aut Spiritum sanctum, quorum tamen quemlibet verum Deum esse demonstrauimus, cap. 8. §. 1. Quod ad sanctos, aliquos habent fateor ad quos orationes dirigunt, vt Hattseipettesch, id est, peregrinationis adiutorem, & Ascikpassa id est, patronum amoris, & Vairpassa, id est, patronum concordiæ, quem inuocant litigantes, & Schleychpassa, id est, patronum afflictorum, & Chiridirelles, id est protectorem iter agentium, & Sedichasi id est, sanctum victorem, cuius sepulchrum est inter limites Caramannorum & Ottomannorum, & Goiuelmirscin & Bartscumbassa, id est, patronos & curatores pecorum, cæterorumque animalium. Sed tripliciter circa hos errant, & vt muscæ vnguenti, omnem orationis suauitatem perdunt. Primò quia eo facto præuaricantur, & Alcorano suo repugnant, cuius hæc sunt verba in Azoa. 28. *non te commendes alij*

Cusp. lib. de Relig. Turc. sub finem.

Digitized by Google

quàm Deo. Secundò quia hos ſanctos confinxerunt, aut ſi fuerunt aliquando, nullum eos præclarum facinus, nulla rara virtus, prodigium nullum dum viuerent, commendauit, imò improbitas multa in multorum adduxit inuidiam ac imprimis Mahumetem ipſum, & alios de quibus Cuſpin. *Maximam vitæ ſanctimoniam tàm dictis quàm factis oſtentant, Angelique ex moribus, non homines iudicantur. Eſt tamen ſuperbiæ venenum occultum intrinſecus. Volunt enim ab omnibus obſeruari, offenſi parum indignationem Dei imprecantur. Omnes itaque cauent ne hos offendant. Mortui in Sanctorum numerum referuntur.* Tertiò quia idololatriam & vaniſsimam fidem admiſcent, litantes iis, butyro, pane calido, & ſimilibus, vt aliàs videbimus & inuocantes illos ſimpliciter ſine vllo ad Deum reſpectu, ac ſi ipſi largitores bonorum eſſent quæ poſtulantur, & interdum ſibi perſuadentes ſpe ſua fruſtrari neminem, qui eos inuocauerit. *Sed tabaſi tanta religione colunt*, inquit idem author, *vt neminem deſiderio ſuo frandatum qui opem illius implorauerit conſtantiſſimè credant*; quaſi vero non ſæpè fuſi fugatique ab hoſtibus maxima cum ignominia & ſuorum ſtrage ad propria redierint, precibus non obſtantibus quas præclaro huic ſancto obtulerant, vt victoriam conſequerentur. Suprà.

Poſtremò etſi defunctorum in ſuis orationibus memoriam faciant, & purgatorij habeant fidem teſte Septemcaſtrenſi lib. de moribus Turc. cap. 13. & Andr. Theu. lib. 10. Coſmograph. cap. 10. habent nihilominus Azoaram vnam, hoc eſt 29. quæ penitus deſiderium extinguit orandi pro mortuis. Nam cum in ea ſcripſiſſet Mahumetes. *Nemo eſt qui non ad ignem quia hoc Deus mandauit proficiſcatur*, mox ſubiungit, ſed impij, *non inde liberabuntur.* Certè cum de igne loquatur ad quem boni quoque mittuntur, purgatorius ſit oportet. Quod ſi ex iis aliqui nunquam indè ſunt emerſuri, dubium ſemper erit orantibus, num huius generis ſint ij, quibus ſuffragando prodeſſe cupiunt. Num ex conſequenti tentando id facere oleum & operam perdant: Cuius iactura cum ſit cuiq; moleſtiſsima, facilè adducentur, vt hanc omnem curam abiiciant.

Nihilo abſolutiores ſunt orationes veſtræ ô ſectarij, ſed ex multiplici capite vitium contrahunt, ad quod demonſtrandum, & doctrinam veſtram infamandam dicere ſatis eſſet non poſſe §. 5.

vos secundum eam, Dominicalem hoc est omnium præstantissimam recitare. Non quidem dicere, *sanctificetur nomen tuum*, quia hoc est petere vt abundetis operibus bonis quæ Deo gloriam afferant vt interpretatur Caluinus ipse in tract. de precibus
1 Pet. 2. Eccles. & insinuat satis B. Petrus cum ait, *ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* & Christus dicens, *vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum.* Vos autem si Caluinistæ estis, ad omne opus bonum inutiles, vos esse creditis, ob innatam concupiscentiã eiusmodi operib. perpetuo aduersantẽ. Si Lutherani affirmatis cum Doctore vestro iustũ in omni opere suo etiã bono peccare, & quia peccare non licet, consequenter fas non est benè operari, nec id à Deo petere. Non prætereà orare *adueniat regnum tuum*, quia nemo sapiens id petit de quo iam est certus, vestræ autem fidei caput est certò vobis paratum regnum cœlorum, sic vt ab illo excidere non possitis. Non item petere *fiat voluntas tua*, seu quod idem est detur nobis obseruare mandata tua, quandoquidem illorum obseruationem vocatis impossibilem, stultum autem est ea quæ fieri non possunt postulare. Nec etiam subiicere, *panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, sic enim in Græcõ habetur τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Nam Sacramẽtarij nullum supersubstantialem siue supernaturalẽ admittunt, qui ipsummet Eucharistiæ panem à communi & profano quoad substantiam non distinguũt. Nisi forte Dei Verbum velint intelligi. Verùm præter hunc, alius quidam cœlestis ac supernaturalis quærendus, petendusque proponitur de quo Ioan. 6. *Pater meus dat vobis panem de cœlo verum, ego sum panis qui de cœlo descendi.* Nec addere *dimitte nobis debita nostra*, cum certò credant, remissa iam sibi esse peccata omnia per fidem, sicut & pœnam peccatis debitam. Nec illud pronuntiare quod sequitur, *& ne nos inducas in tentationem*, cum se dicant libertate carere arbitrij, & concupiscentiæ non posse resistere, & Dei voluntate cui obluctari nemo potest, peccare homines, quotquot in peccata prolabuntur. Nec deniqueita concludere, *sed libera nos à malo*, eandem ob causam. Neque enim videri potest liberaturus à malo, qui impellit ad ma-
Math. 7. lum, dicente Domino, nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? & B. Iacob cap. 3. *nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?*

Labo-

Laborant insuper vt dixi aliæ eorum orationes multiplici vitio, quod sic ostendo seruato qui prius, ordine.

Primò Pharisæo arrogantiores ad orationem accedunt, tùm quia Pharisæus nunquam sibi certò vt illi promittere ausus est vitam æternam, tùm quia bis in hebdomade ieiunabat, decimas fideliter soluebat omnium quæ possidebat, & alia id genus multa faciebat, quibus nitebatur illa eius gloriatio propter quod nec inanis omni ex parte fuit, nec prorsus inexcusabilis: hi autem cum eiusmodi opera loco nullo aut penè nullo habeant nec faciant, semidij in oculis suis sunt, & summum ad quod aspirare humana possunt vota, sibi arrogant. De hac tota illorum superbia plura lib. 3. cap. 3. §. 5.

Secundò, in continuo sunt peccato iuxta sua principia, quia in continua sunt concupiscentia, cuius motum omnem peccatum esse & irreprimibilem constanter affirmant. Imò iuxta doctrinam Caluinistarum in continuo sunt peccato mortali: hi namque veniale nullum agnoscunt, sed mortalia omnia contendunt esse. Nec moror quod dicunt, tot & tanta peccata sua esto sibi reuera insint, tegi tamen à Deo nec imputari, atque ita in conspectu eius se iustos purosque esse, tùm quia imputat illa reprobis, non aliam ob causam, nisi quia illis insunt, & ita vel illa prædestinatis quoque imputabit, vel certè conuincetur acceptor esse personarum, & non iustus in omnes contra illud Apostoli, *Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem*, & infra, *ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam operantis malum Iudæi primum & Græci*, moxque addit, *non enim est acceptio personarum apud Deum*. tum quia sicut ægrotus sanus non dicitur, qui talis habetur, à quocumque tandem habeatur, ita nec purus qui talis quidem reputatur, sed intrinsecus deterrime afficitur. Sicut rursus halitus illius cui corruptissima sunt præcordia, ingratus est etiam ei cuius reputatione & sentẽtia nihil habent vitij, nisi fortè & ipse olfactum habeat occulto vitio præoccupatum; ita nec oratio scelesti hominis videri potest eum delectare, qui explorata habet eius scelera, esto secum ipse statuat non vlcisci ea, sed missa facere, seu non imputare. Rom. 1. & 2.

Tertio fide vera instructi non sunt, quandoquidem nec infi-

 nitam

nitam in Deo bonitatem agnoſcunt, nec ſimiliter infinitam potentiam, vt nos docuit §. 5. capitis 5. & 6.

Quartò inter orandum diſsipatur, & à Deo auertitur illorum animus ſexcentis peregrinis cogitationibus, quas mire fouet ſua ipſorum profeſsio. Nam inprimis lucro, negotiationibus, agrorum culturis, artium ſuarum opificiis deditiſsimi ſunt, ita vt ne diu illa intermittant feſta vix vlla recipiant, & cum ea celebrant, opera illa ſeruilia domi obire nulla religione prohibeantur. Quàm difficile eſt tàm impensè iis incumbentem animum, dum orare incipit, eorum abigere phantaſmata turmatim occurrentia, quibus cum præuio tempore, tantam & tam longam habuit conſuetudinem? Adhæc libidinis plerumque ſunt mancipia, etiam Prædicantes, ita vt portento ſit ſimile inuxoratum videre aliquem, etiam ætate penè decrepitum. Coniugij vſum habent continuum, nec vnquam cum Apoſtolo illius intermiſsionem populo melius orandi, vel Sacramenta ſuſcipiendi, gratia commendant vel conſulunt, vita periclitaretur qui id faceret velut Chriſtianę oſor libertatis, & patronus defenſorque cœlibatus. Aegerrimè poſſunt ab his cupiditatibus cogitationes ſuas abſtrahere, qui tàm impensè illis ſeruiunt, atque vt loquitur M. Tullius, *nihil altum, nihil magnificum ac diuinum ſuſpicere poſſunt, qui cogitationes ſuas omnes abiecerunt in rem tam humilem, tamque contemptam.* Nempè animus tanto fortius à ſpeciebus mouetur & rapitur quas mediis hauſit ſenſibus, quanto magis in eo vigent. Vigent autem eo magis quo frequentius, & recentius, & per actus intenſiores ad illum peruenerunt, intenſiſsimi porrò ſunt actus libidinis, & apud eos nullo modo mortificantes nec edocti mortificare membra ſua ſuper terram, frequentiſsimi. Incredibile tandem eſt eos, qui dolis fabricandis ſtudent, erectam ad Deum mentem gerere, etiam cum orare videntur. Namque circa duo occupantur pergrauia, ſolliciti videlicet vt fiat opus quod moliuntur, & vt occultè. Nouantes autem non ij eſſent qui ſunt, niſi aliquid ſemper cuderent, & vt Africa noui aliquid apportarent. Hæc illorum indoles, hoc ingenium, inquietiſsimi ſunt, tunc maximè ſtruentes inſidias paci publicæ, fidei antiquæ; Clero ac principibus cum ab omni fraude ac dolo videntur remotiſsi-

Lib. de Amicit.

igitized by Google

motissimi. Vnde Lutetiæ Parisiorum regnante Carolo 9. Vulgare vrbis votum erat vt diuina ope à tribus protegeretur, quorum vnum erat Rosarium viri cuiusdam eminentissimi & satis noti, quem nouerat mere esse Caluinianum, esto Catholicum se esse mentiendo gestaret rosarium B. Virginis, sed ita gestabat, vt nunquam pensiculatius dolos ac perfidias architectaretur, quam cum illud in templo vel inter spatiandum recitabat.

Quintò, quid spirituale à Deo petant, aut iuxta Pseudoeuangelium suum petere possint non video. Spiritualia in duplici sunt differentia. Aut enim sunt ipsa vita æterna, aut media ad vitam æternam. Hanc postulare ob id non decere aio, quod de ea securissimos se esse credant, nemo autem petere id solet vt nuperrimè argumentabamur, quod sibi credit certissimè repositum apud eum qui irreuocabili decreto dignatus est promittere. Id si facit, vel minimè sapit, vel munifico huic promissori facit iniuriam scilicet de eius fide vsque eo dubitans, vt fulcienda videatur nouis precibus. Idem est de mediis iudicium, ad finem ea constat ordinari, tantamque retinere habitudinem, vt quisquis finem aliquem sibi præstitit, ad quem familiares suos determinatè prouehat, vel insipientissimus sit, vel omninò media illis offerat, ne dicam obtrudat, quibus infallibiliter ad illum perueniant. Vt ad particularia, pauca descendamus, donum spirituale admodumque præclarum est virginitas libertatem magnam conferens promptius Deo seruiendi 1. Corinth. 7. & digna visa Augustino quæ flos Ecclesiastici germinis, decus & ornamentum gratiæ spiritualis, resplendens imago Dei, & illustrior gregis Christi portio diceretur. *Lib. 4. de Doct. Chr. cap. 21.* Vrget autem idem Apostolus 1. Corinth. 12. vt æmulemur charismata meliora, quis interim hoc facit Nouatorum? quis virginitatem vel appetiuit aliquandò, vel à Deo postulauit? Rursus expetibile valde est donum lachrymarum, de quo Hieremias, *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei?* Expetibilis pax inter Reges ac principes, ac simultatis omnis expers concordia, vnde præcipit Apostolus 1. ad Timoth. 2. *Primum omnium fieri* *Cap. 9.*

obsecra-

obsecrationes pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam vitam agant cum omni pietate. Expetibilis Mahumetanorum & aliorum Christianæ religionis hostium profligatio, ecce interim nihil horum sectarij eiusmodi à Deo petunt. Si perconteris quid ergo flagitent, terrena vtique quemadmodum lutoso isto glossemate suo docuit satis Lutherus explanans verba illa orationis Dominicæ, *Panem nostrum quotidianum, &c.* sic enim scribit. *Quid significat panis quotidianus? Respondeo quidquid ad corporis alimoniam spectat. vti comedere, bibere, vestiri, calcei, domus, atrium, ager, pecus, pecunia, possessiones, vxor bona, &c.* quasi verò Christus qui discipulos suos orare docebat, & eos videbat propter se vxores, possessiones, & vt verbo dicam omnia reliquisse, author eis esse voluerit, vt à se talia peterent, & vellent repetere. Sed faciamus de his ipsis eo loco locutum fuisse Dominum, nequaquam peti ab illis debent, quia media sunt, siue accessoria ad vitam æternam iuxta illud, *quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius. & hæc omnia adiicientur vobis:* ita vt postulari non debeant, nisi in quantum ad vitam illam consequendam suo modo iuuant, confecimus autem supra, qui vitam æternam sibi certò pollicentur, non debere eos de illius mediis esse sollicitos.

Math. 5.

Sextò, nulla apud eos orationum crebritas, de publicis loquor, priuatarum enim quia obscuræ incertæque sunt, non est habenda ratio. Nec quotidiè ad fana sua conueniunt, saltem Sacramentarij, sed ad summũ semel, bis, terue in hebdomade nec institutionem seu legem habent, quæ id præcipiat. Quis verò id assiduum constansque censeat, quod minimùm semel non fit quotidiè? Deinde nonne disertè scriptum est in Confessione Heluetica: *Caueatur ne nimiis prolixis precibus fatigetur in cœtu populus,* cum potius cauendum fuerit ne nimis breuibus? Obseruant sanè diligenter hanc suam constitutionem, vix horæ quadrantem preces illæ omnes occupant. Sed habeo grauius quiddam, quod in eos dicam. Nihil prorsus orare debent si dogmatibus suis consentiant, non solum ob rationem superius allatam, seu petitam ex certa expectatione vitæ æternæ & mediorum ad ipsam tàm spiritualium quàm temporalium, quæ vna facit vt Anabaptistæ nihil sibi à Deo petendum existiment, vt scribit Mathæus de Launoy. Sed etiam quia censent ob immutabilem Dei constitutio-

Lib. 2. falsi. suppos. c. 2.

ſtitutionem, & liberi defectum arbitrij omnia neceſsitate abſoluta contingere, nec poſſe aliter fieri quàm fiunt. Ex quo putrido fonte vitiatus hic riuus ſcaturit, ſuperfluas & inanes eſſe orationes quæ ad Deum mittuntur. Quoniam ſi omnia neceſsitate abſoluta fiunt, fruſtra quis Deum orat pro ea re quæ ſi futura eſt, etiamſi non oret, eueniet, & ſi futura non eſt, etiamſi oret nunquam eueniet, vt argumentatur Alphonſus à Caſtro. *Lib. 11. adu. hæreſ. V. oratio.*

Septimò cum de Chriſto peſsimè loquantur, ſcribant, & ſentiant, vt audiuimus §. vlt. cap. 6. & 7. Sanctus autem Auguſtinus abnuat eos in Chriſti nomine poſtulare, qui abiectè indigneque de illo ſentiunt, ſequitur Nouatores tanto Doctore Iudice, nequaquam ita poſtulare.

Octauò, quis inter eos, etiam de grege Prædicantium, vt orationi vacet diluculo ſomnum excutit? quàm procul ſunt ab eo quotquot ſunt, vt in oratione pernoctent cum Chriſto? vt cum Pſalmographo media nocte ſurgant ad confitendum nomini Domini? At nunquid circa ſeptimam, vel octauam antemeridianam cum populo in delubris ſuis non ſupplicant? Sit ita, non tamen idcircò videri poſſunt tempus matutinum orationi dare omnium aptiſsimum. Manè ſiquidem non horam illam ſeptimam vel octauam ſignificat, ſed diei principium. Vnde Macrobius dictum putat à manibus, quod exordium lucis ab inferioribus partibus emergat. Varro autem à manando, quòd cum ſole manet dies ab oriente. Quod caput eſt, quænam illorum leges decernunt aliquam noctis partem aut diluculum precationi tribuendum? *Lib. 1. Sat.*

Nonò locum nullum habent ſacrum orationi deputatum, in quo vtilius, ac potiùs orari poſſe & debere credant, quàm in alio quolibet, imò ſuperſtitioſos nos vocant quod id nobis de templis noſtris ſit perſuaſum. Nullum inquam locum habent ſacrum, ne templa quidem quæ ipſi ædificauerint, nullum ſiquidem ſacris cæremoniis, ac precibus Antiſtitum legitimè vocatorum ab iis conſtat fuiſſe dedicatum. Ita fit vt profanum ſit quodlibet non minus quàm forum, in quod proinde ſi conuenirent, ibique orarent, non minus vtiliter quàm in templo orare ſe poſſe arbitrarentur. Nempe doceretur templum quodcumque nihilo melioris conditionis eſſe ad orandum, quàm proſtibulum, la-

Digitized by Google

trinam, aut pullarium. Cuius quidem erroris ac blasphemiæ satores primi non sunt, hauserunt illam tamen è fœtidissima lacuna Taboritarum & Albigensium.

Decimò, precibus carent publicis propriè sumptis. quia illorum Prædicantes, qui maximè videri possunt personæ publicæ, legitimè institutæ ad orandum pro populo, obstricti vt plurimum negotiis secularibus, nec legitimè missi institutiq; sunt. vt suo loco ad oculum demonstrabimus, nec vnam quidem precem habent præscriptam sibi, quam seorsim recitare teneantur, nihil in hac parte à plebe differunt. Quas antè concionem ipsi, vel Diaconi eadem præsente plebe recitant, vtrisque communes sunt, nec absente plebe recitarentur. Illis Domi chartæ lusoriæ & libri amatorij vice Breuiariorum sunt.

Vndecimò gratias Deo agunt, sed æquè detestabiles, & tales quales sceleratus filius in optimam genetricem ingratus, rebellis, contumeliosus, domesticam turbans pacem, domum ipsam pro sua virili subruens, & propter hos aliosque huiusmodi mores coram Patre execrabilis, & exhæredandus Patri huic suo ageret, quod se à materna tyrannide liberasset, quod à natali domo abstraxisset, quod insaniendi vim contulisset, quod sibi vni hæreditatem omnem destinasset.

Duodecimò neque sanctissimæ Trinitati preces vllas offerunt, neque Filio seu Verbo, neque Spiritui sancto, esto ipsimet vtrumque Dei loco habeant. Rursus Christi humanitati, etiam vt non præcisæ à Dei verbo supplicandum negauit Petrus Richerus Prædicans Caluinianus, de quo Villagagno eques Rhodius. *Richerus assensit per Christum ad Deum nobis patere aditum, sed negauit personæ Christi supplicandum esse, ne humanitatē eius diuino honore afficeremus. Quamobrem preces Ecclesiæ ad Christum directas abrogauit, obnixè obtestatus vt cum publicè aut priuatim operam daremus, summa diligentia caueremus, ne alio quàm ad Patrem animum intenderemus.* Nota lector Petrum hunc immediatum fuisse Caluini discipulum ab eo legatum velut insignem Apstolum in Indiam occidentalem, vt minimè sit dubitādum, quin genuinam Caluini doctrinam perfectè calluerit. Hæc quoq; eius verba speciatim pondera, *ne alio quàm ad Patrē*, non ergo ad Trinitatem ipsam, non ad Filium & Spiritum sanctū. Restant sancti, quos fatentur nullis se prorsus dignari precibus.

In epist. ad Magistr. Genev. c. 83.

Postre-

Digitized by Google

Poſtremò nihil quoque dubium quin pro ſua impietate pro defunctis orare auerſentur & horreant, eſto hoc pertinere ad religionis perfectionem, ſatis ſit ſupra demonſtratum, §. 2.

Vnum hîc attexamus vnde confundantur & erubeſcant valdè velociter. Hactenus illorum nemo manifeſtè à Deo impetrauit quod petiit (vſque eo illorum preces abominatur & contemnit Deus) ita vt poſtulata res à ſolo Deo fuerit, & eſſe potuerit, vel conceſſa diuinitùs abſque mora, vel eo præcisè tempore quod fuerat à poſtulante conſtitutum, cum interim de religioſis viris ſcriptum ſit Pſal. 144. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet.* ¶ Sed neque vtilitatem aliquam reportarunt aliquando ex precibus Prædicantium qui ſe iis commendarunt, ſed damnum potius, non ſecus ac Valentis Imperatoris filius, qui cum ad ingreſſum preceſque S. Baſilij multum de infirmitate ſua remittere inciperet ſuccedentib. Arianis expirauit teſte Sozoměo. Catholici contra efficaciũ orationũ ſuarũ ſexcenta poſſunt exempla proferre, ex quibus attingam vnicum. S. Scholaſtica S. Benedicti Germana ſoror ab incunabulis Deo dicata, cum fratrem qui illam inuiſerat, obnixè rogaſſet, vt reditum differret in craſtinum, nec pia ſaluberrimaque colloquia tàm citò abrumperet, id tamen ab eo impetrare nequiret, dicente, *quid eſt quod loqueris ſoror, manere extra cellam nullatenus poſſum.* Mox inclyta virgo Deo ſupplicauit, vt ſe ſui voti compotem faceret, ac ſerenitatem quæ tunc aere toto cernebatur, in tantum imbrem conuerteret, quantum ad remorandum abeuntis greſſum ſufficeret, nec mora. *Lib. 6. c. 19.*

Horrida tempeſtas cœlum contraxit, & imbres.

quo perſpecto vir Dei triſtis queri cœpit & dicere. *Parcat tibi omnipotens Deus, ſoror, quid eſt quod feciſti?* ad quem illa. *Ecce te rogaui, & audire me noluiſti. Rogaui Dominum meum & audiuit me. Nunc ergo ſi potes regredere, & me dimiſſa ad monaſterium recede.*

De actibus Religionis externis & elicitis ac primum de Adoratione 3. eiusdem nota.

CAPVT XI.

§. 1. *Adoratio quid sit.*
2. *Pertinet ad numerum actuum Religionis.*
3. *Excellunt ea Catholici.*
4. *Non Mahumetani.*
5. *Minus adhuc Nouatores.*

§. 1. ADORATIONEM Dei de qua sola in præsentia est sermo, definit S. Io. Damascenus, *animi Deum colentis submissam atque humilem significationem*, ac si apertius dicat, est actus externus Religionis, quo per conuenientem aliquem corporis gestum protestamur subiectionem nostram erga Deum, vt erga summum rerum omnium Dominum, atque adeò tribuimus ei diuinum honorem. Dixi adorationem Dei, seu adorationem propriè sumptam, quia in scripturis sacris duas alias vocis huius significationes reperio. Alteram qua vsurpatur pro quacumque veneratione quæ alicui exhibetur propter dignitatis præstantiam, siue is Deus sit siue Angelus, siue homo etiam mortalis, quo sensu scriptum est 3. Reg. 1. *Inclinauit se Bersabee, & adorauit Regem.* Alteram qua complectitur quécumque Religionis actum, vt Dan. 3. *Deos tuos non colimus, & statuam quam erexisti non adoramus.* id est, idolo huic quod impiè vt Deum colis partem nullam diuini cultus deferre volumus. Videtur enim membrum posterius prioris elucidatio. Confirmat definitionem hanc S. Thomas, eandemque indicauit Diabolus, quando diuinos honores ambiens dixit ad Christum Math. 4. *hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.* Affine est illud Virgilianum

Lib. 3. de Imagin.

2. 2. q. 84. art. 4.

numen Iunonis adoret,
Prætereà & supplex aris imponat honorem.

Gestus ille externus quo hæc adoratio perficitur, seu quo medio testamur Dei maiestatem & excellentiam, multiplex est; videlicet totius corporis in terram deiectio, de qua Psalmus 118.

adhæsit

Digitized by Google

adhæsit pauimento anima mea, & Psalm. 43. adhæsit in terra venter noster. Prætereà adgeniculatio cuius exemplum extat in Salomone 3. Reg. 8. his verbis, *Vtrumque genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum*. Adhæc totius corporis inclinatio & maximè capitis, qualis videtur fuisse Publicani non audentis oculos in cœlum leuare. Rursus tunsio pectoris per quam homo coram Deo supremo Iudice reum se esse fatetur; apertio item capitis, eleuatio manuum, extensio earundem & ad os reductio. Receptissimus namque & veluti solennis Deos adorantium mos olim fuit, eminùs stantes manus porrigere, easque statim reuerenter ad os adducere & suauiari, vt sic quanta esset Dei maiestas indicarent, cum eam rem quæ illum suo modo tetigerat osculo dignam abitrarentur. Atque hinc Latinis censeo formatum verbum adorandi quia scilicet manus ad ora admouebant. Hæc Dei adoratio sic definita latriæ nomine apud Græcos maximè significatur. Nô quod λατρεία plura non cōplectatur si vocis spectes originem, venit enim à verbo λατρεύω, quod ex se idem ferè quod δουλεύω significat, hoc est, seruio aut colo; Sed quod à sanctis Patribus aliisque probatissimis Authoribus translata sit hæc vox à lata ista significatione ad exprimendum cultum soli Deo debitū hocq; indicat S. Augustinus dicens, *Latria verò secundum consuetudinem qua locuti sunt, qui nobis diuina condiderunt, aut semper aut tàm frequēter vt penè semper, ea dicitur seruitus quæ pertinet ad colendum Deum.*

Luc. 18.

Lib. 10. de Ciuit. c. 1.

Vnica hic obiectio diluenda superest. Adoratio quam hîc definiendam suscipimus, illa est qua Deus colitur. Porrò Christus Ioannis 4. ait Deum adorandum esse in Spiritu & veritate, quibus verbis cum nullam faciat externi gestus mentionem, immò illum excludere videatur, indicat illum nihil minus quàm ad adorationem pertinere, quam proindè inconsultè per externum corporis gestum definiuimus. Respondeo primò non loqui eo loco Christum de adoratione præcisè, sed de sacrificio (tametsi quia illa huic indiuidua velut comes solet esse, adorationis voce sit vsus) debuit enim & procul dubio respondere voluit ad quæstionem seu intentionem Samaritanæ: Samaritana autem de solo sacrificio loqui intendebat, de quo vno tota controuersia erat Iudæos inter & Samaritanos vbinam esset offerendum, Hierosolymis vt volebant illi, an potius in monte Garizin vt isti, non de

Digitized by Google

adoratione ipſa vt à ſacrificio diſtinguitur, cum conſtaret vbique adorari poſſe Deum. Sed demus loqui eum de ipſamet adoratione, clarum eſt verbis illis, *in Spiritu & veritate*, non excludi actiones externas & corporeas, aliàs in Spiritu nõ adoraſſet Paulus flectens genua ſua ad Patrem Epheſ. 3. nec rectè ſcripſiſſet 1. Cor. 12. actus quoſdam corporis vt interpretationem ſermonum, prædicationem, exhortationem, & alia multa quæ ibi enumerat, operationes eſſe ſpiritus. Quis ergo illorum ſenſus? ſignificat Chriſtus hunc & alios huiuſmodi; Religionis actus, vt accepti ſint apud Deum, debere ab interna deuotione, gratia, fide & charitate proficiſci, quæ omnia Spiritus nomine continentur, quia habitus ſunt ſpirituales iiq; præſtantiſsimi, quibus quia carebant Samaritani, vt pote & ſchiſmatici, ob idq; vera charitate deſtituti, & hæretici, multos enim Deos ponebãt, ſiq; S. Thomæ credimus Deo corpus attribuebant, notati ſunt quaſi minime veri adoratores. Significat prætereà ablegandas iam figuras legis veteris, velut vmbras veritatis à ſe introductæ, hoc eſt, operum quæ fecit & inſtituit per illas ſignificatorum, vt baptiſmi quem adumbrabat circumciſio, & Euchariſtiæ quam Agnus Paſchalis. Et quia Iudæi figuris illis Moſaicis adhuc inhærebant, cenſeri non poterant veri perfectiq; adoratores, quales quærebat Dominus. Patet itaq; definitionem allatam nihil minus quàm Chriſto aduerſari, cum adorationis rationem ita in geſtu externo conſtituat, vt interim mentem ſupponat probè affectam.

§. 2. Quod adoratio actus quidam veriſsimus ſit Religionis, extra controuerſiam eſt apud omnes demonſtratq; S. Thomas 2. 2. q. 84. art. 1. & breuiter oſtendi poteſt, quia Religioni conuenit excellentem de Deo opinionem gignere & proteſtari, quod profectò facit & intẽdit facere, quiſquis aliquo geſtu corporis vt genuflexione, inclinatione capitis, humicubatione indicat ſummam illius eminentiam, & in res omnes Dominatum & maieſtatem, qua coram omnes ſe deiicere, ac tẽperanter modeſtiſsimèq; omnia peragere oporteat. Confirmant hoc ſatis verba Mardochei, videlicet Deum adorare, eſſe Deum cultu proſequi. Eius verba ſic habent. *Cuncta noſti, & ſcis quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſsimum*, & paulo poſt, *Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem.* Heſt. 13.

nem. At inquies, si actus esset Religionis, & soli Deo debitus, nunquam concessisset Helisæus Naaman Syro, vt alium adoraret. Concessisse interim videtur 4. Reg. 5. Nam cum dixisset Naaman, *Cum ingredietur Dominus meus templum Remmon* (idoli est nomen) *& illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remmon adorante eo in eodem loco, ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* Respondit Helisæus, *vade in pace.* Ad hoc respondeo hinc tantum confici factam Naamano potestatem adorandi in loco illo non idolum, sed Deum verum, atque ad ipsum vnum, adorationis actum dirigendi, quod quidem fieri posse vbi abest scandalum vt hîc, nemo non videt dicente Propheta, *in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Psal. 102. Et certè Naaman paulò antè professus fuerat, se alteri nulli sacrificaturum, vnde nec alium latria adoraturum. Quanquam etiam, & ni me fallit opinio, melius adhuc responderi potest, nullam talem ei datam fuisse facultatem, sed promisisse Hælisæum, se pro eo oraturum, ne in id peccatum incideret. Ideò autem adoratio actus religionis externus dicitur, quia consistit in genuflexione & eiusmodi aliis sensum mouentibus, summi item Domini Dei in res omnes protestatio est apud homines, quibus nihil nisi per externa signa potest insinuari.

Perfectæ apud Catholicos adorationis, quæ sequuntur argumenta sunt certissima. §. 3. Primò omnis generis religiosos corporis gestus adorationi accommodatos in vsu habent. In terram procumbunt, humicubant, caput corpusque inclinant, caput detegunt, pectus tundunt, manus attollunt, in genua procidunt, res sacras, quin etiam terram osculantur. Veni & vide, quisquis non credis.

Secundò ne eos suspicere vel folia sola, vel nudum sectari corticem, docentur omnes requiri præter adorantis gestus dispositionem mentis debitam affectumque illum internum conciliandi honorem Deo, sine quo fieri posse negauimus, vt adoretur in Spiritu & veritate. Nam cum hypocrisi opponatur veritas, hypocrita autem sit, qui exterius præsefert aut dicit quod interius non agitur, vtique adorator verus dici non potest, qui externa contentus reuerentia internam adhibere prætermittit. Vnde nec adoratum putant ab Ismenia Thebano

no Persarum Regem, quia etsi antè illum prociderit, non tamen vt adoraret, sed vt duntaxat adorare videretur, reipsa autem vt annulum colligeret, quem prius in digito gestatum clàm ad pedes abiecerat, vt scribit Aelianus. Immò cum S. Thoma 2. 2. q. 84. art. 2. & 3. actum illum internum præcipui ponderis apud Deum esse non dubitant, quem proinde verisimile non est ab iis præteriri.

Lib.1.c.21.

Tertiò adorant versus Orientem, non ex necessitate aut stata lege, quasi huic orbis cardini ita sint affixi, vt adoraturis nefas esse credant ad alium se conuertere. Iudæorum hoc proprium est & Mahumetanorum, quorum illi occidentem semper spectant, hi meridiem: Sed ex decentia propter diuinæ Maiestatis indicium, relucentis in Oriente singulariter, velut in nobilissima cœli parte. Quinetiam propter Christum, qui lux est mundi, & Oriens appellatur Zach. 6. ad quem debemus nos conuertere, & tandem, quia ab Oriente venturus creditur, & expectatur secundum illud Math. 24. *sicut fulgur exit ab Oriente & paret vsque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis*, vt notat S. Thomas supra art. 3. ad. 3.

Quartò nihil quod latria colendum sit adorare prætermittunt, sed adorant verè, & se adorare velle ac debere multiplici verbo profitentur; ac in primis & frequentissimè Deum, vt abstrahit ab vna & pluribus personis diuinis, & in genere significat diuinum suppositum, vt in hymno gloria in excelsis Deo his verbis, *laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te*, & in exordio Matutini ad Psalmum, *Venite exultemus Domino*, in quo toties iteratur illud inuitatorium. *Venite adoremus Dominum qui fecit nos.* Secundò vt in personis trinum, vt cum in festo S. Trinitatis ad secundum nocturum dicunt, *te inuocamus, te laudamus, te adoramus, ô beata Trinitas.* Tertiò vtroque modo vt in inuitatorio eiusdem festi. *Deum verum vnum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur*, & in canone Missæ, *in essentia vnitas, & in personis proprietas, & in maiestate adoretur æqualitas.* Quartò separatim vnam aliquam personam eiusdem Trinitatis exempli causa Spiritum sanctum, vt ad Inuitatorium in festo Pentecostes. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum venite adoremus.* Quintò Christum hominem seu Christi humanitatem vnitam Verbo. Hinc illud *adoramus te Christe*

& bene-

Digitized by Google

& benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum: & in principio aduentus. *Regem venturum Dominum venite adoremus* in natali eiusdem, *Christus natus est nobis venite adoremus*, in Epiphania, *Christus apparuit nobis venite adoremus*, in Ascensione, *Christum Dominum ascendentem in cælum venite adoremus*. Neque verentur, ne à quoquam reprehendantur propter eiusmodi cultum siue adorationem, cum fulta sit certissima authoritate diuini verbi, & Conciliorum, & Patrum, ac tandem ratione. In Psal. 98. legimus Adorate scabellum pedum eius. Excogitari profectò nihil potest, quod huiusmodi scabellum dici possit adoratione dignum, præter assumptam à Verbo humanitatem. Quod argumentum tractans Concilium Ephes. ait. *Si quis audet dicere assumptum hominem coadorari debere Dei Verbo, quasi alterum alteri, & non potius vna adoratione honorificat Emanuelem, secundum quod factum est caro Verbum, anathema sit*, & S. Aug. in prædicta Verba Psal. 98. *replicabunt*, inquit, *& dicent, quid carnem eius quem creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque ei non minus quàm diuinitati deseruis? Ego*, Respondet, *Dominicam carnem, immò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnum eundemque Deum & hominem Dei Filium confiteor*. & infra. *In Christo Domino vnum Dei Filium, Deum verum & hominem qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patietur.* Rationem adducit S. Thomas, quod honor debeatur supposito seu personæ, cum ergò Christus vt homo, sit idem suppositum quod est quatenus Verbum seu Deus est, fit vt latriæ cultus ei debeatur, non solum vt Deo, sed etiam vt homini Deo, vel si mauis non solum eius diuinitati, sed etiam vnitæ ei humanitati; alia tamen atque alia ratione. illi enim debetur per se, huic verò propter illam. Tanta quippè vis, tanta dignitas est diuinitatis, vt si quid penitissimè sibi vniat, id debiti sibi cultus particeps faciat (quæ autem vnio maior quàm hypostatica?) cum etiam humanis in rebus multo minus coniunctis simile quid deprehendamus, puta in Regis purpura, quæ quia vnum quodammodo cum Rege efficitur, communem cum eo cultum habet. Aliud fortè esset si eadem Christi humanitas seorsim consideraretur, & non vt vnita verbo, dubitatur quidem, vtrum in eo casu latria coli deberet, sed quandiu coniungitur, & vt coniuncta consideratur, nul-

Anath. 8.

3. p. q. 25. a. 1. & 2.

 la est

la est apud Orthodoxos dubitatio, nec licet prætextu præsenti periculi adorandi solam humanitatem, à cultu illo desistere. Nam etiam reus esset læsæ Maiestatis,& vt scribit idem S. Aug. loco citato periculum mortis incurreret,qui prætextu simili nollet Regem honorare, nisi exutum suis vestibus, seu qui nollet simul cum eo indutam vestem adorare.

Et quia persuasum habent in Eucharistiæ Sacramento à sacerdotibus confecto rite consecratis contineri realiter, verè, ac propriè verum Christi corpus & sanguinem vna cum eiusdem anima & diuinitate, fit vt nequaquam prætermittant summum quoque adorationis cultum illi exhibere. In hunc finem attollit eam sacerdos, vt ab adstantibus omnibus videatur, & adoretur, & impleatur illud Psalmi 71. *erit placenta in capitibus sacerdotum*, ita enim habent translationes multæ loco verborum illorum, *erit firmamentum in terra in summis montium.* Quanquam hæc ipsa quoque ad propositum nostrum faciunt. Eucharistia quippè basis reuera est & firmamentũ nostræ religionis, estque in summis montium, quando attollitur super capita sacerdotum, quos eminentia & dignitas montes esse facit Ecclesiæ. Eandem eleuauit & ostendit Christus ipse, cùm in cœna videntibus qui aderant vniuersis accepit illam in manus suas, cui proindè mori meritò se conformat Ecclesia à tempore Apostolorum, quorum discipulus S. Dionis. ait, *sacerdos diuina munera reuerenter ostendit.* Nempè quis nescit res quasque præstantissimas, & honore simul esse, & ostentatione dignissimas? Ioseph vt erat inclytus conscenso curru ostensus est Genes. 41. & à Samuele Saul 1. Reg. 10. & iubet Dominus lucernam poni super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. In eundem rursus finem publicè circumfertur in festo corporis Christi, vt illi suo modo honor habeatur, sicut olim circumducto Ioseph, Mardochæo, Romanis Imperatoribus. Quem ritum vt sibi nequaquam displicere ostenderet, circumduci à discipulis suis per Hierosolymam Christus voluit iumento vectus in die palmarum. Circumducta quoque est arca Domini sæpissimè vt Ios. 3. & 6. & 1. Reg. 4. 5. 6. Denique cum in primæua Ecclesia reliquiæ sanctorum Martyrum fuerint ab ipsis Episcopis deferri solitæ ex Aug. lib. 22. de ci-

In sua liturgia c. 25.

de ciuit. c. 8. quanto verisimilius est augustissimum hoc Sacramentum fuisse circumgestatum? Verùm tunc præcipuè adorationis huius Eucharistiæ dant specimen cum sub communionem adsunt omnes aperto capite, flexis genibus, oculis intentis ac mentib. pectus tundentes sacerdotem sequūtur ter his verbis præeuntē, *Domine non sum dignus vt intres sub tectū meum.* Quę causa vna est de multis ob quas Eccles. Cathol. filios suos ad crebrā hortatur cōmunionē, vt sic videlicet occasionē habeant præstāti adoratione prosequendi tantum Sacramentum. *Nemo quippè in eo Christi carnem sumit nisi prius adorauerit eam*, vt scribit S. Aug. in Ps. 98.

Sed quid si hallucinetur talis Ecclesia credens in Eucharistia consecrata contineri verum corpus & sanguinē Christi Domini vna cum eiusdē anima & diuinitate? nunquid etiā adorando non hallucinabitur, & impia erit non religiosa? Omninò, sed absit vt hallucinari iudicetur columna & firmamentum veritatis. Obstāt argumenta quamplurima eaque fortissima à recentioribus congesta Theologis, ex quibus nisi aliqua protulero, meritò reus apparebo quasi debitum non suscipiens Catholicæ adorationis patrocinium.

Primum ducitur à figuris hoc modo. figura imperfectior semper est veritate seu re cuius est figura, vt imago re quam repræsentat, nec mirum cum hæc non sit propter illam sed contra. At si panis Eucharistiæ non sit verum Christi corpus, sed panis cōmunis quoad substantiā vt cōtendūt Sacramentarij, contrariū eueniet, igitur ne eueniat, & absurdum magnū sequatur, dicendū est verū esse Christi corpus. Probatur minor propositio, quia manna figura vera fuit Eucharistiæ vt docet S. Ambros. & illius ad hanc analogia multiplex, vt ꝙ manna datū sit post transitū maris rubri in refectionē populi, & eo tēpore quo is versabatur in deserto, & ingentium fuerit iurgiorum occasio: Eucharistia similiter detur post baptismum, nutrimentū spirituale sit fidelium hic peregrinantiū, atq; in cœlum tendentium, & ingentium materia iurgiorum, quæ ætate Berengarij, & ista nostra infœlicissima suscitauit impietas. Erat autem manna communi pane multo præstantius, non è furno veniebat sed è cœlo, pinsuerant illud non pastores sed angeli, vnde vocatur panis Angelorum Psal. 77. habebat non vnicum, sed omne delectamentum suauitatis Sap. 6.

Secundum à verbis promiſsionis Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita*, & infra, *caro mea verè eſt cibus.* Haud dubiè caro quæ data eſt pro mundi vita, quæ flagellis cæſa, quæ crucifixa, ſignum non fuit ac figura ſed ipſiſsima Chriſti caro; Chriſtus autem hanc ipſam ſe daturum promittit, & promiſſo haud dubiè ſatisfecit, nec tamen apparet quando præterquam in cœna; ibi ergo veram carnem ſuam in cibum dedit. Similiter eſſe aliquid verè & eſſe figuratè opponuntur non minus quàm veritas & figura, aut ergo mentitus eſt Chriſtus cum dixit caro meá verè eſt cibus, aut carnis ſuæ loco nudam eius figuram non exhibuit. Negabit fortè aliquis in eo cap. 6. verba facere Chriſtum de Euchariſtia, ſed eo modo quo deſperabundi & impudentes ſolent, apertiſsimo textui, & communiſsimæ ſanctorum Patrum ſententiæ reluctantes. Caluinum ipſum audiat in gratulatione ad præcentorem Lugdunenſem. *Fateor quidem cœnam non aliud eſſe quam ſpeculum, in quo repræſentatur quidquid continet nobilis illa concio quam refert, Ioan. cap. 6.* Audiat ſi lubet vna Auguſtinum in hæc verba ſcribentem, *Dominum audiamus de Sacramento menſæ ſuæ dicentem, niſi manducaueritis carnem Filij hominis.* Legat inſuper Baſilium magnum ita planè ſentientem lib. 1. de Bapt. cap. 3. Hunc cum nomino vniuerſam profectò Eccleſiam illi coæuam nomino; tota quippè illi communicabat & conſentiebat, ita vt epiſtolæ 75. hoc inſerere non dubitauerit, *Epiſcopi totius orbis literas ad me mittunt, & viciſsim à nobis recipiunt, ex quo intelligere poteſtis, quod vnanimes omnes eodemque ſenſu præditi ſumus.*

Lib. de peccat. mer. cap. 20.

Tertium à verbis Inſtitutionis quæ à Mathæo cap. 26. à Marco 14. à Luc. 22. ſic referuntur ſicut etiam ab Apoſtolo 1. Cor. 11. *hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Clariſsima profectò ſunt, & tanta conſtantia proferuntur, vt videri non poſsint qui iis aduerſantur, non dati in reprobum ſenſum, propter arrogantiam & contradicendi libidinem, atque effectu ipſo verum eſſe probare quod ait Auguſt. *quia ſcripturas ſecundum ſenſum ſuum legunt, profectò nec in illis quæ aperta ſunt cõtuentur.* Nihil dubium quin præuiderit ſatis Dominus altercationes grauiſsimas, quarum occaſionem captaturi erant ex illis peruicaces homines, cumque eſſet teſtator bonus, (ſuum enim condebat teſtamentum) conſeruandæ inter hæredes pacis ſtudioſiſsimus, præter inſignem illam perſpi-

Lib. de gratia Chriſti cap. 24.

perspicuitatem qua cum ea protulit, alia quædam mox attexuit nihilò obscuriora, & illorum velut enucleatiua, vt peruiciæ illi excusationem omnem præcideret, *quod pro vobis tradetur*, inquit, ac si diceret, vultis scire quodnam corpus meum porrigam vobis manducandum? illud ipsissimum est, quod pro vobis tradetur, & sanguis quem in potum offero, ille ipse qui pro vobis effundetur. Reputent iam secum Nouatores, sitne verum Christi corpus pro mundo traditum, & verus eiusdem sanguis pro mundo effusus, an figura tantum corporis & figura sanguinis. Haud dubiè non figura, sed corpus verum & sanguis verus.

Quartum à summa Dei potentia quam excedere videntur sui magnitudine miracula quæ in hoc Sacramento concurrunt, videntur inquam terrenis hominibus omni vera fide destitutis, ob idque interrogare solitis, *quomodo fieri potest hoc & illud*? Quibus respondemus, apud homines impossibile est, apud Deum autem omnia sunt possibilia. Cauete, diuinam virtutem sensu cordis vestri ne vnquam metiamini, maior illo est, facilius cochleari Oceanum totum exhaurietis, quàm vestris complecti cogitationibus, quid ille possit, valeatis. Verè est omnipotens, vt demonstratum est cap. 6. §. 1. & ipsi videri vultis agnoscere, & quia est, ista omnia potest, quæ si non posset, non esset omnipotens. Si sustinetis audire me, discite & memoriis vestris altissimè infigite, posse illum circa quantitatem, & aliam quamcumque creaturam suam quidlibet, ex quo non sequuntur contradictoria, hoc est eiusmodi creaturam esse & non esse, essentia seu natura sua constare & non constare: non sequuntur autem ex vlla parte mysterij huius Eucharistici. Nam si dicatis, quod maximè vrgere soletis, essentiã quantitatis continuæ, seu quanti corporis positam esse in extensione ad locum, & loci vnius occupatione; corpus autem Christi si sit in Eucharistia, esse indiuisibiliter; in tot item locis quot sunt hostiæ consecratæ, cogitis me mirari vehementer, vel inscitiam vestram intolerabilem vel malam fidem. Inscitia est existimare in eo sitam esse essentiam quantitatis, vt iamdudum vidimus in eodem cap. 6. §. vltimo, & patet quia si extensio localis esset de eius essentia, certè cum essentię in diuisibili consistant vt numeri, & neque plus neque minus suscipiant vt loquuntur Philosophi, non posset vnum & idem ma-

gis & minus extendi quoad locum, quod interim tàm rarefactio quàm condensatio docet esse falsissimum. Est verò inscitia intolerabilis in iis, qui in naturalibus tàm peregrini, audent quæ diuina sunt tàm proiectè definire. Mala autem fides, si cum sciatis, verum esse quod dicimus, videlicet in ea externa extensione nullo modo sitam esse naturam quanti corporis, id nihilominus quasi falsum esset impugnetis, perturbantes Ecclesiæ pacem, seducentes speciosis prætextibus & argutiis vestris corda innocentium, non sine irreparabili damno infinitarum animarum.

Quod ad transsubstantiationem seu conuersionem substantiæ panis in substantiam corporis Christi, tantum abest vt diuinam illam excedat potentiam, vt pleraque longè operosiora à Deo facta constet esse. Nunquid non omnia creauit ex nihilo, & vocauit ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt? Atqui creare sublimius aliquid est, quàm substantiam vnam in aliam conuertere, vt demonstratum est cap. 6. §. 4. Hinc illa B. Ambrosij argumentatio. *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse quæ non erant, quanto magis operatorius est vt sint quæ erant & in aliud commutentur? cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed dixit & facta sunt. Ergo tibi vt respondeam non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi quod iam est corpus Christi, ipse dixit & factum est.* Nonne rursus Adæ costam in Euam conuertit Genes. 2. aquam in sanguinem Exod. 7. & virgam in serpentem ibidem, & aquam in vinum Ioan. 2.? haud dubiè, & tamen harum omnium mutationum termini magis à se distant & opponuntur, quàm panis & caro, vinum & sanguis, siquidem aqua & sanguis opponuntur vt corpus simplex & mixtum, os & Eua, virga & serpens, vt corpora sensus expertia, & sensu prædita: panis autem & corpus Christi mixta sunt corpora, vinum item & sanguis eiusdem ambo mixta sunt, ambo sensu & vita carent. Quid hic naturam ipsam commemorem? mutare potest illa panem in carnem (neque enim alias hominis caro pane nutriretur) & vinum in sanguinem. Vinum quippè nutrit, & ad hepar delatum ibi fit sanguis: Deus autem naturæ author nec panem in carnem vertere poterit, nec vinum in sanguinem? quis hoc credat & simul sapiat? scio vtrobique

Lib. 4. de Sacr. c. 4.

non

non eandem planè esse rationem, & in mutationibus illis naturalibus eandem perseuerare materiam, eas item fieri præuiis multis alterationibus, atque ita non esse miraculosas: Transubstantiationem autem Sacramentalem esse contraria de causa; sufficientissima tamen affinitas, analogia, & similitudo interuenit, ob quam illas naturæ concedentes, hanc negare diuinæ potentiæ nulla ratione debeamus.

Quintum à confessione aduersariorum. Nam Caluinus lib. 4. Instit. cap. 17. num. 1. 3. 19. 20. & seq. apertè scribit veram Christi substantiam pro nobis cruci affixam verè & realiter nobis vniri, & à nobis sumi sub specie panis & vini. Certè hoc ipsum est quod dicimus. Nec moror quod alibi scribat, ibi tantum esse signum ac figuram eiusmodi corporis, hoc quippè ad hoc solum prodest, vt intelligatur (quod omnibus pseudomagistris familiare est) sibi apertè contradicere, & esse serpens versicolor, & ποικιλότερος ὕδρας.

Sextum ab euersione fundamenti quo præcipuè idem Caluinus nititur. *Nos vero*, inquit, *quod tàm communis sensus quàm pietatis ratio extorquet, dum figuratum esse loquendi modum ingenuè concedimus, non confugimus neque ad allegorias, neque ad parabolas, sed axioma sumimus, quod sine controuersia receptum est inter omnes pios, quoties de Sacramentis agitur, rei signata nomen ad signum metonymice solere transferri.* Hæc postrema verba alicui forte paulo sunt obscuriora, attexam proindè ex eodem authore alia, quæ clarius mentem eius aperiant. *Fixa vel crepantibus istis omnibus furiosis manebit regula generalis. In omnibus Sacramentis subesse figuram aut tropum quoties res de signo prædicatur, aut signum de re.* Prætereo quàm sit ridiculus & impius recurrendo ad sensum communem velut ad Iudicem in materia Sacramentorum siue humanum intelligat, siue naturalem qui facultas est animæ sentientis: Nullo item scripturæ loco axioma illud stabiliendo, quod in re profert summi ponderis, cum interim velit doctrinam omnem fidei eatenus tantum recipi quatenus authoritate fulcitur diuini eloquij, sic enim loquitur in instructione contra Anabaptistas articulo 2. *Huic legi me libenter subiicio, vt dictis meis nulla adhibeatur fides, nisi testimonium ex scriptura habeant.* Ad responsionem venio longè facillimam. Vbi est Sacramentum ibi est signum

In consens. de re Sacr.

In Gratu. lat. ad Præcent. Lugd.

signum fateor, quandoquidem Sacramentum definitur signum rei sacræ. Sedenim semel, bis terque quaterque nego de ratione signi esse vt separetur à re signata. Nam & verus Rex signa gestare solet regiæ Maiestatis, & Prætor Prætoris. Veteris legis Sacramenta, quia imperfecta erant cum re non coniungebantur, quā significabant, & ob id ab Apostolo vocantur egena elementa, & talis erat petra illa de qua Apostolus, *petra autem erat Christus*. Euangelicorum alia est ratio, nec tu Caluine eandem esse debere vnquam ostenderis.

Septimum & postremum ab imbecillitate argumentorum quæ proferri contra Catholicam assertionem solent. Sunt autem hæc communissima.

Primum sensus non iudicat Eucharistiæ panem etiam post consecrationem esse corpus Christi. ergo non est corpus Christi.

Secundò B. Augustinus interdum vocat eundem panem figuram corporis Christi. ergo non est Christi corpus, sed figura corporis.

Tertiò indignum est verum Christi corpus, tractari vel sumi à nebulonibus, transmitti ad ventrem, rodi posse à muribus, ergo credibile non est quod sit in Eucharistia, in qua his omnibus casibus esset obnoxium.

Postremò nec vtile est nec necesse illud in ea poni, nunquam ergo illud in ea ponere cogitauit, quia nec inutilibus delectatur nec superuacaneis.

Ad primum iam aliquoties responsum est indignum prorsus esse Christiano præsertim homine, iudicium rerum ad fidem pertinentium deferre sensibus, cum ne in naturalibus quidem semper eis fides habeatur, sed errent sæpissimè, vt visus fractum remum vel baculum iudicans, cuius pars vna supereminet, altera intra aquam demergitur, & solem terra minorem, & extrema parallelarum concurrere, cum tamen æquidistent, & cubum visum eminus sphæram esse vel circulum. Præponderare debet infinitis partibus simplex Christi affirmatio omnibus sensuum actibus & exprimentis, ita quod si ostenso vel lapide diceret, hoc est panis, credere deberemus esse reuera panem, esto ligni vel lapidis formam retineret. nam cum mentiri non possit, hoc

ipso

ipso quo panem esse diceret, per omnipotentiam suam lignum vel lapidem in panem conuerteret.

Ad secundum modus ille loquendi B. Augustini nihil nos lædit, quia non vult Eucharistiam esse nudam figuram corporis Christi sed figuram seu signum cum eo coniunctum, sicut corona, sceptrum & similia Regis insignia à quo portantur, simul cum illo sunt. His addo cum quis verè scire expetit, de hoc Sacramento quid tantus Doctor senserit, obscuras & versatiles aliquas eius sententias adire non debet, quales interdum in optimis etiam Authoribus possunt occurrere, sed apertas, qualem habent eius Commentaria in Psal. 98. & 33. ibi videbit quàm ingenuè ac solidè in nostras partes consentiat, exempli gratia cum ait soli Christo datum, vt portaret se manibus suis, idque in cœna factum cum acceptum in manus panem consecrauit dicens, *accipite hoc est corpus meum*. Certè si putauit eiusmodi panem consecratum, figuram tantum fuisse corporis Christi, & non ipsum corpus, crassè nimis hallucinatus est prorsusque immeritò negauit posse aliquem alium Christi more portare se seu corpus suum manibus suis, qui enim se depictum non possit? sicut ergo verisimile non est sic eum desipuisse, ita nec existimasse solam corporis Christi figuram in Eucharistia contineri. Et quamuis eius opinio à Catholica fide discreparet, quod nec dico nec dicendum est vllo modo, nonne adhuc ei longè esset præferenda Ecclesiæ authoritas, & tot generalium Conciliorum, vt Nicæni primi, Lateranensis, Tridentini, tot item aliorum sanctorum Patrum concors suffragium? O si viueret quantum pro sua humilitate & singulari modestia succenseret, irasceretur, indignaretur non præferentibus, qui Ecclesiæ & synodis illis tantum semper tribuit, vt nemo magis? Ad tertium, indignitas illa prætenta si quid haberet virium, probaret similiter nec sputis fuisse illitum, nec flagellis cæsum, nec etiam crucifixum (quod quidem erit Mahumetanis gratissimum, affirmantibus Iudam eius loco in crucem actum) plurimum quippè distant hæc omnia ab eius dignitate & meritis. Indignitas quidem est, eaque detestabilis ex parte sacrilegorum, qui vel illum crucifixerunt, vel impuri in Sacramento tractant & suscipiunt; ex parte autem ipsius summa dignatio, summa laus, summæ charitatis ostensio,

Digitized by Google

æcum vt nos redimeret, iniurias, contemptus, & mala iſta non refugerit, idque ingenuè agnoſcit Caluinus cum ait. *Reſpondeo magnæ eſſe dementiæ exiſtimare gloriam Chriſti vlla in re minui, vel ipſius dignitati vllo modo derogari, cum dicitur ſeſe ita abieciſſe, atque adeò exinaniuiſſe ſalutis & redemptionis noſtræ cauſa. Abiectiora multò dicuntur de eo Pſalmo 22. Vermem eſſe non hominem, opprobrium hominum & abiectionem plebis, & apud Iſaiam contemptum fuiſſe vt hominem nihili, inſtar leproſi habitum, annumeratum cum ſceleſtis. Sed quis plura dicere poteſt quàm Paulus ipſe, nempe maledictum & exectrabilem pro nobis factum eſſe?* Ita patet ingratiſsimos eſſe, quotquot prætextu tuendæ Chriſti gloriæ ſummam illam eius dignationem pernegant, quam in Euchariſtia oſtendit, & quam amare inprimis deberent, extollere, & demirari.

In Inſtruct. contrà Anabapt. ſub finem.

Ad quartum ſi inutile eſt Patrem adeſſe ſeu præſentem eſſe filiis, Dominum ſeruis, Magiſtrum diſcipulis, pugilibus Agonothetam, Ducem militibus; tunc ſuperuacaneam quoque fatebimur realem in Euchariſtia Chriſti præſentiam, ſecus pergemus credere plenam è contra eſſe vtilitatis, plenam eximiæ conſolationis, ſine qua piè expoſtulantes diceremus. *niſi tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto, in quo enim ſcire poterimus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis qui ſunt ſuper terram?*

Exod. 33.

Sed quid de Dei Chriſtique imaginibus & reliquiis? an non ad illas quoque adoratio extenditur Catholicorum? extenditur ſanè, & extendi debet, vt ſit omni ex parte perfecta, quod priuſquam demonſtrem, ſuppono velut iam probatum cap. 4. §. 2. nihil in eo eſſe vitij, quòd Deum alioqui ſubſtantiam ſpiritalem adumbremus, quia eiuſmodi pictura non eo ſpectat, vt Deum quatenus Deus eſt, credamus aut doceamus humanis illis eſſe membris præditum, ſed vt diuina eius attributa, ſeu perfectiones, vel opera analogiam habentia cum eiuſmodi membris, menti noſtræ ex viſibilibus inuiſibilia ratiocinari ſolitæ proponamus. Nunc ad rem.

Dico primò, deberi imaginibus & reliquiis eiuſmodi venerationem aliquam. Nam eas venerandi inſtitutum traditio eſt Apoſtolica cuius meminit S. Ioan. Damaſcenus lib. 4. Orthod. fidei cap. 17. & ſemper in Eccleſia viguit, nec aſsignari poteſt

poſt

Digitized by Google

post Apostolos aliquod eius initium, ex quo magis adhuc intelligitur ab iis descendisse iuxta tritam illam S. August. regulam. *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* *Lib. 4. contr. Donat. cap. 24.*

Secundò, eo ipso quo scriptura passim docet Deum vt ex toto corde, tota anima, totis viribus diligendum, ita omni ratione colendum, vnde Propheta Dauid cum dixisset, *benedic anima mea Domino* adiecit *& omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.* Vna autem ratio est, si non in se solum, sed in sua colatur imagine, *Psal. 102.* quippè sicut imago non est propter se, sed propter ipsum, nec consideratur materialiter, sed vt formaliter ipsum repræsentat, eo modo quo supra diximus, ita procul dubio honor hic totus imaginis redundat in eum, & respicit ipsum tanquam id quod solum est propter se, ac per se honore dignum.

Tertiò occurrit nobis argumentum à simili. Quis negare audeat honore prosequendos esse Patres spirituales vt Pastores, Patres item carnales, Imperatores, Reges, Principes, Magistratus, Maritos, Præceptores, quatenus imagines quædam Dei sunt? Ergo & iis de quibus agimus honor habendus erit, tametsi inanimatis. Neque enim ex eo quod eiusmodi sunt, imaginum rationem habere desinunt, quantum satis est, vt in eas adorationis actus aliquo modo tendat. Aliàs neque iurare liceret per creaturas animæ expertes, velut non satis Deum repræsentantes. Ipsi verbo Dei aliqua debetur reuerentia: ipsum autem nihil aliud est, quàm imago quædam Dei, Caluino etiam teste cuius hæc sunt verba homil. 4. *D. Paulus nihilominus declarat Euangelium esse quoddam speculum, in quo omnes eum tueri & contemplari debent.* Idem iudicium de nomine Iesu de quo idem Apostolus, *Phil. 2.* *In nomine Iesu omne genu flectatur.*

Quartò omnibus hominibus innatum est offendi grauissimè, si indignè imagines suas tractari videant, estque hoc capitale in Imperatorum ac Regum picturis, & insignibus. Contra honore non paruo se affectos credere, si aliquis fit iisdem habitus. Vnde Caio Caligulæ summos honores ambienti sufficere visum est, si suam à Petronio in templum Hierosolymitanum inferri & colendam proponi satageret. Solent quoque Iudices quibus cum contumacibus reis negotium est, in eorum imagi-

Digitized by Google

nes animaduertere, patibulo eas affigere, rogo absumere, securi concidere. Quod si faciunt, nec dubitant inde in reos ipsos infamiam deriuari, cur ex aduerso non videatur honor imagini habitus ad prototypum ipsum pertinere?

Dico secundo hunc ipsum honorem imaginibus diuinis habitum latriam esse posse ac debere.

Primò quia scriptura Deo testatur fieri quod fit rebus à quibus repræsentatur, iuxta illud 1. Reg. 8. *non te abiecerunt sed me*. & Math. 25. *quandiu fecistis vni ex his minimis meis mihi fecistis*. Luc. 10. *qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit*. Math. 10. *qui recipit vos me recipit*, igitur colendo imagines illas latria. Deus ipse coletur: quis verò illum credat actu illo nostro offendi per quem latria colitur? Sed statim colliges, ergo sanctos. & Reges, & alias viuas eius imagines licebit latria colere. Nego consequentiam, propter manifestum periculum dirigendi summum istum cultum ad insitam illis perfectionem, & non ad Deum, quippè hæc illorum perfectio seu dignitas indita multo magis sensum mouet præsertim rudium, quàm relatiua, quæ obtingit illis vt præcisè Ministri & imagines sunt Christi. Inanimatarum imaginum opposita est ratio, sciuntur nullam habere in se perfectionem minima veneratione dignam, vnde quæ illis exhibetur tota in Deum dirigitur, in quo solo est dignitas ob quam coluntur, nec in iis vllo modo hæret seu sistit adorantis intentio, sed ad ipsum transit.

Atque hinc deducitur argumentum alterum quod sic instituo. Ratio ob quam coluntur inanimatæ Dei imagines in solo Deo est. Sed hæc ratio cum sit infinita summam requirit venerationem ac proindè latriam, ergo venerationem qua coluntur imagines Dei inanimatæ, & per ipsas Deus summam esse oportet, ob idque latriam.

Tertium sit dissolutio obiectionum quæ ab aduersariis proponi solent. Quomodo enim non pergamus honorem hisce imaginibus exhibere, si vna ex parte per tot secula in possessione sumus talis exhibitionis in vniuersa Ecclesia vsitatæ: ex alia ostendatur obiectis illis nihil inesse firmitudinis? In scripturis inquiunt imagines absolutè simpliciterque prohibentur Exod. 20. Idololatræ semper habiti sunt Ethnici, eo ipso quo ante aliquas

proci-

Digitized by Google

procidebāt, nihil refert quam quis apprehensionem seu opinionem de illis habeat, modo adsit idem opus externum siue procubitus, satis hic est ad idololatriam, tandem longè impiissimum videtur Dei honorem transferre ad creaturam, atque vno eodemque actu hanc & illum colere, cum hoc sit eandem illi exæquare.

Respondeo tantum prohiberi falsorum Deorū imagines, idque ne aliquo modo colētur siue vt dij, siue vt illorū repræsentatrices, quo modo eas haud dubiè colebant Ethnici, & filij Israel dicentes Exod. 32. *hi sunt Dij tui*, & illi alij ad quos eadem verba dedit impius Ieroboam lib. 3. Reg. cap. 12. ostendens vitulos duos aureos, quos conflauerat. Vt nihil mirum videri debeat, si iudicati sunt idololatræ, cum totus hic cultus, in falsos Deos desineret. Nunquam autem probabunt aduersarij, prohiberi imagines sacras, earumque cultum relatum ad Prototypa; immò contraria de causa hic cultus licitus esse conuincitur, quia videlicet eiusmodi res verè extant, & dignæ sunt, quæ tam in se, quàm in symbolis suis honorentur. Catholici autem nec alias, nec alio modo colunt. Quàm autem falsum sit, nihil referre quæ sit adorantis intentio siue apprehensio, ex eo patet, quòd indè sequeretur Idololatras esse quotquot antè Reges vel alios procidunt, quandoquidem tunc eodem vtuntur externo gestu, quo Deum adorant. Sicut ergo à tanto excusantur scelere apud Deum maximè intuentem cor, eo quòd nec ita sublimiter de Rege atq; de Deo sentiunt, nec illi eo ritu summam existimationem conciliare intendunt, sed suæ duntaxat conditioni proportionatam. Ita & nos cum sacras illas imagines colimus: namque creaturas puras esse agnoscimus, & nequaquam propter se colendas, sed in ordine ad Deum; hunc autem è contra propter se. vndè apparet eas licet eodem actu, longè tamen inferiore modo quàm Deum coli, quo qui ipsum coleret, ipsi iniuriam faceret (quia ostenderet propter se non esse colendum, sed propter aliud) tantum abest, vt per hoc creatura eadem ratione colatur, qua Deus. Apparet inquam cæcutire nolentibus. At ferè præsagio vitilitigatores nostros, huius inquam ætatis Iconoclastas Christo rebelles, in circuitu ambulantes, ne his quidem auditis mentem in melius mutaturos, sed potius discursaturos ad alias aliunde causificationes

cationes venandas, & cum eas assumpserint, nouas rursus commentaturos esse, vt de Arianis dicebat Athanas. in decretis Nicenæ synodi. adeò difficile est corrigere quem Deus despexerit, Eccles. 7.

De adoratione crucis Christi nihil dico in specie, quia imago est Christi eiusque crucifixi, atque ita omnium augustissima. Suppono item quæ de his illius imaginibus diximus, de eiusdem reliquiis proportione intelligi, vt de illa ipsa cruce in qua pependit, de clauis, corona, lancea, &c. Christum quippè suo quoque modo repræsentant, & ad memoriam reuocant, videlicet non vt imagines, sed vt res quæ singularem cum illo connexionem habuerunt, ita vt peculiariter sint aliquid eius, & honorari propter ipsum debeant, & honor illis exhibitus in eum refundatur.

§. 4. Contra in Mahumetanis adoratio omnis vera desideratur. Abstinent primo à nonnullis corporis gestibus, quibus maximè adoratio perficeretur, non enim caput aperiunt, nec tundunt pectora, nec manus in cœlum attollunt. Duobus quidem erectis indicibus digitis, Titubantem seu turbinatum pileum suum tangunt capiti semper affixum, quasi illum sustinentes, aut eleuaturi teste Septemcastr. cap. 13. etenim hoc non est manus in cœlum attollere, sed Mimum agere. Ne in genua quidem procumbentes decenter id faciunt, sed sartorum ritu in talos recumbunt, idem ibidem.

Secundò nullibi docentur huiusmodi externis gestibus internum illum affectum copulare, sine quo perfectam adorationem esse non posse docui §. 1.

Tertiò adorant tantum versus Meridiem vt literis prodiderunt Munsterus lib. 5. Cosmogr. & Reginaldus lib. 2. Caluinoturcismi c. 13. sub finem: cũ interim cardo orientalis vt multo præstantior secundum Philosophos omnes & Astronomos, ita dignior sit ad quem homines tùm oraturi tùm adoraturi conuertantur.

Quartò nec Trinitatem adorant, nec Verbum aut Spiritum sanctum: & tamen his omnibus veram inesse Dei rationem demonstrauimus cap. 8. §. 1. & 3.

Quin-

Digitized by Google

Quintò nulla item adoratione Chriſti colunt humanitatem, eſto, hypoſtaticè cum diuinitate vniatur, vt nos docuit idem S. tertius. ob idque eius gratia & merito coli debeat.

Sextò nullas Dei Chriſtique imagines recipiunt, per quas vel in quibus veneratione illos proſequantur, eſto hic ſit modus vnus colēdi eos ſiue adorandi. Immò nullas ſimpliciter. *Saraceni,* inquit Septemc. cap. 15. *& Turcæ inprimis, imagines omnes ſeu pictas ſeu ſculptas ſic deteſtantur, vt propterea Chriſtianos Idololatras vocitent, cum illi nec ſigillo vtantur in literis vllis, contenti nudis literis, ſi nomen adſit mittentis, aut ſyngrapha, cætera vana reputantes.* & Barthol. Greg. *Habent Turcæ templa ſatis ampla, in quibus nullas prorſus imagines vidi, ſed hæc tantum verba inſcripta la illaeh, &c.* Ne in militaribus quidem inſignibus picturas adhibent, ſed prælongis vtuntur haſtis è quarum faſtigio, lana, iuba, cauda equina, vel ſimile quid dependet, non eiuſdem ſemper coloris, ſed varij qui diſcrimen ponat inter ſigniferos, militesque admoneat, quo ſe quiſque recipere debeat. Quàm procul abſunt ab eo, vt Chriſti vtantur imaginibus, vel honorem deferant, Speciatim eiuſdem Chriſti crucem & Crucifixum ita execrantur, vt nihil in expugnatione Conſtantinopolitana anno 1453. fuiſſe legamus, erga quod impotentius exercuerint genus omne ludibrij, quàm repertum in templo S. Sophiæ crucifixum. Hunc ignominiosè ſtrepentibus tympanis extra vrbem pertractum, omnibuſque affectum probris in fruſta tandem conciderunt. Haberet fortè aliquam in eis boni ſpeciem hæc tanta imaginum deteſtatio, ſi reuera idololatriæ vitandæ ſtudio, & illas & illarum cultum interdicerent. Sed enim mouentur incentiuo longè alio, ridicula ſuperſtitione. Perſuaſum habent vt refert Villamontius, imagines à Plaſtis, Pictoribus, Sculptoribus, & aliis eiuſmodi artificibus crudeliter ſpoliari animabus ſuis, quas ab iis in die iudicij velut à truculentis hoſtibus repeticuræ ſunt. Et quia vnâ credunt talium homicidiorum participes eſſe, quotquot vtuntur Imaginibus, eas nullo apud ſe loco ſinunt conſiſtere.

Lib. 2. de moribus Turc. cap. 2.

Sequitur & aliud, ex quo magis adhuc conſtabit ſecta iſta tota quàm ſit reproba, nitaturq; in vetitum. Negatam iis adorationem quibus iure debetur, conuertit in ea in quæ non licet, in aſtrum inquam Lunæ, quod ab illis cubar dicitur, atque ex Alcorano

corano consuetendi legem moremque haurit, quemadmodum ex variis Authoribus refert Baronius Tom. 8. ad annum Christi 630. Ipsum dum crescit, fœliciter credũt in regnum suum influere, vnde insigne crescentis Lunæ sibi præstituunt in bello maximè, in triremibus, in Meschitis suis vel vt verius dicam, in turricularum fastigiis, quæ templis illis orbicularibus adhærent, & nostris respondent campanilibus; sed & fidentius multò in eadem ætate crescentis lunæ ad bellum properant, & cum hoste signa conferunt.

§. 5. Idem de vobis ô sectarij iudicium, diuinæ adorationi nihil aut parum tribuitis. Adoratio in externo gestu posita est vt vidimus, §. 1. & 2. esto intentionem affectumque internum supponat, & quasi comitem sibi adsciscat. Eleuat autem externum gestum Caluinus vester velut parergum, atque ad religionis munia impertinentem. Verba eius ponam. *Neque enim externis in ritibus religionem ac sanctitatem docemus esse positam, vt Deum oculis, manibus, pedibus, adoremus, sed externum cultum spiritualis appendicem, atque adminiculum esse contendimus.* Si externis in ritibus nihil religionis est positum, vndenam se Dei adoratores esse demonstrabunt? Externos tantummodo ritus potestis nobis ostendere, in quibus cum vt dicitis nihil consistat religionis nec proinde adorationis, restat vt adorationem vestram omnem occultam, incertamque esse concedatis, atque ad memoriam reuocetis illud iuris pronuntiatum, *perinde est non esse, & non apparere.* Vel adorationem vobis arrogatis merè spiritalem, qualis posita est in interna demissa studiosa ac pia recognitione summæ eminentiæ diuinæ Maiestatis, & sic antè tempus Angelici esse vultis nimisque Spirituales, & humanæ vestræ conditionis immemores, nec Dei adoratores vos esse probare potestis hominibus, per externa tantum interna ratiocinantibus; aut non merè spiritualem, sed quæ prodat sese per actus exteriores, atque ita falsò negatis cum cæco illo duce vestro, in exteriorib. aliquid esse religionis. Namq; interior ideo religiosus est quia diuinæ sublimitatis est recognitio, ergo & externus externa quædam recognitio erit (aliàs illum nõ indicaret nec exprimeret) ob idq; ad religionẽ pertinebit. Sicut etiam benè sequitur oratio vocalis expresio atque interpres est mentalis, ergo sicut ista sic illa actus est religionis.

In Confutat. ad Hollandum.

Qua-

itized b oog

Quacumque autem intentione & fine eiuſmodi actus externos recipiatis, conſtat & rariſsimos à vobis vſurpari, & pauciſſimos. Quis ex vobis(Sacramentarios præcipuè conuenio) profundè incubuit? quis in genua procidit? quis caput inclinauit? quis pectus tutudit? quis iunctas vel expanſas manus in cœlum direxit? fuerint ne hi ritus inter vos à principio, non ſatis compertum habeo. Hoc iam ſcio, quod ſi fuerunt, ex communi iam conſenſu proficiente in peius, vetuſtate obſoleuerunt. Nemo veſtrum ingreſſus templum (ſpeluncam dicere debui) ſi iis vteretur, euadere poſſet fratrum ſcandalum, ſeniorum cenſuram, Miniſtrorum indignationem ac ſupercilium, Papiſta mox haberetur, haud dubiè in ære lueret aut corpore & ſuſtentaretur pane tribulationis. Nonne ibidem ipſimet Prædicantes vel eorum loco Diaconi cõmunes orationes recitando communi ſtant lege, & ſtando preces illas fundunt? Si ſtant illi à quibus maximè expectari geniculatio poſſe videbatur, quid facient cæteri? ponet aliquis in terram genua? abſit, ne cõfundat & docere velle videatur organa illa Spiritus ſancti atque ab illis audiat, *in peccatis natus es totus & tu doces nos?* At nonne etiam Catholici noſtri ſacerdotes, & Diaconi ſtant ſacris operando? nonne priores illi multas ac varias in eo ſitu preces offerunt? quid in aliis reprehendis, quod in tuis tàm eſt conſpicuum? diſsimillima eſt ratio. Hi ſiquidem altari aſsiſtunt, non orationis tantum gratia, ſed multò magis ſacrificij, quod ſtantes, & ad varias cæremonias atque obſequia paratos exigit. Illi eo tempore orationem ſolam habent propoſitam. Hi infinities alias extra horam ſacrificij flexis orant genibus toto ſpectante populo, illi nunquam.

Adhæc ita vos delectat diſcedere à primæuæ ritibus Eccleſiæ, & Mahumetano ingenio conformari, vt ſi non vbiq; pleriſq; ſaltẽ in locis, cum vel orandum eſt, vel adorandum, vel Sacramentũ ſuſcipiendum, non vos cum illa conuertatis ad Orientẽ, ſed cum his ad meridiem. Cœnam in Anglia diſpenſantes Auſtrũ reſpicitis, eſtque hoc in ipſo communionis libro Parlamenti authoritate edito, ita ſpeciatim mandatum, vt non poſsit Miniſter nec etiam Archiepiſcopus ſiue Superintendens, illum etiam in precando ritum commutare, vt teſtatur Guill. Reginaldus & ipſe Anglus lib. 2. Caluinoturc. cap. 13. ſub finem.

Sacrosanctam Triadem, ſicut nec Verbum, nec Spiritum ſanctum nemo veſtrum adorare cernitur. ex nullius ore audiri ſolet Adoramus te Verbum Patris, adoramus te Spiritus ſancte, vel Trinitas ſancta. Ex quo facile eſt colligere, quanto minus Chriſti humanitatem ſeu Chriſtum vt hominem adoretis; & tamen adorandus eſt idque latria vt vidimus. Hic quoque ſingulariter vos alloquor ó Caluiniſtæ. Noſtis quàm inſignes inter vos fuerint, quàm in myſteriis veſtris verſati, quàm ſollicitè à Caluino inſtituti Petrus Richerus Prædicans Rupellanus, & Danæus. Certè ſi in ore duorum ſtat omne Verbum, rei eſtis negatæ Chriſto homini adorationis. Audiuimus iam ſuperius eiuſdem Richeri dictum de precibus Chriſto homini non offerendis. Profectò vt in nuce nucleus, & cor in homine, ſic in illo latet ac continetur edictum aliud de Chriſto homine non adorando, adeò magna orationem inter & adorationem coniunctio: Immò cum hæc præcellat, illam autem neget ad eum dirigendam, multò magis cautum voluit ne iſta dirigeretur. Danæi luculentior adhuc eſt in hac parte impietas. Ex inſtituto ſiquidem librum edidit, in quo illam admodum contentiosè tuetur. Ita eſt dicetis mihi ſed Beza inclytus alter Caluini diſcipulus ſententiam doctrinamque contrariam eſt amplexatus. Ita enim loquitur. *Sunt quidem hac ratione diſtinguendæ* (naturæ in Chriſto) *at nunquam ſeparandæ. Hac autem diſtinctione vtimur, vt in adoratione hominem cum Deo coniungamus, ſed quatenus ſic homo eſt, vt ſit Deus. Humanitatem vero non quatenus eſt humanitas, ſed quatenus eſt veri Dei humanitas adoremus.* & infra. *Confitemur vnicam Verbi Dei naturam, non ſeparatam à carne, ſed incarnatam, & vnica adoratione in carne ſua adoremus.* Rurſus *nota eſt ſimilitudo à multis Patribus vſurpata de coronato Rege, cuius purpuræ & coronæ communis eſt cum ipſo Rege vnica ciuilis adoratio, quamuis corona & purpura non exhibeatur quatenus corona eſt & purpura, ſed quatenus is qui propriè adoratur coronam illam & purpuram geſtat.* Fateor, ſcripſit hæc Beza Caluini emiſſarius, ſed quid illi contra duos? ne Hercules quidem. Eſt ſanè cur genuinam Caluini mentem & Caluiniſtarum, ex duobus potius quàm ex vno metiamur.

Cap. prat. §. vlt.

Lambert. Dan. de Adorat. Chriſti.

In reſponſ. ad Hold.

Euchariſtiæ ſimiliter honorem nullum deferunt Sacramenta-

mentarij, & quod valdè mirabile est, nec ipsi Lutherani. Sacramentariorum quidem cæcitatem miramur & pertinaciam in repellenda de Eucharistia fide, à legitimo sacerdote consecrata, quam fidem supra cumulatè satis & perspicuè ac solidè confirmauimus, & recognouit ac confirmauit nostra ætate Concilium Trident. verè augustum, de quo si viueret S. Athanasius diceret profectò contra eosdem Nouatores. *Nemo rem à tot Episcopis excussam exploratamque, & clarissimis documentis conuictam denuò putarit sub iudicium reuocari debere, ne si iterum res toties iudicata in cognitionem deducatur, fine prorsus careat recognoscendi curiositas.* *In Decret. Nic. Syn.*

Nihilominus conditione supposita Prædicantium quos ad Eucharistiam conficiendam administrandamque adhibent, hoc est omnium nulla prorsus consecrandi virtute præditorum, propter defectum Sacramenti ordinis, nec miramur nec vitio vertimus quod in Eucharistia illa sua verum Christi corpus negent contineri, quod illam insuper adoratione nulla prosequantur: At nec ipsos Lutheranos illam adorare, in qua contineri docent, & credunt vna cum pane verum illud Christi corpus, magna profectò est admiratione dignissimum. Nec vllo modo excusat illos prætensum periculum panem ipsum adorandi, aut quod nullibi scripturæ præceptum sit, vt ibi existenti Christo honor habeatur. Quod enim periculum cum prædicans adstantes omnes præmonuerit vt facillimè potest, adorationem non ad panem sed ad Christum solum dirigendam? nonne similiter illis inculcat, ac etiam persuadet, vt diem Dominicum pro festo habeant vt Catholici, non tamen vi præcepti Ecclesiæ Romanæ sed alia de causa? si in hoc & similibus intentiones suas norunt & possunt rectificare vt sic loquar, & accommodare ad subiectam materiam, cur non in re quoque Sacramentaria? Quæro tandem an quia purpura quæ honorem ex se meretur nullum, Imperatoris aut Regis personæ cohæret siue coniungitur, reuerentiam Imperatori negant quæ ei debetur? quid reuerentiæ merebatur asina qua vectus Dominus ingressus est Hierosolymam? & tamen propter insidentem illum

honore magno affecta est à religioso populo sternente vestimenta sua, quæ suis illa calcaret pedibus. Quod ad scripturas, si non præcipiunt vt in Sacramento adoretur, vicissim non prohibent, deinde cum vniuersim abstrahendo ab omni loco, tempore & similibus eum velint adorari, etiam ab Angelis ipsis quibus dictum est Hebr. 1. *adorent eum omnes Angeli Dei*, cur adorare non licebit in Sacramento existentem? nonne vt res turpis vel execrabilis vbicumque fuerit circumfert indignitatem suam, ob quam contemptu ac vituperio rectè afficitur, esto nullum interueniat præceptum vituperandi; ita quæ eximia est decus suum circumfert, ratione cuius par est vt honore afficiatur? Quàm multa obseruant ipsi quoque Lutherani, quorum præceptum in scripturis nullum possunt ostendere? infantes baptizant, susceptores adhibent, diem Dominicum colunt, &c. Quis illorum seruo suo benè vellet quem cerneret, cum interim benè posset, officio ac obsequio nullo præuenire iussionē, sed præcisè id tantum obire, quod sibi expressè mandatum intelligeret? nemo profectò, sed increparet vt desidiosum, vt minimè ingenuum, esto ei dictū fuisset aliquando, *quod præcipuo tibi hoc tantum fac*, quia sensus esset, ne quid facias præcepto meo contrarium, vel quod ei obstaculo sit, non autem nihil mea causa præstiteris, nisi tibi sit imperatum.

Restant sacræ Christi imagines, & reliquiæ, quibus adorationem quoque deberi constat ex superioribus, imò ex ipso Caluino perspicuè colligitur, qui initio refutationis calumniarum Serueti reprehendens illum quod Trinitatis nomen horrendè blasphemasset, vocans hoc nomen tricipitem Cerberum, Diabolicum phantasma, Geryonis monstrum, illusionem Satanæ ait. *Si eo nomine exprimatur sacra Dei maiestas, nonne summa veneratione colendum erit?* Atqui imaginibus & reliquiis suo modo exprimitur, ergo Caluini testimonio summa sunt veneratione prosequendæ. Et tamen quis Nouatorum illas prosequitur, immò quis repertas quoties impunè licet, non illudit, non conspuit, non blasphemat, non detestatur, & frangit? ne cruci quidem parcit Dominicæ, in qua pependit salutis nostræ pretium, & deletum est Chirographum decreti, quod erat nobis contrarium. Quid facietis miseri? quo vos proripietis cum Dominus ad iudicandum veniet? cum in cœlo apparebit signum istud filij hominis, quod

quod contumeliis tot affecistis? cum virgam illam virtutis suæ emittet ex Syon, cui atrox vbique bellum indixistis? quam confregistis, pedibus conculcastis, ex omnibus Catholicorum templorum fastigiis, vbi gloriosa & triumphi Christi testis magnifica refulgebat, deturbastis? nunquid non dicetis montibus cadite super nos, & collibus operite nos? Quid respondebitis cum vobis exprobrabitur, in plateis, in domibus, in conclauibus vestris, inuenisse locum eumque non vulgarem profanas quasque picturas, illas inter cæteras quæ vos vel parentes, Antesignanos, amasias vestras repræsentabant, immò in honore habitas, & magna sollicitudine cautum, ne iniuriam à quoquam acciperent; sacras autem illas prorsus fuisse abiectas, & (quia parum id erat) impiè contemeratas? quis hoc facere vos docuit, præter Spiritum procellarum seu Diabolum, qui nisi Dominicæ illius crucis & similium adorationem intelligeret partem esse religionis Deo gratissimam, nunquam tantopere illam exhorreret, nec tàm impensè incumberet à principio in eius extinctionem? Cur denique illam non retinetis si non adorationis gratia, saltem repræsentationis Christi? An quia sat repræsentatur per Eucharistiam & verbum Dei? at cum repræsentari nunquam satis posit, melius esset si aliis quoque modis menti obiiceretur, præsertim cum pars maxima nec perita sit legendi verbum Dei, nec intelligendi, & Eucharistia non sit naturale Christi signum sed morale tantum & imperfectum, apud eos maximè qui nihil in ea præter substantiam panis censent contineri. An quia in omni Republica vna cum perduelle damnantur & horrori sunt instrumenta, quibus ad effectum perduxit conceptam improbitatem, ac proindè apud vos, crux, lancea, claui, &c. quibus ad inferendam Christo necem vsa legitur perfidia Iudæorum? sed sciendum, quod sicut, *est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam*, ita Christi mors diuersa ratione execrabilis est, & omni amore ac pietate prosequenda. Crux similiter aliaque instrumenta quæ interuenerunt, & detestatione digna sunt & veneratione. Execrabilis mors est ex parte Iudæorum qui illam intulerunt liuore odioq; excæcati, secus ex parte Christi à quo in bonum vertente malum, vltrò suscepta est velut opportunissimum reconciliationis no- *Eccles. 4.*

ſtræ remedium. Crux ſimiliter, lancea, claui vt præcisè ac formaliter organa fuere ſacrilegij Iudaici meritò in odium trahuntur ſicut ipſum ſacrilegium: vt autem ex aduerſo ſalutem noſtram operanti Chriſto ſeruierunt, ab ipſius parte ſtant, aliquid eius ſunt, ipſius tenēt locum, magno in pretio debent eſſe, & propter ipſum coli, cum hoc ſit eum in ipſis colere, quod qui non videt nimis eſt cæcus ac rudis.

De cultu & veneratione rerum aliarum ſacrarum.

CAPVT XII.

§. 1. *Hæc veneratio quænam ſit & quotuplex.*
2. *Ad religionis actus reuocatur.*
3. *Perfectè viget apud Catholicos.*
4. *Secus apud Mahumetanos.*
5. *Et Pſeudoeuangelicos.*

§. 1. PER alias res ſacras, ſanctos Dei vna cum eorum imaginibus & reliquiis hôc loco intelligo, nam de reuerentia ſacramentis, Verbo Dei & ſimilibus exhibenda alius erit dicendi locus. Sicut autem in capite proximo diuinæ adorationis nomine, complexi ſumus genuflexionem, capitis inclinationem, & alium quemcumque geſtum motumque corporis, aſſumptum & idoneum ad indicandam Dei maieſtatem, & excitandum ſingularem de ea exiſtimationem. Ita in præſentia veneratio ſanctorum ſignificat eoſdem geſtus, prout vſurpantur ad declarandam eorum dignitatem, & conciliandam eis reuerentiam, & opinionem tali dignitate conſentaneam. Sicut autem hæc illorum veneratio à Dei adoratione vſque eo differt, vt etiam ſpecie differat, quemadmodum infra dicam §. 2. ſic aliis eſt inſignita nominibus, tàm apud Græcos quàm apud Latinos rerum ſacrarum tractatores, quanquam ex illorum vſu potius quam vi vocum naturali, non ſecus ac vox *cælum* ex primigenea ſua ſignificatione pro omni eo ſupponit, quod egregiè arte celatum eſt, vel aliquid ambiendo idipſum quodammodo celat, & tamen homines quaſi collato conſilio ad

Digitized by Google

ad exprimendum singulariter corpus æthereum, illam transtulerunt. A Græcis Dei veneratio λατρεία sanctorum δουλεία dicitur. Latini autem illam adorationem, hanc obseruantiam vocant.

Iam tria demonstranda occurrunt. Primum cultum sanctorum ab ipsius Dei cultu & adoratione multum discrepare. Alterum licitum esse. Tertium ad Religionis actus partesq; reuocari. §. 2.

Quod ad primum in promptu habemus discrimen duplex. vnum ex parte vocum diuersarum quas proximè retulimus, quæ licet vi genuinæ significationis vtriq; venerationi aptari possint, ex Authorum tamen vsu ac instituto contractę sunt vna ad vnam, alteram ad alteram, quod sufficit, vt magnum aliquot discrimen inter eiusmodi venerationes, ab iis deprehensum fuisse arbitremur. Nam etiamsi natiuam significationem consideres hæ voces *sartor*, *sutor* in rigore iuris aptari possunt vtrique artifici, quippè & sartor suit, & sutor ocreas, crepidas, & calceos sarcit, vsus tamen obtinuit, vt illa pro artifice duntaxat supponat qui circa pānum, hæc pro coriario qui circa corium versatur. Alterum discrimen petitur non à rebus, seu gestib. ipsis exterioribus vtriq; venerationi cōmunibus, hoc est à genuflexione, ab inclinatione capitis, &c. sed ab eo quod est præcipuum, nempè ab affectu & arcana intentione eius, qui venerationem Deo & sanctis exhibet. Non hanc solum, sed alias etiam actiones humanas mirè diuersificat hæc intentio apud Deum & homines, prout alia atq; alia fuerit, vt patet in duobus, quorum alter vno eodemq; opere patri obsequitur, vt eius gratiam ineat, alter Domino seu hero vt stipendiū acquirat, ille videt mulierem ad concupiscendam eam, iste ad alloquendam simpliciter vel recognoscendam, ille dat eleemosynam vt humanam laudem aucupetur, iste vt peccata sua redimat. Iam verò qui coram Deo procedit, hoc facit & facere docetur, vt summā ei reuerentiam, summam itidem opinionem conciliet, propter summā & increatā dignitatem, & eminentiā quam in eo recognoscit. Simili autē gestu corā sanctis vel in gratiā sanctorū vtimur, vt opinionē apud homines dignitati suæ creatæ ac finitæ contemperatā. ob idq; infinitis partibus diuina inferiorē cōsequātur. Quæ sanè diuersitas atq; distinctio sufficit ad satisfaciendū iis, qui non sunt ex cōtentione, & demōstrandū quā falsò ac temerè à Caluino scriptū sit, *quem sanctis cultū deferūt Papistæ nihil*

reipsa

reipsa differre, à Dei cultu palam est. Sufficit prætereà ad absoluendum ab omni suspicione criminis, & iniuriæ eos, qui coram Deo, & Regibus, & heris suis procumbunt, nempè quia longè aliud est iis propositum, cum gestu illo Deum, quàm cum istos colunt. Sufficit denique, vt eiusdem Caluini agnoscas ineptiam sic ibidem argumentantis. Seruire plus est quam colere, sed Papistæ sanctis seruitutem seu δουλείαν tribuunt, Deo vero cultum seu λατρείαν, ergo plus sanctis quàm Deo tribuunt. Verba eius sic habent ibid. *quin maius quiddam sit seruire quam colere nemo dubitat. Nam ei seruire durum esset sæpenumero quem colere non recusares.* O egregium Theologum, vel etiam Grammaticum, qui quod laboriosius est atque obid odibilius ac grauius, vocat maius ac dignius. Ostendamus hoc in rebus ipsis humanis quarum occasione verba illa posuit. Aegrius fateor, quis adducitur vt seruiat seruitutem apud homines consuetam, quàm vt liberè quempiam obseruet ac colat, sed hoc non indè oritur quod seruire maius aliquid sit, verum ex eo potius quod sit vilius propter abiecta ministeria, & laboriosius & coactius, cum seruus sui iuris non sit, sed lege commutantis iustitiæ facere teneatur quod facit. Cæterùm liberè aliquem obseruare ac colere simpliciter est maius, tùm quia eiusmodi obseruantia nititur virtutis merito velut merces ei debita; seruitus verò stipendio, siquidem cum eo commutatur tanquam res pretio æstimabilis. Cui autem non videatur virtus stipendio melior? tùm quia obseruantia ob ampliorem libertatem quacum exhibetur, magis voluntaria est quam seruitus. Faciamus tamen apud homines maiorem ac digniorem esse seruitutem, non idcircò dici idem poterit de seruitute qua sanctos honoramus collata cum cultu quem Deo exhibemus, quia talis seruitus nec vilis est vt humana, nec coacta, nec cultu illo operosior, nec stipendio nititur quod sibi pendi à sanctis debeat.

Lib. 1. Inst. c. 12. §. 2.

Quod ad secundum, duliam seu cultum sanctorum rem esse licitam solus ille negabit qui illicitum esse asseret reddere vnicuique quod suum est, & iustitiæ sese opponet id præscribenti; quinetiam diuinis literis, in quibus legimus, *reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem.* Nempè sicut res ad Iurisperitos cum onere suo trãseunt, ita cum honorẽ suo

Rom. 13.

ſuo par eſt tranſire, & non in Deo ſolum magni æſtimari, diligi, honorari. quæ æſtimatione, dilectione, & honore digna ſunt; ſed etiam extrà Deum vbicumq;, & in quocumq; fuerint, eo modo quem illorum conditio poſtulat. Nemo ſanctos abnuet honore eſſe dignisſimos, non ſupremo quidem cum dij non ſint. ſed magno tamen propter gloriã, gratiam, virtutem, & alia quæcumq; honorem ſibi vendicant, longè in iis quàm in mortalib. quibuſq; eminentiora dicente Domino de ipſo Præcurſore, quo maior inter natos mulierum non ſurrexerat, *qui minor eſt in regno cœlorũ maior eſt illo.* Sunt item æquales & ſimiles Angelis Dei Luc. 20. Angelis porrò deberi honorẽ teſtis eſt Caluinus ipſe cum ait. *Neq; enim æquum eſt ſine honore præteriri ea inſtrumenta quib. numinis ſui præſentiam ſpecialiter Deus exhibet: quin etiam ob id non ſemel dij in ſcripturis nuncupãtur, quod in ſuo miniſterio velut in ſpeculo diuinitatem nobis aliqua ex parte repræſentant.* Nec moror quod opponet hic fortè tergiuerſator aliquis, à ſanctis non percipi cultum qui illis exhibetur, eoq; nomine ſuperuacaneum eſſe & illicitum. Vetus hæc cantilena eſt, & detritus ſoccus Gabaonitarũ, iampridẽ excluſus per ea, quæ in cap. de oratione protulimus, euincẽdo preces noſtras valdè benè ſanctis innoteſcere. Iam verò cur non etiam innoteſcit illis dulia iſta noſtra? non ſolum honore afficiuntur cum antè illos procumbitur, ſed etiã cum iis preces offeruntur, ſi ergo iis poſterior hic honor reuelatur, cur non etiã prior? Deinde non hic diſputatur illumne ſancti percipiant nec ne; ſed dato quod percipiatur, ſitne licitus an non, vtrum diuinum cultum obſcuret an non. Adhæc ſi Regis filius in cunis dormiat obductus velo, ita vt nec illum videas, nec ille reuerentiam tuam, ſi fortè ſibi exhibeatur; an idcircò non exhibebis? immò præſtabis maximam, quia coram aliis ſaltem, teſtificaberis, dignum eſſe quem illa afficias. id ni faceres, citò te carnifex eius nomine ſaluere iuberet. Cæterùm ſi ſancti cuiuſlibet cultus eſt laudabilis & Deo gratus, quanto ille magis qui ſanctisſimæ eius matri, cœlorum Reginæ exhiberi debet ac ſolet? Quis niſi inſanus ac mentis impos peculiariter venerandam ac fœlicẽ neget eſſe, quam dignam fecit, & reputauit Dominus, quæ non ſemel duntaxat, ſed ſæpisſimè aſpiceret ingens illud cœli terræque miraculum Chriſtum Ieſum, & contrectaret,

Luc. 7.

Lib. 1. Inſt. cap. 14. § 5.

& oscularetur, & educaret, quodque amplius est de purissimō suo formatum sanguine vtero gestaret, in lucem ederet, gremio foueret, vlnis circumferret? si eius dignitas sanctorum omnium atque adeò Angelorum dignitatem vincit sui magnitudine sic vt aptissimè imò singulariter ac priuatiuè in illam conueniat quod scriptum est, *multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, tu supergressa es vniuersas*, & Lunæ comparari merito soleat, quæ ita obscuratur à sole, vt tamen ipsa splendore suo astra cætera præsertim viciniora quasi absorbeat, & ne videri possint retineat, nonne par est, vt in eam religiosiores, quàm in illos alios simus?

Prou. 31.

Quod ad tertium, tametsi Religio hoc in primis, maximèque propositum habeat, vt vni Deo debitum honorem exhibeat; ad sanctos nihilominus extendit sese, propter singularem connexionem, ac consuetudinem quæ illis cum Deo in cœlis intercedit, potestque hoc & scientiarum & amicitiarum humanarum exemplo illustrari. Nam scientiæ præter obiecta propria, obiectorum quoq; proprietates cum essentiis penitissimè connexas, nunquam non considerant, & quisquis aliquem magno amore prosequitur, in eos ex consequenti propensa voluntate solet esse, quos ei iunxit amor & gratia. Huc etiam pertinent verba illa, *Pater volo vt vbi ego sum, illic sit & Minister meus.* Vbinam, & quo modonam est Christus apud bonos siue adhuc peregrinantes, siue iam in cœlo regnantes, nisi magno in honore & reuerentia? aut ergo præter Christum suo illos modo honoras & colis, aut Christi ordinationi resistis, quod qui faciunt, sibi damnationem acquirunt Rom. 13. Quid si in sanctis Deum coli ostendero? an non eodem opere palam faciam debere Religionem, cuius est nullam diuini cultus partem negligere, de sanctorum ipsorum cultu esse sollicitam? In confesso est apud omnes, laudem & honorem effectui exhibitum in causam refundi, vt in Patrem Filij, in pictorem tabulæ, in poetā poematis, in opificē opificij. Cum ergo sancti sint effectus & creaturæ Dei præstantissimæ, in Deum proculdubio tendit honor omnis, quo illos prosequimur. Vnus item modus honorandi Victorem triumphantem, est res illas circumferre, & ostentare magnificè, quas subegit vel adeptus est, ac saltem rerum imagines, sancti autem totidem

Ioan. 17.

sunt

ſunt ciuitates, quas Diabolo Chriſtus eripuit & ſuas fecit, honoratur ergo cum aut illi aut illorum imagines & reliquiæ honorantur, religiosè contrectantur, honorificè aſſeruantur, & inuidere Chriſti gloriæ, victoriis, & triumphis conuincitur qui illos colere contemnit. Tandem cum ſuperioribus ſeculis ſed iſto maximè, infinities penè vltus ſit Deus, & grauiſsimè quidem iniurias, quibus vel illos impij, vel illorum effigies, & ſacra pignora affecerunt. & non abs re ſcriptum eſſe oſtenderit, *qui vos tangit tangit pupillã oculi mei*, imò ſicut in horto ſui velut immemor ſingularem eorum curam egit dicens, *ſi ergo me quæritis ſinite hos abire*, ita ſuas ferè contempſerit, in illas autem ſeuerè vt dixi animaduerterit, qui & quales logici ſumus, ſi non ex aduerſo colligimus, acceptum eſſe in conſpectu eius obſequium, quod à nobis in illos proficiſcitur?

Omninò nihil in Catholicis deſiderari quod ad debitam ſanctorum venerationem pertineat, perſpicuè liquet ex vſu quotidiano, & more apud illos receptiſsimo ſanctos alloquendi flexis genibus, & aperto aut demiſso capite, interdum etiam inclinato corpore. Nec id ſatis, extendunt huiuſmodi honorem ad illorum imagines & reliquias, vt potè ad illos eodem ſe habentes modo, quo Chriſti imagines & reliquiæ ad Chriſtum. Quare ſicut has meritò proſequuntur eodem cultu quo Chriſtum propter meram repræſentationem, vt præcedens nos caput docuit, ita cultus ſanctorum participes faciunt illorum formas ac reliquias, quibus ad mentem reuocantur, adeòque ſunt in hac parte accurati, vt non Catholicis modum tranſilire, multis ſuperſtitionibus ſe intricare, Dei loco eos habere ac colere videantur. *Chriſtianos Deus confundat*, verba ſunt Mahumetis, *qui etiam ſuos ſacerdotes atque Pontifices loco Dei ſumentes venerantur.* Veneramur illos quidem ſed vſque ad aras, & ita vt ponamus noſtris in rebus modum, ſuperſtitiones à cultu quem merentur ſollicitè ſeparemus, & quem Deo deberi conſtat nequaquam ad eos transferamus, ob diuerſiſsimam illam intentionem & apprehenſionem, quæ nobis ineſt cum hunc & illos colimus, de qua ſuperius ſat multa diximus, ab Auguſtino edocti inſtitutiq; apud quem iſta leguntur. *colimus Martyres eo cultu dilectionis & Societatis, quo & in hac vita coluntur homines ſancti Dei, quorum cor ad talem* §. 3. Azo. 19.

pro Euangelica veritate paßionem paratum esse sentimus, sed illos tanto deuotius, quanto securius post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita fœliciore victores, quam in ista adhuc vsque pugnantes. At illo cultu qui Græcè λατρεία, dicitur Latinè vero vno verbo dici non potest, cum sit quædam propriè diuinitati debita seruitus, nec colimus nec colendum docemus nisi vnum Deum. Hac ingenua nostra confessione putidam, atque impudentem illam calumniam de sanctis Dei loco habitis, abundè retundimus. Nec tamen inficior illaqueari nonnunquam priuatos quosdam nugis variis, quibus cultum hunc sanctorum nonnunquam inficiunt, adulterant, à sua puritate alienant; sed eiusmodi nugis quæ amputari ac reuelli à Prælatis debeant (quos vtinam vbique vigiles, & serio sibi atque vniuerso gregi attendentes nancisceremur) & Catholicæ Religionis causæ nullo modo incommodare debeant apud sapientes, cum eas non probet vniuersalis Ecclesiæ, sed planè reprobet, interdicat, ac damnet, cum pastores illos iugiter admoneat, ne noxia hæc Zizania in agro dominico sinant radices agere, ac coram Deo illorum oneret conscientiam si dorminant, si conniueant, si tanquam muti canes latrare non audeant. Non incommodarent profectò apud Hieronymum, qui simili in re scriptum reliquit. *Si vigilias & pernoctationes in Basilicis Martyrum respuendas existimas* & infra. *error & culpa Iuuenum vilißimarumque fœminarum, qui per noctem sæpè deprehenditur, non est religiosis hominibus imputandus. Paucorum culpa non præiudicat religioni. Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit, & nostras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ non destruent.* Sed tria hic habent aduersarij quæ obiiciant, vel petant?

Lib.22. cōt. faustū c,21.

In libro cōtra Vigil.

Primum, vndè scimus sanctos quos colimus, verè sanctos esse, & iam in cœlis cum Christo regnare?

Secundum, quomodo abominabiles non sint imagines sanctorum, in quibus nonnunquam repræsentantur velut in cœlesti beatitudine sedentes ad Dei dexteram vel sinistram, cum tamen prærogatiua hæc sit Christi?

Tertium, vt demus fas esse reliquias sanctorū venerati quandiu iis coniunctæ sunt, non tamen quando separatæ, sicut neque Regis purpuram, de qua S. Aug. *si quis purpuram aut diadema regale iacens inueniat, nunquid conabitur ea adorare?*

Serm.58. de Verb. Domini.

Ad

Ad primum, non prius aliquis publicè habetur ſanctus, aut imploratur, aut colitur, quàm ſedes Apoſtolica plurimis teſtimoniis, & quidem planè authenticis vſque eo teſtata habeat eius ſanctitatem, vt moraliter nulla ſubeſſe poſsit dubitatio. Immò poſt canonizationem ipſam ex decreto Pontificis non ſolum moraliter, ſed omninò etiam certi ſumus, cum nefas ſit exiſtimare diuinam prouidentiam ſic Eccleſiæ ſuæ curam abiicere, vt falſum aliquid ſiue ad fidem ſpectans, ſiue ad mores decerni, ac definiri ab eo ſinat, quem vniuerſim in illius regimine ſibì ſurrogauit. Nihil itaq; requiritur, vt ſingulare ſanctitatis illius teſtimoniũ in ſcripturis ipſis oſtendi poſsit, nam etiam Caluinus ingenuè fatetur Machabæos illos ſeptem quorum martyrium deſcribitur 2. Machab. 7. ſanctos eſſe, cum tamen ibi neget hiſtoriam illam ſacris libris contineri, ſeu libris qui pars ſint ſcripturæ ſacræ. Nulla item ſecta eſt Nouatorũ, quæ aliquos ſequaces ſuos ſanctorũ loco nõ habeat, nec tamẽ poteſt vllũ eiuſmodi teſtimoniũ ſanctitatis qua fuerint præditi, in eodẽ Dei Verbo inuenire. *In l. de Vitand. ſuperſt. V. porrò.*

Ad ſecundum reſpondeo, vt Poetas multa ſcribere, ſic pictores pro ſua temeritate, vel ſimplicitate multa pingere quæ non decent, vt B. Virginem iuxta crucem mœrore proſtratam, cum potius ſtetiſſe ſcribat Euangeliſta qui ſimul aderat, vt Magdalenam ſub menſa incumbentem quo tempore vngebat pedes Domini, cum ſimiliter ſtans miniſterium hoc religioſum peregerit. Quare ſi quæ imago apud nos ſanctũ aliquem repræſentat, quaſi ſedentem à dextris Dei, malè repræſentat, & eo ipſo improbatur, quia vt docet S. Thomas dextera ſignificat beatitudinem & ſeſsio dominatum ac principalem iudicandi poteſtatem, qualis conuenit in Chriſtum ſolum. Sed neq; probamus ſi in aliqua deſcribatur quiſpiam quaſi ſedens ad ſiniſtram, quia ibi nulla eſt ſiniſtra, vt docet Doctor idem Angelicus, eo quod ſiniſtra ſignificat ſtatum beatitudini contrarium id eſt miſeriam, quæ inde procul abeſt. Nihil tamen vetat, quo minus dicamus ſanctum quemlibet fruentem beatitudine conſtitui ad Dei dexteram, cum ſcribat Mathæus cap. 25. *ſtatuet oues à dextris.* *3. p. q. 58. art. 4.* *Ibid. art. 2. ad 2.*

Ad 3. loquitur eo loco S. Auguſt. de purpura, quæ nunquam coniuncta fuit cum regia Maieſtate. Nam ſi de ea verba faceret quam geſtauit Rex aliquando, indeq; inferre vellet nullum cul-

tum separatis reliquiis deferendum, pugnaret secum ipse, qui lib. 22. de ciuit. c. 8. & alibi frequenter scribit se eas etiam separatas, seu postquam cum animabus sanctis coniungi desierunt, honore prosecutum. Nos autem de reliquiis disputamus, quibus olim magna quædam cum sanctis intercessit coniunctio, seu quæ illos contigerunt. Cuius contactus ratione relicta est in iis moralis quædam dignitas, & vis eos singulariter repræsentandi, vt nihil mirum videri debeat, si illorum intuitu in veneratione sint apud nos, cum etiam honore illas afficere dignetur Dominus, varia patrans miracula iis interpositis, vt baculo Helisæi, vmbra Petri, semicinctiis Pauli, & terræ sanctæ particulis, de quib. idē Aug. ibidem. Nec solum honore illas afficere, sed illarū etiam intuitu multas in nos conferre gratias, quas insinuat his verbis S. Basil.

In psal. 115. *Olim pro legis Iudaicæ ritu si qui moriebantur, horum morticinia habebantur abominationi, contra nunc mors si cuipiam irrogatur Christi nomine, pretiosæ censentur reliquiæ sanctorum eius. Martyris ossa si quis attigerit, ob gratiā corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps.* Quid ni ergo eas magnificiamus? quid ni honoremus? honorabimus profecto, & cur hoc faciamus interrogati, responsore vtemur Ambr.

Serm. 9. dicente. *Quid honoras in carne iam resoluta atq; consumpta? Respondeo, honoro in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro per cōfessionem Domini sacratos cineres, honoro in cineribus semina æternitatis, honoro corpus quod se Dominum meum ostendit diligere, quod Dæmones reuerentur, quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.*

§. 4. At Mahumetanis omninò deest pars ista religionis. Audi lector quomodo. Veros sanctos quorum notitiam habent, & se habere profitentur, vt puta Christum, B. Virginē Mariam, B. Ioannē Baptistam, Abrahamum, Noacum, &c. nulla veneratione prosequūtur. Contrà, quos venerantur, aut falsi & ab illis effecti sunt, vt demōstrauimus c. 10. §. penult. aut fuerunt nequissimi; præcipuè verò Mahumetes ipse, cuius describam mores perditos l. 3. c. 2. §. item penult. & tamen illum vna cum illius reliquiis impensè colunt Laonico teste apud quem legimus. *Sepulchrum quoq; ad honorē Mahumetis adornans ibi manebat* (de Homura Mahumetis successore loquitur) *sacra quoque magna quotānis in honorē eius fieri curauit. Persuasit aliis plurimis, vt Mahumetem adorent. Eos quoq; iustos fieri asserebat, qui eius sepulchrum inuiserent, Etiam hodiè non pauci ex Asia, Lybia, Europaq; sa-*

pul-

Digitized by Google

pulchrum eius adeunt, putantes ſe hinc maximam colligere religionem, & probiores fieri. Quidam ex ipſis iſtam peregrinationem ingrediuntur, quidam argentum numerant iis, qui pro ipſis eam ſuſcipiunt. Tanto autem ſtudio iter illud ineunt, quantum poſtulat ſexaginta penè dierum ſpatium, quot Conſtantinopolis à Mecha ſeiungitur, & graſſantium Arabum importuna latrocinia. Quanquam non deſint, vt obiter hoc admoneam, qui ſepulchrum illud, non in Mecha verſari ſed Medinæ eſſe ſcribant, alteráq; ab altera interuallo ſeparent trium dierum, vt Anton. Mænau. l. de Relig. Turc. c. 18. & Reginald. l. 2. Caluinoturc. c. 3. Alij vnam cum alia cōfundant quaſi ſola diſtinctas nomine, vt Lazarus Soranzus in ſuo Ottomanno c. 7. Verba eius ſunt, *Mecha vel Macha vt Arabes vocant, ea eſt vrbs quam cōmuni vocabulo omnes Medina Alinabi, hoc eſt vrbem Prophetæ dicunt.* Sunt qui media incedentes via hāc ab illa diſtinguant, & Mahumetis cadauer non Medinæ ſed Mechæ eſſe contendant, vt Cuſpinianus in vita Mahumetis. Nefandas alias eorum reliquias ſi poſtulas, Alcoranum ipſum tibi nomino, ſeu volumen illud figmentis refertiſſimū, quod è cœlo ſe accepiſſe interpoſito Gabriele cōmentus eſt Mahumetes, ſuiſq; tradidit ſectatoribus. Huic tantum obſeruationis cæca & miſeranda gens illa tribuit, ſi Mænauino credimus ſupra c. 1. vt nemo niſi à vertice ad plantā vſq; recenti aqua ablutus ſit, vel linteolo mundo manus ſuas circumuoluerit, illud cōtrectare audeat. Et quoties in Meſchita ex libro iſto aliquid legitur, ſingulari cū deuotione auſcultant omnes, vt vel corpus paululū mouere ipſis religio ſit. Quod ad ſacrificulum ſeu lectorem, is quaſi extra ſe factus verbis quæ legit intentam mentem gerit, librū attollit, nec ſceleris ſe parui reum putat, ſi eum infra vmbilicū demiſerit. Eundem lectione finita exoſculatur, & ſucceſſiuè oculum vtrumq; admouet, tandemq; vt cæteris omnib. auguſtiorem edito in loco magna cum ſolennitate reponit. Sed & Camelo interdum portandus imponitur, qui ſubinde exoneratus in fruſta conciditur, quæ diſtributa præſentibus magno in pretio ſunt, & vice habentur reliquiarum præſtantiſſimarum.

Hîc multo adhuc irreligioſiores ſunt ſectarij. Sanctos nullos agnoſcunt, ergo nec ſanctis cultum vllum impendunt. Sed quid loquor? Sanctos nullos agnoſcunt? Nonne Lutherus ſanctum vocat Thomam Aquin. lib de captiuit. Babylon. cap. de Euchar. §. 5.

Euchar. & Bernardum, Franciscum, ac Dominicum cap. de Baptismo. & Caluinus Augustinum, lib. 1. Inst. c. 7. § 3. Prætereà quæ secta aliquos non iactat sibi proprios, & quicquid illorum fuit suspicit ac veneratur? Nonne Hussitæ post suos Ioannem Huss & Hieronymum Pragam Constantiæ flammis datos occultè adibant supplicij locum, indeq; abradebant quæ poterant religionis ergo ad perpetuam sanctorum illorum vt vocabant memoriam? Respondeo, quod ad sanctos prioris generis, sanctos quidem fatentur esse, sed fatendo principiis suis non consentiunt. Nam cum illi qui Monasticam professi sunt vitam seu Regularē, in ea diem clauserint extremum, quæ ab iisdem Nouantibus vt inimica Deo, & superstitionibus referta continuo sugillatur, perspicuè secum pugnant, quoties vel in cœlum peruenisse agnoscunt, vel sanctitate fuisse conspicuos, & quia pugnare videri nolunt, ore potius quàm corde, fictè quàm verè sanctos fuisse pronuntiant. Quod ad eos verò qui posterioris sunt generis, cedo quo nomine in sanctorum album referuntur? Si quia veraces fuerunt, & viam Dei in veritate docuerunt, ostendi iam satis viam potius eos docuisse Diaboli, & de thesauro suo protulisse doctrinam pestilentissimam, quæ vel Deum omnem eleuat, vel substantiam spiritalem, vnum, bonum, omnipotentem, sapientem, in essentia vnum & personis trinum esse negat, quæ scatet insuper horrendis aliis blasphemiis, de quibus infra cap. 20. §. 5. quæ denique fenestram aperit corruptissimis quibusque moribus. Et quamuis verè docuissent quæ docenda erant, non esset consequens eos virtutem & bona opera in vita coluisse, sed adhuc potuissent tradere se vitiis sanctitati contrariis, eorum more de quibus scriptum est, *Secundum opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt.* Si quia fuerunt eadem virtute instructissimi, fingi hoc poterit, probari nunquam poterit; sed benè ac luculenter euincetur à nobis contrarium lib. 3. cap. 3. §. 5. libro autem quarto nullum vnquam ab iis patratum miraculum, ex quo coniectura sumeretur inditæ sibi probitatis. Si denique quia pro tutela doctrinæ suæ seipsos morti obtulerunt. In primis falsum id est de Luthero, Caluino, Beza & plerisque aliis, quos tamen inter sanctos reponunt, exterior seu humana vis nulla eis vitam eripuit

Digitized by Google

eripuit. quibus autem eripuit, fecit id vt plurimùm propter ſcelera, quæ nec fidem ſpectabant ſiue doctrinam nec religionem, vt quia in Reges ſuos rebellabant, quia ſeditiones mouebant, quia principis ærarium ad ſe auertebant, quia in eius necem conſpirabant, quia publicam pacem perturbabant, quia proditiones exercebant. quia exteras copias in patriam inducebant, quia templa expilabant, quia lamentis & cædibus replebant omnia. quia denique diuina humanaque iura euertebant. Et quamuis doctrinæ intuitu fuiſſent vita priuati, nihil hoc faceret ad eorum ſanctitatem, quia doctrina fuit vt dixi peſtilentiſsima. Sed ſupponamus amplioris confutationis gratia. aliquos eis ſanctos eſſe præclaro iſto epitheto digniſsimos, profectò non illos colent, qui omnem in nobis illorum cultum reprehendunt, qui illos orare refugiunt. cum tamen oratio ad illos dirigi abſque cultu quodam non poſsit, qui denique prætendunt vt preces, ſic venerationem qua afficerentur, ab illis non percipi.

Iam ſi in eos tàm ſunt irreligioſi, multo vtique magis cultu nullo eorundem imagines reliquiaſque proſequuntur, inter quas illorum libros ſeu monimenta reponimus, quæ quia veram doctrinam continent, vna cum Lutheri, Caluini, & aliorum Anteſignanorum libris legi à ſuis non ſinunt, eodem artificio quo is qui malè pinxerat gallos gallinaceos, à tabula veros procul abigebat, ne picturæ vitium collatione deprehenderetur. Atque vtinam hic impietatis erga illos ſuæ fines ſtatuerent. & non etiam, quod animus meminiſſe horret. iiſdem vbicumque repertis petulantiſsimè inſultarent. Sed inſultant prorſus ferino more, inſultaturi magis adhuc ſanctis ipſis ſi medij interuenirent. Siquidem iuxta pronuntiatum illud Dialecticorum, *propter quod vnumquodque eſt tale & illud magis*, imago cum ſit propter prototypum, & ab illo habeat rationem omnem ob quam illudenda creditur, vtique paratus eſt animus ad prototypum ipſum ſi adeſſet, multo magis illudendum. Atque ita procul dubio concludendum admonent verba illa M. Tullij. *qui clamores nuper tota cauea in hoſpitis & amici mei M. Pacuuij fuerunt noua fabula, cum ignorante Rege vter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, vt pro illo necaretur:* *In Lælio.*

 Oreſtes

Orestes autem ita vt erat Orestem se esse perseueraret, stantes autem plaudebant in re ficta, quid arbitramur in vera fuisse facturos? Nonne ij sunt qui Lugduni in Gallia corpus S. Irenæi Apostolorum discipuli, Pictauis S. Hilarij, Turonis S. Martini, vt de infinitis aliis nihil dicam, incenderunt, extumularunt, in præterlabentem fluuium proiecerunt? Sufficit hoc vnum sectarij, vt vos ridiculè ac pueriliter insanire Ethnici ipsi pronuntient, non minus quàm olim Demetrium Poliorcetem, à quo cum obsiderentur Rhodij & ei ratum esse audiuissent Ialisi imaginem à Protogene pictore nobilissimo elaboratam flammis tradere, *quæ ratio est*, inquiebant, *vt tu imaginem istam velis incendio ædium facto incendere? Nam si nos omnes flammis superaueris, & oppidum hoc totum ceperis, imagine quoque illa integra & incolumi per victoriam potieris: Sin verò nos vincere obsidendo nequiueris, petimus consideres ne turpe tibi sit, quia non potueris bello Rhodios vincere, bellum cum Protogene mortuo gessisse.* Sufficit vt vos in magno iudicij die iudicent, & paganis longe deteriores fuisse clament. Non enim Antecessorum suorum qui cum laude vixerant monimenta violabant, sed magno studio multis item pecuniis redimebant, vt Epicteti Philosophi lucernam fictilem 300. denariis, talento baculum Prothei Cynici, Aeschyli pugillares magnis impendiis vt scribit Lucianus & alij. Scipio Carthaginensis non ignorans quantum ossibus suis tributuri essent homines, & videns exulandum sibi ab ingrata Roma, Linternis mori voluit, & sepuchro suo inscribi. *O ingrata patria non habebis ossa mea.* Sufficit vt vos supra modum præposteros esse mundus agnoscat, vt qui subruentes, conterentes, conspuentes sanctorum imagines, Diaboli nihilominus effigiem, nec contumelia nec detrimento vllo afficiatis, prætereà picturis delectemini, in quibus impudica repræsentantur, vt Diana ab Actæone conspecta, Susanna cuius pudicitiæ senes duo tendebant insidias, Putipharis vxor prolectans ad libidinem adolescentem castissimum. Eua cum coniuge toto nuda corpore: illas autem abhorreatis, quæ insignes castitatis, modestiæ & virtutis omnis cultores ob oculos ponunt. Sufficit denique, vt vos à Deo ipso in primis dissidere nemo non intelligat. Is namque sanctarum illarum reliquiarum custodem se esse profitetur Psal. 33. *Custodit Dominus omnia ossa*

In libello aduers. indoctum.

eorum

torum, non duo tantum, tria, aut quatuor, ſed omnia id eſt 248. tot enim humano in corpore numerantur. Cohibet perſæpè beſtias ne eas labefaciant, quemadmodum ex hiſtoria liquet S. Staniſlai, & ex leone illo, qui neq; cadauer lacerauit viri ſancti, nec aſinum eius 3. Reg. 13. Eaſdem feras interdum mouet, vt iis tumulandis opem ſuam conferant, vt intelliget qui aut vitam legere volet S. Pauli primi Eremitæ à B. Hieronymo conſcriptam, aut S. Mariæ Aegyptiacæ, facit vt ipſamet elementa iis cedant. ceſsit reipſa mare corpori S. Clementis, & flamma corpori S. Polycarpi, & Lycus fluuius baculo S. Gregorij Thaumaturgi. Dat illis ſanare infirmos, & quandoque ad vitam mortuos reuocare, vt ex oſsibus liquet Heliſæi Prophetæ 4. Reg. 13. Dat prætereà vt ſicut à magnete in ferrum tactum, ſic illarum virtus deriuetur in corpora, quæ ab illis tangi contigerit. Hinc vis illa florum, qui admoti fuerunt pignoribus ſacris B. Stephani, de quibus S. Aug. lib. 22. de ciuit. cap. 8. dat denique vt dæmones torqueant, vnde B. Hieronymus. *Spiritus qui te iſta cogit dicere, ſæpè hoc viliſsimo tortus eſt puluere, immò hodiè torquetur.* Vobis ingenium eſt prorſus contrarium. *In l. contr. Vigil.*

De idoneo adorationis loco ſeu templo.

CAPVT XIII.

§. 1. *Templi nomine quid intelligatur.*
2. *Ad decentiam perfectionemq; Religionis eſſe neceſſariũ.*
3. *Quot, qualia, & quam magnifica à Catholicis extructa.*
4. *A Mahumetanis pauca minuſq; auguſta.*
5. *A Nouatoribus paucißima eaque ridicula.*

VENERAT in mentem mihi de templis alibi verba facere, ne ordinem ac ſucceſsionem actuum Religionis à S. Thoma obſeruatum interrumperem. Verum vt mutato conſilio de iis in præſentia dicere aggrederer, idem ipſe author fuit in 2. 2. q. 84. Nam cum in duobus primis quæſtionis huius articulis interrogaſſet vtrum Adoratio actus ſit latriæ ſiue Religionis, vtrum prætereà importet actum corporalem, quærit in 3. vtrum adoratio requirat locum de- §. 1.

Digitized by Google

terminatum, & subinde ad sequentem transit quæstionem, in qua disputat de sacrificiis. Ita fit vt si prius de templis, quæ sola sunt eiusmodi loca determinata sermonem instituam, quàm de iisdem sacrificiis, nequaquam videri debeam ab ordine quem seruauit ipse discedere, præsertim cum ea vti videbimus appendices quædam sint tùm adorationis tùm sacrificij.

Lib. 6. de ling. lat.

Templi vocem alij à tuendo deducunt, id est à conspiciendo, quod in loco esse soleat aperto, editoque ex quo omnia circum circa commode aspici queant, vt notat Varro, vel quod Deus præcipuè intueatur ac consideret qud ibi fiat, seu bonum seu malum 3. Reg. 8. *erunt oculi mei aperti ad orationem eius qui orauerit in loco isto.* Alij à tuendo id est defendendo, quod ibi potissimùm tàm homines quàm pecuniæ, & res aliæ, eo illatæ, creditæ sunt cōmitti speciali deorum tutelæ ac patrocinio, quas proindè nemo indè abstrahere audebat. Alij denique à contemplando, quo sensu Ennius cœlum ipsum non dubitauit templum appellare.

Contremuit templum magnum Iouis altitonantis.

At definitio quam realem vocant, sic habet. *Templum est locus specialis diuino cultui sed maximè sacrificiis authoritate legitima debitoque ritu consecratus.* & vt apparet quinque partes complectitur. Prima docet locum aliquem specialem diuino cultui deputandum. Altera deputandum non huic vel illi parti diuini cultus, sed diuino cultui simpliciter. Tertia eundem præcipuè consecrari ad offerendum Deo sacrificium. Quarta interuenire debere legitimam authoritatem. Quinta ac postrema eam totam consecrationem congruis quibusdam ritibus contineri.

Probatur prima, quia si quid obstaret, maximè quod Deus totius sit orbis Dominus, & ita dignus qui vbique colatur, nec ad peculiaria quædam loca late diffusum eius cultum restringere conueniat. Hæc autem ratio infirmissima est, alioqui nunquam præcepisset, vt sibi templum ædificaretur, ne sic eundem cultum restringeret. Deinde anima rationalis in toto est corpore; Rex quoque in toto suo principatu quoad iurisdictionem, nec tamen id obstat quo minus illa singulariter ac secundum præcipuas operationes in capite; hic verò in metropoli regni, in palatio metropoleos, in aula palatij præcipua, in aulæ throno resideat.

Digitized by Google

fideat. Deus ipſe quondam è ſolo tabernaculo fœderis reſponſa dabat. Præterea ſicut *Domini eſt terra & plenitudo eius*, Pſal. 23. ita & quæcumque tempora, vndè ſcriptum eſt Pſal. 73. *tuus eſt dies, & tua eſt nox*, & ſicut vbicumque Deum colere, ita & quandocumque poſſumus. Quemadmodum ergo voluit, vt nihilominus ex tota ſerie temporum partes aliquas ſibi humanum genus abſcinderet, quas obſequio ſuo conſecraret, ita pergratum habere creditur, immò poſtulare, vt eidem certa loca tribuat, cum nullam ob cauſam temporis potius quàm loci rationem habere conueniat. Eadem ferè ratiocinatio eſt, ſi dedecere dicas, vt obſequio ipſius occupationes quis miſceat ſeculares & profanas. Quid enim luci cum tenebris? Ergo ſicut hac de cauſa opus fuit feſtis quæ illas arcerent, ita & templis. Arcere autem non poſſunt niſi per dedicationem, qua locus diuinis myſteriis ſic conſecratur, vt profanis omninò eripiatur, & certo ritu adhibito ereptus & interdictus eſſe demonſtretur. Nulla vnquam gens fuit tàm barbara, quæ Numinibus ſuis tametſi fictitiis priuatas quaſdam ædes natura duce ac magiſtra non conſtituerit. At quis credibile non iudicet ſanctum id eſſe, ad quod natura omnes inclinauit, & tanta populorum omnium conſenſione fulciri voluit?

Probatur ſecunda, quia rationes omnes allatæ æquè ferè actui vni religionis patrocinantur, & loca aliqua ſegreganda docent quàm alteri. Quis non diceret prima fronte vbiq; indiſcriminatim orandũ, ac iurandum? & tamen vidimus c. 10. §. 2. preces cõuenientius multòq; vtilius in templis offerri quàm alibi, quæ ob id à Maiorib. noſtris Oratoria vulgò dicebãtur. Apud veteres ſimiliter pręcipua iuramenta in templis reuerentiæ maioris gratia edebantur, & eo nomine magis rata erant. Hinc illa oratio Annibalis ad Antiochum Regem teſte Liuio l. 13. *Pater Amilcar Antioche, paruũ me cum ſacrificaret, altaribus admotum iureiurando adegit nunquã amicũ fore populi Romani.* Meminit circũſtantiæ huius Virg. l. 4. dicẽs.

Talibus orantem dictis araſq; tenentem
Tango aras, medioſq; ignes & numina teſtor.

Horum omnium communem quandam rationem affert S. Thomas, quod in Dei obſequio nihil quantumuis paruum ſit cõtemnendum, ſed propter eius maieſtatem cui ſeruitur, magnifaciendum, in cuius rei argumentum vniuerſim loquens Propheta

Digitized by Google

Hier.48. ait, *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter*, & cum in tota ſupelEl. 25. lectile tabernaculi nihil eſſet emunctoriis vilius, voluit tamē Dominus eſſe aurea. Iam verò vt actus omnes religionis qui ſcilicet fiunt ad gloriam eius perfectè fiant, & magna quadam mentis intentione, non parum momenti habet locus in eum finem ſegregatus, vna cum rebus ſacris quæ in eo continentur & fiunt. Vt taceā humanis in rebus ordinis profectò longè inferioris quàm ſit Religio, quidquid paulò eſt auguſtius, nō promiſcuè ſed ſeparato quodā in loco peragi ſolitum, vt ſenatus cōſulta in Capitoliis, iuridicas ſententias in Curiis, Iuuentutis inſtitutiones in Gymnaſiis, eiuſdem exercitationes militares in campis Martiis, otioſas autem recreationes in theatris & Amphitheatris.

Probatur tertia, quia vt ſacrificium ſingulariter & priuatiuè Deo conuenit, vti cōſtabit ex iis quæ dicentur ſequenti capite, & reliquos Religionis actus dignitate ſuperat, adeò vt in iis explicandis quæ ad illud pertinent, maxima eorum pars ſit poſita quæ dicūtur in lege veteri; ita planè potiſsimùm decet ei præ cæteris, locum aliquem ſeparatum in quo offeratur præſtitui. Ecquis peculiariter non horreat, & indecentiſsimū ducat, in proſtibulis ſacrificare, in foricis, in circis gladiatorū, in ſtabulis porcorum? An Iudæis alicubi extra templū Hieroſolymitanum poſt illud ædificatū ſacrificare licuit? audi quid ſcriptum ſit. *Non poteris immolare* Deuter.16. *phaſe in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus vt habitet ibi.* Notanda quoq; ſunt verba illa S. Baſil. ſerm. 2. de Bapt. cap. 8. *Nobis periculum eſt malè obiici mandati, ſi loci rationem neglexerimus, maximè ſi ſacerdotij miniſteria in locis profanis celebrauerimus.*

Probatur quarta, quia cum templum de numero ſit rerū publicarum, omninò debet authoritate publica ſeu perſonarū populū vniuerſum repræſentantium, & ad eiuſmodi res tractandas cōſecratarum inſtitui, erigi, dedicari, aliàs nec decori haberetur ratio nec proportionis. Ne publica quidem illa ciuitatum Capitolia quantumuis profana publicis negotiis deſtinantur & authoritatem habent, priuſquam à Magiſtratu admittantur.

Probatur quinta ac poſtrema. Primò teſtimonio ſcripturæ ſacræ, quæ 3. Reg. 8. & 1. Machab. 4. tēplū Iudæorū variis fuiſſe ritib. dicatū cōſecratumq;, & non voluntate ſola diuino cultui deputatum

tatum cõmemorat. Quam dedicationẽ Christus ipse eatenus approbauit. quatenus Io. 10. Encæniorum festo quo illa recelebatur, interesse voluit. Equidẽ iam in Euangelica lege cæremonias Mosaicæ proprias vsurpare non licet, hoc est Messiam venturum significantes, ne earum vsu illum nondũ venisse insinuemus; morales autem omninò licet, velut natura duce ordinatas ad deuotionem circa Dei cultum in hominum mentibus excitandam, hæc autem tota ex genere suo moralis est.

Secundo Ethnicorum ipsorum exemplo. Nam & Romani templa sua ritibus variis accersitis dedicabant, de quibus legi potest Cornelius Tacit. lib. 20.

Tertiò ex cõmuni praxi totius Ecclesiæ de qua multa Gratianus. de Cons. dist. 1. specialiter in cap. Ecclesiis. & 16. q. 17. & apud Chrys. Tom. 3. & Aug. serm. 251. de tempore, legimus varias cõciones in festo dedicationis habitas, sicut etiã apud Bern. qui serm. 1. de hoc argumento hæc scripta reliquit inter cætera. *Domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino*, & infra, *In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietib. visibilibus præcesserunt, & si vultis scire hæc vtiq; sunt aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio & benedictio.* Scribit S. Athanas. in Apologia ad Constantem expostulationem vnam grauem Arianorum de se fuisse, quod in templo quodam nondũ dedicato synaxim dispensasset, precesque publicas instituisset.

Quartò ratione, quod templum à locis profanis distingui debeat, aliàs nõ indè eiecisset Dominus emẽtes & vendentes. Apud homines autem distinctio fieri non solet nec potest, nisi externis quibusdã ritib. adhibitis, qui sensus à quib. multũ pendent, moueant. & imaginationẽ afficiant. Quod prætereà iis vsurpatis deuotionem peculiarẽ mens cõcipiat, & sacra quæ in templis fiunt pluris faciat, & magis reuereatur, ad eaq; cautius accedat. Ratiocinatur videlicet, si talia circa locum geruntur, qualia oportet esse quæ ibi fiunt? & quantam à me innocentiam requirunt? Vt populus Reges ipsos reuerentia maiore prosequeretur, & altioris cuiusdam ordinis esse intelligeret, introductus mos est inaugurationis vnde Genes. 41. Pharao ad authoritatem & honorem Ioseph conciliandum, *tulit annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitq; eum stola.* Quod tertiò eiusmodi ritus ad immũdos Spiritus ex locis sacris arcẽdos magnã vim habeãt. Abactos certè fuisse Romæ è templo Arianorũ de nouo dedicato, introdu-

ctis

ctis S. Stephani reliquiis, narrat S. Greg. Quod deniq; precibus Ecclesiæ quæ vna miscentur, ibi orantes facilius exaudiantur, vt docet S. Thom. 3. p. q. 83. art. 3. ad 3. Atque hinc apparet, quàm inanis sit illa quorundam obiectio, templum cum sit inanimatum, capax non est sanctificationis, nec ex consequenti consecrationis, Haud dubiè si aliquid concluderet, ineptè scriptum esset Exod. 40. *omnia vnctionis oleo consecrabis vt sint sancta sanctorum*, & l. 3. Reg. c. 9. *sanctificaui domum istam quam ædificasti*, & 1. Tim. 4. *sanctificatur* (omnis creatura) *per Verbum Dei & orationem.* Dicendum itaq; cum S. Aug. l. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 26. non vniusmodi esse sanctificationem, ac templum quidem eius capax non esse, cuius est homo, esse tamen cuiusdam alterius: non inquam ipsi imprimi aliquam sanctitatem vt realem qualitatem inhærentem; ritibus tamen illis segregari à cõmunibus & profanis vsibus, & ad sacros destinari, & per sacra signa precesq; Ecclesię diuino fauore protegi, ac specialiter à Dæmonum infestatione custodiri. Quod omninò sufficit, vt eo modo quo potest sanctum iudicetur. His addo ritus illos eo ipso sacros euadere, quo templum per eos ad sacros, vsus deputatur, & ita quidem sacros vt nefas sit eos in profanarum rerum inauguratione vsurpare; Hoc enim est quòd cæremoniam sacram ex parte constituit. Vnde Exod. 30. cum docuisset Dominus, quibus ex aromatibus componi vellet oleum sanctum, quo inungi debebat Aaron cum filiis suis, & tabernaculum testimonij, & mensa cum vasis, & altare thymiamatis, adiecit. *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras, caro hominis non vngetur ex eo, & iuxtà compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis. Homo quicumque tale composuerit, & dederit ex eo alieno exterminabitur de populo suo.* & infra cum similiter exposuisset ritum conficiendi thymiama, seu suffitum templi subiunxit. *Talem compositionem non facietis in vsus vestros, quia sanctum est Domino. Homo quicumq; fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populo suo.*

L. 3. Dial. cap. 30.

Ex his non est difficile intelligere templorum vsus quàm sit Religioni vniuersę partim cõmodus partim etiam necessarius, & quanto iure illius actus censeatur. Vidit hoc Augustin. cum ista scriberet. *Si templum facere Spiritui sancto iuberemur, sicut fecit Salomon de lignis & lapidibus, vtique faciendo templum latriam illi hoc est cultum diuinum*

Epist. 66.

Digitized by Google

diuinum exhibere conuinceremur. *Quanto magis igitur latriam debemus, cui non templum facimus, sed sumus?* Vidit & vetusta illa gentilitas, quatenus in more habuit, templa augusto epitheto sacra appellare, quasi aliquid religionis essent & religioni conducerent. hinc vox illa apud Græcos ἱερόν. quatenus prætereà vsque eo semper ea coluit, & reuerita est, vt ab aditu adulteras excluserit, teste Demosthene in Neæram, & ibi exonerasse ventrem capitale esse voluerit, quam legẽ tulit Pisistratus, vt narrat Suidas, & seuerè cauerit, ne hostes vel rapinam inferrent vel iniuriam, eo quod iuxta Aristotelem, *qui sacra vascula parui ponderis sustulit, is quauis in re peccauit.* At quorsum tanta reuerentia tamq; multiplex, si à locis aliis ea non dirimit differentia quædam maxima velut à profanis sacra, à vulgaribus religiosa, ab humanis diuina vel vt Cypriani verbo vtar *dominica?* Vt magis adhuc intelligas templa ædificare, dotare, exornare opus esse admodum religiosum, & magni meriti, deoque gratissimum, pone tibi ante oculos seniores illos Iudæorum, qui Luc. 7. à Centurione ad Christum missi sunt, hoc vno argumento contentos fuisse, quo hunc ad sanandum illius seruum inducerent, quod pro religiosissimo viro authoritatem interponerent suam, vtpote qui Synagogam ædificasset, *dignus est,* inquiunt, *vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* In quæ verba S. Ambrosius: *Si commendatur Domino qui ædificauit Synagogam, quanto est commendatior qui ædificauit Ecclesiam? & si is meretur gratiam qui impietatis receptaculum præstitit, quanto maiorem meretur gratiam qui Religionis domicilium præparauit? & si ille cœlesti misericordia visitatur, qui construxit locum, vbi Christus semper negatur, quanto magis visitandus est, qui fabricari fecit tabernaculum, vbi Christus semper prædicatur?* Rectè sanè, quia nihil dubium est, quin templa ædificare sit vehementer promouere Religionis exercitium, seu illius colendæ singularem commoditatem toti populo dare: quemadmodum ex aduerso irreligiosissimus semper est habitus, qui vel vnum euertit, incendit, labefactauit.

Lib. 1. Rhetor. cap. 14.

Lib. de eleemosyna.

Serm. 89.

§. 3. Nihil deesse Catholicis quoad templorum structuram, numerum, ornatum, magnificentiam, vsum, atque reuerentiam, vix operosius est probare, quàm dicere. Tàm multa ædificarunt eaque magnifica, vt nullius alterius Religionis adeò multa extent aut splendida. Nullus fermè apud eos pagus templo caret. In vno

Belgio Catholici orbis angulo plusquam ſex millia numerari audio. Henricus VIII. in vna Anglia Parochiales Eccleſias decem millibus non pauciores diripuit. Continet idem orbis Catholicus Cathedrales plus minus ſeptingentas (vt ex Rebuffo in praxi beneficiaria, & aliis recentioribus ſcriptoribus liquet) quarum plurimis vt Conſtantienſi & Tullenſi ſubſunt aliquot centena Parochiarum ſupra mille. Quid Regulares Eccleſias recenſeam, numerum excedentes quindecim millium? Ex vna Ciſtercienſi 1800. quaſi totidem coloniæ deductæ ſunt. Succumbit magnificentiæ qualiſcumque mea dicendi vis. Volens Moyſes illam deſcribere, quæ erat tabernaculi fœderis, ait: *Obtulerunt quidquid ad cultum, & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas, & inaures, annulos, & dextrariola, omne vas aureum in donaria domini ſeparatum eſt, ſi quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumque bis tinctum, byſſum, & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas & hyacintinas, argenti æriſq; metalla obtulerunt domino lignaque Cethin in varios vſus. Sed & mulieres doctæ quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, vermiculum, & byſſum. Principes verò obtulerunt lapides Onychinos, & gemmas, & ſuper humerale & rationale, aromataq; & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum, ac thymiama odoris ſuauiſſimi componendũ.* Exod. 35. Magna ſunt hæc, ſed à populi totius liberalitate profecta. vt adeò mirum videri non debeat opulentiſsimum fuiſſe tabernaculum, vtpote vnicum, & tot hominum impendiis fabricatum. Idem de templo Hieroſolymitano iudicium. At Catholicis plurima ſunt, & fuerunt partim à priuatis ædificata, partim à populo, quæ licet illius ſplendorem non exæquent ſingulatim ſumpta, haud tamen procul abſunt. Hoc de templo S. Sophiæ Conſtantinopolitanæ dixero, quod ædificauit Iuſtinianus Imperator, hoc de Romano S. Petri, & Mediolanenſi, de Veneto S. Marci, & Lucenſi, de Argentinenſi, de Bernenſi, quibus duobus abutuntur nunc quidem Lutherani & Caluiniſtæ; iure tamen inter noſtra recenſentur, tùm quia vtrumque mira vi, iure nullo ſibi vindicarunt, tùm quia illorum fundatores neutri ſectæ quæ nondum emerſerat è puteo abyſsi, & de qua ne per ſomnium quidem cogitauerant, nomen dediſſe noſcuntur.

Hoc inſuper de Colonienſi, Moguntino, Spirenſi, VVormatienſi, Aurelianenſi, Metenſi, Pariſienſi, Florentino, montis Regalis,

Digitized by Google

lis, Bressano, Bituricensi, Ambianensi, Bellouacensi, Rhemensi, ac Monachiensi in quibus certant inter se omnia, quid prius ac vehementius in sui admirationem rapiat intuentes, materia, forma, frontispicium, vtensilia sacra, reliquiæ sanctorum Martyrum, exedræ, vestitus sacerdotum, ordo ministrantium, organa, cantus, picturæ anaglypha, peristromata, pinnacula, &c. Monimenta hæc sunt fateor Maiorum nostrorum, potiùs quàm ætatis huius, in qua degeneres filij æstate penulam, vt in prouerbio est, deterunt, & pretiosas opes sibi relictas, quibus Dei cultus valdè illustraretur, Veneri plerumque dedicant, & innumeris nugamentis, ac sacra illa Patrum deposita seu donaria sacrilegè potius repetunt, quàm augeant, & conseruent. Verùm an quia Maiorum nostrorum idcircò nostra non sunt? quanquam ex his posteris non ita multi degenerant, & stulta pecuniæ profusione asinorum caput nitro lauant, vt habet aliud prouerbium, quin semper aliqui insistant pietatis illius priscæ vestigiis. In promptu sunt non pauci, quos commemorem, sed silebuntur à me, tùm ne commemorando videar adhuc viuentibus assentari, eosque intempestiuè seu antè obitum impensè laudare, quem non Hesiodus modo, sed quod amplius est scriptura sacra monet expectandum Eccles. 11. tùm quia festino ad sequentia. Præterire tamen nec debeo, nec possum notissimum illud in Europa Montis serrati templum, admodum capax, de nouo constructum, & maximè ornatum liberalitate fidelium, præsertim Philippi II. Hispaniarum Regis, qui ad aram maximam tabernaculum ex multis columnis planè magnificis, multis item imaginibus sculptis pictisque artem ferè ipsam vincentibus ingenti sumptu ædificauit. Sed totius Hispaniæ maximum ac splendidissimum dicitur esse S. Laurentij iuxta pagum qui Escurial dicitur in regno Toletano. Absorpsit eius structura milliones vt fama est, nouem aut decem.

Ita est dicat aliquis, verè sunt quàm plurima eaque magnifica, dotationes item amplissimæ structuræ ipsi respondentes, sed consultius erat tantum auri & argenti, tot item lapides pretiosos impendere in vsus pauperum, vel supprimere ad vitandam ostẽtationem atque superbiam. Displicent quoque inter munificentias alias tot cerei, tot lampades clarissima etiam luce collucentes, vt quid perditio hæc? Obtrudere huiusmodi querelas solet

Digitized by Google

quisquis Iudas fuerit, sic expostulant, qui speciem habentes pietatis, virtutem eius abnegant. Respōdeo, vt pauperibus, ita prorsus diuino cultui consulendum, illud oportet facere, istud non omittere. Vrgenti graui necessitati egenorū magis ac priùs prospiciendum, quis negat aut dubitat? extrà eam verò negabunt impij soli quærentes quæ sua sunt, magnifica esse debere, quæ ad cultum illum pertinent. siquidem antiqui Patres aureorum vasorum in quibus sacrificatur, & sacramenta conficiuntur, crebrò meminerunt, vt Cyrill. Catech. 14. August. in Psalm. 113. Ambros. lib. 2. de offic. cap. 28. Erant & in lege veteri pauperes, quibus tamen non obstantibus ingentes opes in tabernaculi templique structuram & supellectilem sacram congestæ sunt. Sed neque mendici deerant Magdalenæ temporibus, quorum sic rationem habuit, vt vnguento simul pretioso Christi pedes vnxerit, eiusque facti & laudatorem illum, & patronum habere meruerit. Magna profectò esset vanitas, nec leue peccatum, si ad gloriam propriam aut curiositatem, pretioso illo apparatu sacerdotes vterētur, nec in reprehensionem minorem incurrerent, quàm apud S. Bernardum illi, qui eadem curiositate victi in columnis, in parietibus, in subselliis simias, Centauros, semi homines, & complures alias monstrorum species effingi curabant. Enimuerò finem longè alium propositum habent, & habere docentur, nempe Dei gloriam, ad quam profectò magnificentia illa tota dirigitur & conducit, vt te docebit S. Thomas. videntes namque altare exempli causa, ornatum ac splendidum, facile cogitamus magnum esse Deum, cui talia exhibentur, sicut & magnum in terra principem, cui domus est instructissima; contrà facilè contemnitur, quod sine apparatu proponitur. Quod ad cereos, nec eos accendimus ostentationis, aut vanæ profusionis gratia, nec superstitione gentilitia, quasi diuinitatem illustraturi, quam superstitionem perstringens & carpens Seneca dicebat: *accendere aliquem lucernam Sabbathis prohibeamus, quoniam nec lumine quidem Dij egent, nec homines delectantur fuligine.* Sed vt testemur, & nobis obiiciamus Dei præsentiam, qui lucem habitat inaccessibilem. Taceo ad magnificentiam domus spectare, vt abundet lumine, vt te insuper docebit idem S. Thomas. Vnde quo augustius esset tabernaculum, extabat in eo candelabrum præstantissimum constans 7. calamis teste Io-

In Apolog. ad Guill.

2. 2. q. 169. art. 1.

Epist. 96.

1. 2. q. 102. art. 4.

ßte Iosepho lib.3. Antiquit. cap.7. & 8. ad Planetas septem indicandos, quibus illustratur orbis vniuersus, & ideo situm erat in parte Australi, quia ex illa parte nobis est cursus Planetarum.

Et quoniam Religio postulat, vt non modò extruantur templa & exornentur, sed etiam vt crebrò vsui sint, & ab omni irreuerentia libera; vti iis solent Catholici ad omnes Religionis actus, idque ferè quotidie. Ibi priuatas publicasque preces vulgò fundunt, ibi deum adorant, sacrificium offerunt, solennia vota nuncupant, publico se iuramento presertim in inaugurationibus obstringunt, sacramenta conficiunt, administrant, & suscipiunt extrema vnctione excepta, Dei laudes personant, Deum adiurant. Indè quoque profana omnia arcere iubentur. Ad hoc instituti Ostiarij de quibus Isid. lib.2. de offic. c.14. *Hi inter sanctum & iniquum discernentes eos tantum qui in Ecclesia sunt, recipiunt. Intrare enim templum nisi per eos non possumus; habent enim in potestate tàm bonos recipiendi, quàm reiiciendi indignos.* Lata quoque Lex in Concil. Lugdun. ne eo ducantur vel deferantur canes, accipitres, infantes vociferantes, vel eiulantes, nec fatui tumultuantes. c. *decet* de immunit. Eccles. in 6. can. *non oportet*, & can. *nulli* dist.44. vbi etiam interdicitur ne ibi symposia fiant, ne in cœmeterio quidem cessantibus etiam diuinis officiis, & in eodem can. *decet*, ne ibi conueniatur quis ad lites decidendas, sed ad pia tantum opera, ne vana, fœda, vel profana colloquia misceantur. *Cessent*, inquit Synodus, *confabulationes qualibet, sint quacunque diuina possunt turbare officia, aut oculos diuinæ maiestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea, ne vbi peccatorum venia est postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi.* Et infrà: *Cessent in Ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum, & fori cuiusque tumultus.* Et quamuis verisimile sit ibidem posse conferri gradus non Theologiæ solùm, sed artium etiam Iuris & Medicinæ, non tamen cum ludorum vel chorearũ strepitu, vt notat Nauarrus. Sic tandem textus ille clerum admonet, *sit ad Ecclesias humilis & deuotus ingressus, sit in iis quieta conuersatio, Deo grata, inspicientibus placita, quæ considerantes non solùm instruat, sed etiam reficiat.* Præter hæc omnia cautum est sacris illis canonibus, ne quis ibi etiam iure occidatur c. *proposuisti* de consecr. Eccles. ne humanus sanguis fundatur iniuriosè, aut semen voluntariè c. *Ecclesiis*, de consecr. dist.1. aut coniuges inter se coeant. Quod adeò

Tom.3 tract. de orat. c.6. n. 38.

Ii 3

deò impium Poëtis ipsis ethnicis est visum, vt Hippomenem & Atalantam scribant in Leones fuisse mutatos, quod in templo Cybeles neglecta religione coiuissent. Rursus ne eo confugientes per vim extrahantur. can. *sicut antiquitus*, 17. q. 4. ne paganus, infidelis, excommunicatus, aut nondum baptizatus ibi sepeliatur can. *consuluisti*, de consecr. Ecclesiæ, ne res loci illius sacri commissa custodiæ auferatur, c. *quisquis*, ead. q. 4. ne ibi vacetur belli exercitiis, c. *adhæc*, & seq. de relig. domib. aut turpes ludi instituantur Clem. *cum decorem* de vit. & hon. cleric. aut alia fiant quæ diuinum turbant obsequium c. *decet*, de immunit. Eccles. in 6. ne denique loco sacro vis vlla inferatur, d. c. *quisquis*. At Clerici plerique nihil minus quàm leges istas obseruant, corrident, nugas agunt, inconcinnè admodum modulantur, impudicis impurisque canibus peruia sunt omnia, &c. faciamus ita esse, nullumque extare ab hac irreuerentia & irreligiositatum liberum, quid propterea? Satis superque mihi est ad tuendam causam religionis Catholicæ, quod euicerim seueras leges de his omnibus ab Ecclesia Catholica latas, & Clericos earum obseruationem profiteri. Quippè ita fit, vt si quid in eadem Ecclesia modo careat, si quid petulantiam, impietatem, vanitatem redoleat, nec illi adscribendum sit, nec Religioni quam profitetur, sed discolorum quorundam filiorum nequitiæ, quales vt pauperes nobiscum semper habituri sumus iuxta dominicum vaticinium, vel etiam rusticæ indoli, quæ tunc maximè decorem seruare se credit, quandò specimen aliquod præbet suæ inurbanitatis. Sed absit à me Clericum vt nullum, nullam item Ecclesiam liberam credam; scio contra plurimas non reuerentiæ minus & decori, quàm mũditiei studiosissimas, ac inter cæteras Parisiensem & Rhemensem, quarum non ego solùm qui nullius nominis sum, sed Cardinalis quoque Caietanus cum vniuerso comitatu miratus persæpè est Lutetiæ & Rhemis dum esset summa cum pari pietate maiestatem. Nihil dicam de compluribus domibus partim ordinis S. Benedicti & Cisterciensis, partim Carthusianorum, & Capuccinorum, & S. Francisci de Paula, & aliis in quibus deuotè admodum cuncta peraguntur, vt vix quisquam ab illorum templis recedere consueuerit, absque magno nouoque sensu pietatis. Quis verò nescit spectandum potius quid boni esto pauciores faciant, quàm quid mali tametsi plures?

At

Digitized by Google

At fortè reprehensionem illam saltem vitare non possunt, quæ in templis in honorem quoque sanctorum consecrandis est posita. Ecquid superest nisi vt iisdem quoque sacrificent? an non intima quædam est templo cum sacrificiis coniunctio? Respondeo, Longè aliud est ædificare, consecrare, dicare templum sancto, aliud in honorem sancti. Illud significat referre ad cultum Sancti principalem templi finem, hoc est sacrificium, quod absit vt veniat illis in mentem. Sciunt enim scriptum, *qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli.* Nota quoque Augustini sententia lib. 1. contra Maxim. *Nonne si quis templum alicui Angelo excellentissimo, de lignis & lapidibus faceret, anathematizaretur à veritate Christi, & ab Ecclesia Dei?* Qui sacrificat supremam in eo potestatem agnoscit cui sacrificat, quam cum vltrò & ingenuè fateantur, ne in totum quidem sanctorum gregem conuenire, ab eo procul absunt, vt de offerendo iis sacrificio cogitent: Istud verò solùm indicat locum illo à sancto denominari, eundem ibi speciatim ac præ cæteris inuocari, & celebrari ob peculiarem deuotionem, ob peculiaria per illum accepta beneficia, ob insignes quas sortitus est eiusdem reliquias, vel etiam ob miracula, quæ ibi Dominus ad illius inuocationem dignatus est operari. Hoc autem quis absurdum putet, nisi qui sit absurdissimus? Responderi etiam potest, sacras domos ipsis quoque sanctis ædificari, non tamen ratione templi, sed basilicæ vel memoriæ. Templa dicuntur quatenus diriguntur ad sacrificia, Basilicæ autem & memoriæ, quatenus custodiæ sunt reliquiarum, vel sepulchri Sanctorum. Indicat hoc totum illa Augustini sententia. *Nos Martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, qui apud Deum viuunt fabricamus.* Exod. 22.

§. 4. Mahumetanorum aduersissima est ratio. Primò perpauca templa ædificant. Nam licet multa satis numerent, ex iis tamen plurima non erexerunt ipsi, sed Christianis eripuerunt non secus ac libertatem bonaque cætera, & superstitioni suæ vendicarunt. Quanquam nec erepta omnia destinarunt diuino cultui, cum in vrbe ipsa Constantinopolitana, quæ tot olim capiebat, vix iam tria aut quatuor alicuius momenti, eidemque seruire testis sit Postellus, ibique degere Sacerdotes gentis illius ad summum 400. cum interim in plerisque ciuitatibus Romanæ Eccle-

Digitized by Google

siæ templa numerentur plura sexaginta, & Clerici decem millibus. Clerum certè Romanum ad multa millia peruenire non est dubium,& Lutetiæ Parisiorum circumferuntur tot templa circiter,quot in anno dies, id est, 365. Venetiis centum sunt partim Regularia, partim Parochialia.

Secundò,cum templa omnibus religionis actibus seruire debeant, nō secus ac palestræ omnibus pugilum exercitationibus, multos ibi nunquam exercent, non iuramento se obstringunt, non vota nuncupant, & quod magna est admiratione dignum, ne quidem sacrificant, vt plenius te docebit caput quod sequitur.

Tertiò,cum religionem merè templa respiciant, nec extrui debent nec dedicari, nisi publica illorum auctoritate, qui Religionis curam gerunt.hoc est Sacerdotum, & ecce ædificantur, & dicantur apud illos sola auctoritate Imperatorum vel Bassarum, vel Sangiacchorum,&c. Vide Guill. Reginald.lib.2.Caluinoturc. cap.15.

Quartò, nullo sacro ritu apud eosdem dedicatio illa peragitur, nullius certè auctor aliquis meminit, cum tamen momenti longè minoris plurima quiuis recenseat. Contenti sunt deputatione sola quæ voluntate fit.

Quintò,templis illis nec ornatus inest,nec magnificentia. In Imperio Turcico si quæ à splendore laudem habent, ad summū sunt 12.Constantinopolitanum S.Sophiæ cum duobus aliis, Alexandrinum, Adrianopolitanum, Memphyticum, Medinēse, Mechanum, Iconium, Aleppense, Damascenum & Hierosolymitanum. Quanquam quod primo loco positum est,illorum vt suprà diximus, censeri non debet, quippè illud non ædificarunt ipsi, sed Iustinianus Imperator à Mahumetismo tā alienus, quàm qui alienissimus. Splendor item ferè omnis extrinsecus est, recessus solam habet inanem vastitatem, aulæa nulla iis exceptis, quæ nonnunquam pauimentum storeis stratum integunt, Tabellas & imagines nullas, nullam supellectilem sacram. Testantur quæ dico Barthol. Georgeu. lib.1.de morib. Turc. Reginald. libro 4. Caluin.cap.6. vbi sic loquitur. *Vtraq; in ciuitate* Mecha & Medina *pulcherrimum templum est ædificatum in honorem quidem Dei, sed tamen ad tanti Prophetæ memoriam. Excellit autem illud Medinæ, cuius te-*
ctum

Digitized by Google

ctum 400. magnis & egregiis columnis ex candido latere confectis ſuſtinetur, quas circum circa coronant plus quam tria millia lampadum ardentium. Hoc totum. Idem de Feſſenſi Moſquea iudicium, *quæ*, inquit lib.2. cap.15.& ante illum Belleſor. Coſmogr.tom.2.lib.6.cap.6. *Suo ambitu continet ſeſquimiliarium Italicum, mille ſcilicet, & quingentos paſſus, in quam vna & triginta perpulchris præaltisq́ portis patet ingreſſus, habetq́ miranda planè ſtructuræ fornices in latitudine 20. in longitudine 38. & perpetuò nocte dieq́ accenſas lampades vt minimum 900.* En tibi lector ſplendorem duntaxat extrinſecum, nullum intrinſecum qui interim potior eſt. Vndè cum tabernaculum fœderis vile eſſet exterius, pellibusque caprinis tegeretur, totum auro micabat interius, & hominis perfectionem veram non cultus corporis, ſed animi ornamenta conſtituunt quibus interior templi ornatus proportione reſpondet.

At templa illa figuræ ſaltem ſunt rotundæ, ob idque iuxta Geometras præſtantiſsimæ & capaciſsimæ, cum Catholica potius ſint parallelipeda altera parte longiora. Reſpondeo cum S. Thom. Artifices operibus diſpoſitionem optimam inducere non ſimpliciter, ſed per comparationem ad finem, vt qui ad ſecandum ſerram fabricat, non ex vitro vel auro, tametſi pulchriore, ſed ex ferro materiam petit, vtpotè ad ſecandum magis idoneo. Sic igitur oblongis templis vtimur, quia licet figura rotunda ſit præſtantior, illa tamen ei ſubſtituenda fuit, quæ ipſius Eccleſiæ ſpiritualis conditionem in materiali velut imagine obiiceret. Quare cum Eccleſia Chriſti ipſo interprete fluctuanti atque ad ſalutis portum contendenti ſit naui ſimilis, oblonga templa eſſe decuit, ne aliâs parum, aut nihil conditionem illam indicarent.

1.p.q.91. art.3.

Sextò, in illis ſuis nec modeſtè ſe gerunt nec reuerenter, immò publica lege ac conſuetudine ibi omnē exuunt grauitatem, ibi Mimos agunt fatigantes ſeſe ridiculis multis capitis conuerſionibus, vt affirmant Anton. Mænau. & Lonicerus lib.2. de reb. Turc. Quin etiam ſacrifici quidam toto nudi corpore in orbem ſe vertunt tanta celeritate, vt trochos à pueris circumactos imitentur, & tandem vrgente vertigine in humum ruant. *Incipit Sacerdos*, verba ſunt Septemcaſtr. cap.13. & Bartb. Georg. cap.1. *cum toto populo cantare ſubmiſſa voce, & certa corporis mouendi cæremonia nihil*

aliud præter hæc verba pronuntiat la illach, ilelach, hoc est, non est nisi vnus Deus sic media ferè hora personat & mouetur. Fœminæ quoque ipsæ inter orandum corpus continuo agitatu & vociferationibus mirè affligunt, vt sæpius viribus & animo defectæ in terrã pronæ concidant, teste Barthol. Georg. suprà. Quis hanc non dicat profanam & histrionicam vanitatem? quid ad gloriam Dei facit ista circumactio?

Septimò, cum vt Deus, ita Religio, & quæ Religionis sunt vt templa debeant omnibus eam profitentibus pro ratione gradus cuiusque esse communia, ab iis nihilominus arcent sectæ suæ plurimos, ac primum fœminas omnes non solùm quæ prostituta pudicitia quæstum faciunt, sed etiam reliquas. Antonius tamen Mænau. supra.c.8. virgines excipit & viduas, & Septemcastr. loco cit. matronas præcipuas in quo ei consentit Io. Bohemus lib. 2. de morib. gentium, cap. 11. sic scribens. *In Ecclesia locum fœminæ à viris longè remotum habent, & adeò occlusum, vt nemo introspicere posit, nec aliquo modo intrare; quem tamen non omnes, sed Magnatum solum vxores, & nunquam aliàs quàm die Veneris ad vnicam orationis meridianæ horam, quæ apud illos solennis est, intrare debent.* Arcentur prætereà quotquot sunt cæci, surdi, claudi, gibbo, vel aliis naturæ vitiis deformes, qualium magnus profectò est numerus, atque ita latè patet tam iniuria qua afficiuntur, cum nulla sua culpa priuantur iure vtendi re communi, quàm religionis decrementum Deo semper ingratum. *Ipsi Deo nihil minus gratum futurum est*, inquit Cicero, *quam non omnibus patere ad se placandum & colendum viam.* At fortè excusat eos prouerbium illud 2. Reg. 5. *cæcus & claudus non intrabunt in templum*, Mahumeti & plerisque aliis non ignotum. nequaquam certè, quia prouerbium fuit impiorum duntaxat hominum, hoc est, Iebusæanorum, & per templum inquit Hieronymus in eum locum, non intelligitur verum templum, sed domus, seu palatiũ Iebuzæi, adumbrans templum splendore & magnitudine. Dicuntur ibidem cæci & claudi, non qui verè ac propriè tales sunt quoad membrorum defectum, sed milites insipientes & infirmi, qui videntes se à Dauide his fuisse appellatos nominibus, per ludibrium ei dicebant. *Non ingredieris huc nisi abstuleris cæcos & claudos*, id est nos, qui tibi adeò vilescimus, vt hac contumelia putes afficiendos. Vndè & passim adagium illud vsurpabant, in quo

Lib. 2. de Legibus.

post

post ista verba, *cæcus & claudus*, subintelligendum est verbum *dicunt*, quod si fiat mox constabit, sicut etiam ex antecedentibus, nihil inde iuuari Mahumetanos. Certè nec cæcis nec claudis interdictum fuisse apud Iudæos templi ingressum locuples testis est Iosephus in lib. de bello Iudaico, cap. 6.

Multò adhuc irreligiosiores in hac parte sunt Nouatores. §. 5.

Primò, alij vt Anabaptistæ, ne templi quidem nomen ferunt. quemadmodum liquet ex Antithesibus Christi veri & falsi editis Albæ Iuliæ, Anno M. D. LXVIII. Alij vt puri Lutherani Magistro suo adhærentes templa omnia è medio sublata cuperēt: sic enim ille eorum doctor loquitur. *Templum seu Ecclesia Adæ fuit arbor aliqua, aut colliculus quidam sub dio, ad quem conueniebant, vbi habebant excitata altaria. Sic aliæ quoq; historiæ testantur sub dio fuisse altaria, & ibi sacrificatum esse. sicut propter multas causas vtile esset, vt sub dio conueniremus, ibi flexis genibus oraremus, doceremus, ageremus gratias, benediceremus mutuò.* *In cap. 4. Genes.* Cæteri tam pauca ædificarunt, vt quod de bonis Regibus Israël dici solet, inscribi annulo facilè queant. Age, quomodo propriis sumptibus noua ædificarent, qui quantum per rapaces manus licuit, in opes iam extructorum tanto furore inuolarunt? Ad hoc respondere solent, vestra quibus successimus abundè nobis sufficiunt, vt nihil sit opus de nouis erigendis vel dotandis cogitare. Ne dicatis successimus, sed ex quibus Catholicos, vt improbi passeres innocuas hirundines è propriis nidis solent, collata vi exclusimus. Sufficiunt vobis fateor, & ridiculè quidem, amplissima enim sunt atque ornatissima, ob idque vili ac profanæ Liturgiæ vestræ, gregique modico nihilo aptius conueniunt, quàm infanti cothurnus Herculis. Quæ causa est cur plerisque in locis ea collabi sinatis in Anglia, alibi à fundamentis subrutis vt in variis Galliæ Scotiæque partibus, plerumque vnam aliquam veteris Ecclesiæ partem cœtui vestro abscindentes, seu seruantes, destinetis reliquum totū profanis vsibus, artificiis, mercaturis, condendo tritico, apparatui bellico, bombardis & tormentario pulueri.

Ob hanc eandem iniquam, & violentam vsurpationem, possumus nulla vobis esse dicere. Vestra non sunt quæ non ædificastis, vestra non sunt à quorum auctoribus, moribus & religione, ob quam vnam extructæ sunt, dissidetis, vt verbo dicam vestra

non sunt quæ nullo iure posſidetis. *Bona nostra*, inquit lex, *intelliguntur deducto ære alieno*, ita & templa vestra separatis iis quæ vestra non sunt. Facit prætereà vt cuculis persimiles sitis, quemadmodum in partibus Bruntrutanis antè paucos annos, lepidiſsimè Prædicanti vni obiecit bonus quidam rusticus ita ratiocinando. Cuculi sunt qui alienis ouis nidisq; insidiantur, & incubant. Hoc autem ipsiſsimum est quod agitis, solos Ecclesiæ Cathol. filios, in quibus pariendis educandisque multum operæ posuit; acceditis, vt vestros faciatis. Rursus in eius tantummodo templis cœtus vestros cogitis, sedetis, cantillatis, inde excluditis, quos subuertere ac prolectare nequitis. Ergo moribus verè cuculi estis, nec est cur rei appellationem refugiatis, quam amplectimini.

Secundò, etsi Caluinus se, & suos templis vti scribat propter administrationem Sacramentorum, vt lib. 1. Instit. cap. 11. §. 13. & propter orationem, vt lib. 3. cap. 20. n. 30. ostendo tamen iuxta illorum dogmata actum nullum esse religionis, quem in templo sit exercere necesse, seu propter quem templo opus habeant, & carere nequeant. Erigitur maximè templum ob sacrificium, vt suprà vidimus, ad quod non minorem habet relationem quàm schola ad didascaliam. Illi autem sacrificium nullum iam esse prætendunt quod offeratur. Quod ad orationem, pernegant ipsam fructuosius in templo quàm alibi fieri, & nos contrarium affirmantes superstitionis nomine criminantur, præsertim Calu. suprà & Magdeburg. Cent. 4. cap. 6. col. 407. Quod ad Sacramentorum administrationem, videri non potest templum postulare potius quàm locum alium, nisi quia templum locus est sacer, atque ita cum Sacramentis analogiam & proportionem habet; at nullo modo sacrum esse volunt, nullam ei sanctitatem adscribunt. Quod ad prædicationem verbi Dei, ea non tàm est religionis actus quàm misericordię, cui inter alia multa propositum esse constat docere ignorantes, præsertim ea quæ ad diuinum spectant obsequium. Deindè templo non adeò indiget, sed quouis potest contenta esse loco, ad declamandum cœtumque capiendum idoneo. Vnde nec Christus, nec Apostoli semper in templo conciones habuisse leguntur, sed sub dio etiam, & in Synagogis, Matth. 4. 9. 13. Marc. 1. & 6. Luc. 4. & 13. Ioan. 18. Actor. 13. 17. 18. 19.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò debent templa vt demonstratum est superiùs, erigi & dedicari authoritate publica, subnixa vocatione legitima circà res sacras, per quam scilicet à Deo potestatem quis acceperit tractandi, ordinandi, & statuendi quæ ad eius cultum pertinent. Hanc autem sibi obtigisse nemo Prædicantium in hodiernam vsque diem demonstrare potuit, sed nec aliquando poterit. Et quamuis eam quilibet à cœlo accepisset, negligitur prorsus à secularibus Principibus cuiuscumque sectæ, quoties aliquod ædificare statuunt, nullius Ministri consensionem expectant, nec per statuta aliqua synodalia expectare iubentur, propria auctoritate agunt omnia, & quidquid volunt, hoc ipso sanctum est.

Quartò in qualicumque illa eorum dedicatione ceremonia nulla sacra interuenit, sed sicut Trapezitæ in officinis suis, statim post ædificationem munia sua profana obeunt, nullo ad hoc ritu præmisso; sic illi templis vbi nihil amplius superest, quod à fabris fiat & cæmentariis. Quod si oculis suis cerneret Augustinus, tàm profectò irreligionem hanc insectaretur, quàm piè consecrationis vbique mentionem facit, vt cum ait, *Fœlicianus positus in ciuitate Deo omnipotenti parietes consecratos Ecclesiam venerandam quasi quadam obsessione credidit retinendam.* Et certe si vt argumétatur VValfr. Strabo lib. de reb. Eccles. cap. 9. *Pagani illi deceptoriis ceremoniis templa falsis diis suis sacrabant; multo magis Christiani templa sua & altaria Deo Saluatori per illibatos ritus dedicare conuenit, vt diuinæ Maiestati placeant, & ipsa eos semper inuisere, & mansionem sibi in eis facere dignetur, qui per Prophetam dicit pauete ad Sanctuarium meum.* *Lib. 4. cont. Crescon. cap. 40.*

Quintò abest ab iis ornatus omnis atque magnificentia, vt minimè sit metuendum, ne exclamando de illis dicturus sit Balaam, *quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël*, lurida res est & luctuosa, soli stát parietes omni cultu destituti, ibi Lampades & cerei nulli, quorum iuxta Apostolicam traditionem vsus in Ecclesia perennis fuit, nihil quod gemmas, argentum, aurumue redoleat, altaria nulla, nec vasa sacra, nec peristromata, nec imagines pendentis in cruce Domini. Vt Lugubre est Regias absente ac peregrè profecto Rege cernere, antiqua omni gloria destitutas; ita nunc Ecclesias, quas Catholicis ereptas fecerunt suas. Norinbergenses tamen & alios quosdam Lutheranos excipio, apud quos stant adhuc altaria, adeoque parum à Catholicis

ornatu differunt, vt peregrinis difficile ſit diſcrimen agnoſcere. De aliis itaq; potiſsimum loquor, qui quomodo videri poſſunt & ſacramenta quæ ibi adminiſtrantur, & verbum quod ibi euangelizatur in pretio habere, ac Deum ipſum magnifacere, cuius domum adeò negligunt: nec de eius decore ſolliciti, nec de ſumptibus? Priuatas ædes ſuas magnificè inſtruunt, in iis ſi elegantiam, ſi nitorem deſiderari cernerent, tantundem exiſtimationi ſuæ detractum exiſtimarent; Deum ergo parui facere conuincuntur, & quæ Dei ſunt, cuius domicilium tàm parum accurant, itaque incultum ſinunt eſſe. Religioſiſsimo Dauid mens fuit prorſus alia, cum eum puduit ſecum agi ſplendidius, quàm cum arca Domini, eamque ob cauſam dixit Nathan Prophetæ, *vides quod ego habitem in domo cedrina, & arca Dei poſita eſt in medio pellium.* Habuerunt & Iudæi pietatis ſenſum longè alium, in templo ſuo Hieroſolymitano ditando, ornando, & magnificando toti erant. Vide Baron. tom. 1. ad annũ Chriſti 57. ac ne Paganos ipſos prætercam, fanorum ſuorum ſplendorem magnæ eis curæ fuiſſe legimus, illius præſertim quod Idolo Dagon dicatum fuit. 1. Reg. 5. & quod idolo Remmon. 4. Reg. 5. & quod idolo Neſroch, 4. Reg. 19. & quod idolo Bel Dan. 14. & quod Dianæ Epheſinæ, Actor. 28. ſiquidem teſte Plinio ædificatum eſt à tota Aſia annis 220. conſtabat eius longitudo pedibus 425. latitudo 220. columnas habebat 127. à ſingulis Regibus excitatas altitudinis 60. pedum, ex quibus 36. cælatæ erant. Huc pertinet illud C. Plinij ad Muſtium lib. 9. epiſt. 93. *Aruſpicum monitu reficienda mihi eſt ædes Cereris.* Et infrà: *Videor ergo munificè ſimul religioſeque facturus, ſi ædem quàm pulcherrimam extruxero. Velim ergo emas quatuor marmoreas columnas, emas marmora quibus ſolum, quibus parietes excolantur.*

Lib. 2. Reg. cap. 7.

Lib. 36. nat. hiſt. cap. 14.

Sextò in iiſdem gerunt ſe admodum irreuerenter præſertim Sacramentarij. Etenim quis ea reis aſyla eſſe voluit? quis ibi genu flexit? quis non ſtatim poſt ingreſſum caput operuit? quis oculos ad modeſtiam, os ad ſilentium, totius habitum corporis ad grauitatem compoſuit? nihil ibi profanum agitur? nihil procax cernitur? nihil quod impietatem redoleat? Immò quis dum expectatur Prædicans habenas colloquiis, cachinnis, riſui, amatoriis nutibus, perinde atq; in foro non laxauit? quàm pium ac religioſum nugaces Amaſios eo complexas Amaſias ſuas deducere

Digitized by Google

cere & inde reducere? sed quid mirum, si talia ibi agant profanorum locorum propria, cum templa sua his esse augustiora seu sanctiora nec credant, nec possint ostendere?

De sacrificio actu 2. externo & elicito veræ Religionis & nota 4. eiusdem.

CAPVT XIV.

§. 1. *Sacrificium quid sit.*
2. *Vnum aliquod verum ac proprium in Euangelica lege est admittendum quod frequentetur.*
3. *Actus est Religionis.*
4. *Præclarè assignatur à Catholicis.*
5. *Non à Mahumetanis.*
6. *Sed neq; ab Euangelicis.*

SACRIFICII vox in Scripturis sacris tria significat, primò, rem illam permanentem quæ à sacrificante offertur, vt Leuit. 2. *Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano.* Secundò, opus seu actionem cuiusque virtutis, etiam à religione diuersæ, vt dolorem de peccatis, Psal. 50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.* Eleemosynā seu misericordiam, Hebr. 11. *Talibus hostiis promeretur Deus.* Laudem Dei Psalm. 49. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Vnde S. August. *Verum sacrificium*, inquit, *est omne opus quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo.* Tertiò & propriè accipitur pro actione, qua ad recognoscēdam profitendamque Dei maiestatem, atque in res omnes dominium, aliquid ipsi offertur, certoque ritu conficitur seu immutatur, à publico Ministro ad hoc instituto initiatoque. Propriè dico, quia acceptiones illæ aliæ impropriæ sunt. Prima quidem, quia sicut vaticinium non tàm res illa est quæ præsagitur, quàm actus ipse præsagiendi, ita neque sacrificium res illa quæ sacrificatur, sed magis actus sacrificandi. Secunda verò, quia quod in suo genere proprium est, simplici nomine absque adiunctis vllis exprimitur, & contrà, si peregrinum quid accersatur, impropríetatis est indicium. Hinc homo

homo viuus vt propriè homo est, ita absolutè homo dicitur; pictus autem non dicitur homo simpliciter sed homo pictus. cum ergo opera alia à sacrificio non appellentur in sacris literis absolutè sacrificia, sed aliquid adiungatur, vt cum dicitur sacrificium laudis, vituli labiorum, &c. videri non possunt propriè sacrificia. Deinde sacrificia illa sola nomen hoc propriè merentur, à quibus communi omnium consensu denominantur ij qui propriè dicuntur Sacerdotes. Nulli autem propriè dicti sunt sacerdotes, nec à Iudæis, nec ab Ethnicis, nisi qui res quasdam Deo oblatas immutarent. Præterea sacrificare seu fungi Sacerdotio, nec fœminis vnquam licuit, nec promiscuè viris omnibus, ne secularibus quidem Principibus (nisi extraordinaria Dei cōstitutione simul essent Sacerdotes vt Moyses) post legem naturæ (quæ quia rudis erat, nec religionis res perfectè cōstitutas habebat, primogenitis familiarum potestatem dabat exercendi hoc ministerium.) Hinc illud Azariæ ad Oziam Regem, *non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium* Esto non abnuam, quia nonnunquam interpositis veris sacerdotibus sacrificium offerebant, dictos fuisse sacrificare. Cum ergo vtrisque semper & apud omnes licuerit operibus seu actibus aliis operam dare, planè sequitur positam in his propriè non esse rationem sacrificij. Adhæc scriptura opponit actiones alias bonas vero sacrificio, vt Osee 2. *Misericordiam volo & non sacrificium*; igitur tàm parum sunt sacrificium, quàm de duobus oppositis vnum est alterum. Rursus si oratio exempli gratia, vel eleemosyna verum esset sacrificium, nunquam deberent Sectarij vel orare, vel pauperibus aliquid erogare ne orando, & erogando iniuriam inferrent crucis sacrificio. Hanc enim rationem afferunt, vt Missam ostendant necesse, nec dici debere verum sacrificium, nempè quia si ita esset vero crucis sacrificio derogare videretur. Atqui & orant ipsi, & eleemosynas quandoq; largiuntur, non ergo reputāt eiusmodi opera vera esse sacrificia. Tandem ad solum Deum dirigendum est sacrificium, Exod. 22. Iud. 12. ad eundem autem solum dirigenda non sunt alia bona opera, immò ex his plurima ad solas creaturas terminari possunt, vt opera misericordiæ, qualium capax non est Deus, sicut nec miseriæ. Non ergo sunt verum ac proprium sacrificium. Quæ licet ita sint, quia tamen

Lib. 2. Paral. cap. 26.

tamen eiusmodi opera vero sacrificio affinia sunt, hoc est, illius more Deo gratissima, hoc nomine dicta sunt à S. Augustino loco supra citato propria sacrificia.

Quod autem in religione vera quæ iam est, vbicumque tandem sit, verũ aliquod sacrificium inueniri debeat, probatur primò authoritate Apostoli, qui Hebr. 13. ait, *habemus altare de quo edere non habent potestatem, &c.* si altare, ergo sacerdotes & sacrificium, hæc quippe omnia relata sunt ad inuicem, quorum proinde vno posito necesse est poni alterum. At fortè impropriè vsurpat Apostolus altaris vocem obidque & sacrificij. Immò admodum propriè: textus quippè Græcus habet θυσιαστήριον (quæ vox altare verũ ac proprium significat super quo propriè sacrificatur) non τράπεζαν, id est, mẽsam seu altare improprium. Et quamuis alibi de vero loquens sacrificio vtatur mensæ nomine, ex adiunctis tamen satis indicat intelligere se altare verũ ac proprium, vt cum 1. Cor. 10. ait, *nõ potestis participes esse mensæ Domini, & mensæ dæmoniorum.* Certum est mensas dæmoniorum vera fuisse altaria, quibus cum Domini mensam opponat B. Paulus, vtique in ea quoque agnoscit rationem veri ac propriè sumpti sacrificij. §. 2.

Probatur secũdo authoritate & consensu veterum omnium, quibus hoc fuisse persuasum fatẽtur vltrò Lutherus & Caluinus. Ille quidem cap. 1. libri de captiu. Babyl. vbi tanta consensione vrgeri se videns stomachosus ac desperabundus concludit. *Si nõ habetur quod dicatur, tutius est negare omnia, quàm sacrificium esse concedere.* Loquitur autem de proprio, quia improprium nunquam est inficiatus. Hic verò lib. 4. Instit. cap. 18. n. 10. dum ait: *Veteres video alio hanc memoriam detorsisse, quod nescio quam repetitæ immolationis faciem eorum cœna præferebat. Non est cur vlla hominum auctoritate, vel annorũ præscriptione patiamur nos à Dei ordinatione dimoueri.* Profectò quidquid inficietur, magna vis est huius consensionis, ita vt scribat Kemnitius magnus alioquin satrapa Lutheranorum pag. 775. *Bonæ mentes mouentur plurimùm consensu & testimonio antiquitatis, eius potissimum quæ fuit prioribus, optimis & florentissimis Ecclesiæ temporibus.*

Probatur tertiò, quia sacrificare Deo iuris est naturalis, vt docet S. Thom. & liquet ex mũdi exordio, in quo vix nati sunt Cain & Abel, primogeniti Adam cum statim naturæ impulsu accinxerunt sese ad sacrificium. Iã verò nulla lex, nulla religio, status nullus temporum, nullius gentis conditio, naturæ inclinationes ac

iura, ſeu dictamina debet aut poteſt tollere, ſed ſupponit ea ſemper velut cæterorum omnium fundamenta. Ergo verum aliquod ſacrificium detur oportet, quod Deo iam offerre non poſsimus modò, ſed etiam debeamus.

Probatur quartò, quia Deus quouis tempore æquè perfectū retinet in res oēs dominium, dignuſq; eſt quem profiteamur eo præditum, quem placemus offenſum, erga quem grato animo ſimus, quem denique omni modo poſsibili nobis demereamur, & hoc facere per ſe bonum eſt, & conducit ad ſummam eius excellentiam indicandam, vt nullo modo veriſimile ſit, vel ab eo interdictū ne id faceremus, vel negatum medium quo faceremus, videlicet verum ac proprium ſacrificium.

Probatur quintò, quia religio quæ iam eſt, cum omnium iudicio poſtrema ſit, ob idq; perfectiſsima, ac ſaltem ſuperiore quacumque perfectior, videri nequit actu ſuo nobiliſsimo deſtituta, ſine quo tàm parum perfecta eſſe poteſt, quàm ſine capite homo, aut ſine fundaméto vel tecto ædificium. At nobiliſsimus religionis actus eſt ſacrificium, vt §. te ſequens docebit. Ergo religioni veræ quæ iam eſt, propoſitum eſt verum aliquod ſacrificium.

Quo loco diligenter notādum eſt eiuſmodi ſacrificium concipi debere velut diſtinctum tàm à Moſaicis, quàm à morte Chriſti ſeu ſacrificio crucis ſaltem quoad modum.

A Moſaicis diſtinguitur primò, quia iam Deus illa reſpuit Pſal. 49. *Non accipiam de domo tua vitulos, neq; de gregibus tuis hircos.* Pſal. 50. *Holocauſtis non delectaberis.* Malach. 1. *Non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non accipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſq; ad occaſum magnū eſt nomē meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Perſpicuè deſignatur his verbis noua quædam oblatio, ſiue ſacrificium ſuperiora omnia eliminans.

Secundò, quia ſuperiora iſta ſuperuenturi cuiuſdā ſigna erāt & velut præambula, omnia ſiquidē Iudæis in figura contingebāt, 1. Cor. 10. quo proinde ſuccedēte ceſſare debēt, ab eoq; diſtingui.

Tertiò, quia legi cuique ſeu teſtamento ſuum reſpondet ſacrificium: ſed lex gratiæ ſeu teſtamētum euangelicum diſtinctum eſt à veteri, eique ſuccedit vt imperfecto perfectum, iuxta illud, *& ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Ergo & ſacrificium habet à prioris illius ſacrificiis ſeparatum, multoq; auguſtius. Baruch. 2.

Quar-

Quartò, præſumendũ eſt feciſſe diuinam prouidẽtiam quod decuit. Decuit aũt vt imperfectis ſacrificiis perfectũ aliquod ſuccederet, quo Deus perfectè coleretur. Imperfecta porrò fuerunt vetuſta illa in quibus brutæ animantes, thus, & ſimilia conſumebantur, idq; agnouit Triſmegiſtus Hermes apud Lactantium. Nã cũ audiuiſſet Aſclepium petentẽ nũ placeret offerri thus, & odores alios in Dei ſacrificium, exclamãs ait: *Benè, benè, ô mi nate Aſclepi, eſt enim maxima impietas, tale quid de vno illo ac ſingulari bono in animum inducere, hæc & ſimilia huic non conueniunt: omnium enim quæcumque ſunt plenus eſt, & omnium minimè indigens.* Et infrà: *Verbo ſacrificare oportet Deo, ſiquidem Deus verbum eſt, vt ipſe confeſſus eſt.* Lib. 5. diu. Inſt. c. 25.

A ſacrificio verò crucis aliquo modo diſtingui debet. Primò, quia ſacrificium crucis, nec in omni loco fuit oblatũ, ſed Hieroſolymis tantum, nec quouis die vel tempore, ſed ſemel duntaxat, cũ interim Malachias verbis proximè citatis quoddam ſpondeat vbiq; offerendum. (neq; enim verbũ *offertur* propriè, & quaſi præſentis tẽporis ſumi & exponi debet, ne mẽdacij arguatur Propheta, cuius profectò hac ratione argueretur, quandoquidẽ dum hęc ſcriberet, innumeræ gentes non Deo vero ſed falſis, non oblationẽ mundã ſed immundiſsimã offerebant. Senſus ergo verus & familiaris Prophetis eſt *offeretur*. Cũ præterea Daniel quoddam polliceatur diuturnum ac continuum, quod proinde iuge appellat. Sacrificium autem crucis quatenus cruentum, iuge non eſt, *Chriſtus* enim *iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur*, Rom. 6.

Secundò, quia prædicit idẽ Daniel fore ſub aduentum Antichriſti, vt idẽ iuge ſacrificium ab eo aboleatur. at cruentum illud crucis tunc aboleri non poterit, neq; quoad ſe, quia tũc non erit, ſed multis ſeculis præceſſerit, tantumq; ſemel oblatum fuerit, neque quoad fructũ, tunc ſiquidẽ non deerũt quædam inter ſpinas lilia, ſancti inquam ſeu electi, & iuſti homines mediis in perſecutionibus præclarè operãtes ſalutem ſuam, Ergo quærendũ nobis aliud, quod quoad modum ſaltem à cruento illo diſcrepet.

Tertiò, vaticinatur Dauid Pſalm. 109. futurum in Euangelica lege ſacrificium ſecundũ ordinem Melchiſedech: Quod autem in cruce oblatũ eſt, nulla ratione ſecũdum hunc ordinem fuit, cũ in eo nec panis & vinũ fuerit, nec panis viniq; ſpecies, ecce interim Melchiſedech hæc offerendo ſacrificauit (vt docebit §. 4.) & non aliter. Eſt igitur præter ſacrificium crucis aliud quoddã in Euangelica lege agnoſcendum.

Quartò prædicit Isa.c.vlt.non vnicum sed multos fore Sacerdotes: *Et assumam ex eis in Sacerdotes & Leuitas dicit Dominus*,& cap. 61. vos autem: *Sacerdotes Domini vocabimini,Ministri Dei nostri.* At respespectu sacrificij crucis solus Christus sacerdos est vt patet, & fatentur aduersarij. Ergo & sacerdotes alij, & sacrificium aliud est admittendum.

Quintò,in Actibus Apostolorum sacrificasse leguntur Apostoli, pro eo enim quod legimus in editione latina, *ministrantibus illis Domino*,in textu Græco habetur λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ, cui participio naturaliter ac genuinè latinum istud *sacrificantibus* respondet,vt vertit Erasmus,hoc est,homo qui & Græcè doctus veram vocis illius significationem non ignorauit, & cum nihil vel parum esset Catholicus, nunquã eam in præiudicium suum protulisset, nisi ad hoc illum manifesta veritas compulisset. Et certè perdifficilè est ministerium aliud assignare, quàm quod in sacrificio peragitur. Namque vel orationem intelligere,vel alicuius administrationem sacramenti, ratione caret ac fundamẽto. quis enim ministrare vertat orare & contra?quis item non videt ministerium in sacramento non tam exhiberi Deo, quàm ei cui confertur sacramentum, esto Deus sit cuius auctoritate confertur? habemus itaque Apostolos obtulisse sacrificium, potestque id vlterius confirmari ex altaribus quorum mentionem faciunt, vt supra vidimus, sicut etiam ex verbis illis S. Andreæ ad AEgeam Proconsulem: *Ego omnipotenti Deo qui vnus & verus,immolo quotidie non Taurorum carnes,vel hircorum sanguinem,sed immaculatum Agnum in altari, cuius carnes postquam omnis populus credentium comederit, Agnus qui sacrificatus est integer perseuerat & viuus.* Iam sic argumentemur. sacrificium quod obtulerunt Apostoli non erat procul dubio Christi crucifixio, neque enim illum etsi millies voluissent, verè crucifigere potuissent, ergo assignandum est aliud ab eo quod in cruce oblatum est,seu ab eadem crucifixione diuersum.

Sexto & postremo, si quid obstaret quominus aliud quoddam ponere oporteat, maximè quia scribit Apostolus Hebr.10. *Christum vna oblatione consummasse in æternum sanctificatos*, vel quia sacrificio crucis cum sufficientissimum sit, & infiniti pretij, & pro nostra salute oblatum,nihil est opus aliud quoddam accedere,& à no-

à nobis offerri,immò nec decet,ne illi fiat iniuria. At neutra ratio quidquam habet virium. Non prima,quia Apoſtolus manifeſtè loquitur de cruenta Chriſti oblatione,quando proprio perfuſus cruore in cruce mortem obiit in remiſsionem peccatorum noſtrorum,quam profectò oblationem credimus, & fatemur cũ Apoſtolo vnicam fuiſſe & eſſe debere, nec vllo modo requiri vt denuò ſic offeratur. At non loquitur de incruenta,nec negat hanc illi poſſe accedere,nõ ad illius ſupplendum defectum,qui nullus eſt,ſed ad illius virtutem nobis quotidiè peccantibus, quotidie applicandam. Atque hinc patet reſponſio ad id quod ſecundo obiiciebatur. Id ſi aliquid haberet virium, vtique etiam probaret, cauendum nobis eſſe diligenter ab oratione.& aliis bonis operibus.ne ſi aliqua faceremus, Chriſti derogaremus operibus noſtra cauſſa factis,& longè ſufficientiſsimis.Si ergo illa nihilominus accedere voluit dicens. *Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum,qui in cœlis eſt*,tametſi realiter diſtincta ſint ab iis quæ fecit, quanto credibilius eſt voluiſſe eum ſacrificio illi cruento accedere quoddam aliud dũtaxat diuerſum quoad modum,& eiuſdem commemoratiuum, & aptum ad dictam eius virtutem nobis applicandam, ſimulque ad ſummam eius maieſtatem proteſtandam? cæcus valdè eſt qui non videt decuiſſe,ac potuiſſe tale inſtitui, atq; ita qui non concludit tale reipſa fuiſſe inſtitutum.

Sacrificium eſſe actum verum Religionis, dubitare non ſinunt verba illa.Exod.10. *hoſtias quoq; & holocauſta dabis nobis,quæ offeramus Domino Deo noſtro. Cuncti greges pergent nobiſcum, non remanebit ex eis vngula,quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri.* En quomodo ſacrificium ſeu animalium immolationem interpretatur cultum Dei. §.3.

Prætereà in Leuitico explicantur maximè quæ ad Dei cultum pertinent, ſed in eo nihil tractatur fuſius, nihil accuratius quàm quod ad ſacrificium.ergo diuini cultus pars vna eſt ſacrificium.

Adhæc ad cultum & gloriam Dei perſpicuè facit externa, & ſolennis proteſtatio ſummi illius iuris & dominij quod habet in res omnes. Vnde Pilatus,Ioan.19. probare volens ſe eſſe aliquem dicebat, *neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te*.& apud homines iuriſdi-

risdictio omnium maxima & honorificentissima est capitis: hæc autem licet possit verbo fieri, nihilominus tanto melius fit reali cæremonia, quæ fit rei alicuius in eum finem destructio vel immutatio, quanto melius bonam mentem suam prodit amicus vel seruus, qui reali obsequio vel famulatu afficit amicum aut dominum, quàm qui dat ei tantum bona verba. & nescio quo modo melius ostendunt lictores posse Magistratum delicta punire peccantium, cum iis virgas, & secures præferunt, quàm si voce id nuda edicerent: ita melius declaratur posse Deum pro suo arbitrio destruere quidlibet, cum eo coram aliquid destruitur, quàm si contentus sit eius cultor dicere; *Dominus mortificat & viuificat,* vel *auferes spiritum eorum, & deficient.* 1. Reg. 2. Psal. 103.

Tandem in sacrificio nihil deprehendi potest laude dignum, si hunc Dei cultum & honorem separes, sed magis vituperio, vt notat S. Thom. vtpotè in quo res oblata vel alia quædam ei coniuncta destruitur, aut notabiliter immutatur; destructio autem malum sapit, sed enim ad Dei relata gloriam, conuertitur hæc mali species in materiam laudis, eo quod res illa destructa, seu immutata multò magis Dei est, quàm hominum illæ quibus vtuntur. 2. 2. q. 85. art. 3.

Cum ergo quæ sunt huiusmodi dum ab hominibus consumuntur, infœlices non euadant, sed si ratione constarent gaudere potius & gratulari sibi deberent, quàm dolere sortem suam, quia sic proprium finem assequerentur, inseruiendo creaturis illis perfectissimè, quarum gratia vt existerent, acceperunt: multò minùs destructione illa infœlix euadet res sacrificata.

Ex his itaque apparet, meritò inter religionis actus reponi sacrificium. Dicam amplius, eminet inter alios singulariter, estque velut κειμήλια. Nam cum illi ferè omnes aliquo modo in creaturas desinant & tendant, saltem vt in terminum minus præcipuum, sacrificium respicit solum Deum, hoc est, ei soli offertur, nempè Deo partem hanc cultus integrè, & vt dici solet priuatiuè sibi arrogante. Vidit hoc Naaman, 4. Reg. 5. quando ab Helisæo recedens dixit; *Non faciet vltrà seruus tuus holocaustum, aut victimam nisi Domino.* Et D. Augustinus quem ita loquentem inuenies lib. 10. de ciuit. cap. 4. *Quis sacrificandum censuit nisi ei, quem Deum sciuit, aut putauit, aut finxit?* Et infrà: *Sacrificium nullus est hominum qui audeat dicere*

Digitized by Google

tere deberi nisi soli Deo. Et alibi : *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum sacrificamus, quanquam in memorias Martyrum construamus altaria. Quis enim Antistitum in locis Sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane?* Nempè decuit vt omnino vnus aliquis esset Creaturis incommunicabilis. Nam vt Reges terræ cum multas iurisdictiones sibi suffectisque Ducibus communes sinunt esse, aliquas tamen ab iis participari non sinunt, vti sunt conuictum reum & capite plectẽdum liberare, nummos in quibus repræsententur cudere, insignia dare, spurios legitimare, &c. ob rationes autem allatas nullus magis ad hoc deligendus fuit, quàm sacrificium. Lib. 21. cont. Faust. c. 21.

Nobis Catholicis vnum esse, verum, ac iuge sacrificium diuina ordinatione institutum, quàm ægrè peruicacibus persuadebo, tàm facilè docilibus persuadere potero, & iis qui non sunt ex contentione. Ei Missa nomen est, in diuinis quidem literis minimè comprehensum, actionem tamen in iis maximè contentã, commendatam, immò etiam præceptam significans, quod quisquis sufficere negauerit, pari iure inficiari poterit Trinitatis mysterium & incarnationis, cum hę voces procul sint ab iisdem scripturis sacris, & prætereà iniquum nimis ac morosum se esse docebit captans nomina relictis rebus, atque ea ratione abutens otio. *Expertus pridem sum*, inquit Caluinus, *& quidem sæpius quicunque de verbis pertinacius litigant, fouere occultum virus.* Et longè ante illum S. Athanasius in epist. de sententia Dionysij, *tametsi non inuenerim hanc vocem consubstantialitatis in sacris literis, rem tamen ipsam inibi deprehendi, cognouiq́; filium qui Verbum est, non alienum à Patris substantia esse*, & in decretis Nicænæ Synodi. *Si quia voces in scripturis solennes non sunt, obmurmurationes faciant, æquum profectò est, vt ea de causa ipsi potissimum reiiciantur, vtpote logodedali nouorum vocabulorum.* Ne quidem si nouissimæ essent voces de iis litigandum esset, modo de re constaret, quanto minus de ista vetustissima? *Non sunt contemnenda vetusta vocabula*, inquit S. Augustinus, *nec facilè à consuetudine recedendũ, nisi quæ rationi aduersatur.* Sic eam voco quia non eius solùm meminit idem Augustinus serm. 91. de tempore his verbis. In lectione quæ *nobis ad Missas legenda est charissimi fratres, &c.* Et serm. 251. *in die Dominica nullus se à sacrarum Missarum celebratione separet.* Sed Alexander quoque Papa, huius nominis Primus, qui Sextus à B. Petro §. 4. Lib. 1 Inst. cap. 13. § 5. Lib. 1. de Musica.

tro summus Pontifex numeratur, in prima epist. quæ est ad omnes fideles, vbi sic loquitur: *In Sacramentorum oblationibus quæ inter Missarum solennia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius cuius corpus & sanguis conficitur, passio celebretur.* Vt ad rem veniamus, sit.

Primum argumentum. Prædicitur Christus, Psalm. 109. Futurus sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, idque in æternum, vel ergo delusoria est hæc prophetia, quod absit, vt suspicemur, vel secundum ordinem hunc sacerdotalem aliquando sacrificauit, immò sempiternum habet sacerdotium. At nunquam hoc fecisse dici potest, nisi in cœna cum accepto pane dixit; *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* Luc. 22. Et, *Hic est calix nouum Testamentum in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.* Ibidem, ergo actio illa cœnæ verum est sacrificium secundum hunc ordinem. cumque Missa quoad suam substantiam nihil aliud sit, quàm eiusmodi actio, sequitur Missam verum esse sacrificium. Probemus argumenti huius partes omnes, quæ confirmatione aliqua videntur indigere. Ordinem Melchisedech fuisse sacerdotalem, & Melchisedech sacerdotem, eundemque reipsa obtulisse sacrificium, perspicuè liquet ex verbis illis adductis, *Tu es sacerdos in æternum, &c.* Quod vt verè affirmetur, vtique ordinem hunc sacerdotalem esse, necesse est, non secus ac vt de nobili aliquo Germano rectè dicatur, hic est eques secundum ordinem Theutonicorum, hic ordo Equitum sit oportet. Deinde cum Genes. 14. de Melchisedech dixisset Moyses, *protulit panem & vinum*: Mox adiecit; *erat enim sacerdos Dei altissimi,* certè nisi prolatio illa panis & vini fuisset harum creaturarum oblatio siue sacrificium, tam ineptè verba hæc subiecisset, *erat enim sacerdos,* ac si dixisset ædificauit turrim erat enim sutor, quia vt sacerdotio nihil est cum prolatione illa ex hypothesi ita nec sutrinæ cum ædificio & contra, & quemadmodum vt rectè loqueretur dicere debuisset ædificauit turrim erat enim architectus, præponens scilicet causæ huic effectum verum ei correspondentem; ita vt Moyses rectè loquutus fuisse ostēdatur, debuit illa prolatio panis & vini verus fuisse effectus sacerdotij; quomodo autem eiusmodi effectus fuit, si non fuit verum sacrificium? neque enim sacerdotio respondet alius. Adhæc si prolationem illam factam à Melchisedech de vero sacrificio

Digitized by Google

crificio interpretemur,consentiemus antiquissimus, & sanctissimus quibusque Patribus,qui sic eum semper intellexerunt, vt S. Cyprianus epist.63. Augustinus lib.16. de ciuit Dei,cap.22. Hieronymus cum aliis multis quos citat in epist.ad Euagrium. & rectè explicabimus omnia,dicitur videlicet illum sacrificasse, vt gratias ageret Deo propter victoriam concessam Abrahæ,qui Abraham ne ingratus existeret, decimas ei vicissim obtulit. Contrà si per prolationem illam panis & vini intelligatur merenda, & profana cœnula, magna sequentur absurda, ineptè subtexuisset Moyses, vt dixi,particulam illam causatiuam, *erat enim sacerdos*, immemor fuisset Melchisedech dignitatis suæ, neque enim solent Reges propriis manibus panem & vinum manducaturis porrigere, fuisset inhumanus, Abrahamum tantum reficiens, & non alios æquè labore fractos, fuisset ridiculus panem duntaxat, & vinum offerens in cibum, non lac,butyrum, & carnes, vt idem Abraham Genes.19. fuisset deniq; superfluus offerens panem Abrahamo; qui in opimis spoliis habebat huius generis quamplurima.

Nunquam dici potest Christus secundum dictum ordinem sacrificasse præterquam in cœna. Nam quod ad sacrificium crucis, cruentum planè fuit, vt palàm est, illud autem quod obtulit Melchisedech cruore omni, seu sanguinis effusione caruit. Non ergo in cruce sacrificauit Christus secundum eiusmodi ordinem,sed benè in cœna, quæ similiter cruenta illa,& lethali effusione caruit, & in qua Christi corpus & sanguis sub panis & vini speciebus interuenit, quod sanè sufficit, vt dicatur cœnæ sacrificium respondisse sacrificio Melchisedech. nec valet illa quorundam argumentatio, in isto oblata est vera substantia panis & vini, in illa autem neutra offertur, non ergo respondet cœnæ sacrificium sacrificio Melchisedech. Negatur consequentia, quia satis est substantias in cœna oblatas habuisse panis & vini speciem. nam etiam vt ciuitas aliqua censeatur, vnam de multis Rebuspublicis eligere, cuius ordinem sequatur, nequaquam opus est, vt eadem planè tractet negotia quoad substantiam, sed sufficit si quoad tractandi formam & modum ei conformetur. Item, vt verè dicamus factam fuisse statuam vnam secundum aliam, nihil necesse est vt eadem sit v-

triusque materia. Ipsimet Leuitæ non semper eandem substantiam, seu animantem immolabant, sed nunc arietem nunc vitulum, nec tamen ob id ab ordine Aaronico recedere censebantur, sat habentes modo cruentum & typicum sacrificium offerrent.

Missam dixi nihil aliud esse quoad substantiam, quam cœnæ actionem, quia licet Introitus, confessio generalis quæ in eo præmittitur, orationes variæ, Lectio Epistolæ, lectio Euangelij, recitatio Symboli Apostolorum, & orationis Dominicæ, & ritus complures magni fieri debeant, & sapientissimè sint ab Ecclesia instituti, partim vt his omnibus ad pietatem incitaretur populus, & doceretur quàm augustum sit sacrificium, cui talis tantusq; accedit apparatus? partim ne contractum nimis esset tempus sacrificij diuinorumque officiorum, addè etiam vt multa ad quæ tenemur, vna præstaremus, neque enim Ecclesia incumbit solum sacrificare, sed etiam orare, Deum laudare, accepta à Deo dona largitione aliqua recognoscere, ex diuino verbo discere quid agere debeat, quid contra deuitare. Nihilominus tamen ad Missæ non spectant essentiam, vnde licet scriptura eorum non meminerit, non inde est consequens Missam, quæ simpliciter loquendo secundum solam essentiam suam debet considerari, in eadem scriptura non contineri, vel non fuisse ab ipsomet Christo sacerdote primo ac præcipuo celebratam.

Secundum argumentum petitur à verbis Institutionis, quæ Luc.22. sic habent. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* Sanè si iis Christus significare tantum voluisset se dare manducandum discipulis suis, corpus suum quod habebat præ manibus, & non potius id offerre Deo Patri, impropriè ac superfluè locutus ac mentitus fuisset, quod nefas est de illo sentire. Impropriè inquam locutus fuisset, quia locutionis proprietas pati non poterat vt diceret, *quod pro vobis datur*, sed *quod vobis datur*: superfluè verò, quia cum reipsa corpus illud iis daretur, nihil opus erat verbo id exprimere, sed dixisse sufficiebat, *Accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Denique mentitus fuisset, quia porrigebat illud solis discipulis, profitetur autem se illud etiam dare pro aliis multis, vtrumque enim

nim dixit, *pro vobis*. Luc. 22. & *pro multis*, Matth. 26. Quod si oblationem hic factam agnoscamus, his omnibus vitatis absurdis rectè quadrabunt omnia, & cum Missa substantialiter nihil aliud sit quàm talis oblatio, seu Christi actio, vt iam probauimus, conuincetur verum esse sacrificium, & apertum habere in scripturis sacris testimonium.

Dicat aliquis, vis argumenti huius pendet à verbo illo præsentis temporis *datur*. quid si positum dicatur pro *dabitur*. verbo futuri temporis, & referatur tota illa Christi sententia ad sacrificium crucis, quod proximè secuturum erat? Certè præterquam quod absurdum nullum sequi videbitur, Euangelista quidam alius futuri temporis verbo vtitur hoc modo *tradetur*, *effundetur*. Respondeo, sicut propter præsens futurum non eleuamus, ita vicissim præsens nõ debemus propter futurum eleuare, sed vtrumque vt ab Euangelistis positum est retinere proprieque accipere, cum nihil sequatur absurdi: Recedere contra à genuino sensu sit Euangelistas impropriæ locutionis accusare, & infinitorum periculo errorum sese exponere. Deinde quidquid iam attulimus & allaturi sumus, vt probemus dictam cœnæ actionem verum fuisse sacrificium, simul probat retinendum esse, & rectè ac conuenienter positum fuisse verbum illud in præsenti tempore.

Tertium sumitur à verbis illis Christi, *hoc facite in meam commemorationem*, & similiter ex illis Apostoli, 1. Corinth. 11. *quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat*, quatenus docent eandem cœnæ actionem perfectissimam fuisse repræsentationem sacrificij crucis. At profectò talis esse non potuit, si non fuit sacrificium: si enim vetera illa, vt illud quod in cruce oblatum est suo modo repræsentarent, sacrificia fuerunt, & esse debuerunt, quomodo non etiam talis actio? Si ea tantum fuit corporis & sanguinis Christi exhibitio, vt volunt Lutherani, vel vt contendunt Sacramentarij panis & vini; quomodo conducere potuit ad Christi mortem ac passionem memoria recolendam? quæ connexio & analogia inter simplicem hãc exhibitionem, & Christi crucifixionem? at si dicamus ipsum in cœna, & corpus & sanguinem suum obtulisse in sacrificium, nec dicamus solum, sed etiam demonstremus,

mus,& firma fide credamus,mox cum offeretur,cruenti illius ad quod ordinabatur recurret memoria. Sic autem demonſtratur. In cruento facta eſt realis ſeparatio corporis & ſanguinis. In incruento etſi nec facta ſit, nec iam fiat talis ſeparatio , quia Chriſtus cœnæ tempore mortuus nondum erat ſed viuebat , & iam non moritur, nec mors illi vltra dominabitur, ac per hoc poſito corpore ſub ſpecie panis per conſecrationem panis , ex conſequenti & per concomitantiam ſub eadem ſanguis eſt poſitus, & contra poſito ſanguine ſub ſpecie vini per conſecrationem vini, ex conſequenti & per concomitantiam corpus ſub eadem eſt cõſtitutum,eodem ferè modo quo poſita eſſentia rei alicuius reſultat mox cum illa proprietas ob naturalem connexionem. nihilominus primus ac præcipuus effectus primæ conſecrationis eſt conſtitutio ſolius corporis ſub ſpecie panis , ita vt acceſsio ſanguinis ſit ei velut accidentalis, & contra effectus primus ac præcipuus ſecundæ eſt conſtitutio ſolius ſanguinis ſub ſpecie vini,ita vt acceſsio corporis ſit ei velut accidentalis. Hoc autem ſufficere, vt exactè repræſentetur realis illa ſeparatio corporis & ſanguinis ex eo patet, quod attendere nos oporteat effectus illos primos & primarios talium conſecrationum potius quam accidentales. vndè quia ſecundum illos, in actione cœnæ ſeparatio quædam interuenit inter corpus & ſanguinem , fit vt talis actio vera ac genuina ſit crucifixionis repræſentatio. Cum ergo ab hac eadem actione Miſſa ſubſtantialiter non differat,vt ſupra patuit, ſequitur Miſſam verum eſſe ſacrificium, ſacrificij crucis verè commemoratiuum. Quærat aliquis quare duplicem conſecrationem Chriſtus adhibuit? an non vnica contentus eſſe potuit? Reſpondeo dupliciter. Primò, non eſſe noſtrum interrogare cur hoc vel illo modo fecerit, ſed cuicunque eius facto velut ſapientiſsimo ſimpliciter acquieſcere. Secundò, id factum diuina eius prouidentia , vt ſic ſeſe offerret in ſacrificium , ac notum faceret voluiſſe ſe ea actione ſacrificare,ſeu actionẽm illam ſuam rationẽ habere ſacrificij. nam profecto niſi hoc indicare voluiſſet, nihil fuiſſet opus vti gemina conſecratione, ſed contentus eſſe poterat ac debebat conſecratione ſolius corporis vt viuentis, & ſanguinem continentis dicendo ; *Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

Quar-

Quartum deducitur à miraculis factis à Deo in gratiam actionis cœnæ seu Missæ peractæ à nobis sub ratione sacrificij. Duo tantum commemorabo, prioris meminit his verbis Augustinus: *Vir tribunitius Hesperius qui apud nos est, habet in territorio fuscalensi fundum Zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & seruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros me absente Presbyteros, vt aliquis illorum eo pergeret cuius orationibus cederent. Perrexit vnus, obtulit sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio, Deo protinus miserante cessauit.* Alterum habetur in Annalibus Hispaniæ, & refertur ab Orosio tom. 4. conc. de audiendo sacro. Garcia Hernandes inquit filius Fernandi Gonzales Castiliæ Comitis ab Almanzore, Cordubæ Rege graui bello impetitus milites suos congregat, & die sequenti certamen inire decernit. Ex iis vnus cui nomen Paschalis Viuas audiendis sacris tàm addictus, vt ex templo non prius pedem efferret, quàm Missis omnibus interfuisset, armis sese accingens audit in templo quodam sacra fieri, eo accurrit, famulo mandat, vt ad templi fores equo adsit, & hastam sibi scutumque seruet. quid accidit? pergit sacra audire mussitantibus non paucis, quod tantas ibi moras poneret. Interim confligitur, in quo conflictu apparet ille inter omnes, hostes præ omnibus internecione delens, cum tamen reuera in templo versaretur. Nimirum Deus potentissimum ei Angelum in bello quasi vicarium surrogauit, vt discerent omnes quàm rectum sit benè sentire de Missæ sacrificio, & quàm nó perdant operam, qui ei piè se præsentes exhibent.

Lib. 22. de ciuit. Dei.

Quintum, à iudicio & definitione sanctorum Patrum, apud quos nihil tritum magis quàm actionem illam cœnæ seu Missam vocare sacrificium, vt satis agnoscit his verbis Kénitius pag. 782. *Veteres quando loquuntur de celebratione cœnæ Dominicæ, negari non potest vsurpare verba sacrificij, immolationis, oblationis, hostiæ, victimæ, item vti verbis sacrificare, offerre, immolare.* Et videre est apud S. Cypr. lib. 2. epist. 3. Ambros. in Psalm. 38. Gregor. Nyss. orat. 1. de Resur. Chrys. homil. 24 in 1. ad Cor. Aug. supra, & in Psal. 33. in libro item de vera Innocentia, vbi hæc habet: *Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus sit, quòd quotidiè peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest, & quia quotidie labimur, Christus pro nobis mysticè immolatur.* Sæpe item altarium mentionem faciunt, quæ referri constat ad

Digitized by Google

ſacrificium, vt idem Aug. lib. 9. Conf. cap. 11. ſic ſcribens in perſona matris: *Tantum illud vos rogo, vt ad altare Domini memineritis mei vbi fueritis.* Et cap. 13. *Non iſta mandauit nobis, ſed tantum memoriam ſui ad altare tuum fieri deſiderauit, cui nullius diei prætermiſſione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum, quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis computans delicta noſtra.* Et infrà: *Inſpira Domine Deus meus, inſpira ſeruis tuis, fratribus meis, filiis tuis, Dominis meis, quibus & voce & corde, & literis ſeruio, vt quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patricio quondam eius coniuge, per quorum carnem introduxiſti me in hanc vitam.* Non te hic adiurabo lector, rogabo tamen, ingenuè vt dicas num tibi videatur temeritatis pleniſsimum, tot tantorumque virorum torrenti ſeſe opponere, eoſque quaſi in errorem omnes abrepti eſſent, aliquid de hoc myſterio docere velle quod neſcierunt? Ita eſt planè, aiſq; cum M. Tullio: *Quid eſt tàm arrogans quàm de religione, de rebus diuinis, & cæremoniis ſacris Pontificum Collegium docere conari?* Sed & intolerabilem blaſphemiam interpretaris, exiſtimare ſic illos & Eccleſiam vniuerſam per tot ſecula derelictam à diuina prouidentia, vt tanto errore circumueniretur, quantus eſt falſo credere Miſſam eſſe ſacrificium.

In orat. pro domo ſua.

Sextum à vera & reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, quã præſentiam euicimus iam ſatis cap. 11. §. 3. Nihil dubium quin illius oblatio ſit Deo gratiſsima præſertim ſi fiat modo præſtantiſsimo, id eſt, ſub ratione ſacrificij. cum ergo ipſum nobis in Euchariſtia reliquerit, & haud dubiè curæ ſibi fuerit inſtituere quidquid Deo Patri acceptiſsimum eſſe poterat, exiſtimandum prorſus eſt inſtitutum ab illo ſacrificium, in quo illud eius corpus offerretur. Tale autem ſacrificium Miſſam appellamus.

Septimum ab excluſione aliorum ſacrificiorum hoc modo. In lege hac Euangelica ſacrificium aliquod verum eſt admittendum, idque diſtinctum tàm à veteribus, quàm à ſacrificio crucis ſaltem quoad modum, vt demonſtratum eſt §. 2. ſed nullum eiuſmodi fingi poteſt, vel aſsignari præter Miſſam. ergo Miſſa verum eſt nouæ ſeu Euangelicæ legis ſacrificium. Confirmatur minor propoſitio, quia §. 1. confecimus alia quę ſacrificia videri poterãt, non eſſe vera ſacrificia, idque denuò ex eo patet, quod quicumq; aliquod verum admittendum cenſuerunt, alterius non meminerint

Digitized by Google

rint quàm Missæ, & qui non censuerunt, nec censent, Missam solam oppugnent, vtpote quæ si quid aliud eo loco haberi debeat.

Postremum à dilutione contrariarum obiectionum. Sunt autem præcipuè 4.

Prima crucis sacrificium fuit sufficientissimum, nullum ergo aliud admittendum est, nec admitti potest, quin ei derogetur.

Secũda, non apparet in Missa destructio, & immutatio aliqua sufficiens ad sacrificium.

Tertia, cœnæ actio testamentum fuit Christi, quod constat longè differre à sacrificio.

Quarta, esto Missa quoad substãtiam esset sacrificium à Christo institutum, adhuc tamen esset abominabilis ob innumeras cæremonias planè absurdas ac superfluas, quas superaddidit humana temeritas.

Ad primam iam satis dictum est, non accedere sacrificium Missæ sacrificio crucis ad supplendum aliquem huius defectum, qui nullus est, sed tanquam illius perfectè commemoratiuum. sed ad virtutem illius applicãdam, sed ad exercendum religionis actum præstantissimum, ex quibus constat alterum egregiè conuenire cum altero. Nonne vt pro nobis, sic pro Patribus legis veteris oblatum fuit crucis sacrificium? quis dubitat? & támen hoc minimè impedimento fuit, quominus Dei ordinatione habuerint sacrificia quibus adumbraretur. Deinde non accedit tanquam absolutè diuersum, cum sit vnum & idem quoad rem quæ vtrobique offertur, & quoad illum cui offertur, & quoad illum à quo offertur, solus enim Christus etiam in Missa sacerdos seu offerens est principalis. qui autem vulgò appellantur Sacerdotes, viua tantum eius instrumenta, ad quem proinde longè aliter se habent, quàm sacerdotes veteris leges ad se inuicem, sibi videlicet succedentes, & à se mutuò independentes. Nostri autem, vt in sacramentorum administratione, sic in sacrificij huius oblatione pendent à Christo, vt viua eius instrumenta, qui ob id & rectè baptizare dicitur Ioan. 1. & Agnus esse qui tollit seu remittit peccata mundi, & coniuges copulare, & sacerdos in æternum, quia per hæc organa sua interposita quotidie sacrificat, & sacrificabit vsq; ad seculi finem. Ex eo certè quod simpliciter non sint duo sacrificia, sed vnum & idem solo modo à se discrepans, manifestè sequitur

tur

tur vnum alteri non derogare, nec cruentum eſſe imperfectum, nec incruētum ſuperfluum, ad quod melius intelligendū ſit hoc exemplum. Si vir doctiſsimus ad ſectas omnes temporis huius confutandas, ederet librum vnum, & quia illum ſufficere arbitraretur, ab omni alio ſuper ſederet, an hoc vetaret quominus ſatageret eiuſmodi libri exemplaria multa excudi & diſpenſari? immò id eſſet neceſſarium, nec aliter ſequeretur vtilitas expectata; nec idcircò ſimpliciter cenſerentur libri multiplicari, ob multiplicationem chartæ & atramenti, quia in omnibus remaneret identitas præcipuæ & latentis rei, hoc eſt, ſignificationis & doctrinæ. Interim tamen non deeſſet quædam quo ad modum diſtinctio. nām primò editus & exhibitus fuiſſet magno cum labore, poſtea nullo. Perſimile eſt ſi teſtamentum accipiamus, quod inſtitutione teſtatoris à Notario variè exhibitum in iudicio, ad applicandas hæredibus partes hæreditatis, non cenſetur ſimpliciter diuerſum ab eo, quod idem Teſtator moribundus ſcripſit.

Ad ſecundam, quomodo non eſt immutatio ſufficiens, cum vi proprij, primarij, ac præcipui effectus conſecrationis ſeparetur corpus à ſanguine, eo modo quo ſupra expoſuimus, & tàm corpus quàm ſanguis eiuſmodi conſtituantur indiuiſibiliter ſub ſpeciebus panis & vini ad modum ſubſtantiarū immaterialium? quis non videt hac eadem immutatione interueniente in Miſſæ ſacrificio indicari ſatis poſſe Deum quo modo libet, quidlibet immutare? Deinde nihil eſt neceſſe immutationem cadere in ipſiſsimam rem quæ offertur in ſacrificium, ſatis eſt ſi in alias ei adiunctas cadat, cum etiam cadens in has alias, conducat ad ſimiliter declarandum in promptu eſſe Deo immutare ac deſtruere quodcunq; aliud. At corpori Chriſti vicina & coniuncta ſatis eſt ſubſtantia panis cum in illud conuertatur, conuerſione autem ſingulariter immutatur; Eidem non parum coniuncta ſunt eiuſdem panis accidentia, cum ſub iis contineatur & lateat. Hæc autem cum per diuinam potentiam ibi ſubiecto careant miram quoque mutationem ſubeunt, & à lege ſeu conditione ſua naturali recedunt.

Ad tertiam non dicitur actio cœnæ teſtamentum propriè, cum non ſit declaratio omnium quæ Chriſtus fieri voluit poſt mortem ſuam, ab eo vel iis qui hæredes dicti ſunt, in qua declaratione

tione conſiſtit ratio vera teſtamenti l. 1. ff. de Teſtam. cum præterea Chriſti morte non ſit confirmata, vtpote viuentis adhuc: ſed eſt vnum ex iis quæ in teſtamẽto ſuo fieri iuſsit, paulò antequam mortem obiret, qua teſtamentum illud ſuum confirmaret. Quid verò obſtat quominus hæc eadem actio, ab illo facta & iuſſa fieri in ſui communicationem, ſit ſacrificium? nec refert quod ſanguinem quem offerebat, vocauerit ſanguinem noui & æterni teſtamenti; ſic enim vocatus eſt, quia ille fuit, per quem poſtea effuſum, confirmatum eſt nouum illud teſtamentum.

Ad quartam, nihil eſt quod inſultent Miſſæ ritibus, cum omnes penè apud illos ſint in vſu, apud Norinbergenſes quidem & rigidos alios Lutheranos, quandoquidem Miſſam celebrant, idque vix alio quàm more noſtro. Apud Sacramentarios verò, qua in cœnæ ſuæ adminiſtratione generalem confeſsionem præmittunt non minus quàm nos ſacris operaturi, preces communes Collectis noſtris reſpondentes offerunt, vt nos hymnum alium atque alium, ſic illi Pſalmos decantant, epiſtolam ex Apoſtolo legunt, & concionaturi aliquid ex Euãgelio, cœna peracta aliquid offerunt, Dominicam orationem recitant, Deo gratias agunt, Miniſtri populum dimittunt, vt meritò videri Simiæ poſsint noſtra ridiculè imitantes. Sed quia nullius pretij eſt defenſio, quæ ex illorum moribus deducitur, obiter ritus illos in ſe conſideremus. Primò accedit Sacerdos ad altare indutus veſtibus Chriſtũ adumbrantibus in paſsione verſantem, quia cum in offerendo ſacrificio paſsionis illius commemoratiuo Chriſti ſit inſtrumentum, omninò conuenit, vt & illius vtatur verbis cum ad conſecrationem venitur, & veſtibus quibus eundem repræſentet. Itaque coronam in attonſo geſtat capite, & crucem in caſula; ac rurſus in manu manipulum, ſtolam in tranſuerſum, zonam circa renes, in argumentum funium, quibus religabatur Dominus, cum ad ſacrificium procederet. Alba induitur vt ille in Herodis domo, caſula vt ille purpura in Prætorio. Ante altare ſtans confeſsionem præmittit, in qua indignum ſe profitetur Miniſtrum Chriſti, vt impleat quod ſcriptum eſt, *Iuſtus principio accuſator eſt ſui*, & pro ſe ſacris operaturo preces implorat aſtantium. Quis hoc præter impium reprehendat? iſtanc faciunt hiſtriones? Adhæc altare oſculatur ex deuotione propter Sanctorum reliquias, quæ in eo aſſer-

uantur, & propter corpus Dominicum ſuper illud offerendum. Preces aliquas fundit quæ collectæ dicuntur, quia pro populo quaſi in iis collecto offeruntur. Addit Kyrie eleiſon, quo & diuinâ imploratur miſericordia, & cum Græca ſit ſententia vnionem Eccleſiæ Græcam cum Latina inſinuat. Ex Actis Apoſtolorum vel epiſtolis Apoſtolicis aliquid legitur, quia Apoſtolus epiſtolas in Eccleſia ſuas legi iubet. Hinc ad Euangelium tanquam ad perfectius quiddam fit progreſsio, incenſum thuris præmittitur, vt Euangelij effuſus per orbem odor bonus ſignificetur. Aſſurgit populus vt ſe paratum oſtendat ad morem ei gerendum, nam & ſubditi Principum temporalium ſtantes & aperto capite illorum literas dum leguntur, audiunt. Recitatur mox ſymbolum Apoſtolorum, vt qui adſunt idem quod Apoſtolos ſe credere doceant, atque in fide nullatenus diſsidere. Aliquid offerunt diebus præſertim ſolennioribus, ne vacui appareant in conſpectu Domini. Sacerdos paſsim ad populum conuerſus ait, *Dominus vobiſcum*, vt ſic attentum ad diuina faciat, illique precetur Dei gratiam. Multo magis imminente ipſiſsimo ſacrificio monet eundem, vt ſurſum cor habeat, & myſterium quod agitur non iudicio ſenſuum, ſed forti ac generoſa fide quæ de ſurſum eſt metiatur. Surſum attollitur conſecrata Euchariſtia, vt adoretur, quem ritum iam propugnauimus cap. 11 § 3. Ante communionem quæ conſummatio eſt ſacrificij, præcedit oratio Dominicalis, in qua petitur panis ille ἐπιούσιος, qui oblatus eſt. Præcedunt quoque verba illa, *Domine non ſum dignus*, vt à quo ſuſcipi petimus, illum Centurionis exemplo ſuſcipiamus in ſpiritu humilitatis & animo contrito. Dimittẽdi cum benedictione populi extat exemplum, Num. 6. Leuit. 9. Ioſ. 22. 3. Reg. 8. Eſt itaque vnde grauiſsimè confunduntur Aduerſarij, & blaſphemos, nimiſque petulantes conuitiatores ſe eſſe agnoſcant, cum in Miſſæ ritus tàm pios & rationi conſentaneos tanto furore debachãtur, nec illos excuſat quorundam ineptia ſacerdotum illis vtentium, quia non eſt ſpectandum quid illi, ſed quid boni ac religioſi faciant, & quid omnes facere iuxta Eccleſiæ præſcripta debeant.

§. 5. Non dicam apud Mahumetanos nullius vſum eſſe ſacrificij. Nam in Alcorano ſacrificare iubentur, vt in Azo. 32. *Diebus determinatis beſtias ſacrificent, vota compleant, templum vetuſtum circumeant.*

Dicere tamen nō pigebit imperfectum prorſus eſſe vel illicitum quod offerunt. Certè quantum ex eodem Alcorano, & Poſtello lib. de Relig. Turc. & Mænauino lib. 2. eiuſdem argumenti, cap. 12. & Villamontio lib. 2. peregrin. cap. 7. & lib. 3. cap. 14. aliiſque Scriptoribus diſcere poſſumus, quatuor omninò ſunt apud illos ſacrificia. Primum quidem beſtiarum mactatio, Alterum eleemoſyna. Tertium inciſio membrorum in argumentum amoris erga Amaſias, Quartum ſuiipſius cædes in honorem Mahumetis.

Quod ad primum, recedunt illud offerendo à ſuis principiis, tùm quia in Azo. 12. approbant Euangelicam legem vt bonam & ſanctam, quare cum iuxta hanc ceſſare debeant eiuſmodi ſacrificia, vt ſuprà vidimus, & docet Apoſtolus. Hebr. 7. & 8. vtique ab iis abſtinere deberent. Deinde legem ſuam credūt à Iudaica differre, eaque eſſe & poſteriorem, & longè præſtantiorem, cum ergo lege cuilibet ſacrificium ſuum reſpondeat, deberent ex conſequēti ſacrificio vti non Iudaico, ſeu immolatione brutarum animantium, ſed diuerſo alio longeque præſtantiore. Faciamus tamen fas illis eſſe etiam ſecundum propria principia, Iudacium illud offerre, peccant in offerendo illo multipliciter. Primò, quia liberè potiùs quàm ex obligatione id faciunt, nec Azoara illa 32. vim legis habere creditur, ſed adhortationis tantum (cum tamen certa Lex ad Religionis ſtabilitatem ſit neceſſaria) vt docet Septemc. cap. 13. & Reginald. cap. 2. Caluinoturc. c. 3. Secundò, quia vt teſtantur hi ipſi Auctores ibidem, nunquam vtuntur prima & nobiliſsima ſpecie ſacrificij videlicet holocauſto, cum nunquam victimam totam, ſed partem eius duntaxat igne abſumant, alteram ſacrifico deſtinēt, tertiam pauperibus, quartam ſibi ſeruent. Alia eſt Romanorum ſacerdotum ratio, ſiquidem quod offerunt ſpeciem habet cibi & potus, quod proindè edendo tantum & bibendo natum eſt conſumi, quo ſanè modo totum conſumitur. Et quia hæc conſumptio eo ſpectat, vt indicetur diuinæ magnitudo potentiæ ad redigendum quidlibet in nihilum, offertur totū ipſi Deo, quomodo oportet, & quantū ſatis eſt, vt inde colatur. Tertiò cum proprius ſacrificij locus ſit templum, nihilominus extrà illud ſacrificāt ſi Polydoro Virgil. credimus, & Cuſpiniano in lib. de morib. Turc. idq; ex eo coniectare licet, quod non minus templorū ſuorum quàm propriarū ædium decori ſtudeant: nullo aūt modo ferūt animal aliquod intrare vel inferri in cubicula in qui- *Lib. 7. de Inuent. rerum, c. 8.*

bus habitant, id ſi contingat, polluta arbitrantur, inquit Cuſpinianus. Ab eo itaq; procul abſunt, vt in templo ſacrificent. Quartò vix pluries quàm ſemel quotannis ſacrificant, teſte Mænauino cap.10. cum interim deceat Religionis actus, eximios præſertim, frequenter iterari. Quintò, animalia ſacrificant, tùm inepta, tùm ridicula. Ponamus eiuſdem Mænauini verba: *Victimas ſemel ſaltem quotannis offerunt, Nobiles quidem Iuuencum vel egregia forma equum; pauperes verò Arietem, qui ore pedibuſq; ſit nigricantibus, vellere candido, cornibus eximiis. Animal immolandum emunt ſibi pecunia, quam habent optimā, nullo fœnore aut iniuſtis mercibus acquiſitam. Nam ſi aliis pecuniis ematur, immolatum non immolanti, ſed ei cuius ſunt pecuniæ prodeſſe creditur. Adhæc victimæ gulam incidunt dicētes. In nomine eius qui omnia creauit, hæc victima immoletur.* Quàm profanum eſt, & contra omnem teſtamenti veteris ab iis probati, & recepti conſuetudinem ſiue ſanctionem equum immolare, neque ruminantem, neq; findentem vngulam? quàm inane vanumque delectum habere arietis qui pedibus ſit nigricantibus? quid prodeſt victimam ſibi pecunia non vſuraria comparare, vſurariam interim habere in arca & marſupio?

Quod ad ſecundum, iam ſatis oſtendi, neq; eleemoſynas, neque alia opera bona propriè dici poſſe ſacrificia, & vt poſſent, apud eos tamen nec religioſa videri debent, nec Deo grata, ſed infanda ac deteſtabilia, tùm quia offerri ſolent de rebus, quas innocentibus Chriſtianis Turcica vis illa eripuit, vel per vſuram extorſit (neque enim extraneis ad vſuram dare prohibentur) tùm quia eleemoſynas illas ſuperſtitioſe erogant arbitrando nihil eas prodeſſe, nec in Dei honorem cedere ſi egenis dentur poſtulantibus, atque ita opus eſſe poſtulationem anteuertere, quod quidem faciunt inquirendo qui indigeant, & repertis benefaciendo, vt ſcribit Mænau. lib.1. cap.11.

Quod ad tertium palam eſt, nihil ei cum religione commune eſſe, nec olere aliud quàm crudelem inſanamque libidinem, quo proinde non colitur Deus, ſed offenditur & inhonoratur.

Quod ad quartum, longè adhuc eſt deteſtabilius, imò mera idololatria, eo quod ſacrificium non Mahumeto creaturæ viliſſimæ, ſed ſoli debetur creatori, vt nos docuit §.3. Et quamuis ad ſolius Dei gloriam cædes illa dirigeretur, non idcirco eſſet laudabilis, Deoq; grata & honorifica, cum nihil à Deo interdictum Deo ſit offerendum, interdicta autem ſit ſuiipſius cædes.

Noua-

Nouatores cum nullum ſe proprium ſacrificium habere fateantur, quod iam offerent, multum me ſibi obligant liberando me à labore, cura, & ſollicitudine id demonſtrandi. Non enim anxius ero, quomodo illos in hac parte parum religioſos eſſe, qui nullo modo ſunt, conficiam. ſed ſimul intelligant ſe eo ipſo deteriores eſſe omnibus hominibus. fides quippè de Deo ſacrificiis placando, inſculpta ſemper fuit animis hominum, & cunctis aliis rebus antiquior, vt vix in hominibus numerandi ſint, qui illam abiiciunt. *Si terras obeas*, inquit Plutarchus, *inuenire poſſis vrbes muris, literis, Regibus, domibus, opibus, numiſmate carentes, gymnaſiorum, & theatrorum neſcias, vrbem verò templis Diiſq; carentem, quæ non bonorum cauſa ſacrificet, non mala ſacris auertere nitatur, nullus vnquam vidit.* Ipſemet Epicurus, vt eſt apud eundem, ſimulabat ſe adorare, ſacrificare, & vota facere metu multitudinis, quaſi promiſcua multitudo voluiſſet illum aliàs propriis diſcerpere manibus. Vt dicam paucis, extant apud vos luctuoſa illa tempora ô Sectarij, de quibus S. Baſil. epiſt. 70. *Domus precationum clauſæ ſunt, altaria cultu ſpirituali vacant, nulli amplius Chriſtianorum cœtus. Nobis iam dicere licet, quod in hoc tempore non ſit neq; Princeps, neq; Propheta, neq; oblatio, neq; incenſum, neq; locus in quo coram Domino offerri poſſit ſacrificium.* Et infrà: *Qui ſunt alij quàm vos, apud quos ipſo etiam ſacrificij nomine nihil eſt abominabilius?* Excuſationem prætenditis, quod vnum crucis ſacrificium inſtar omniũ, ſit à Chriſto pro vobis oblatum, vt iam ſufficiat, ſi apud vos cœna velut inſignis eius commemoratio perſeueret. Verum diſiecimus illam ſuperiùs, oſtendentes inſignem eius commemorationem eſſe non poſſe niſi ſit ſacrificium, & rurſus cruentum illud pro iis quoque fuiſſe oblatum, qui viuebant ſub lege veteri, nec tamen id obſtitiſſe quòminus aliqua haberent ſacrificia quæ offerrent. Tacco quod quamuis idem ſacrificium ſit pro vobis oblatum, non tamen à vobis, neque vt à præcipuis offerentibus, neque vt ab adminiſtris. Ita euadere non poteſtis, quin in nobiliſsimo religionis actu deficere arguamini.

§. 6.

Plut. aduerſ. Colotem.

in l. quod non poſſit ſua. viui ſec. Epic.

De oblatione actu 3. externo, elicito Religionis & nota 5. eiusdem.

CAPVT XV.

§. 1. *Oblatio quid sit, & in quo à sacrificio differat.*
2. *Actus est Religionis.*
3. *Apud Catholicos frequens & multiplex.*
4. *Apud Mahumetanos vix in vsu.*
5. *Apud Sectarios nulla.*

§. 1. OBlationem, si vniuersim accipiatur, à sacrificio differre, vt genus à specie, ex eo constat, quod omne sacrificium sit oblatio, quæ causa est cur in diuinis literis mentio sæpe fiat oblationis sacrificij, vt Leuit. 2. non autem contrà, omnis oblatio sit sacrificium. Quàm multis offerre varia possumus, cum interim soli Deo posimus ac debeamus offerre sacrificium? quis non habet offerendi potestatem, cum tamen sacrificare solis concessum sit sacerdotibus. Aliâs cur puniti fuissent Ozias Rex, 4. Reg. 26. Core item, Dathan, & Abyron arrogantes sibi ius sacrificandi? Aurum, byssus, lapides pretiosi, & alia in ædificationem collata tabernaculi, oblata quidem Deo sunt, & ita scriptura loquitur, sacrificata verò minimè. Tandem sacrificij ratio postulat, vt immutatio aliqua fiat circa id quod offertur, cum ergo plurima offerantur tam Deo quàm hominibus absque immutatione aliqua, patet quod probandum erat oblationem diffusè sumptam latius patere quàm sacrificium. Quocirca definitionem oblationis triplicem afferre possumus, primam vt latisimè sumitur, & sacrificium comprehendit hoc modo. *Oblatio est præsentatio rei alicuius facta Deo, vt inde cultum & Dominium, maiestas, aut beneficentia eius declaretur.* Alterum vt concurrit cum sacrificio, de quo superius. Tertiam vt oblationis latè sumptæ species quædam est à sacrificio separata, *Oblatio est præsentatio rei alicuius facta Deo, vt tam illius, quàm aliorum bonorum auctor largitorq́; munificentißimus esse declaretur.*

Quod

Quod autem sic vsurpata oblatio actus sit Religionis, probatur primò, quia Dei excellentia non postrema est, quod in sua potestate sic res omnes habeat, vt iis vti possit ad libitum, eas item cui, quomodo, & quantum voluerit suo iure dispensare. Hinc gloriam sibi quærebat ambitiosissimus Satan dicens. Matt. 5. *Hæc omnia tibi dabo*, & diuinam deprædicabat munificentiam Dauid, cùm diceret, Psalm. 144. *Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Et Daniel. cap. 4. *Dominatur excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit dabit illud.* Cum ergo oblationibus ius hoc diuinum in res omnes testificemur; non secus ac Emphyteutæ, postquam à Dominis directis Emphyteuses impetrauerint, partem fructuum quos fundus Emphyteuticus quotannis profert iisdem offerunt in beneficentiæ impetrationisque illius argumentum, fieri non potest, quin ad illius gloriam & honorem aliquid nostro modo conferamus. idque clarissimè hoc suo vaticinio docuit, Isa. cap. 19. *Colent eum in hostiis & muneribus*, per hostias expressit sacrificium, per munera autem oblationes. 52.

Secundo ingrato animo esse erga Deum benefactorem, est illum priuare honoris parte sibi debiti, eamque ob rem conquerebatur de sanatis 10. leprosis, Luc. 17. dicens, *nonne decem sanati sunt, & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret & daret gloriam Deo nisi hic alienigena*, ergo honore illum ex aduerso afficiet, qui ob accepta beneficia gratum animum præseferet, idque nobilissimo modo, id est, non verbo tantum, & lingua, sed opere & veritate: hoc autem facit, qui ei quippiam offert. Nec obstat illud ipsum quod ei offertur, semper esse ipsius. nã si ob id offerri illi nõ debet, non debuissent quidquam ei offerre filij Israël, cũ non ignorarẽt in eius dominio permanere ac perseuerare quæcunq; ab illo acceperant. Et ecce vel hoc ipso illa ei offerebant, *tua sunt omnia*, inquit Dauid. 1. Paral. vlt. *& quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Nonne pergunt Emphyteutica bona esse quodammodo domini directi, qui ea dedit omninò, aliâs quorsum illorum Dominus adhuc diceretur, quo iure non possent absque eius facultate alienari? & tamen ex parte ei offeruntur.

Tertiò nemo hactenus eam negauit in veteri Testamento vsurpatam velut diuini cultus partẽ, nec ergo iam iure negabitur, cum

cum in quauis lege naturam ſemper ſuam retineat, eſto non negem quædam particularia offerri tunc potuiſſe, ob adiunctam cæremoniam legis illius propriam, quæ iam non poſſunt. Conferebat autem ad Dei cultum, non ſolùm quatenus proteſtatio erat, & recognitio ſummi iuris rerum omnium pro arbitrio diſpenſandarum ſummæ item beneficentiæ in Deo exiſtentis, vt iam ſæpè diximus; ſed etiam quatenus referebatur, vel ad alendos ſacerdotes, quorum propriè erat Deum colere, vel ad coſeruandum promouendumque ornatum tabernaculi, quo conſpecto ratiocinabantur omnes magnum & eximium Deum eſſe, cui dicata domus tàm pretioſum haberet apparatum.

Erat in eum finem cœtus, ſeu feſtum collectæ, ſic dictum, quia in eo neceſſaria ad expenſas diuini cultus à populo colligebantur. Quo vtroque modo implicitè ab offerentibus Deus colebatur, hoc eſt, quatenus oblationibus ſuis ſacerdotes illum culturos ſuſtentabant, & ornatum præparabant, quo conſpecto homines ad eundem magnifaciendum colendumq; inducerentur, ſicut prophetare dicitur qui Prophetam alit, quia Propheta eſt, vnde mercedem Prophetæ accipit, Matth. 10. & peccatum cõmittere, qui illius committendi occaſionem proximo præbet per ſcandalum. Idem apud Ethnicos vbique factum legimus. Nullum ſibi Deum Deamue præſtituebant, cui non aliquid offerrent, vt Ioui quercum, Apollini Laurum, Baccho ferulam, Veneri Myrtum, Mineruæ palmam, Cereri ſpicam, vnde Martialis ſpiciferam vocat.

Spicifera eſt virgo Cereri, fabricataq́; libra.

& cui ſimul honorem habere offerendo non arbitrarentur. Gelon Syracuſanorum Rex miſit ex hoſtium manubiis poſt victoriam Amilcaris, & Carthaginenſium in Delphos Apollini, quem pro Deo habebat, tripodem aureum ſexdecim talentorum auri, id eſt, aureorum 9600. Et Græci poſt victoriam de Perſis aliũ tripodem ex decima ſpoliorum eodem tranſmiſerunt. Syracuſani inſuper Tyrannis ſuperatis, quidquid in exuuis pretioſum fuit, eidem obtulerunt. Poſtremò amici eſt dono aliquo amicitiam probare, & amicũ honorare, vnde Poëta de quodam prætermittente genus hoc officij ait.

Diod. Sic. lib. 11. & 12.

Das nihil, & dicis Candide noſtra φιλῶν.

at Deus

at Deus amicos nos vult habere, ergo & à nobis dono ſeu oblatione aliqua coli.

Iam ſi oblatio partis bonorum noſtrorum Religionis eſt actus isque Deo gratiſsimus, multò magis omnium. Hinc laus illa magna viduę Euangelicæ mittentis in Gazophylacium quidquid nummorum habuit. Et ſi noſtra offerre religioſum munus æſtimatur, quid erit ſi nos ipſos totos obtulerimus? Parui momēti ſunt quæcunq; poſsidemus collata nobiſcū, *cuncta quæ habet dabit homo pro anima ſua.* Iob.2. Nota eſt ſententia illa Regis Sodomorum ad Abraham, *Da mihi animas cætera tolle tibi,* Gen.14. illa item Socratis ad AEſchinem diſcipulum excuſantem ſe quod præter ſeipſum nihil haberet, quod ei dare poſſet. *An non intelligis quàm magnum mihi munus dederis, niſi fortè teipſum paruo æſtimas?* Eodem collimans Hieronymus dicebat, *totum Deo Dedit, qui ſeipſum obtulit.* Interim cuicūque eousq; progredi graue fuerit, non deſperet. Acceptat etiam parua Deus pro ſua benignitate, quoties offerri maiora commodè nequeunt, nec Imperatori illi Apoſtatæ eſt ſimilis, qui S. Baſilio, à quo pro benedictione acceperat 3. panes hordeaceos, fenū reddi iuſsit dicens. *Dat nobis hordeum pabulum Iumentorum, accipiat viciſsim fenum,* ita vt virum illum ſanctiſsimum reſpondere coegerit. *Nos quidem, Imperator ea tibi obtulimus, quibus ipſi veſcimur: tu verò ea nobis reſtituis, vnde bruta victitant, vltrò quidem nos irridens.* Danda ſolum opera, vt offeratur ſtudioſè, quidquid offertur. *Sicut in telis eadem vis ferri eſt,* inquit Seneca, *ſed in infinitum intereſt vtrum excuſſo lacerto torqueantur, an remiſſa manu effluant. gladius idem & ſtringit & transforat, qui m preſſo articulo venerit, refert, idem eſt quod datur, ſed intereſt quomodo detur.* Lib.2.de Benef.c.6. Vt præterea qui offert, animum gerat innocētem probeque affectum, *iniquorum dona non probat Altiſsimus,* Eccleſ.34. ad Cain quia nefarius erat, non reſpexit Dominus, nec ad munera eius, Gen.4. & quiſquis alius eiuſmodi eſt, *ſi immolat bouem, quaſi ſi interficiat virum, ſi mactat pecus, quaſi ſi excerebret canem, ſi offert oblationē, quaſi ſi ſuillam carnem offerat, ſi recordatur thuris, quaſi ſi benedicat Idolo.* Iſa.66. Vt inſuper legitimè parta ſit oblatio, non ex rapina pauperum. Siquidem quiſquis offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, nihilo gratius Deo facit, quàm ſi victimet filium in conſpectu Patris, Eccleſ.34. Vt deniq; quoad commode fieri poterit, ſeligantur meliora; ne alias non placetur, & benedicat Deus ſed indi-

Digitized by Google

gnetur, & oblationem noſtram contemptum interpretetur non religionem. *Oportet offerentem Deo,* ait Chryſoſt. *in diſcernendo magnã adhibere diligentiam.* Vnde Malach. 1. legimus, *deſpicitis nomen meum, & dicitis in quo deſpeximus nomen tuum?* Paulò pòſt reſpondet: *Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum eſt? ſi offeratis claudum & languidum nonne malum eſt? offer illud duci tuo ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuã, dicit Dominus exercituum.* Reuocemus ad memoriam querelam iuſtam hominis illius, qui apud M. Tullium cum indicaſſet amico ſuo theſaurum reconditum, & is fodiens aurum reperiſſet argento circumtectũ, nec niſi parũ argenti ad coniectorem ſuum gratitudinis cauſa miſiſſet, expoſtulantem audiuit, & dicentem; *nihilne de vitello?* Decet itaque opulentiores offerre, plus cæteris exemplo Principum Iſrael, quorum quilibet in dedicatione altaris tabernaculi obtulit acetabulum argenteum, phialam argenteam, mortariolum ex decem ſyclis aureis plenum incenſo, bouem de armento & arietem & agnum anniculum in holocauſtum. Numero 7. cumque alij in ſtructuram eiuſdem tabernaculi contuliſſent coccum, byſſum, purpuram & ſimilia, illi obtulerunt lapides pretioſos. Exod. 35. Apud ipſos Ethnicos in Hecatombis quas vouebat populus ad luem, & alia grauiſsima mala auertenda immolabantur 100. oues, 100. boues, 100. ſues: Verum ſi Imperatoris votum eſſet, immolabantur 100. leones, 100. Aquilæ, vt ſcribit Alexandr. ab Alexand. libro 3. cap. 22. Sed & Phaſelitæ ludibrio & abominationi cæteris omnibus populis fuerunt, eo quod Deo deterrima offerebant, vel ea quæ in ſuos vſus conuertere amplius non poterant.

§. 3. Palàm eſt abundare Catholicos oblationibus ſacris, inter quas occurrunt primò, quæ à fidelibus ad Miſſarum ſolennia poſt Euangelium fiunt, adeò frequentes, vt multis Curionibus alendis ſufficiant, crebriores adhuc futuræ, ſi populum Nouatores flagrantes Cleri odio ab hac religioſitate non abſterruiſſent, ſi bella & grauiſsima interdum tributa multorum rem familiarem eouſque non afflixiſſent, vt iis iam pauca ſuperſint quæ offerant, cum ad victum etiam vix aliquid ſit reliquum. Si iidem Clerici ſuis interdum corruptis moribus eundem populum non offenderent, nec imitarentur Helij filios, *quorum*

rum peccatum erat grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines à sacrificio Domini. Quanquam si saperet, nihil idcircò de pristina liberalitate sua remitteret, cum actum illum Religionis principaliter propter eos nõ obeat, nec obire debeat, sed propter Deum Principem Pastorum, à quo vno retributionem expectat. Quo argumento seruos erudiens Apostolus, Col. 3. dicebat; *Quodcunque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus, scientes quod à Domino accipietis retributionem hæreditatis Christo Domino seruite.* De hoc primo oblationum genere legem tulit in hæc verba Rom. Syn. sub Greg. VII. Anno M.LXXVIII. *Omnis Christianus procuret ad Missarum solennia aliquid Deo offerre, & reducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus.* 1, Reg 2.

Occurrunt secundò illæ aliæ, quæ fiunt & colliguntur singulis diebus Dominicis, ac saltem in maioribus sollennitatibus, à Præfectis fabricæ templum circumeuntibus, vt 2. Paralipomen. 24.

Occurrunt tertiò quæ mittuntur in Gazophylacium vbique ferè propositum, sæpè ad summam peruenientes 15000. aureorum quotannis, in locis ad quæ confluunt peregrini.

Occurrit quartò. Agape quæ olim panis dicebatur Catechumenorum, hodie panis benedictus vel charitatis. offerri solet singulis diebus Dominicis, & quidem iuxta offerentium conditionem munificè, ac iuxtà Eccles. Canones piè ac religiosè. Sic namque legimus, tom. 1. Concil. lib. 1. cap. 117. *Post Missarum solennia qui communicare non fuerint parati Eulogias omni die Dominico exinde*, id est è panibus quos deferunt fideles ad Ecclesiam, *accipiant, quas* Presbyter, *cum benedictione prius faciat.*

Occurrunt quintò, gemmæ, pecuniæ, cruces, calices, peristromata, lampades, cerei, & alia eiusmodi donaria, diuino cultui & ornatui domus Dei destinata, de quibus S. Paulinus in festo S. Fœlicis.

Cedo alij pretiosa ferant donaria, meq;
Officij sumptu superent, qui pulchra tegendis
Vela ferant foribus, seu puro splendida lino.
Siue coloratis textum fucata figuris.

Abundasse iisdem vetera templa Christianorum, speciatimque Lampadibus annotarunt ipsimet Magdeburgenses, Centur. 4. cap. 6. vnde hos versus ex antiquis monumentis adducunt.

Pendent mobilibus lumina funibus
Quæ suffixa micant per laquearia
Credit stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare trionibus.

Abundant similiter hodierna Catholicorum. Ex vno Lauretano coniectura fiat de plerisque aliis. Quanquam nec de illo sim omnia commemoraturus, sed de quamplurimis ex Turselino paucissima. Caroli Lotharingiæ Cardinalis munus ibi visitur planè Regium, tota inquam supellex sacra & crystallina, quæ ad integrum sacelli ministerium sit satis. Henricus III. Franciæ Rex, craterem eo misit, cuius cuppam exhibet Saphyrus concauus insolitæ magnitudinis; pedem vero smaragdus auro elegantissimè intertextus, operculum denique crystallus gemmis quamplurimis pulcherrimo perfusa ordine, ac supernè desinens in Lilium, quod tres adamantes repræsentant, sustentat verò Angelus aureus. Guillielmus Serenissimus Bauariæ Dux, dona contulit aureorum 40000. Inter alia candelabrum ex argento 80. librarum, in quo prominent rami 24. qui dum candelas totidem fulciunt, fulgorem adumbrant solis. Maximilianus verò filius æmulator hæresque paternæ pietatis sacrum illud sacellum cruce donauit, quæ ex auro crystalloque composita duodecim millium aureorum valorem exæquare creditur. Dux Ioiosius octo millibus, præter Lampadas duas argenteas, perpetuum vomentes Lumen, antè beatissimæ illius Virginis imaginem, cui datum est, vt pareret nobis Redemptorem. Spernonij Ducis munus sunt duo Angelorum simulacra ex argento solido, annuo censu addito ad elegantes cereos comparandos, qui assidue ex illorum prominentes manibus Lumen effundant. Nihilo parcior Mantuæ Dux sacras vestes eo misit tot gemmis instructas, vt & stupore mentem, & singulari voluptate oculos afficiant. Cristina magni Hetruriæ Ducis vxor, vestes alias sacras eodem transmisit, quarum valo-

Digitized by Google

valorem periti rerum æſtimatores ſupra octo aureorũ millia potius quam infra cenſent eſſe. Philibertus Emmanuel Sabaudiæ Dux, vbi primum ex Margareta Valeſia filium ſuſcepit, mox infante ex auro ſolido Religionis & gratitudinis ergô, eandem ædiculam locupletauit. Quid plura? poſſum ego Principem Catholicum nominare in templorum cultum adeò munificum, vt cum vnius cuiuſdam illuſtrandi non faceret finem, humilibus monitis vt ſeruaret modum, fuerit quodam veluti fræno cohibendus. Nimirum pudebat illum cedere filiis Iſraël, de quibus iſta legimus Exod. 36. *Quotidiè manè vota populus offerebat, vnde Artifices venire compulſi dixerunt Moyſi, plus offert populus, quàm neceſſarium eſt.* Nec mihi hic quiſquam obiiciat, cauſæ noſtræ officere iſta magis quàm prodeſſe, cum hic de Religione ſit quęſtio; ea autem exigat vt offerantur Deo quæcumque offeruntur. hos verò Catholicos Principes non Deo ſed Sanctis, ſed Virgini illi dona ſua obtuliſſe. Facilè ad hoc reſpondetur (neque enim vt ait Hieronymus grande eſt ineptiſsimis næniis reſpondere) idem oblationibus quod votis contingere, vt quemadmodum vota ſoli Deo propriè nuncupantur; ſanctis verò hoc tantum ſenſu, quod illorum amore inducti, & auxilio freti quod illa implebimus, & fide perſuaſi quod iis tanquam Deo coniunctis per grata erunt, à nobis Deo fiant: ſic ſoli Deo propriè aliquid offeramus, ſanctis verò vt talis oblatio, in ipſorum quoq; gloriam ex conſequenti redundet eo modo quo poteſt. Neque enim dubium eſt, eos ſenſum habere honoris qui Deo exhibetur. *Epiſt. 56.*

Occurrunt ſextò, quæ à Poſteris poſt funus offeruntur, vt dignetur diuina bonitas pœnas mulcere defunctorum, vnde & eleemoſynæ appellantur, quod ad leuandam miſeriam alienam referantur. De his Aug. *Negandum non eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt Sed iis hæ proſunt, qui cum viuerent, vt hæc poſtea ſibi prodeſſent, meruerunt.* *In Enchir.*

Occurrunt ſeptimo legata pia, quæ in Eccleſiæ fauorem fieri conſueuerunt, vt quando ipſa à Teſtatoribus hæres conſtituitur, ſiue partis tantum, ſiue in ſolidum. Eiuſmodi legata etiam quoad partem ſolum magna ſæpenumerò ſunt. Cardinalis Vrbinus vt cæteros taceam, eodem Turſelino teſte præcipuam partem ſupellectilis ſuæ aureæ, argenteæq; ædi Lauretanæ teſtamento legauit.

Occurrũt octauo Primitiæ, quæ ex decreto Eccleſiæ iuxta receptam locorum cõſuetudinem offerri ſolent, vt docet S.Thom. 2.2.q.86. & Sylu.V.decima, & patet ex cap.decimas.16.q.7.

Occurrunt nono Anathemata, quæ in tẽplis ſuſpenduntur ad perpetuam memoriam impetratæ à Deo victoriæ vel alterius beneficij. Vnde 1. Reg. 6. Philiſthæi obtulerunt mures aureos, poſtquã à veris muribus fuerunt grauiter infeſtati. Quæ oblatio tàm Deo grata fuit, vt ex tunc eos omni hac infeſtatione liberauerit. Et Pompeius magnus poſt crebras victorias vitem auream cũ botris Ioui Capitolino dedicaſſe legitur. Fecerũt ſimile quid infiniti Catholici, vt in Luſitania magnus ille Albuquerſius, qui in celeberrimo templo B.Virginis ad aquas Lupias globũ poni curauit argenteis bracteis & gemmis coopertum, quo impetitus in obſidione caſtri Beneſtarini iuxta Goam in tanto periculo fuit, vt reſperſus ſit cruore militis cuiuſdam, quem ſecum loquentem globus ille diſcerpſit. Quo non contentus attribuit inſuper reditum annuum in vſum perpetui luminis templi illius cuſtodibus.

Non eſt prætereundũ accurari diligenter, vt oblationes iſtæ oẽs decenter, & ſine ſcandalo fiant. Itaq; non admittuntur, ſi ſint ex mercede proſtibuli, nec publicorũ pœnitentium, quãdiu pœnitentiam non peregerũt, c.Latorem.33.q.2. nec fratrũ diſsidentium, iuxta decretũ Conc.4.Carthag.cap.93. ait namq; Dominus Matth.5. *Si offers munus tuũ ad altare.* Et infrà: *Relinq; munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo.* Nec oppreſſorũ pauperũ, nec ſacrilegorum, nec violantium aſylum, nec raptorum, nec vſurariorum, vt diſt.90. gloſſator multis adductis canonibus docet.

§.4. Contra in Alcorano, qui Mahumetanæ religionis (ſuperſtitionem dicere debui) liber eſt primus ac præcipuus, nihil legenti occurrit, quo oblationum vſus meritò videri poſsit commẽdari. Nam quod ad verba illa Azo. 17. *De decimis & beneficiis ſume, & indè ſecũdum morẽ operare,* vel obſcuriora ſunt, quàm vt elicere ex iis certi aliquid liceat, vel ſenſum habent longè alium, eumque conſentientẽ moribus Imperatorũ, qui Mahumeti ſucceſſerũt, videlicet vt Mahumetes de manubiis militũ ſuorũ decimã vel quotam aliã partẽ ſibi vendicaret, eaq; pro ſuo more in quærẽdis ſemper nouis bellis vteretur. Quod ad iſta alia Azo.34. *Deum voto precetur ſupplici, vt ex ſuis bonis augeat,* vel vt legunt alij, *& ex ſuis bonis augeat,* nihil ad rem faciunt, ſi lectionẽ primam retineamus, cuius ſenſus non

eſt alius,quã vt oretur Deus,vt bona quæ contulit,amplificet, ſed neq; ſi poſteriorẽ;Immò ingentẽ continent blaſphemiam quatenus inſinuant augeri ſeu diteſcere poſſe Deum noſtris oblationibus,quod ſanè cogitare eſt ſtultiſsimum. *Quis ita deſipiat*,inquit S. *Lib.10.de ciu.cap.8.* Aug. *vt exiſtimet aliquibus vſibus Dei eſſe neceſſaria,quæ in ſacrificiis offeruntur?* Et rurſum: *Ne ipſa quidẽ iuſtitia hominis Deum egere credendum eſt.* Et epiſt. 49. *Nobis prodeſt colere Deum nõ ipſi Deo.* Quæ licet ita ſint,in Auctoribus tamen qui ſcripſerunt de morib.& relig. Turcarũ, huius argumenti nonnulla reperio. *Singuli*,inquit Theuetus,*mittunt certã ſummã pecuniæ Mecham & Medinã ad ſepulcrum Mahumetis,vti olim mittebant Chriſtiani ad eos qui cuſtodiebant ſepulcrũ Chriſti.* Et ſeptẽcaſtrenſis c.15. maxima donaria à Principibus quotannis ad huius ſepulcrũ deferuntur. De Mahumeto non loquitur,ſed de ſedichaſo, cuius monumentũ diximus aliàs in finibus eſſe Caramanniȩ. Verũ tam ridiculæ ſunt oblationes iſtæ oẽs, quàm ſancti ipſi, quibus vel in quorum gratiam offeruntur,ridiculi, & vel manifeſtè ſcelerati,vt Mahumetus de quo plura lib. 3. c.3. § 4. vel neq; ſanctitate,neque miraculo aliquo dum viuerent clari, vt ſedichaſus: Prætereà hæ oblationes mediatè tantum Deo fiunt, cũ etiam expediat immediatè illi quędam offerri. Adhæc maximè fieri ſolent poſt partam victoriam,ſeu de bonis,quæ rapax & prædatrix gens illa rapit innocentibus,atq; ita ſunt corã Deo deteſtabiles. Tandem ſuſpecta mihi valdè videntur, quæ de his ingentibus donariis ſcribit Septem. non quidẽ propter ipſum, nã cum ſacerdos eſſet optimus, admodumq; eruditus,fide digniſsimus eſt in iis quæ vidit,vel experimento didicit; ſed propter Turcas ipſos, à quibus proiectè mentientibus,vel ſuorũ res exaggerantibus id accepiſſe videtur. Neq; enim vnquam in Caramanniam profectus eſt, ſed moratus ſemper Adrianopoli quæ leucis minimum 30. occidentalior eſt Conſtantinopoli, cum Caramannia ex aduerſo 200. circiter ſit orientalior. Cuſpinianus ſiquidem, in tractatu de origine Ottomannorum, Caramannos in Cilicia Aſiæ conſtituit,hoc eſt, prouincia quæ eandem Conſtantinopolim longo poſt ſe ſpatio relinquit occidentem verſus. His addit Barthol. Georgeuicius c.11. illorum oblationes tantũ eſſe conditionales,verbi gratia,bouem offeram ſi à morbo liberabe[illegible]tq; ita niti omnes iſto principio, *dabo ſi dederis.*

Reſtant

§. 5. Reſtant Nouatores, qui vt nullum habent, nec ſe habere profitentur verum ſacrificium, quod offerant, ita nec vllum oblationum vſum recipiunt, de quibus hic agimus, hoc eſt, rerum externarum. Volunt enim omnium, tùm ſacrificiorum, tùm oblationum inſtar fuiſſe ſacrificium crucis ob ſummam perfectionem, vt in eo genere nihil vltrà ſit requirendum. Quare ſicut negando omne aliud ſacrificium, magno vt dicebam labore me liberarũt, qui aliàs ſubeundus fuiſſet, vt eos docerem in actu iſto religionis deficere; ita magno alio me leuant, cum nullum prorſus habent oblationum vſum, nec ſe habere velle profitentur. Sed quomodo nullum habent? nonne in templis cœnæ tempore, vel peracta cœna collectam faciunt Sacramentarij, & aliquid pecuniarum conferunt? nonne eleemoſynas multas erogant?

Quod ad collectam, reſpondeo illam nec lege vlla ſtata niti, nec in vſu eſſe apud omnes, ſiue autem ſit ſiue non, nullo modo inſtituitur, vt rationem habeat religioſæ oblationis, ſeu ad excellentiam Dei manifeſtandam, tùm ne oblationi factæ à Chriſto ad colendum Deum derogare; tùm ne circa eiuſmodi cultum aliquid in diuinis literis non præſcriptum, vſurpare videantur. Adde quod in magnam reprehenſionem incurrerent, ſi agnoſcentes licitum iam eſſe vſum oblationum, tàm leuem & raram vſurparent: ſed inſtituitur, vel ad ſatisfaciendum voto ac fami Prædicantium prædæ inhiantium, vel ad partialem eorum ſuſtentationem velut hominum, qui vt in profanis contractibus vſuuenit, aluntur à Conductoribus, vel denique ad ſoluendum profanæ item cœnę ſymbolum, non ſecus atque in popina aut diuerſorio; quippè in eiuſmodi cœna ſat panis vinique abſumitur. Oblationes veræ ac perfectæ cum appẽdices ſint veri ſacrificij, & quædam velut adumbrationes, altare deſiderant, vndè nullas vnquam legimus à Iudæis oblatas, niſi ſuper altare, vel in ordine ad altare, id eſt, in templo vero in quo & altaria erant, & ſacrificia vera offerebantur. Ob id in ſynagogis nihil vnquam fuit offerri ſolitũ, quia propriè templa non erant, nec in iis ſacrificabatur, ſed ad ſummum orationes fiebant, & diuinæ legis reſerabantur arcana. Illa

Ioan. 18. Chriſti verba, *ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo quo omnes Iudæi conueniunt*, ſatis inſinuant vnius ab altero diſtinctionem. Nouatores autem nec vlla iam admittunt altaria, nec ſacrificia. Verùm ex hypo-

hypotheſi habeant in vſu oblationes aliquas, nullas ſaltem pretioſas ac magnificas oſtendere poterunt, appetentiores pecuniæ ſunt, quàm vt eam in religionis gratiam munificè profundere ſecum ipſi ſtatuant. Non religioni res ſed religionem rebus ſuis accommodant, & ſeruire cogunt. Nec videri poſſunt offerre velle ſua Deo, qui quæ ab aliis oblata ſunt, quantum & vbicumq; poſſunt auferunt, & in vſus proprios conuertunt, cauſantes quidem id ſe facere ad ſuperſtitionem neſcio quam Catholicorum à ſe confictam abolendam, reipſa autem amplificare volentes rem ſuam familiarem. Nam ſi vera eſſet ſuperſtitio, Deum expertus fuiſſet beneficum, potius quàm iratũ ac vindicem, quiſquis eam raptu illo abolere tentaſſet, at iratum vt plurimum expertus eſt magno ſuo damno, vt exemplo quod ſequitur mihi notiſsimo quiuis intelliget. Quidam ſecta Caluinianus ante aliquot annos Metis in Lotharingia, ibi cum eſſem, curioſè ingreſſus templum quoddam Catholicorũ, hominem vidit ad altare humiliter ſupplicantem, factaque oratione oua duo offerentem. quo recedente ſocio ſuo dixit ô Papiſtam ſuperſtitioſum, vadam & mihi auferam oblationẽ, quã ſtolida hæc gallina edidit. Mox à ſocio paulo moderatiore audit, ſi mihi credis abſtinebis, ſinamus illos ritu ſuo viuere, ſicut ipſi noſtro volumus, quid alienum ſeruum iudicas? Domino quiſq; ſuo ſtat aut cadit. Gratulemur nobis lumen illud ſingulare, quod à Spiritu ſancto accepimus, & quo ſi hic aliique deſtituuntur, eſt cur nos illorum miſereat, ſat ſeuerus vindex erit Deus in omnes, à quibus in religionem cõmittitur. Non ſapuit his monitis, ſed ait verba ſeminas, tu ſi vis tibi tempera, oblationem vt dixi mihi auferam, eam in ientaculum craſtinum cum ſociis meis inducturus, non ſine riſu. Dictum factum, extendit ad oblationem impias manus, domum repetit, ientaculum parat, ſocios accerſit, quid acciderit narrat, in riſum effunditur, blaſphemat, oui vnius vitellum ſorbendum in os mittit. Adhuc erat eſca in ore eius, & ira Dei aſcendit ſuper eum, impiam mox exhalauit animam, ſtupeſcentibus qui aderant, & diſcentibus quàm non irrideatur Catholicorum Deus.

Quod ad eleemoſynas, erogant aliquas, ſed palàm eſt non debere eas oblationes appellari, cum in Deum non tendant, ſed in proximum; nec ad profitẽdam Dei excellentiam, ſiue beneficen-

Digitized by Google

tiam referantur, ſed ad miſeriam eiuſdem proximi ſubleuãdam. Præterquàm quod tenues adeò ſunt, vt vehementer illos earum pudere debeat. Etenim quàm pauci omnia ſua, aut partem benè magnam diſtribuerunt pauperibus? egenis virginibus dotem aſſignarunt? aut debitores ſuos abſoluerunt? aut Xenodochia extruxerunt? Et vt iſta omnia præſtarent aut præſtitiſſent, viderint quàm grata Deo eſſe poſsint à ſe profecta, hoc eſt ab iis, qui omnes iuxta ſectæ ſuæ leges vſuram exercent, vt poſſunt. Sanè talium eleemoſynas Deo inuiſas eſſe, teſtem habemus Hieronymum, cuius hæc ſunt verba: *Fallitur qui de rapinis, & periuriis, ſceleribuſq́; quæſita ſe Deo putat offerre, & peccata ſua redimere, cum Zachæum legamus quidquid rapuerat in quadruplum tanquam furem manifeſtum reddidiſſe, & de his quæ benè quæſierat mediam obtuliſſe ſubſtantiam. Neque enim quod malè quæſitum in Dei donaria poterat offerre, niſi prius dominis ſuis redderet, & poſtea impleret quod ſcriptum eſt honora Dominum de tuis iuſtis laboribus, & redemptio animæ viri propriæ diuitiæ.*

In cap. 5. Amos.

De Solutione Decimarum actu 4. externo elicito & nota 6. veræ Religionis.

CAPVT XVI.

§. *1. Decimæ quid ſint, quomodo iuris diuini opuſq́; Iuſtitiæ.*
2. Earum ſolutio de numero eſt actuum Religionis.
3. Magna fide ſoluuntur in Eccleſia Cathol. & ſolui iubentur.
4. Non ſic in Mahumetana.
5. Minimè omnium in Pſeudoeuangelica.

DECIMA eſt vna ex decem partibus quem fundus profert, & conſiderari poteſt dupliciter, primò quoad quotam vt loquuntur, id eſt, quatenus præciſè & formaliter pars decima eſt. Secundò, quoad honeſtam ſuſtentationem Miniſtrorũ Eccleſiæ quibus debetur. Primo modo conſiderata in nulla prorſus lege, decima ſeu decimarum ſolutio fuit de iure naturæ, ſiquidem naturę lumen non dictat hanc partem determinatè, hoc eſt, neque maiorem neque minorem ad eiuſ-

eiuſmodi ſuſtentationem eſſe neceſſariam, cum certa eius regula dari non poſsit ob varias circumſtantias meriti, oneris, numeri egeſtatis, & qualitatis perſonarum. Nec me ab hac aſſertione reuocant verba illa Iacob Patriarchæ Geneſ.28. *Cunctorum quæ dederis mihi Decimas offeram tibi.* Nam præterquam quod ſponte hoc dixit, de decimis mentionem facit, vt rationem habent oblationum: Nos autem in præſentia de iis loquimur, vt rationem habent ſtipendij, & ſoluuntur Miniſtris Eccleſiæ, vt inde viuant, quæ ratio ab oblationibus illas ſeparat, natis immediatè offerri Deo ad declarandam ſummam eius beneficẽtiam; vt notat S.Thomas. Fuit 2.2.q.83. art.3. contra de iure diuino poſitiuo non in lege naturæ, quia tunc nihil ſcriptum erat, quod hominibus ſupernaturalem aliquam Dei voluntatem reuelaret, ſed in lege veteri, vt videre eſt Leuit. 7. & Deut.12. At non in Euangelica, vt docet idem S.Thom.ſuprà; nec q.87. art.1. mirum quandoquidem teſtamentum nouum nullibi aliquotæ huius partis mentionem facit, nec aliqua traditio Apoſtolica meminit. Præterea præceptum hoc diuinum de Decimis Iudiciale fuit, qualia poſt Chriſti mortem certum eſt non obligare. Iure tamen Eccleſiaſtico à Chriſtianis ſolui in hac eadem Euang. debẽt, vt conſtat ex titulo *de Decim.* ex c. *decimas.* c. *reuertimini.* c. *decimæ* 16. q.1. ex Conc.Conſt.ſeſſ.8. ex Trident.ſeſſ.25. cap.12. de reform. ex S.Auguſt.ſerm.219. de tempore, vbi ait: *Decimæ ex debito requiruntur, & qui eas dare noluerint, res alienas inuadunt.*

At ſi poſteriore modo conſideretur decima, eius ſolutio eſt omnis iuris. Clamat quippe natura, clamat ſcriptura ſacra, clamant humana iura dignum eſſe operarium mercede ſua, neminem militare ſuis ſtipendiis. *Si ſpiritualia vobis ſeminamus*, inquit A- 1. Cor. 9. poſtolus, *magnum ſi carnalia veſtra metamus.* Addit S.Clemens lib.2. Conſt.c.38. *Si tunc populus proportione Regi Saul munera præbebat, quanto magis nũc Epiſcopus ſtipendia capere debet ad ſe alendum, & Clericos qui cum eo ſunt? Quod ſi aliquid addendum eſt, plura hic capiat, quàm ille olim. Ille enim rem militarem tantum adminiſtrabat belli paciſq; moderator ad tuenda corpora: hic verò Dei ſacerdotium adminiſtrat, corpus & animam periculis liberat.* Diuino certè cultu nihil ſublimius, nihil in quo verſari accuratius oporteat: quod proindè vt faciant Clerici par eſt eos ab Agricolis & Laicis aliis temporale ſubſidium accipere; non ſecus ac Bucephalus, ne laboribus aliis frangeretur, ſed integer ad pu-

 gnam

Digitized by Google

Quantum religionem ſapiat ſolutio Decimarum, ex eo primum conſtare poteſt, quod ſit quædam oblationis ſpecies, quia etſi non dentur Deo immediatè, nec eo fine quo oblationes, de quibus in præcedenti capite, dantur tamen Clericis, ſeu Sacerdotibus vt præcisè tales ſunt, & Chriſto miniſtrant in omnibus ad religionem pertinentibus, ob idque dantur Chriſti intuitu, & ipſi Chriſto dari cenſentur. Nam ſi ei dediſſe videtur, qui propter illum dedit pauperibus, cum ſcriptum ſit, *quod vni de his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*, tanto certè magis decimas ei ſoluiſſe, ſeu obtuliſſe cenſebitur, qui ſoluit ſacerdotibus, quanto hi melius quàm pauperes Chriſtum ſummum Sacerdotem repræſentant, quanto item præſtantius eſt eidem in ſacro miniſterio, quàm in pauperie aſsimilari. §.2. Matth.25.

Secundò, Eccleſiæ Miniſtros ſic conſideratos alere, ipſos eſt honorare, ergo & Deum ipſum cui ſingulariter ſeruiunt, ſeu cuius ſe obſequio cultuique mancipant, quippe ex communi apprehenſione honor exhibitus ſeruo, redundat in Dominum. Probatur Antecedens ex cap.15. Matth. vbi Chriſtus interpretatur Parentes qui à filiis neceſſaria vitæ non accipiunt, ab iis inhonorari: honorarentur ergo ſi acciperent, cur non etiam Miniſtri Eccleſiæ ſi à populo, cuius ſpirituales Patres diuerſimodè exiſtunt?

Tertiò, valde cooperari ad aliquid, nihil aliud moraliter videtur eſſe, quàm illud ipſum agere. Hinc ſocij furum & homicidarum, rei ſunt pœnarum ſimilium, quia in homicidium furtumque influunt, & *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ*, hoc eſt ſuſtentando ipſum, vt obire munus ſuum poſsit, *mercedem Prophetæ accipit*, Matth.10. vnde & Abdias paſcendo Prophetas Domini, prophetiæ donum eſt conſecutus, 3.Reg.18. At quiſquis decimas ſoluit, cooperatur valdè precibus, ſacrificiis, laudibus, Sacramentorum adminiſtrationibus, & aliis omnibus religioſis operibus, quæ à Clericis fiunt. Quomodo namque in actus illos Clerici vellent aut poſſent intendere, niſi vita ſuppeteret, quæ actionum omnium humanarum eſt hypoſtaſis? quomodo autem ſuppetet ſi pabulum deſit, quo vno fouetur, vt lucerna oleo? Cooperatur haud dubiè non modo quatenus ea ſubminiſtrat, ſine quibus exerceri non poſſent, verum e-

Digitized by Google

tiam quia eiusmodi ministratio eo directè pertinet vt exerceantur.

Quartò, non soluens iniuria graui afficit Deum, & diuinum cultum detrimenti magni exponit periculo. Igitur sicut propter hæc apud omnes malè audit tanquam irreligiosus, restat vt contrariis de causis religiosus sit & habeatur. Probatur Antecedens: quia talis parui facit eiusmodi cultum (ac proinde ipsummet Deum) cum de fruendo illo per exhibitionem decimarum non sit sollicitus. Ansam item præbet Ministris Ecclesiæ posthabito ministerio sacro à quo pendet, consulendi vitæ suæ labore manum. Vnde Ezechias ex 2. Paralip. 30. præcepit populo habitantium Hierusalem, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis vt possent vacare legi Domini. Nempe vt in vite quidquid per amputationem adimitur materiæ, fructibus additur: ita cum Sacerdotes liberantur à curis temporalibus, religioni melius possunt attendere. Probatur verò consequentia, tum quia contrariorum contraria est ratio, tùm quia sic concludunt Patres, vt Origenes homil. 11. in Numer. dicens; *indignum, indecens, impium existimo, vt is qui Deum colit, & ingreditur Ecclesiam Dei, quia scit Sacerdotes & Ministros assistere altari, & aut verbi Dei, aut ministerio seruire Ecclesiæ, de fructibus terræ quos dat Deus Solem suum producendo, & pluuias ministrando, non offert primitias Sacerdotibus.* Accedit quod Deus interdum prodigiosis pœnis hanc impietatem seu decimarum retentionem castigare soleat. Memini siquidem legisse me apud Eugipium in vita sancti Seuerini, quod cum habitatores oppidi Lauriaci decimas soluere tergiuersarentur, nocentissima quædam rubigo imminere messi cœperit, qua territi sanctum adhuc viuentem adeunt, & oscitantiæ se suæ irreligionisque accusant, quod ille animaduertens increpauit eos quidem, sed nihilominus propter pœnitẽtiam confidere iussit in Dei misericordia, & indicto ieiunio fusisque precibus periculum omne auertat.

§.3. Peramplos esse census Ecclesiæ Catholicæ ex Decimis, & aliis prouenientes, indè primum ratiocinari licet, quod ad illos viri etiam opulentissimi ne dicam Principes, conentur filios suos prouehere, vt sic familiæ suæ splendorem, luxumque promoueant, quod haud dubiè nunquam facerent, nisi magni res pretij

pretij esse intelligerent. Neque enim Aquila muscas quærit, nec turmatim muscæ conuolant, nisi vbi nidor copiosus. Deinde quod multis in locis fisci ipsius censum exæquent, immò etiam superent, vt in Comitatu Monpelgardiæ, vbi Dux VVirtenbergensis ex vsurpatis Ecclesiæ beneficiis plura colligit, quàm ei proferat temporale dominium; alioqui admodum pingue. Atque hæc vna causa de præcipuis reuera solet esse, cur huiusmodi Nouatores quorum olla vel maximè vel præcipuè feruet influxu Ecclesiasticorum redituum, non nisi ægerrimè errores deponant suos, vt Catholicam veritatem amplectantur. Nempe quia odorantur vna cum iis dimittenda Ecclesiastica bona, quæ nullo iure posident. miserandum planè hominum genus, se pro panibus tartaro locantium, vt Psaltes loquitur, ne terram amittant, cœlum perdentium, & reclamante conscientia, nec sine grandi apud homines ipsos infamia in dogmate, & secta quam damnant, sordescentium, ne iniquè adaucta res familiaris, aliquod sentiat detrimentum. Heu, *quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur; anima vero sua detrimentum patiatur? ecquam dabit commutationem pro anima sua?* His addo quod perspicuum est, Antistites varios non opibus (ex censu illo partis) certare solùm cum secularibus multis nobilibus, ne dicam Principibus, sed complures etiam longo post se interuallo relinquere. Quid enim Apostolicam sedem commemorem? quid Archiepiscopatum Toletanũ, cui penduntur quotannis aliquot cētena aureorum millia? quid opes illas penè incredibiles quas ex direptis Ecclesiis ab Henrico VIII. congregatas, testis est Sanderus? quid tùm Germaniæ & Galliæ Prælaturas, tùm noui orbis? Rex vnus Catholicus, teste Botero, p. 4. Relat. lib. 3. de regimine Ecclesiastico, ad illustrãdam ac testificandam Dei maiestatem quæ Indis occidentalibus annuntiatur sic prouidit orbis illius Antistitibus, vt Archiepiscopo Mexicano numerentur quotannis 24. aureorum millia, Limensi 34. Episcopo Cuzcensi 70. Mexicoacano 20. Popolano 24. Platano 17. Quitensi. 18. haud dubiè proportione seruata non pauciora duobus aliis Archiepiscopis, & 20. Episcopis, qui in eadem sunt mundi plaga. Mendicantibus Religiosis nihil proprium habere licet, tam sufficienter nihilominus in hodiernam

Matth. 16.

Digitized by Google

ernam diem neceſſaria vitæ ſubſidia ab iiſdem Catholicis acceperunt, vt interrogati à Domino, *quando miſi vos ſine ſacculo & pera nunquid aliquid defuit vobis.* Reſpondere poſsint, *nihil*, Lucæ 22. Non prætermittamus quod ſequitur, cum Catholicis ſat eſſe potuerit in rigore iuris, ſacerdotibus tantum iis ſtipendia decernere, qui ſibi erant ſimpliciter neceſſarij, nempe pro toto populo ex obligatione ſacra facturi, eidem Sacramenta diſpenſaturi, præcipua fidei capita interpretaturi, omnes admonituri ſui muneris, afflictos conſolaturi, tumulo denique mortuos conditu ri, hoc eſt, qui Epiſcopi eſſent vel Parochi; tamen quaſi puderet eos non eſſe erga Dei cultum magnificos, nec elaborare, vt qui ad alendum temporalium Regum ſuorum ſatellitium, tot aureorum milliones conferunt, multa quoque ad alendos augendoſque Chriſti ipſius, hoc eſt Regis Regum miniſtros non impéderent, tot Clericos fundarunt præter Curiones & Epiſcopos, vt numerus exitum inuenire vix poſsit. Quis Canonicorum dicet multitudines, ex quibus coaleſcunt Eccleſiæ Cathedrales & Collegiatæ? quis Abbatum? quis Priorum Conuentualium? quis Capellanorum ſimplicium? Omnibus tamen abundè proſpectum eſt. Quot apud Germanos Abbatiæ prædiuites Fuldenſis, VVaingartenſis, Salamitana? Apud Heluetios S. Galli, apud Gallos Caſa Dei in Aruernia, Turonenſis, Fecandenſis, Marmoterienſis, Cluniacenſis, & Ciſtercienſis? Abundat certè hæc vna tot auaritiæ illecebris, vt cum Anno M.D.LXXVI. Princeps Condæus, & Caſimirus ei ſi ſe dederet publicam iuraſſent fidem, deditione facta, perſpectaque loci opulentia iuſiurandum violandum cenſuerint. Violarunt illud reipſa, Cœnobiumque nobiliſſimum diripuerunt, nonnullis qui impedire aggreſsi fuerát trucidatis. Quàm item locupletes tot Carthuſiæ, ac inter cæteras Papienſis? de hac lege ſi vacat Villamontium lib. 3. peregrinat. cap. 23. Quid multis opus eſt? Clericum nullum mendicare ſinit Eccleſia Catholica (iis exceptis quibus per profeſsionem licet) ne ea occaſione apud proteruam rudemque plebeculam ſtatus ipſe in contemptum adducatur. Quocircà ne promouet quidem ad ſacros Ordines quempiam (qui profeſsionem illam non emiſerit) ſine titulo patrimonij, vel beneficij, & Epiſcopos omnes obligat,

qui

Digitized by Google

qui eo non substante aliquem ordinare præsumpserint, suis vt sumptibus ipsum alant, donec beneficiũ, vel alia bona obtineat. Concil. Trid. seß. 21. cap. 2. & seß. 23. cap. 6. & D. Thom. in Additionib. ad 3. p. q. 40. art. 3. ad 3.

Rectè dicat Aduersarius, sunt sanè pinguißimi Census Sacerdotiorum vestrorum, sed magis contra vos, quàm pro vobis faciunt, quandoquidem modo carent, & dum Clericos vestros insigniter locupletant, dißimilimos reddunt Christo & Apostolis, qui non habebant, vbi caput suum reclinarent, & dicebant, *argentum & aurum non est mihi*, quod grauius est ansam iis præbent otij, & aliorum malorum innumerabilium. Cœperunt omnia iis adeò multiplicatis retrò sublapsa referri, cœperunt ignorãtissimi iuxta, ac ignauißimi homines opibus illis inhiare, quibus adeptis, nihil minus agere deprehensi sunt, quàm quod profitebantur, & impletum est illud, Deuter. 32. *Incrassatus est dilectus meus, & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit Deum factorem suum, & recesit à Deo salutari suo.* Quanto melius foret, quidquid supra mediocritatem est illis adimendo Medicos peritos imitari & Athenienses, quorum illi phlebotomia, & euacuationibus aliis exuberantes humores excernunt, & foras vocant, ne instanti febri pabulo sint; hi verò deportari curabant ad decennium, lege Ostracismi eos, qui opibus nimis intumuerant, vt in exilio ad mediocritatem reuocarentur, & minus possent per potentiam affectare tyrannidem. Multa sunt quæ respondeam. Sit hoc primum, vobis Nouatoribus qui talia obiicitis, nihil minus curæ esse, quàm vt Clerici illi diminutione Census vel doctiores fiant, vel meliores, sicut nec Iudam tangebat cura aliqua vera pauperum; Immò supra modum hoc pertimescitis, ne si tales euaderent, ab obuio quoque reuinceremini, ne item vobis deesset materia in eos, quasi vitiosos debacchandi. Cur ergo obiicitis? Dicam idque verißimè. Idem vobis scopus qui infœlici huic Apostolo, ardet habendi studio vestra cupiditas, quidquid non possederit perditum putat, nec opes solum ardentißimè appetit, sed opum etiam quærit compendia, vt citò inueniat, vnde citò satietur; præsentißimum autem apparet, si vel omnino submoueantur Clerici, vt

Luc. 9.
Actor. 3.

abaςtorum ampla latifundia,& vineta,& fruteta, & viridaria, accedant veſtris exilibus, vel prætextu occurrendi eorundem luxui, hæc illorum bona magnoperè præcidantur, & quod ſeparatum fuerit, veſtrum eſſe incipiat,atque ita beatos vos faciat,non minùs quàm complures alios, qui in momento ferè ad ingentes diuitias hac arte peruenerunt. Dico prætereà nimios quidem fore cenſus illos ſi fundatoribus Eccleſiarum ac benefactoribus id tantummodo fuiſſet propoſitum, vt Clericorum vitæ neceſſaria ſubſidia miniſtrarent, ſed ſciendum alia multa eſſe horum onera & munera, præſertim ſummorum Pontificum, & aliorum Antiſtitum, quibus vt vitæ conſulendum fuit. Credi vix poteſt, quàm multa ſint,in quæ ſedem Apoſtolicam ad Dei gloriam & Eccleſiæ bonum oportet eſſe munificam,atque ita opibus abundare, quas in ea poſsit impendere. Norunt qui penitus non ſunt rerum neſcij, quot Epiſcopi & alij omnis generis profugi ad illam, quaſi ad matrem confugiant, vbera quæ ſugant poſtulantes, quot pauperes eodem fine in vrbem confluant, quot Iudæi, Schiſmatici, Hæretici ad fidem conuerſi, & capitalia ſuorum odia deuitantes, eandem communem parentem adeant, quot Religioſis domibus Romæ, & extra conſtitutis conſulere debeat, quot Cardinales ſuſtentare, quorum vtatur conſilio, in quibuſque rebus magni ponderis, quot Rotæ Auditoribus, & Adminiſtris aliis indigeat, quot Seminariorum vel Collegiorum erectio in variis orbis partibus vtiliſsimorum ei incumbat, quando deſunt alij qui ea erigere poſsint aut velint, quomodo item debeat quæ religionis ſunt magnificè peragere, variis muneribus Principes afficere, Romam venientes eorumque legatos honeſtè ſuſcipere, proprios in Aulis ipſorum ſuſtentare, curſores huc illuc mittere, de ſe bene meritis honeſtam mercedem retribuere. Digna planè ſunt hæc & ſimilia, ob quæ potens ſit & locuples, ac præter B.Petri patrimonium, Annatas à Prælatis iure exigat, cum rationi maximè ſit conſentaneum, vt quæ Eccleſiæ mater eſt, & magiſtra cæterarum, quæ omnes dirigit, quæ pro omnibus laborat, & excubat, & grauiſſima onera perferre cogitur, aliquod ab iis recipiat tẽporale ſubſidium. Quod de ea iam diximus, de inferioribus Prælatis proportio-

portio-

Digitized by Google

portione est intelligendum, vt multas opes. sic multa habent onera, multas item bonorum operum occasiones, quibus si iuxta Ecclesiæ, & fundatorum intentionem fideliter vtantur, videbunt sub anni exitum nihil aut parum sibi superfluere. Quod si non vtuntur aliqui, nec idcircò culpanda est munificentia fundatorum, qui vt vterentur, tàm profusè sua contulerunt, nec aliquid stabili dotationi detrahendum, ne iniuria fiat successoribus, ex quibus præsumendum est vt multos ea malè vsuros, sic multos benè, quorum multo maior quàm illorum habenda est ratio, & procul dubio habita est à fundatoribus.

Equidem Christus, vt perfecte fungeretur Mediatoris officio, & modum in opibus seruandum excellenter doceret, easque quoad affectum, & animi præparationem contemnendas, frugalem valdè vitam duxit; nequaquam tamen ob id opulentiam rationabilem, vel etiam magnificentiam prohibuit, nec secuturum Clerum intendit ad rigorem illum primum, quem ipse tenuit obligare. Quod probè intelligentes sancti Patres, fuerunt nonnunquam ad maius bonum in conuiuiis ipsis magnifici (ac proinde locupletes) vt sanctus Ambrosius, quem legimus interdum clarissimos viros lautissimè excepisse, vt illos sibi & Ecclesiæ conciliaret. Exempli causâ, Arbogastem Comitem ducemque strenuissimum, qui magna gloria postmodum prædicare solebat, dignum se fuisse, qui à tanto Præsule lautè exciperetur. Idipsum quoque Vincentius Galliarum Præfectus pro magno munere ostentabat, vt scribit Seuer. dialog.1. cap.17. Nimirum sicut ad insigne decus & commendationem Christianæ religionis, quoad doctrinam pertinebat, vt primi eius doctores initio rudes mox sapientissimi euaderent, vt sapientiam iis de cœlo demissam, Deique digitum hic esse constaret; posteà tamen ad communia media recurrendum fuit, ne quasi frustra à Deo constituta negligerentur: sic quoad mores consultum fuit initio tenues esse, contractasque res Ecclesiæ, vt non humana, sed diuina vi, tunc etiam cum ex se infirmissima erat, niti videretur. Verùm vbi satis hoc fuit exploratum, prætereunda non fuerunt humana eius constabiliendæ, aduersus hæreticos præsertim, remedia, quorum vnum est

opulentia moderata. Cùm enim Hæretici cauſæ bonitate Romana illa ſede inferiores ſe eſſe ſentiant, ob idque ad arma confugere ſo!eant, vt ſic ſaltem quem ambiunt, ſi fieri poſsit, principatum acquirant, par fuit vt illi opes aliquæ ſuppeterent, quibus dum alia nihil iuuant, eorum ſe furori opponeret. Atque hinc cauſa alia enaſcitur, ob quam toties tamque acriter in eas inuehuntur, quod nempe videant iis fulgere hoſtem ſuam capitalem, & impediri ſe quominus eam pro arbitrio inuadant ac poterant. Faciamus denique non alium finem eſſe tot cenſuum, quàm miniſtrare Clericis victum & veſtitum, non idcircò carpendi eſſent aut auertendi, cum etiam qui pendebantur Sacerdotibus & Leuitis valdè ſuperfluerent, vt habetur, 2. Paral. 30. nec tamen ea ſibi Ezechias Rex, aut alius vendicauerit, ſed magis conſtrui fecerit horrea, in quibus reconderentur. Ab hòc non intempeſtiuo, nec inutili diuerticulo in viã redeamus, & quàm rectè habeãt ſe omnia quoad Decimas in Eccl. Cathol. cõſideremus.

Soluuntur primò, quoad quotam, id eſt, vt Decimæ ſunt, quod planè multum eſt. Nam in veteri lege Miniſtri ſpirituales, hoc eſt Leuitæ, quibus iure diuino Decimæ decernebantur, erant duodecima pars populi Iudæorum, & prætereà debebant vxorèm, & filios alere: Nunc vero ſpirituales Miniſtri vix ſunt quinquageſima, aut ſexageſima pars populi Chriſtiani, & prætereà cœlibatum profitentur. Verùm ita magnificauit populus idem Catholicus facere cum eis, quia Miniſtros eſſe nouit Moſaicis longè auguſtiores, plus quoque frequentiuſque laborare. Denique non ſuccedere iure hæreditario in bonis Eccleſ. ſicut ſuccedebant Leuitæ parentibus, ex quo fiebat, vt eſſent ditiſsimi.

Secundo de rebus omnibus iuſte partis, ac primò de fructibus prædiorum, & aliarum rerum fructiferarum, cuiuſmodi ſunt molendina, piſcinæ, &c. & tunc vocantur Prædiales. Adhæc de lucro cuiuſcunq; propriæ induſtriæ, aut operæ, vt negotiationis, venationis, militiæ, & dicuntur perſonales. Rurſus de pecoribus; auibus, &c. & appellantur mixtæ. De his omnibus, inquã ſoluuntur, & ſolui iubentur, c. de decimis. 16. q. 1. & c. non eſt. c. ex transmiſſa. c. paſtoralis tit. de decimis. niſi vbi obtinuit conſuetudo, vt pẽdantur ſolum prædiales, vel quaſi prædiales vt mixtæ, quemadmodum notat Nauar. cap. 21. Enchir. n. 31.

Tertiò

Tertiò prædiales ſoluuntur non omnibus modo Parochis, ad quos pertinent Eccleſiæ, in quarum territorio prædia exiſtunt; quanquam his ordinariè, primò, præcipueque debentur, vt tradit S. Thomas, & colligitur ex cap. quoniam. de Decim. ſed etiam iis aliis Clericis, qui eas ab Apoſtolica ſede impetrarunt. Sæpe enim contingit tàm vberes eſſe, vt & Parochis, & his aliis abunde ſufficiant, quo certè caſu conſulto diuiduntur, ne accidat, inquit Caietanus, vt eſuriente vno alter ebrius ſit. 2.2.q.83. a.3.ad 2.

Quartò ſoluũtur ab omnibus Laicis etiam Principibus, quia iura vniuerſaliter loquuntur, quin etiam nonnullis in locis ab ipſis Clericis, quando poſsident prædia non titulo Eccleſiaſtico, ſed patrimonij, vel alio, vt docet Sot. lib. 9. de Iuſt. q. 3. a. 4. & patet ex cap. ſi quis Laicus vel Clericus 16. q. 1.

Quintò fit inſuper nunc lege, nunc conſuetudine, vt præter eaſdem emolumenta varia, vt vocant fortuita obtingant ſacerdotibus, exempli gratia Noualia de quibus in cap. ex parte, & c. quoniam de Decim. Paſsim quoque receptum, vt Curioni ex defuncti bonis lectus detur, veſtis aut aliquid eiuſmodi, vt notat Couar. l. 1. var. reſol. cap. 17. n. 3.

Sextò non quomodocumq; ſoluuntur ex integris fructibus, ſed nullis prorſus deductis expenſis, tributis, aut ſtipendiis operarum c. tua nobis. c. cum non ſit. c. paſtoralis de Decim. Nec eſt qui audeat vel manipulum vnum ex agro transferre, priuſquam omnes ſint decimati. Intelligunt quippè vniuerſi, fraudem ſi hic contingat, Deo in primis diſplicere, cum propter illam configi ſe dicat Malach. 3. fameque non raro premat humanum genus, vnde Conc. Mogunt. 1. c. 38. *Timendum eſt*, inquit, *ſi quis Deo debitũ ſuum abſtrahat, ne fortè Deus propter peccatum ſuum auferat ei neceſſaria*; contrà, eorum qui vltrò ſoluunt ac fideliter, non ſolum multiplicet bona iuxta id Malach. 3. *Inferte omnem decimam in horreum meum, & ſit cibus in domo mea, & probate me in hoc dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſq; ad abundantiam*, ſed animas quodammodo ſanctificat. *Si dederis decimas*, verba ſunt Auguſtini, *non ſolum abundantiam fructuum recipies, ſed etiam ſalutem corporis & animæ conſequeris.* Norunt denique poſtulare ſuo iure Deum, vt ſoluantur non refragante ſed propenſa voluntate. Ait namque Eccleſ. 35. *Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum.* Lib 50. homil. in 48.

tuarum: In omni dato hilarem fac vultum,& in exultatione ſanctifica Decimas tuas. Et quamuis interdum Clerici prauis ſint moribus, vani, aut negligentes, non tamen idcircò de Decimis aliquid remittendum, cum eos punire, & pro iis coram Deo reſpondere ad debitores non pertineat; alioquin etiam poſſent negari debita cæteris creditoribus ſi ſint mali, quod nemo dixerit. Vanos fuiſſe AEgyptiorum ſacrificulos, quorum occupatio præcipua erat intendere Aſtronomicis ſpeculationibus teſte Ariſtotele lib. 1. Metaph.c.1. palàm eſt, & tamen integrè iis ſtipendia pendebantur.

§.4. De Mahumetanis iam videamus. Apud eos nullo in vſu ſunt Decimæ de quibus loquimur. Scriptum eſt fateor in Azo.32. *Viri boni quibus ego ſufficientiam indulſi, decimas tribuunt.* Et rurſus: *Orationes, eleemoſynas,& decimas facientes Deo coharete.* Sed hæc intelligēda ſunt de decimis ſpoliorum & mancipiorum, quæ ſeruantur Imperatoribus Mahumetis Pſeudoprophetæ ſucceſſoribus, idque ſatis inſinuant verba illa Azo.69. *Deus ſuum Prophetam exaltans illi partem prædæ veſtræ de beſtiis & exuuiis ſtatuit, præcepitq́; vt opes villarum ſuæ ſint & Prophetæ.* Quo melius totum hoc intelligatur ſciendum eſt hanc prædæ militaris partem, Mahumetanis Principibus ſeruari ac ſequeſtrari ſolitam, eſſe multiplicem, varia item ſortiri nomina prout maior minorue fuerit. Quinta pars dicitur & eſt, quæ penditur illis ab Aconiſiis. Militum genus eſt qui teſte Cuſpiniano in Tract. de Inſtit. militar. Turc. ſine ſtipendio militant, ſemper exercitum antecedunt prædantes omnia, & quintam ſpolij totius partem pendunt manubiorum nomine. Alia eſt ſecunda ſeu media manipiorum propria, quibus Imperator aliquot terræ iugera excolenda dedit, ea lege vt totius annui prouētus partem mediam accipiat, deq; reliqua ſeptimam, vt ſcribit Poſtell. in lib. de Relig. Turc. Alia eſt decima tàm rerum quàm perſonarum, ſed maximè perſonarum. Quoties vi locus aliquis expugnatur, occidūt quàm poſſunt pauciſsimos, propter lucrum magnum quod ex iis vel venditis, vel ad diurnas ſeruatis operas ſe facturos intelligunt. Suos facit quilibet quotquot poteſt, & vt plurimum vendit Mercatoribus, quorum magnus ſemper numerus exercitum ſequitur pecuniis abundans, vt captiuos illos emere, & cathenis ferreis longiſsimis vt emptos iis vincire, & tuto ad celebria mancipiorum fora deducere poſsit, qualia inprimis ſunt Alexandrinum

Digitized by Google

num Conſtantinopolitanum, Tripolitanum & Adrianopolitanum. Sed ea lege venduntur & emuntur, vt decimus quiſque ſit Imperatoris. Sunt & aliæ quædam decimæ Imperiales quarum meminit Poſtellus ſupra. Exigit Imperator à ſuis ſubditis etiam Mahumetanis cum moriũtur decimam bonorum partem; immò ſi abſque hæredibus ex hac vita diſcedant, ei cedunt omnia. Sed vnde ergo aluntur Mahumetani ſacrificuli ſi non ex decimis? Reſpondeo ali eos ſtipendio Regio, vt videre eſt apud ſeptemcaſtrenſem cap. 13. argumenti huius ſcriptorem teſtemq; præcipuum. Illius verba ſunt: *Eliguntur hi ſacerdotes à populo, ſtipẽdium autem à Rege accipiunt.* Nec eſt quod inde quis inferat meliorem eorum conditionem hoc nomine eſſe, quàm ſi Decimas perciperent; magnificum quippè videtur ac beatum potiri hoc ſtipẽdio, & alumnos eſſe Imperatoris. At reuera è contra eſt deterior. Primò, quia cæteris paribus bona mobilia inferiora ſemper ſunt ſtabilibus, qualia qui poſsidet ius ſortitur, vſque ad centrum terræ ſi velit excauandi, & vſque ad lunæ concauum ædificia ſi lubeat ſua educendi; nobile profectò poſſeſsionis genus, nihilo terra ipſa inſtabilius, nec obnoxium furibus, nec rubigine conſumendum. Secundò, quia vt alia omnia bona huiuſmodi Imperatorum, ſic hoc ſtipendium ex rapto, & innocẽtium ac miſerabilium perſonarum expilatis fortunis collatum eſt, ac proinde inuidioſiſsimum, & illuſtrandæ religioni Deoque colendo minimè accommodatum. At nunquid etiam ſacerdotes Catholici, ex rebus æquè turpiter acquiſitis, vt per hiſtrionatum, aut meretricium decimas interdum non recipiunt? Recipere quidem poſſunt, vt docet S. Thomas, nec mirum, quia ſic adepta etſi turpiter, iuſtè tamen acquiruntur, nec vlli ſunt reſtitutioni obnoxia. Exigit alia ex parte ius naturale, vt qui ſpiritualia peccatoribus adminiſtrãt, eorum temporalia quandiu eorum verè ſunt, metant, & fortè huius generis fuit acquiſitio vnguenti illius pretioſi, quod mulier in ciuitate peccatrix impendit in vnctionem pedum Domini, & effudit ſuper caput recumbentis. Veruntamen vix ſcio vbi gentium ex turpi hoc quæſtu Decimæ vel exigantur, vel admittantur, (præſertim ante Quæſtorum reſipiſcentiam) eo quod prædiales vulgò ſufficiunt. Tertiò, quia incertum valdè ſolet eſſe quod, vel nititur promiſsione Principum, vel ab iis eſt exigẽdum.

2.2.q.87. a.2. ad 2.

Pro-

Promittere Principum eſt, inquiunt Germani, ſeruare Ruſticorum. Propter quod fortè ſcriptum legimus Iſa.1. *Principes tui infideles, ſocij furum.* Sui iuris putant eſſe extorquere quod libuerit, & ſoluere cum viſum fuerit. In armis ius conſtituunt, quod volunt ſanctum eſt, vt veriſimilitudine non careat, hanc vnam ob cauſam inter alias, noluiſſe Naboth Regi Achab vinetum ſuum vendere. Cum autem pleroſque, vt dixi Principes vitio huic obnoxios eſſe docet experientia, tùm maximè Muſulmannicos illos. Hi præ omnibus diligunt munera, ſequuntur retributiones, magis quàm ignis inſaturabiles ſunt, nec vnquam dicunt ſufficit. Non itaq; videri poſſunt magna fide promiſsionibus ſtare, quod & ſi facerent, adhuc tamen facile adhæreret Quæſtorum manibus ſtipendij ſeu mercedis huius pars non modica. Quartò, ipſum in ſe ſtipendium exiguum eſt, & ad ſubleuandas ſacrificulorum neceſsitates, ad conſulendum item diuino cultui & Religionis famæ inidoneum. Summo ſectæ illius Pontifici quem Muphty vocant, decreta ad ſummum ſunt 70. aureorum millia, duobus verò Cadileskeris ſeu Metropolitanis ei proximè ſubiectis, (ex quibus vnus omnium Miniſtrorum in Romania & Europa; alter eorum qui in Natolia degunt, Aſia, AEgypto generalis eſt ſpeculator & ſuperintendens) octo tantũ, vt ſcribit Bellef. tom. 2. lib. 2. cap. 9. & Nicolaus de Nicol. lib. 3. cap. 14. At quàm parum hoc eſt, cum redditibus ſummorum Pontificum noſtrorum, multorumq; aliorũ Antiſtitum comparatum? Si tàm pauca ſummo illius ſacerdoti numerantur, cuius ampliſsimam eſſe familiam, comitatum item ampliſsimum nefas eſt dubitare, quàm erit anguſta inferiorum & curta ſupellex? His certè nullo modo ſufficere quod accipiunt, non indicat ſolum ſeptemcaſtr. ſupra cum ait, *ſi ſtipendium non ſufficit propter multitudinem liberorum mechanica tractant* Sed etiam Chriſtoph. Richerius lib. 2. de moribus Turc. & poſt illum Guill. Reginald. lib. 2. Caluinoturc. cap. 3. declarant quænam ſint opera iſta mechanica. *Nihil differũt eorum ſacerdotes quoad veſtitum à communi populo, qui nec multum meditationibus, nec literarum ſtudiis vacant, ſed vxori, liberis, familiæ. Iumenta enim curant, mercantur, vſuram exercent, &c.* Simile quid narrat Munſt. lib. 4. Coſmogr. pag. 974. Equidem parua ſunt illorum ſtipendia inquies, cum neceſsitatibus comparata

totius

totius familiæ, quæ perampla sæpè est ob vxorum seruarumque multitudinem iure permissam, & emanantem inde prolem numerosam, non tamen si cum persona solius sacrificuli. At enim quid refert, si eum à perfecta muneris sui obitione multum auocet, vel rerum penuria sibi necessariarum, vel toti illi familiæ, non permissæ solum secundum leges Alcorani, sed etiam imperatæ? Haud dubiè qua ratione sinunt eum fieri tot vxorum virum, tot Patrem filiorum, tot seruarum Dominum, prospicere debuerũt si cuncta quoad religionem rectè habuissent constituta, vt munificè ac sufficientes præbendæ suppeterent, quibus ab istiusmodi secularibus curis eximerentur.

Nullus quoque quod sciam apud Nouatores est vsus decimarum, quas Ministris pendat populus ipse Lutheranus, Caluinianus, Zuuinglianus vel Anabaptistanus. Pendũtur potius Principi vel Reipublicæ, sibi eas vendicanti Clericorum vice, quos de legitima possessione suæ eiecit; & quandam illarum partem assignanti suis illis Prædicantibus, quam à Rusticis accipiant, vel à Receptoribus vt vocant, vel illius certè pretium à Quæstoribus. Taceo reprehendi ab iis Catholicos quasi superstitiosos, quòd in quibusdam suis precibus certum obseruent numerum. ne ergo ex ore proprio conuincantur esse superstitiosi, cauere debent, ne certam census sui partem Prædicantibus suis asignent, siue illa decima sit, siue vndecima, vel duodecima. Tantum itaque superest, vt in medium argumenta proferamus, ex quibus constet exiguum admodum esse quod illis decernitur, nimium dicere debui. Etenim quid aliud merẽtur, quàm vt perparum, vel etiam nihil accipiant, qui in interitum captiuas ducũt suorum animas, & fumos vendunt? §. 5.

Primò pergunt vbique Prædicantes cornicari, & de Censuum suorum penuria conqueri, ac tum Principes quibus subsunt, tùm Respublicas datis libellis supplicibus opportunè, importunè stimulare, vt illos augeant. Qui Gallias incolunt annis proximè elapsis in tantas rei familiaris angustias coniecti sunt, altæ etiam pacis tempore, vt non eos puduerit Clericorum nostrorum ambire præbendas atque stipendia; non secus ac in Germania, atque ita conari iuxta prouerbium, ex ipso boue scuticas & loca sumere, quibus eum cedant. Nouit quæ dico Henricus IV. Gallorum

Rex, quem aliquoties fatigarunt eiusmodi precibus fronte carentibus, vtpotè ab omni æquitate remotissimis. sed semper à tali Principe responsum mortis acceperunt, sicut etiam à piissima eius coniuge, atque ita confusione perfusi, rebusque nihil minus quàm ex animi sententia confectis ad suos redire sunt coacti.

Secundò, si apud illos insignes quidam redditus decreti essent ministerio, haud dubiè cum exiguus sit cœtus hominũ, quos illorum non inflammat cupiditas, nõ deessent ex præcipuis quoque familiis, qui vt iis potirentur, tale munus magna contentione ambirent, vt interdum apud nos fieri cernimus. Iam verò ad illud anhelant ij solùm, qui prodierunt è fæce plebis, qui domi vel nullum omninò vel tenuissimum duntaxat habent vitæ subsidium, nec illud ex præstanti arte aliqua vel opificio petere didicerunt, atque ita Aulœdi fiunt qui Cytharœdi esse non poterant. Nullus item apud eos Pater familias paulo clarior atq; illustrior huius cõditionis seu professionis liberos suos vult esse, sed illam iis relinquit, qui quod vilissimæ sortis sint, & industria destituti qua sibi aliunde necessaria conquirant, admittunt quiduis ne fame pereant.

Tertiò, vbi primũ Prædicantes, per successionẽ hæreditariam, negotiationem, aut aliter necessaria illa sic sibi compararunt, vt intelligant ad vitam sustentãdam non indigere se tali ministerio nihil non agunt, quo illud excutiant, quantumuis se non excussuros ab initio profiteri soleant: Quorsum hoc, nisi quia experimento didicerunt labori satis magno fructum seu lucrum penè nullum respondere? Facit hæc eadem penuria, vt cum ex Clericis nostris plurimi honestè serioque conuiuiis multis secularium ad quæ inuitantur, renuntient, illi contrà auidissimè omnium ansas arripiant, vt sic saltem saturentur panibus pro quibus se locauerunt. Quæ quidẽ causa vna est cur ipsismet Sectariis vilissimi sint. Nam vt eleganter scripsit S. Hieronymus: *Facilè contemnitur Clericus qui sæpe vocatus ad prandium non recusat. Nũquam petentes rarò accipiamus. Beatius est enim magis dare quàm accipere. Nec enim quomodo etiam ipse deprecator vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat, & mirum in modum si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.*

In epist. ad Nepot.

Quartò ex iis plurimi mechanica ac vilissima quædã artium genera exercent, & exercere cogũtur & sinuntur, etiam ministerij

sui

ſui tempore. Alij enim Ceruiſiarij, alij piſcatores ſunt, alij venatores, à quibus profectò abſtinerent, ſi aliũde fomenta vitæ ſibi ſuiſque ſuppeterent. Quorum quia carentia ſpontanea non eſt, reſtat vt à natiua gregis ſui illiberalitate irreligioneq; proficiſcatur.

Quintò, quomodo poteſt grex huiuſmodi erga eos liberalis profuſuſq; videri, quos ſæpe numero præter omnium morẽ gentium, ad tributa pendenda obligauit? *Apud Turcas ſacrifici*, inquit Munſter. *liberi ſunt à ſeruitute, & omnibus exactionibus, & tributis, & alijs oneribus.* In AEgypto terram ſacerdotalem ſub Pharaone immunẽ ab iiſdem fuiſſe legimus Geneſ. 47. Iulij Cæſaris tẽpore Galli ordines fecerunt duos, Druydum vnũ, Equitum alterum. Druydes diuinis rebus intererant. Regibus interpretabãtur ſacra publica, à bello abeſſe conſueuerãt, neq; tributa vnâ cum reliquis pendebant. Sectarij autem exactionũ legem vt dixi, ad Prædicantes paſſim ſuos extendũt, vt in Anglia annis ſuperioribus teſte Reginaldo lib. 2. Caluinoturc. cap. 15. ſic autẽ loquitur. *Taceo exactores Principes à quibus miſerabiles Miniſtri ita expilantur, vt vel infeſtos hoſtes eorum ſæpenumerò capiat miſeratio.* Annui certè ſtipendioli ſui decimã partem Elizabethæ Reginæ dare cogebantur (quis hic nõ riſiſſet inuerſo ordine eos decimam dare, quos oportebat accipere?) deinde ſi quando eiuſdem mandato Collectæ aliquæ extra ordinem faciendæ eſſent, fiebant autem nõ infrequenter, ea proportio ſeruabatur, vt Nobiles quintã ſui cenſus partẽ ſoluerent, populares ſeptimã; Prædicantes autẽ præter decimam illam, quæ nunquam inter mittebatur, partem inſuper tertiam præſtare tenebantur. Lib. 4. Coſ. pag. 47.

Sextò, ſi non eos multa deficiunt, quomodo ad graſſandum latronum more nonnunquã impelluntur? Impulſos certè patuit non ita dudum in eadem Anglia, vbi turma quædam eiuſmodĩ prædonum in Mercatores ad nundinas profectos è nemore intra quod abdiderat ſeſe impreſsionem fecit, eoſq; rebus omnibus & vita ſpoliauit. Cuius carnificinæ Magiſtratus certior factus omnes in crucem egit. Factũ commemorat loco citato Reginaldus & ipſe Anglus. *Liberè dico multo fore eorum ſtatui honeſtius, vt ad ſua iumenta curanda deſcenderent, quàm vt latrocinando aliorum iumenta auferrent, & à viatoribus per vim boues eriperent, propter quæ facinora nõ dubitem aſſerere plures ex illo ordine vi in vno Comitatu Anglicano* (ſunt aũt Comitatus 39.) *infra paucos dies publicis Iudicũ ſententiis in furcas fuiſſe ſublatos,*

quàm aliquis multis annis obſeruare poterit in tota Aſia minore, immò in toto Turcarum imperio, quod euidens eſt argumentum eorum vel ſummæ impietatis, vel extremæ neceſſitatis & indigentiæ.

Septimò vltrò agnoſcũt Caluiniſtæ in hac parte Sectæ ſuæ ſordes, quibus permoti articulum hũc ordine 17. in Synodo ſua Pariſienſi ediderũt. *Monebuntur quotquot ſunt Eccleſiæ, ne Paſtores ſuos adeò indigere ſinant vt vulgò ſinunt. Multa enim inde ſcandala emerſerunt, apud exteras etiam nationes euulgata, tanta eſt multorum hac in parte oſcitantia.* Et notandum hanc fuiſſe vnam ex primis illorum ſynodis, eo videlicet tempore celebratam, quo feruebat apud illos furor pſeudoeuangelicus, vt coniectare liceat, quantum nũc de feruore ſuo qualicumque remiſerit, qui tunc adeò in hoc genere frigebat. Conſtitutionem prætereo multo recẽtiorem Gallicanarum Eccleſiarum vt libris centum augeatur Prædicantis ſtipendium qui nouam prolem ſuſceperit. An nõ valdè egenos oportet eſſe, quibus ad alendam recentiſsimam prolem augeri neceſſe eſt prouentum annuum?

De Voto actu 5. externo elicito veræ Religionis, & nota ſeptima eiuſdem.

CAPVT XVII.

§. 1. *Votum quid ſit.*
2. *Rectè annumeratur Religionis actibus.*
3. *Eius vſus apud Catholicos planè inſignis*
4. *Apud Mahumetanos imperfectiſſimus.*
5. *Apud Sectarios omninò nullus.*

§. 1. VOTI vox multa ſignificat. Primò quidem promptitudinẽ ad eundi mortis pericula ſalutis publicę cauſa, vt apud T. Liuium lib. 9. *Equidem mortem pro patria præclaram eſſe fateor, & me deuouere pro populo Rom. legionibuſque, vel in medios me mittere hoſtes paratus ſum.* Secundò, voluntatem certis moribus viuendique ritui alligatam, quo pertinet quod communi ſermone teritur.

Velle ſuum cuiq; eſt, nec voto viuitur vno.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, quodcunque desiderium, vel rem desideratam, vt apud M. Tullium lib. 4. in epist. quadam ad Terentiam. *Si hæc mala fixa sunt, ego te quamprimum mea vota cupio videre.* Quartò, promissionem Deo factam, vt apud eundem lib. 2. de Legibus. *Diligentia votorum satis in lege dicta est, ac voti sponsio quo obligamur Deo.* Hoc vltimo sensu votum à nobis in præsentia sumitur, & à S. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. 1. & sequent. Vnde liquet quod si quis homini promittat, vouere nō diceretur sed promittere, quia votum promissio quæcunque non est, sed facta Deo. Vsurpari eodem modo solet in sacris paginis, vt luculentissimè docent verba illa Eccles. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis promissio.* Ex eo autem quod species quædam promissionis sit perspicuè differt à simplici proposito propriè sumpto. Nam promissio quælibet obligat, si sit consentanea rationi, & quando non impletur violatur virtus fidelitatis, seu fidei humanæ, cuius præceptum est vt fiat, quod quis in se recepit. Hinc illud Ciceronis lib. 1. de offic. *Fides duabus suis syllabis significat, vt fiat quod dicitur.* Propositum autem nullam inducit obligationem, sed est deliberata voluntas aliquid faciendi vel non faciendi, retenta interim libertate mutandi postmodum hanc voluntatem si visum fuerit. Indicat hoc non obscurè Apostolus, Roman. 1. cum ait. *Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpè proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsq; adhuc.* Et 1. Cor. 16. *Spero me aliquantulum temporis manere apud vos si Dominus permiserit.*

Neque tamen vt votum Deo acceptum sit & obligatorium, ac laude dignum sufficit fieri Deo promissionem, sed debet esse promissio rei bonæ, immò melioris quàm sit eius negatio, vel alia ei contraria. Nec mirum, nihil enim alicui promittimus, nisi vt ei gratificemur. At quod malum est, Deo gratum esse non potest, cui odio est impius, & impietas eius, Sapient. 14. illegitimè igitur ac nefariè quod malum est ei promittitur. Similiter cum percupiat Deus æmulari nos charismata meliora, 1. Corinth. 12. & ire de virtute in virtutem, Psalm. 83. & perfectos esse sicut Pater noster cœlestis perfectus est, Matth. 5. & in cordibus nostris ascensiones disponere non descensiones, Psalm. 83. gratum ei non faciet, proindeque rectè ac iure non

promittet, qui ad bonum minus sese volet apud illum obstringere, eo quod obstringendo conabitur obicem ponere perfectiori eius seruituti. Ex hoc tamen nemo inferat, teneri eum qui Religionem vouet, omnium vouere præstantissimam; vni siquidem ordini regulari non est alter contrarius, vt non possit transitus fieri ab imperfecto ad perfectiorem, sed solus status secularis seu coniugalis, in quo quisquis sui iuris existens, vel vt loquitur Apostolus potestatem habens suæ voluntatis se constituit, ad Regularem transire non potest consummato matrimonio, nisi coniux alter consenserit. Qui proinde status secularis, seu coniugalis voueri non posse dicitur, quia imperfectior est, & ita quidem, vt ad illum præcludat viam. Non etiam sequitur, non posse eum qui sui iuris sit, vxorem accipere Regulari statu posthabito. Liberum quippè relinquit Deus, vt vtrumuis eligat, nec vult perfecta vnius electione facta ab eo recedi: vult tamen vt quamdiu in integro res est, sibi obicem vouendo non ponat, quominus amplecti semper possit meliorem.

Iam si voueri ea tantum debent, quæ bona sunt, immò quæ meliora, manifestum est ab idonea voti materia distare procul ἀδιάφορα omnia, & vana, & inutilia nihil ad Dei gloriam conferentia. v.g. non pectere capillos die Sabbathi, iter die Veneris non arripere, &c. bona item ad malum finem ordinata. Illa namque eo ipso quo nihil prosunt, seu nihil continent, quod virtutem coram Deo redoleat, vtique ei vanitatem auersanti placere non possunt: hæc verò induunt malitiam finis mali, ad quem referuntur.

Annotatione quoque dignum, posse votum concipi, de rebus omnino liberis, vt si quis matrimonium se nunquam initurum spondeat, de quo sanctus Augustinus. *Neque enim sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest, non nubes. Illa exiguntur, illa offeruntur: si fiant ista laudantur, nisi fiant illa damnantur, in illis Dominus debitum imperat nobis, in his autem si quid amplius supererogaueritis, in reddendo reddet vobis.* In lib. Numer. capite 30. declarat Dominus teneri vxorem ad faciendum quod vouit, si maritus de voto factus certior non ei contradixit. Palàm est hoc

L. de sanct. Virg. c. 30.

votum

Digitized by Google

votum non fuisse à Deo præceptum cum reuocari, seu irritari à marito potuerit; fuisse interim Deo gratum, cum illud impleri iubeat. Item non iussa fuerat Samuelis mater Deo consecrare filium quem suscepisset, vouit tamen se consecraturam, fuitque hoc votum tam Deo acceptum, vt eius intuitu optatam ei dederit prolem masculinam. Non est rursus in præcepto virginitas sed in consilio, 1. Corinth. 7. illam nihilominus vouit virgo Deipara, vt communissimo sanctorum Patrum iudicio hæc illius verba insinuant, Luc. 1. *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco*, quæ ponderans Augustinus ait, *quod profectò non diceret, nisi Deo virginitatem antè vouisset.* At Christus in libertatem nos vocauit, ob idque non debemus per votum nobis obligationem imponere in iis quæ libera esse voluit. Libertinorum ista est obiectio, cui respondeo libertatem quam nobis Christus attulit, illam tantum esse quæ obligationem excludit Mosaicæ legis per eius mortem abolitæ vt veritati cederet, Galat. 4. & peccati iugum iuxta illud Roman. 6. *Liberati à peccato serui facti estis iustitiæ.* Nam si omnino liberos nos esse voluisset, nihil fuisset nobis ab eo præceptum, nec dixisset coniugibus, *quod Deus coniunxit homo non separet*, nec iam liceret fidelibus inter se contractus celebrare, cum per quemlibet aliquid humanæ libertatis depereat. Quod si per eos licet propria se libertate spoliare ob emolumentum aliquod temporale quomodo nó multo magis per votum ob maius Dei obsequium & spirituale bonum?

Concipi etiam potest de rebus iam præceptis, vt si scortator aliquis Deo promittat se non vltra scortaturum. Sicut enim in nobis situm est adiutis Dei gratia, vltro humiliterque tribulationes admittere, tametsi ab illo immissas diuertere non possimus, & sic admittentes operari censemur opus bonum. Eodem planè modo tametsi nobis iam incumbat diuinæ legis seruandæ obligatio, pendet tamen à nobis vltro libenterque id facere; quam proinde voluntatem libertatemque nihil vetat à scortatore illo sic voto subiici, vt si deinceps fornicetur non in temperantiæ solum peccet virtutem, sed etiam Religionis. Nonne à principio, omnique etiam excluso voto oportebat

Domi-

Dominum esse in Deum Iacob Patriarchæ ? & tamen hoc ipsum vouet, Genes. vigesimo octauo, dicens; *Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ambulo, erit mihi Dominus in Deum.*

Vnum addo non tam probandum, cum sit per se clarum, quàm insinuandum, debere votum liberè nuncupari. quippè promissiones & contractus quidam sunt. In omni autem contractu, vt valeat interuenire necesse est libertatem, vt te docebit totus ille iuris titulus, *De iis quæ vi metuúe causa fiunt.* Adhæc *hilarem datorem diligit Deus*, 2. Corinth. 9. hincque est illud

In Psal. 44. sancti Basilij; *Hæ virgines in lætitia & exultatione ducentur in templum Regis, non quæ virginitatis voto se substrauerunt vi adactæ, non item quæ ex tristitia aut necessitate vitæ virginalis sanctimoniam susceperunt, sed quæ in lætitia & exultatione gaudent, & se exhilarant.* Nec est quod quis vota obiiciat naufragantium valida sanè & obligatoria, à quibus interim vis abesse non videtur, eo quod illos tempestas vrget, aduersus quam si aliter se munire possent, à voto profectò abstinerent, cum autem se non posse videant, coguntur ad hoc tutelæ genus confugere. Respondeo, hæc vota secundum quid tantum esse inuoluntaria, sicut & projectionem ipsam mercium in mare, videlicet quia optarent procul abesse hanc vouendi causam & necessitatem; simpliciter autem esse voluntaria, quandoquidem periculo supposito eligunt motu proprio votum veluti præsentissimum instantis mortis remedium. Nec est par ratio si te hostis stricto pugione cogat aliquod nuncupare, huic nulla inesse vis potest, quia tunc vouendi causa non solùm violenta est, sed eo directè tendit vt voueas, atque ita in te non relinquit vouendi libertatem. At verò maris tempestas aliaque id genus pericula mortis, & immissæ à Deo castigationes id non respiciunt, sed vniuersim, & ad summum eo tendunt vt sapiamus, vt festinemus obsequium Deo debitum fideliter pendere, & fiat quod

Psal. 15. scriptum est, *multiplicasti infirmitates eorum, postea accelerauerunt.* Imperfecta proindè impropriaque est coactio, quæ tunc interuenit, & de hac intelligendum illud Augustini, *fælix necessitas quæ compellit nos ad meliora.*

Quod

Digitized by Google

Quod autem & opus bonum faciat, & religionis actum exerceat qui vouet, probatur primò testimoniis sacris Isa. 19. *colent eum in hostiis &* *muneribus, & vota vouebunt Domino, & soluent.* Haud dubiè quandoquidem ait Propheta *colent*, & mox se interpretans addit, *vota vouebunt Domino*, apertè ostendit votum partem vnam esse diuini cultus. Prou. 15. *victimæ Impiorum abominabiles, vota iustorum placabilia.* Certè cum manifesta hic Antithesis interueniat, necesse est iustorum vota quasdam esse victimas non ingratas Deo vt Impiorum, sed acceptissimas (& sanè per votum mactatur quodammodo voluntas, suique iuris esse desinit) quare sicut victimæ propriè sumptæ diuini cultus partem constituunt, ita etiam vota. Certum est B. Virginem ad vnum Dei cultum sua omnia retulisse, vtpotè quo nihil illi prius erat, nihil antiquius, at Luc. 1. virginitatis emisit votum, cuius gratia dixit Archangelo, *virum non cognosco*, est igitur votum quædam diuini cultus species. Confirmatur minor propositio authoritate S. August. & aliorum sanctorum Patrum, qui vt supra vidimus semper verba illa de vero voto intellexerunt, quibus vt arrogantissimus Caluinus suo se more opponat, votum in iis nullum vult agnoscere, quia *si Maria virginitatem vouisset*, inquit, *perfide passa fuisset se marito collocari, sanctumque coniugij fœdus non sine ludibrio spreuisset.* Nihil hac ratiuncula infirmius, nam vt respondet S. August. in lib. de sancta virginitate c. 4. non consensit in matrimonium, vt datam in voto fidem violaret, sciens neque se vnquam appetituram cõiugalem copulam, nec coniugem suum exacturum, sed vt sub velamento matrimonij scandalo occurreret, ac vitæ suæ cõsuleret apud Iudæos, à quibus aliàs mysterij nesciis facilè vt adultera, vel fornicaria petita fuisset lapidibus. Vicissim non statuit post initum coniugium illibatam se conseruare, vt coniugio & marito suo illuderet, sed vt maius bonum minori anteponeret, certior facta coniugem illum suum in hoc perpetuo, consensurum. §. 1.

Probatur secundo testimonio sanctorum Patrum vt S. Augustini, qui in loco citato cap. 30. sic loquitur. *Neque enim ipsa virginitas quia virginitas est, sed quia Deo dicata est honoratur, quæ licet in carne seruetur, Spiritus tamen religione & deuotione seruatur.*

Probatur tertiò Ethnicorum testimoniis, inter quos M. Tullius, *Hoc vetustas, hoc Persæ, hoc Syri, hoc Reges omnes qui Europam, Asiamq; tenuerunt, semper summa religione coluerunt, hoc Ma[illegible]es nostri tàm sanctum duxerunt, vt cum refertam vrbem atque Italiam fauorum haberemus: tamen nostri Imperatores in iis maximis atque periculosissimis bellis vota diis facerent, eaque ad templorum aras persoluerent*, Idem cum dixisset lib. 2. de legib. *diligentia votorum satis in lege dicta est, ac Voti sponsio qua obligamur Deo* confestim adiecit, *pœna verò violatæ religionis iustam excusationem non habet.*

Probatur quarto ex consensu aduersariorum, nam neque Lutherus, neque Caluinus, vel eorum sequaces negant aut reprobant vota simpliciter, sed admittunt vt bona quædam opera ad religionem conducentia, quasdam solum conditiones requirunt, v. g. ne emittantur vt semper obligent, ne item sint de rebus liberis, &c. quas quia vident à Catholicis non obseruari, accusant illos nunc quidem superstitionis nunc tyrannidis, atq; in iis reprehendunt, non quod voueant simpliciter, sed quod isto & illo modo, hoc & istud voueant.

2. 2. q. 88. art. 6. Probatur quinto ratione qua vtitur S. Thom. firmare immobiliter volutatem ad aliquid faciendum, quo Dei gloria illustretur, non solum actus bonus est, sed etiam religiosus: hoc autem fit per votum, ergo vouere actus bonus ac licitus est, quin etiam religiosus. *Lib. 2. Eth. cap. 4.* Maior propositio certa est iudice Aristotele, qui ad virtutis perfectionem spectare docet, vt illius opus fiat cum bona voluntate firmata in bonum. Iudice præterea Caluino, cuius hæc sunt verba lib. 4. Instit. cap. 13. §. 4. *Si quis in aliquod flagitium gulæ vitio sit prolapsus, nihil obstabit quominus ad castigandam intemperiem lautitiis omnibus possit ad aliquod tempus renuntiare, idque facere voto adhibito quo arctiore vinculo se adstringat.* Nec mirum profectò. Nam cum voluntas firma circa bonum hoc ipso quo firma est laudem habeat, meliorque sit seipsa nondum confirmata, vt in confesso est apud omnes, impossibile est id bonum non esse, quo talis firmitudo acquiritur, hoc est votum: cùmque ex hypothesi votum sit rei bonæ, ad Dei gloriam vel suapte natura relatæ, vt votum orandi, sacrificandi &c. vel ex intentione saltem operantis (omnia quippè bona, quin *1. Cor. 10.* etiam indifferentia eo dirigere possumus dicente Apostolo, *siue mandu-*

Digitized by Google

manducatis ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; ad eandem ex conſequenti conducit, ſicut res ipſa bona, proindeque religionis eſt actus. Adhæc iuramentum vt in cap. ſeq. declarabo, ad catalogum pertinet horum actuum; votum autem iuramento cognatum eſt, & ob id in diuinis literis frequenter ei coniungitur vt Num. 30. *ſi quis votum Domino vouerit, aut ſe conſtrinxerit iuramento, non faciet irritum Verbum ſuum.* Immò verò maior eſt ratio, cur votum inter hos actus reponamus, quàm iuramentum, quia cenſemur iuramento Deum colere, quatenus veraciſsimum illum eſſe profitemur, qui nec falli poſſit aut velit, nec fallere; proindè authoritas ad conſtabiliendas aſſertiones noſtras meritò adducenda videatur, tanquam firmamentum ſigillumque certiſsimum. At nonne etiam fidelitate colitur, cum ſcilicet vouendo dignum illum confitemur, cui aliquid promittatur, & apud quem promiſſo tali exhibito fidem noſtram liberemus? colitur ſanè, tantoque magis quanto magis peccatum eſt infidelitas quæ voto aduerſatur, quàm irreuerentia quæ iuramento, eo quod irreuerentiam complectitur infidelitas, & quædam illius ſpecies eſt non contra, cum poſsit quis per irreuerentiam eum dehoneſtare, cui fidem frangit nullam. Hinc rationis cuiuſdam alterius anſam arripio hoc modo, dedecore aliquem afficit, qui quod ei promiſit non facit, vnde tales irriſores appellantur, ergo honore quodam afficit ſi id præſtet, ergo & Deum ſi aliquid exequatur quod ei ſit pollicitus, & ſic tàm ipſa executio quàm pollicitatio actus eſt religionis, ſed iſta magis, eo quod per illam opus ipſum duntaxat per hanc verò offertur voluntatis ipſius arbitrium, quod cum opere collatum arbor eſt fructui comparata.

Feruere apud Catholicos votorum vſum nemo inficiatur aut neſcit, ne Aduerſarij quidem. Regularium quilibet peracto probationis tempore tria nuncupat, in quibus ſubſtantia conſiſtit religioſi ſtatus, primum voluntariæ paupertatis, alterum perpetuæ caſtitatis, tertium obedientiæ. Tot præterea extant Epiſcopi, ſacerdotes, Diaconi, Hypodiaconi, eorum vt iniri vix ratio poſsit, quiuis interim voto ſe obſtringit caſtitatis perpetuæ in ſusceptione ſubdiaconatus, § 3.

eo ipſo quo ordinem illum vltro eligit & amplectitur, cui illa coniungitur, & coniuncta eſſe ab Epiſcopo antè declaratur, *res quippè*, vt aiunt Iuriſconſulti, *tranſit cum onere ſuo.* E ſecularibus perpaucos inuenias, qui Deo pariter non aliquid promittant ſeu voueant. In ipſo baptiſmo per interpoſitos ſuſceptores pollicentur ſe ob Chriſti ſeruitutem abrenuntiaturos Diabolo & pompis eius, mundo item & concupiſcentiis eius, ſuperata autem pueritia ſuperaddunt promiſſa plurima, vt imminens à ſe malum auertant, vt optatæ prolis parentes fiant, vt victoria vel alio quopiam bono perfruantur. Hinc tot promiſsiones fluctuantium, tot ægrotantium, præliantium, parturientium, incarceratorum, obſeſſorum, captiuorum. Quo non contenta Eccleſia, quemadmodum excommunicationis gladio ferit eos, qui aliquem vouere cogunt vota regularia, ſic viciſsim eos, qui ſine iuſta cauſa impediunt, ne ſe obſtringat huiuſmodi promiſsionibus, vt videre eſt in Concil. Trid. Seſſ. 25. cap. 18. Rurſus dat operam, & filios ſuos ſeriò exhortatur, vt quæcumque nuncupauerint, effectu ipſo compleant, præſertim autem Regulares ibid. cap. 1. 4. & 19. & vniuerſim Clericos de quibus cap. 14. *quàm turpe ac clericorum nomine qui ſe diuino cultui addixerunt ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa teſtatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam ac vitæ integritatem Miniſtri Eccleſiæ reuocentur, &c. prohibet S. Synodus quibuſcumque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres de quibus haberi poſſit ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam conſuetudinem habere audeant, alioqui pœnis à ſacris canonibus, vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur.*

Et quoniam primus gradus quo ad votorum neglectum proceditur, obliuio eſt obligationis, quam poſt ſe relinquunt, inculcant eam populo frequenter diuini verbi præcones, vt olim S. Ambroſius cum diceret. *Memor eſto ſermonis tui, & nunquam tibi excidat tua ſeries cautionis. Si Chirographum homini dederis teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias teneris obſtrictus, & reluctantem te fænerator adſtringit, ſi recuſas vadis ad iudicium atque illic tua cautione conuinceris, vbi promiſeris conſidera*, & infra, *chirographum tuum tenetur non in terra ſed in cælo.* Apud pleroſque item Regulares idem in hac parte vſuuenit, quod per vniuerſam Galliam, in qua quo die poſt ferias patere Curia incipit, iuramenta ſolennia inſtaurantur, ſta-

Lib. 1. de Sacra. c. 2.

tuta

tuta publica releguntur, ſinguli grauiter de officio ſuo admonentur, vt noua hac lectione Magiſtratus omnis & ſibi & ſuis muniis attendat impenſius: ſic apud illos renouantur aliquoties quotannis vota quibus ſe obſtrinxerunt, ne aliqua tandem illorum irrepat obliuio. Quanquam non abnuam id etiam fieri, vt in propoſito ſuo magis magiſque ſtabiliantur. Nam ſimiliter apud Iuriſconſultos, *duplex vinculum vno fortius eſt* cap. 1. de Treug. & pace, & *actus geminatus firmat contractum*. L. ſi mulier G. ad Velleian.

Quæ cum ita ſint, hoc vnum reſtare video, vt eadem Catholicorum vota rectè ſe habere demonſtrem, atque ab omni criminatione liberem. Si materiam ſpectes bona ſemper eſt, & melior illa cui opponitur. Aliam ſi eſſe contingat per inſcitiam, vel animi perturbationem eius qui vouet, reprobatur ab Eccleſia votum quo promittitur. Si materiæ diuerſitatem, nunc quidem libera eſt, vt perpetua continentia Regularium & ſubdiaconorum, nunc etiam præcepta, vt coniugi datam fidem non fallere. Si illum cui fit promiſsio, propriè ſolus eſt Deus: ſancti antem hoc ſolum ſenſu, quod ad vouendum Deo amore illorum impellamur, vt ſupra dicebam, & confidamus fore vt auxiliantibus iis votó ſatisfaciamus; ſi denique modum, vouent omnes libere, nemo cogitur, ſed vt retulimus ex Tridentina Synodo, qui cogit excommunicatur.

At ego, dicat Aduerſarius, longè aliter de iis ſentiendum eſſe demonſtrabo, ſelectis in hunc finem tribus monaſticis, & voto Religionis, & alio peregrinationis Hieroſolymitanæ. Habent hæc omnia meo iudicio iuſtam reprehenſionem.

Primum quidem quod eſt voluntariæ paupertatis, quia per illud tentatur Deus, quatenus homo abiicit opes omnes ſibi collatas, ac proindè neceſſaria vitæ ſubſidia.

Secundum verò quod eſt perpetuæ caſtitatis tùm quia nimis eſt violentum, & contrarium libertati Chriſtianæ inclinationiq; naturali ad coeundum, tùm quia in eo temeritas interuenit dum id promittitur, quod non eſt in poteſtate promittentis, ſeu quod præſtare ex ſe non poteſt.

Tertium autem quod eſt obedientiæ, quia per illud vnico nos ſuperiori ſubiicimus, cui pareamus, cum tamen multis pa-

rendum esse scribat his verbis Apostolus. Hebr. Vltimo. *Obedite præpositis vestris & subiacete eis.*

Ac similiter quartum, status religiosus votis illis tribus continetur, quæ cum repugnare rectæ rationi iam iam constiterit, ipsum profectò multo magis repugnabit, vt taceam pueros nondum natos, eo interdum obstringi à parentibus.

Quintum denique quia tàm illa quàm alia quæuis peregrinatio Religionis causa suscepta, humana inuentio est, à qua nos Deus auocat. Math. 15.

Respondeo obiecta hæc omnia infirma esse, nec quid quam habere roboris.

Primum quidem, quia non est tentare Deum, quando omittitur mediũ vnum fouendi vitã, vt non negligatur aliud in promptu situm. Faciunt hoc ipsum Religiosi etiam Mendicantes, Aut enim à piis fundatoribus dotatæ sunt domus regulares ad quas admittuntur, aut moraliter certi sunt aliorum pietatem sibi stipem colligentibus, & professioni mores suos conformantibus, nunquam defuturam, idque hactenus experientia docuit. Christus ipse tentationum Dei reprobator maximus, diuitibus ipsis consulit Math. 19. vendere bona sua omnia, & dare pauperibus; & Apostoli non sua solum reliquerunt, sed eorum etiam abdicationem voto constabilierunt, vt ex illis ipsorum verbis, *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, colligit Augustinus lib. 17. de ciuit. Dei cap. 4. quod votum eidem Christo tàm acceptum fuit, vt mox ad eos grauissimè dixerit. *Amen dico vobis quia vos* Math. 19. *qui reliquistis omnia, &c.* Idem hortatur omnes ad perfectionem dicens, *estote perfecti sicut, &c.* iam verò voluntaria paupertas esto non sit perfectio, eius tamen est instrumentum, vt rectè obseruat S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 3. ad 4. quatenus grauissima eius obstacula è medio tollit, cupiditatem videlicet rerum temporalium, & perennium curarum turmam, ex illarum propria seu priuata possessione prouenientem, quæ nisi à diuinis absterreret plurimum, non legeremus, *qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, nec duo illa hominum genera ad regale vocata conuiuium, tergiuersata fuissent dicendo. Luc. 20. *villam emi, necesse habeo exire, & videre illam, iuga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te habe me excusatum*, nec denique

nique B. Franciſcus cum paternis cedebat bonis reiectis etiam veſtibus dixiſſet ſibi inpoſterum maiorem facultatem fore dicendi, *Pater noſter qui es in cœlis*; Sed quomodo Regulares voto huic ſuo ſatisfaciunt, cum tot latifundia poſsideant? Dico iſta minimè inter ſe pugnare, poſsident in communi, ſed non vt proprium, nemo aliquid ſuum dicit eſſe, nec de eo diſponere poteſt pro arbitrio. vndè nec inter illos audiuntur, *meum & tuum*, quæ tot in mundum iurgia intulerunt. Temporalia tractat vnus vice omnium, non vt propria, ſed vt aliena vel communia. Et quamuis ſceleſtus aliquis reuerteretur ad proprietatis vomitum, nihil propoſitum ipſum facto ſuo læderet, nec inde ſequeretur, votum quod emiſit, non fuiſſe opus bonum ac religioſum, eſto ſcriptum ſit, *melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa non reddere*. quia licet reſpectu ipſius & per accidens malum fuerit, ſicut naſci vel natum eſſe malum eſt reſpectu damnati, in ſe tamen ac ſimpliciter bonum fuit.

Secundum verò, quia nec violentum eſt quod vltrò promittitur, nec tyrannicum ſeu admodum graue, quod ab in finitis etiā ætate adoleſcẽtulis præſtatur, nec in eo ſita Chriſtiana libertas, vt nulli perpetuæ obligationi obnoxij ſimus (cum ſemper obſtrictos nos teneant præcepta Dominica, & eorum qui nobis eius loco præſunt, & coniuges vinculum coniugale, & mancipia ſeruiuitus, & B. virgo votum ſuum nunquam violandum cẽſuerit) ſed vt ſupra dixi, vt non amplius premamur iugo Moſaicæ legis, & vtentes mediis à Chriſto conſtitutis, ſoluamur à peccatis, & per eius gratiam reluctari poſsimus cõcupiſcentiæ, & Diaboli mundiq; tẽtationibus, ne captiuos nos teneant. Magna eſt inclinatio ad vſum fœminæ, ſed non maior quā ad odia, & vindictā poſt acceptas graues iniurias; à quib. interim abſtinere iubemur, & cum auxilio præfatæ gratiæ haud dubiè poſſumus. Quod auxiliū ideò nobis polliceri in obſeruatione perpetuę continentiæ poſſumus, quia iuxtà Apoſtolū, qui dedit velle, dabit & per ficere pro bona volũtate, & nõ patietur nos tẽtari ſuprà id ꝙ poſſumus. Accurādū ſolūmodò, vt fideliter cooperemur, orationi inſtem', ſobrij ſim', nouiſsima cõſideremus, proximas peccādi occaſiones, otiūq; deuitemus, ſæpè ad cõfeſsionẽ recurramus. Liquet ſanè ex his, vituperari nullo iure poſſe votū eiuſmodi ꝑpetuæ cõtinẽtiæ, ſed rectiſ ſimè

simè consuli vt olim à S. August. in lib. illo de S. Virgin. cap. 30. vbi ait. *Vos qui virginitatem nondum vouistis, qui potestis capere capite, perseueranter currite vt comprehendatis, tollite hostias quisque suas, introite in atria Domini nondum ex necessitate, sed potestatem habentes vestra voluntatis.*

Infirmum item quod tertio loco obiiciebatur, quia nomine superioris cui se subiicit qui obedientiam vouet, intelligitur non ille solum, cui obedire constituit, sed multò magis illi omnes quibus iste subiicitur, sicut cum ignis sphæræ Lunæ subesse dicitur, multo magis sphæris Mercurij, Veneris, Solis, Matris, Iouis, Saturni, & superioribus aliis inferior esse declaratur. Alia ex parte subiugatur per hoc votum, quod diuino cultui ac beneplacito in primis est contrarium, voluntas inquam propria de qua Ecclesi. cap. 18. *post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere,* & S. Bern. *Hæc aduersus Deum inimicitias exercens est, quid enim odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit,* & infra, *omnino vellet Deum peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse Deum, quæ quantum in se est vult eum aut impotentem, aut iniustum esse, aut insipientem, crudelis planè & omninò execrabilis malitia,* & dum subiugatur abnegationi illi locus datur, quam tanto studio à perfectis sequacibus suis exigit Dominus dicens, *qui vult venire post me abneget semetipsum. Nihil enim aliud est sui ipsius abnegatio,* inquit S. Basil. *nisi summa rerum omnium superioris vitæ obliuio, & à sui ipsius voluntatibus recessio.* Recedit sanè, qui promittit se in omnibus voluntatem propriam diuinæ conformaturum, & illa sua sic se spoliat, vt in æternas pœnas consentiat, si præuaricetur. Hoc enim est promittere Deo, sic se aliquid eius gratia facturum recipere, vt quemadmodum ab eo præmium æternum expectat si fecerit, ita supplicium quoq; sempiternum minimè refugiat, si non fecerit. Hoc solum explicandum superest, quomodo voluntas ad Dei cultum apta redditur, superiori gerendo morem, etiam in iis quæ à Deo præcepta non sunt? Respondeo quando ea quæ præcipiuntur à superioribus, vel ex suo genere bona sunt, vel saltem indifferentia, censeri debent à Deo præcepta, non immediatè quidem, sed mediatè cum dicat Luc. 10. *qui vos audit me audit* & Apostolus Rom. 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo*

Serm. 13. de Resurr. Dom.

In Reg. fus. Disput. inter. 6.

Digitized by Google

à Deo, itaque qui potestati resistit Dei ordinationi resistit. Ecquæ mandata magis humana videri possunt, quàm quæ seruis à Dominis suis proponuntur, & tamen vult idem Apostolus Colos. 3. iis quasi à Christo profectis obtemperari. Iam verò quomodo non sit habilis ad colendum Deum, qui per hanc obedientiam accõmodat se totum & semper diuinæ voluntati, cui hoc propositum est inter cætera, vt debitus sibi cultus exhibeatur? Et quamuis mandata illa humana, nullo modo ne mediatè quidem Deo adscriberentur, adhuc ad cultum illum conduceret illa, quæ iis præstatur obedientia (ac proinde huius votum obedientiæ) quatenus asiduè frangendo voluntatem propriam, disponit eam ad diuinæ motum facile suscipiendum.

Imbecilla similiter est quarta obiectio contraria de causa. nempe quia religiosus status ex tribus resultat votis, quæ cum ad Dei obsequium permultum facere demonstrauerimus, restat vt multo magis totus ille status religionis eidem multum conducere, ac laude dignus esse videatur. Per hunc sanè ex tota vel magna ex parte à profanis hominibus, à tumultu seculi, à mille & mille peccandi periculis eripimur, quæ omnia volentem vacare Deo mirificè impediunt, & ad se totum quotus est rapiunt. Ob id ipsimet humanæ sapientiæ amatores vitarunt ea diligenter, velut grauissimos instituti sui obices. *quid tibi vitandum præcipuè existimem quæris*, ait Seneca epist. 75. *turbam. nunquam mores quos extuli fero. aliquid ex eo quod composui turbatur, aliquid ex iis quæ fugaui redit*, & vt notat S. Hieron. lib 2. contra Iouin. his rationibus inuitati multi alij Philosophi reliquerunt frequentias vrbium, & hortulos suburbanos, vbi ager irriguus, & arborum comæ & susurrus auium, riuus immurmurans, & multæ aurium oculorumque illecebræ, ne per luxum animæ fortitudo mollesceret, eiusque pudicitia constupraretur. Inter cæteros Pythagorei huiusmodi frequentiam declinantes in solitudine & desertis locis habitare consueuerant. Sed & ipse Plato cum esset diues, vt posset vacare Philosophiæ, elegit Academiam ab vrbe non solum desertam, sed etiam pestilentem, vt cura & asiduitate morborum libidinis impetus frangeretur, discipulique sui nullam aliam sentirent voluptatem, nisi earum rerum quas discerent. Et Demosthenes ille cuius eloquentia obstupuit vniuer-

Digitized by Google

ſa Græcia, ſtudendi cauſa latebroſè ab hominum conſpectu loco ſubterraneo ſeſe occultabat, ex quo nulla vox audiretur, nihil videretur, ne ſcilicet oculi & aures alio mentem auocarent. Sed & inferiores aliquot Profeſſores locum elegiſſe legimus qui *φροντιστήριον* dicebatur ſeu *διδασκαλεῖον* à verbo, *διδάσκω*, id eſt, doceo & *σχολὴ* id eſt, otium & ceſſatio, quod receptaculũ eſſet, in quo à cæteris negotiis omnibus vacui atq; liberi vnis tantum ſtudiis darent operam. Quæ ſi tanti fecerunt, vt ne interturbarentur, ſeculum ſibi fugiendum cenſuerunt, quis non efferat in cœlum laudibus religioſum inſtitutum, quòd quo liberius Deo ſeruiat, & ſalutem ſimul ſuam operetur, diruptis eius vinculis in ſanctam illam ſolitudinem ſe recipiat, in qua Dominus ad ſuorum cor ſe promiſit locuturum? Quod de filiis additur, quos interdum priuſquam lucem aſpiciant ſtatui huic addicit parentum pietas, nihil hic latet vitij, cum Samuelis mater fœmina ſanctiſsima ſimile quid fecerit 1. Reg. 1. dicens. *Domine ſi dederis ſeruæ tuæ ſexum virilem, dabo eum Domino omnib. diebus vitæ eius.* Certè filij eiuſmodi propriè ſimpliciterq; per vota illa parentum non obligantur, ſed ex decentia & gratitudine tantum. Solos parentes manet obligatio impellendi eos ſuauiter, & citra vim omnem vbi adoleuerint, ſeu eos de votis ſua cauſa ſuſceptis commonefaciendi, ac bona fide ſuadendi, vt ſibi hac in parte morem gerant. Qua ratione vides nullam filiis iniuriam fieri, immò præclarè conſuli, cum huiuſmodi votis interpoſitis, ſæpè à matribus concipiantur aliàs non concipiendi, vt idem Samuel, vel ab inſtante morte liberentur vt S. Bonauentura, cuius in ſummũ diſcrimen adducti mater, cum vouiſſet ſe eum ſi euaderet, Ordini S. Franciſci dicaturam breui recepit incolumem.

Nullam deniq; vim habet vltima, cum in promptu ſint quamplurima quæ etſi à Deo præcepta non ſint, non idcircò bona & Deo accepta eſſe deſinunt, vt erogatio bonorũ omnium in pauperes Math. 19. & virginitas 1. Cor. 7. cuius interim votũ à B. Virgine emiſſum fuiſſe ſupra oſtendimus. Et mater illa Samuelis de qua iam iã nobis ſermo erat, cũ nulla obligatione teneretur conſecrãdi Deo Filium, fecit id tamen, atq; ad id ſeſe voto obſtrinxit; cur non etiam peregrinationũ etſi non præceptarum licebit vota concipere? præcipuè autem Hieroſolymitanæ, vt adeatur pars illa

illa orbis, de qua Propheta Psal. 59. *quis deducet me in ciuitatem munitã, quis deducet me vsq; in Idumæam?* An fieri potest vt qui eo peregrinãtur; insolito quodã pietatis sensu nõ afficiantur, & magis magisq; non ardeant colendi Christi desiderio? Si Piso & Cicero fatentur se vehemẽter cõmoueri recordatione clarorũ virorum, ex contemplatione locorum in quibus aliquando versati sunt; si ad bella fortiter gerenda vehemẽter motus est magnus ille Alexand. quando Achillis sepulchrum adiit, & cõcepto nouo erga ducem hunc studio, ei coronam honoris ergô imposuit, nihil dubium quin nouo pietatis sensu perfundendus sit Christianus, si ei detur adire sepulchrũ Domini, & medium illud mundi in quo operatus est salutẽ nostram. Eo Constantini mater S. Helena diuinitùs in somnis admonita iter carpsit, tûm precãdi studio, tûm visendi locum sacrum, vt testantur Socrates l.1. c. 13. & Sozom l.2.c.1. Fecere hoc idem olim innumeri præcipuæ sanctitatis viri, vt scribit his verbis S. Hieron. *Longum est ab ascensu Domini vsque ad præsentem diem per singulas ætates currere, qui episcoporũ, qui Martyrum, qui eloquentiũ in doctrina Ecclesiastica virorũ venerint Hierosolymam putantes se minus religionis, minus habere scientiæ, nec summam vt dicitur, manum accepisse virtutũ, nisi in illis Christum adorarent locis, in quibus primum Euangelium de patibulo coruscauerat.* & infra, *nec hoc dicimus, quod renuamus sanctos viros esse etiam in cæteris regionib. sed q. hoc asseramus, maximè eos qui in toto orbe sunt primi huc pariter congregari.* & rursus, *hic locus sanctior est Tarpeia rupe, quæ de cœlo sæpius fulminata ostendit, quod Domino displicet. In Christi villula quocumq; te vertas arator stiuam tenens Alleluia decantat, sudans messor Psalmis se auocat, & curua attondens vitem falce vinitor aliquid Dauidicum canit. Hæc terra montosa & in sublimi sita, quantum à deliciis seculi vacat, tanto maiores habet delicias Spiritus.*

Lib. 5. de finib.

In epist. ad Marcel.

Nolim dicere nullum planè vsum votorum esse Mahumetanis, cum in promptu sint verba illa Azo. 5. *Vxor Ioachim grauida prolem suam nascituram & post modũ natam Dei seruitio in perpetuum vouit, quod matris votum Deus benignè suscipiens puero incrementum optimum corq; firmissimum præbuit.* & in 32. *diebus determinatis bestias sacrificent, vota compleant, vetustum templum circumeant.* hoc tamen parum eos ab irreligiositate liberat, quia contra voti regulas multipliciter peccant. §. 4.

Primò quia perrarò voueant, ipse Mahumetes nunquam votum aliquod nuncupasse legitur.

Digitized by Google

Secundò quia vix aliud vouere dicuntur, quàm prædæ partem, si victoriam iis dederit omnipotens. Quæ præda cum ex rapto veniat, & sit de fortunis, quas innocentibus ferina gens illa per vim auferre consueuit, nec Deo accepta esse potest diligenti iustitiam & iudicium, nec votum quod de illa concipitur. Haud dubiè si qui alij, maximè Imperatores ipsi videri possent res alias quàm vi ablatas votis suis subiicere. At ne hi quidem alias subiiciunt. Magnus fuit Solymannus, magnus Baiazethus, Selymus, sicut etiam Dynastæ alij, & Bassæ, & Beglerbeij, & tamen non aliis impendiis ædificarunt Xenodochium illud Constantinopolitanum quod magnum vocant, & Mosqueam Adrianopolitanam cum aliis. At nunquid illorum Religiosi paupertatem non colunt, & castitatem, & obedientiam? nonne & alij qui seculo magis adhuc obstringuntur, peregrinationes varias Mecham præsertim & Medinam instituunt? Iam ostendi cap. 9. §. 4. paupertatem, castitatem, & obedientiam illam vel prorsus fucatas esse vel longè imperfectissimas, & quamuis absolutissimæ essent numeris omnibus, nihil hoc ad negotium præsens faceret, vbi de voto agitur, quandoquidem nullo se ad eas obstringunt. Idem de peregrinatioibus illis iudicium, prætterquam quod tàm sunt impiæ & coram Deo execrabiles, quàm impius, & detestabilis Mahumetus, qui Mechæ & Medinæ colitur.

Tertiò quia sicut quæ iurant infidelissimè præstant, vt nos docebit caput quod sequitur, ita etiam quæ voucnt. Est enim votum iuramento finitimum, licetque hac in parte ab vno argumentari ad aliud.

§. 5. Ad Nouatores transeo, qui sanè cum de votis agitur, anxij adeò incertique sunt, vt plane iuxtà prouerbium auribus lupum teneant, nec intelligant in quem parietem inclinare oporteat. Omnem votorum vsum tot & tàm claris confirmatum scripturæ sacræ testimoniis eleuare, nimis manifesta apparet impietas. Itaque illum & Lutherani & Caluinistæ cum suis Antesignanis absolutè recipiunt. Verùm alia ex parte, dum sugillant quæ à Catholicis concipiuntur, ea scribunt ex quibus sequitur nulla prorsus esse concipienda; sic irreligionem suam produnt, & modis aliis, quos iam iam à me commemorari audies. Lutherus in lib de votis Monasticis, vouendi præscribit modum, quo observato

seruato rectè se in votis habitura sunt omnia. *Sic Monachis vouendum esset*, inquit, *voueo obedientiam, paupertatem, castitatem secundum regulam S. Augustini vsque ad mortem libere, hoc est vt quando mihi visum fuerit, mutare poßim.* Quid hic bone lector censes? nonne peregrinabatur mens eius, cum ista scriberet? mihi certè prorsus ea destitutus fuisse videtur, quid? an non perspicuè secum pugnat cum ait, *vsque ad mortem libere, vt quando visum fuerit mutare poßim.* Si vsque ad mortem quomodo mutari votum potest? nam vinculum quod antè mortem abrumpitur, & abrumpi potest, nequaquam ad mortem vsque firmum est. Addit ibidem valere quidem votum si ad tempus fiat, non autem si in perpetuum. Contrà si potest se homo ad annum, ad mensem obstringere, cur non in duos, & decem & perpetuo? & contra si non potest in perpetuum, fit vt neque in mensem; neque in diem, vel horam. Potuit Anna Samuelem filium diuino cultui per votum in pepetuum addicere, quanto magis seipsam? Potest se homo ciuilibus contractibus in perpetuum obligare, potest res quisq; suas in perpetuũ vendere, potest & libertatẽ suam sic alligare coniugio, vt nexus inde resultet indissolubilis. Immò verò secundum leges ciuiles, potest quis se in perpetuum alteri seruum dare, plurimisque aliis modis suam sic alteri toto vitæ tempore oppignorare fidem, vt citra culpam nullus ei regressus ad libertatem pateat. Quid ergo obstat quominus Deo cuius seruitus regnum est, se quisque posit seruum offerre, idque indissolubili vinculo sanctisimè confirmare? Et ne sim longior, qui magis videri possunt manum ad aratrum mittere, aut Deo consecrari, quàm qui se diuino eius famulatui addicunt in perpetuum per promissionem castitatis & Religionis? Iam verò nisi ad mortem vsq; pergere teneretur quo cœpit pede, qui semel aratro admouit manum, nequaquam Christus hunc retrò aspicientem negasset aptum esse regno Dei. Nisi rursus res Deo consecratæ irreuocabiliter in eius possessionem cederent, neque extaret illa iuris regula, quæ quod semel Deo dicatum est ad humanos vsus negat esse transferendum, neque in Leuit. scriptum legeremus, *omne quod Domino consecratur, siue homo siue animal non veniet, nec redimi poterit, sed sanctum sanctorum erit.* Et quamuis non aliud quàm temporale votum esset recipiendum, hoc saltem in vsu habere debe-

Luc. 9.

Leuit. 27.

rent Lutherani, vt religionis suæ perfectionem ostenderent; in nullo autem habent, nemo vouet quidquam, immò proficiendo in peius etiam temporalia ridere vt superstitiosa incipiunt. nec mirum cùm perpetua superstitionis accusent, plus autem & minus specie non differant.

Caluinus similiter cum suis esto scribat lib. 4. Inst. cap. 13. §. 4. & 5. bonum esse, pium, ac laudabile vouere, non idcircò extra lutum pedes habet. Primò quia ibidem sibi apertè contradicit scribens §. 4. Deo abominabiles esse cultus omnes, quos ipsi absque expresso eius mandato excogitamus, cum ergo eiusmodi sint vota, hoc est spontanea, nec vspiam præcepta, vtique ex eius sententia Deo abominabilia sunt, quæ proinde emittere nullo modo licet.

Secundò impugnat passim liberum arbitrium, sine quo nequit votum consistere, cum liberum esse debeat, vt docuimus §. 2. Item nihil vouendum censet, quod per nos ipsos præstare non possimus, ob id namque monastica vota reprehendit §. 3. quod Monachi ex se seruare nequeant perpetuam continentiam quam voueant. At nemo quidquam boni ex se potest seu secluso
2. Cor. 3. diuino auxilio dicente Apostolo, *non quasi sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis.* Ergo nihil boni est vouendum, ac proinde nihil simpliciter, quandoquidem legitima voti materia non est alia quàm bonum.

Item vota debere tantum esse temporaria non perpetua §. 6. ex quo pariter argumentor, si perpetua licita non sunt, ergo neque temporaria, ac proinde nulla. Probatur consequentia, nam bonum quo diuturnius, eo est melius. itaque si vota temporaria laudem haberent, multò magis perpetua, cum itaque ista ex aduerso vituperet, sequitur ex eius sententia temporalia quoque reprehensione digna esse ac vituperio.

Verùm ne nimis emungamus, faciamus Caluini iudicio votum aliquod recipiendum, velut Religionis actum verum, quodcumque demum illud sit, superest tamen vt ostendat illud in secta sua à quopiam vsurpari, quippè valde malè cum illa agitur, sine vnus quidem circumferatur, qui in eo sese exerceat. Et tamen ostendet nunquam. Magis adhuc quā Lutherani genus hoc hominum odit ac ridet vota quælibet, quod quidem facit, vt Caluinum

uinum, & complures Apoſtatas votifragos, qui ſe ei adiunxerũt liberet à ſacrilegæ nota perfidiæ, quod profectò non prius aſſequetur, quàm ſub ala celet Elephantum. Coram Deo tenentur rei omnes eiuſmodi Pſeudoeuangelici ob violata ſuorum vincula, aliquando ab illo audituri. *O inſenſati benè currebatis, quis vos faſcinauit*, & à S. Baſilio ſedente ſuper ſedem ſuam, & iudicante illorum tribũ, *plorarũt etiam inimici veſtri propter exceſſum iniquitatis veſtræ. O ingentem ſtupiditatem, ô vehementem crudelitatem, non Deum timuiſtis, non homines reueriti eſtis, ſed omnia ſimul naufragio amiſiſtis. omnibus ſimul ſpoliati eſtis* & à S. Bernardo, *quàm tum libet modeſtè & honeſtè viuas, ſi castè, ſi ſobriè, ſi omninò religioſè te habeas, Deo tamen minus accepta eſt tua religio, quam deturpat voti præuaricatio.* Item à S. Anſelmo epiſt. 4. *Si doles adhuc ſalutem tuam ſpero, ſi autem non doles, quid niſi damnationem tuam expecto? Impoſſibile namque eſt te vllo modo poſſe ſaluari, niſi ad habitum & propoſitum abiectum redieris.* Nempè *ſi nullo modo dubitandum eſt*, vt argumentatur S. Aug. *ad offenſionem pertinere, Chriſti, cum eius membrum fidem non ſeruat marito, quantò grauius offenditur, cum illi ipſi non ſeruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum. Cum enim quiſque non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vouit, tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi neceſſitatem.* Hæc ille vt ſuo more elegantiſsimè, ita veriſsimè.

Gal. 3. *In epiſt. ad Mon. lapſ.* *Epiſt. ad Fulconem.* *Lib. de S. Virgin.*

De iuramento actu ſexto externo elicito & nota 8. veræ Religionis.

CAPVT XVIII.

§. 1. *Definitur iuramentum.*
2. *Probatur actus eſſe Religionis.*
3. *Et apud Catholicos ſuis conſtare numeris.*
4. *Secus apud Mahumetanos.*
5. *Et ſectarios.*

IVRAMENTVM inuocatio eſt diuini nominis in teſtimonium, vt tradunt S. Aug. epiſt. 127. ad Hipponenſes, S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. Couar. in cap. quamuis §. 1.

uis de pactis. & Cicero lib 3. offic. dum ait. *est enim iusiurandum affirmatio religiosa, quod verò affirmatè quasi Deo promiseris, id tenendum est.* Atque hinc ratio non obscura petitur, cur & iuramentum dictum sit, & iusiurandum. Iuramentum quidem, quasi sit ius mentis diuinæ in testem assumptæ à nemine violandum: Iusiurandum verò quod vt innuit Couar. loco cit. num. 3. sit quasi ius iurium seu præ omnibus minimè violandum, propter eam quam continet summi Iudicis authoritatem. Sciendum enim quod rebus iuxta effectus & rationes varias varia contingunt nomina vt ventus Aquilo quod Aquilæ pernicitatem motu suo imitetur: Boreas autem ἀπὸ τῆς βοῆς quod sonorus sit.

Deum in testẽ vocare seu assumere, est velle & optare, vt Deus eo modo quo libuerit, & quando placuerit, declaret id promitti verè ac sine fuco, quod promittitur, & dici quod dicitur, quandoquidem exploratissima tenet omnia. & quomodo se quodcumque habeat probè intelligit. Et quamuis, vt plurimum nullo id indicio confirmet. non tamen idcircò desinit diuini testimonij inuocatio facere fidem, tùm quia dubium semper est sitne aliquo & quidem seuerissimo confirmaturus, tùm quia credibile non est hominem facile expetere eiusmodi testimonium in rei falsæ confirmationem, cum tanta diuinæ Maiestatis iniuria, quanta est velle quantum in se est, vt Deus summè bonus, verax, & sapiens, id testificetur & asserat, quod non est verum, vtq; falsarius seu falsi testis habeatur.

Cum autem duplex sit iuramentum, videlicet promissorium in quo nos aliquid facturos aut non facturos recipimus, & assertorium quo aliquid verum vel falsum esse. aut si mauis, sic se habere vel non habere contendimus, accommodata vtrique est allata definitio vt per se liquet. Sed nunquid aliter quoque diuidi non solet iuramentum? solet. Primò quidem in simplex & execratorium, secundo in id per quod Dei, & in id per quod creaturæ testimonium adducitur. Simplex appellamus quod execratione caret: Execratorium autem in quo petit & consentit qui iurat, hoc vel illo modo puniri, si verum non sit quod pollicetur vel asserit. Cum creaturas in testes vocamus, siue ratione sint præditæ vt sancti, siue rationis expertes, vt sol, ignis, cœlum, Deum quidem in testem expressè & immediatè non adducimus

ducimus, mediatè tamen tacitèque eius teſtimonio vtimur, velut in creatura ſua relucentis, vt ſenſus ſit per ſolum, id eſt, per creatorem Solis, nam & ſimili modo eum cenſemur in iiſdem maledicere & benedicere. Atq; hinc manifeſtum fit nihil requiri. vt illæ conſtent ratione iudicioq; polleant, quandoquidem ſolus Deus eſt, in quem propriè iuramentum deſinit.

Iurare vt par eſt, ſeu obſeruatis debitis circumſtantiis actus eſt Religionis. Primò quia diuina eloquia adorationem iuramēto coniungere ſolent; quaſi ad ſeriem huiuſmodi actuum vna pertineant Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies, & per nomen illius iurabis.* & cap. 10. *Dominum Deum tuum timebis, ei ſeruies, ipſi adhærebis, iurabiſq; in nomine ipſius*, ac ſi dicendo *iurabis, interpretaretur quod dixerat ſeruies.* §. 2.

Secundò nulla eſt ratio cur Exod. 23. & Hierem. 4. Deus ſollicitè admodum caueat, ne iuretur per falſos Deos, niſi quia iurare ad illius cultum gloriamq; ſpectat de qua ait Iſa. 42. *gloriam meam alteri non dabo.*

Tertiò oratione coli Deum iampridem ex c. 10. §. 3. didicimus, eam autem cum iuramus tacitè adhibemus vt rectè annotauit Gregor. à Valentia Tom. 3. diſp. 6. q. 7. p. 1. poſtulantes à Deo vt ad id quod aſſerimus vel ſpondemus, interponere dignetur authoritatem ſuam.

Quartò ita ſentit S. Aug. ſerm. 28. de verbis Apoſtoli dicens, *quid eſt iurare, niſi ius Deo reddere?* qui ſi interrogaretur de quo iure loquatur, vtiq; reſponderet ius gloriæ ipſi debitæ vt naturâ veracis, & poſt illum vniuerſa Theologorum turba, vt S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 4. & Iuriſconſultorū tit. de *Iureiurando* ff. & C. vbi legimus inter alia *iuriſiurando contempta religio ſatis Deum vltorem habet.* & M. Tullij qui loco ſupra cit, iuramentum definit affirmationem religioſam. Sed neq; Caluinus huic aſſertioni potuit non ſubſcribere. *Talis iurandi modus*, inquit ille, *ad honorem Dei biſariam vergit, nempe hoc modo charitatem tuemur inter homines, & veritatem quæ in ſummo pretio eſt, apud eum conſeruamus. Et cum ſolus veritatis teſtis allegatur vnam ex præcipuis laudibus, quas à nobis requirit, ipſi tribuimus. Ac certè in lege oſtendit iuſiurandum verum ac legitimum ſpeciem eſſe honoris, quæ ſibi à populo ſuo exhibetur.* & infra, *Prophetæ cum cultum Dei reſtitutum iri ſignificant, aiunt fore vt per ipſius nomen iurent omnes.*

In Inſtru. contr. Ana. cap. 7.

Quinto idem persuadet manifesta ratio. Namqui iurat ostendit quod præclarissimè de Deo sentiat. Deum nempè intueri, audire, & nosse omnia, ob idq; aptissimè in summum testem adduci, ex quo non potest in eum honor cultusq; aliquis non deriuari.

Addunt aliqui argumentum quoddam sextum petitum partim à tormento, quo peierantem afficere solet conscientia iuxta illud Philonis Iudæi. *introspice si lubet falso iurantis animum, aspicies eum non quiescere, sed metu plenum, trepidationeq; accusatum à seipso, & sibi ipsi facientem conuitium omnibus modis*, partim à pœnis grauissimis quas prisca illa gentilitas periurio propositas esse voluit, apud Indos quidem manuum pedumque abscisionem, apud Scythas capitis damnationem, apud Romanos præcipitium vt scribit Gellius lib. 11. cap. 18. addit Cicero lib. 2. de legib. dedecus siue infamiam. Rursus apud Aegyptios capitis damnationem, sic enim scribit Diod. Sicul. lib. 2. cap. 5. Periuri *apud Aegyptios capite mulctabantur, tanquam qui duplici scelere tenerentur, & qui pietatem in Deos violarent, & fidem inter homines tollerent.* Sed cum homicidium aliaque eiusmodi flagitia Religioni non contraria graui quoque conscientiæ flagello, grauibus item pœnis ciuilibus vindicentur, parum ad rem præsentem facit eiusmodi argumentum, in qua disserimus de solis religionis actibus deque peccatis directè contrariis. Itaque quinq; illis contenti erimus quæ antè protulimus, namq; abundè sufficiunt vt de eo constet quod probandum suscepimus, nempe iurare vt par est, actum esse Religionis.

In lib. de Decal.

Dixi vt par est, quia iuramentum legitimum postulat conditiones aliquot, expressas apud Hieremiam his verbis. *Iurabis ait Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia.* Exigit veritas, vt quisquis assertoriè iurat, certus sit moraliter, ita rem se habere. In promissorio autem voluntatem seriam habeat id exequendi, cum tempus aduenerit, quod in se recepit. Quod tamen non obstat, quominus si postea iniquum fuisse iuramentum deprehenderit, executionem illam præterire possit ac debeat, quippè iuramentum non ob id introductum fuisse inuenitur, vt vinculum esset iniquitatis, vt docet Augustinus in in epist. ad Seuerum Mileuit. Episcopum, vbi Hubaldum quendam vehementer arguit, quia iurauerat se matri necessaria non

non miniſtraturum, & iuramento huic impio ſtare volebat: ſicut etiam damnatur ore omnium Herodes vt nefarius, eo quod ſatis videns iuramenti illius iniquitatem, de concedendo filiæ Herodiadis quidquid illa peteret, ab eo reſilire noluit, ſed Ioanni Baptiſtæ viro integerrimo caput demeſſuit. Contra hanc primam conditionem, hoc eſt, veritatem, peccatur periurio. Exigit iudicium ne iurando præcipites ſimus, ne leues ac temerarij, ſed reuerenter ad eiuſmodi actum, quaſi ad flammam accedamus, nec ſine metu, aut priuſquam neceſsitatem ſeu grauem iurandi cauſam ſubeſſe intelligamus. *quantum ad me pertinet iuro,* dicebat idem S. Aug. *Sed quantū mihi videtur magna neceſſitate compulſus, cum video niſi faciā mihi nōn credi, & ei qui mihi non credit, non expedire quod non credit. Hac perpenſa ratione, & conſideratione librata cum magno timore dico corā Deo, teſtis eſt mihi Deus, aut ſcit Chriſtus, quod ſic eſt in animo meo.* Poſtulat tandem Iuſtitia, vt opera tantum illa iuramento ſubiiciamus, quæ ad nullius tendunt perniciem, ſed per omnia virtuti rationiq; cōgruunt, ſiq; nos cōtigerit ſecus facere, iniquā promiſsionē ad opus non deducamus, quæ interim ſi iuſta fuiſſet, omninò erat deducenda. Neq; enim eadem eſt bonorū, quæ malorum ratio. Ad ſalutem quippè non ſufficit bona animo cōcipere, quia *non in meditatione & exercitio verborum, ſed in diſciplina & repræſentatione operum res noſtra conſiſtunt*, vt dicebat Athenagoras. Ad damnationem verò ſatis eſt ſi mala mens deſtinet, quia apud Deum ream mentem facit, non opus duntaxat malum, quod exterius agitur, ſed operis quoque voluntas ac propoſitum, quanquam multò magis opus, ſiue prius iureiurando firmatum ſit ſiue non.

Serm. de Verb. Apoſt.

In Apol. pro Chriſt.

§. 4. In Eccleſia Cathol. retinetur iurandi vſus, & forma debita: Ibi quidquid grauioris momenti occurrit, quod iuramento fulciri conueniat, mox eo corroboratur partim conſuetudine, partim authoritate decretoque publico. Exempli gratia, quod à fide quam profiteri incipiunt nunquam recedent, quod electi ad Eccleſiaſticas dignitates ſedulam curam gerent commiſsi ſibi gregis, quod aſſumpti in Canonicos proprio Epiſcopo parebunt, multo adhuc magis ſedi Apoſtolicæ, quod vocati ad regnū vel imperium non facient cum eadem Eccleſia matre ſua diuortium, nec illius ferent hoſtes, quod eandem ſedem reuerebun-

tur, illiuſque canonibus ac decretis ſanctiones & pragmaticas ſuas ſubiicient, quod regnorum ſuorum primigenea iura non violabunt, quod iuſtitiam vbique per ſe ſuoſque bona fide adminiſtrabunt, quod Feudatarij & Emphytheutæ honorem debitumque obſequium Dominis vt vocant, directis exhibebunt, quod contrahentes legibus initorum bona fide contractuum, præſertim ſi publica fœdera ſint, inhærebunt, quod ſiue actoris iudicio perſonam agant, ſiue rei, Iudicis, aut teſtis non calumniabuntur, quod Rempubl. ſumma cum integritate nitentur regere, quod militari Duci cui nomen dederunt, morem gerent occurrente etiã vitæ diſcrimine, nec ad alterũ, multò minus ad hoſtium caſtra cõuolabunt, quod rebus æſtimandis æqui cenſores ſe præbebunt, quod Academiam quæ illos ad gradus promouit ſemper reuerebuntur, quod ſtipendiis ſuis cõtenti erunt, nec à litigantibus vltrà aliquid extorquebunt, &c.

Quo autem horum memoria conſtantior ſit, & officij ſui ſingulos efficacius admoneat, quotannis interdũ renouatur, ſicut & vota. Exemplum habes in decreto illo Conc. Trident. *Omnes ij ad quos Vniuerſitatum & ſtudiorum generalium cura, viſitatio, & reformatio pertinet, diligenter curent, vt ab eiſdem Vniuerſitatibus canones & decreta huius ſanctæ ſynodi integrè recipiantur, ad eorumque normam Magiſtri, Doctores, & alij in eiſdem Vniuerſitatibus, ea quæ Catholicæ fidei ſunt, doceant & interpretentur, ſeſeque ad hoc inſtitutum initio cuiuslibet anni ſolenni iuramento obſtringant.* Haud dubiè quemadmodum ſignis poſterioribus Moyſis facta ſunt plurima, quæ primis non contigerant, dicente Domino, *ſi non crediderint ſermoni ſigni prioris, credent verbo ſigni poſterioris*, ita ſæpè euenit, vt inſtaurata tum vota tùm iuramenta fortius moueant quàm principiò, ac præteritæ ſaltem obligationis apprehenſionẽ non patiantur vetuſtate obſoleſcere.

Seſſ. 25. c. 2.

Exod. 4.

At hæc habent Catholici ſpecies omnes iuramentorum, aſſertoriis nunc vtuntur, nunc promiſſoriis, modò Dei teſtimonium tacitis creaturis adducunt, modo has interponunt. Difficultatem ſolum parit quod legimus in c. Clericum 2. 2. q. 1. *Clericum per creaturas iurantem acerrimè obiurgandum, ſi perſtiterit in vitio, excommunicandum decernimus.* Sed reſpondet S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. hoc intelligendum de clerico, qui ita iurat per creaturam, quaſi Ethnico more diuinam ei reuerentiam ineſſe credat.

Seriò

Seriò tandem aduigilant, ne à quoquam violentur conditiones illæ tres, quas voluit Dominus ad iuramentum concurrere. Periurium veritati contrarium & ſacri illorum canones, & leges ipſæ ciuiles magnoperè damnant, ac ſeueriſsimè puniunt. Eo qui ſe inquinauerit, iure canonico infamis eſt c. *infames* & c. *quicumque* 6. q. 1. quod tunc ſaltem locum habet, quando committit hoc ſcelus, eo tempore quo Iudici ſiſtitur. Pœnitentiæ prætereà graui obnoxius eſt, imponendæ à ſacerdote cui confitetur: ſic enim ita loquuntur, *talem pœnitentiam periurio imponendam eſſe nouerint, qualis adulterio, & homicidio iniungitur, & qualis cæteris capitalibus criminibus imponitur.* ex conſequenti incapax eſt beneficij Eccleſ. c. infamibus. de Reg. iur in 6. & quamuis beneficium, ſi quod iam nactus ſit dimittere non idcircò teneatur, nec dignitatẽ Eccleſiaſticam, nec bona alia, nec irriti ſint actus, quos exercet ratione publici muneris quo fungitur, quãdiu arcanum periuriũ eſt; quãdo tamen eſt notoriũ, vel in iudicio cõfeſſum, vel Iudicis declaratum ſententia, vtramq; pœnã inducit ſecundum Sylu. V. periurium q. 6. eſtque hoc ad minus, quod ſibi vult depoſitio, de qua in cap. *cum non ab homine* titulo *de Iudiciis.* Iure etiam ciuili notatur infamia, quando periurium nocet alteri L. ſi quis maior C. de Tranſactionibus. ſin autem officit ſoli peieranti, infamiam quidem non creat, extraordinariè tamen Iudicis arbitrio puniri debet L. Stelion. de criminib. ff.

C. prædicandum. 22. q. 1.

Ad occurrendum leuitati, ſeu temeritati & irreuerentiæ, ſeuere cautum eſt in iiſdem ſacris canonibus, ne iurationi aſſueſcat os noſtrum, propter ea quæ reſultare ſolent. ex iurandi crebritate damna plurima, de quibus in cap. *etſi Chriſtus.* De Iureiur. hoc eſt, vt non niſi probationibus aliis deficientibus ad iuſiurandum in Actibus publicis confugiatur, idque quaſi ad Triarios ſacramque anchoram, vltrà quàm remedium ſuperſit nullum. Volunt prætereà, vt qui iurat aperto capite id faciat, velut coram Deo, vt ſit ieiunus c. *honeſtum* 22. q. 5. qui ritus tametſi non ſit abſolutè neceſſarius, eius tamen defectus olim indecorus iudicabatur. Dignum nimirum videbatur vt iuraturus ſe quodammodo ad Sacramentum ipſum altaris accedere intelligeret, attentèque ſecum ipſe reputaret, quid faceret, quàm verè, ſanctè, & iuſtè diuinum teſtimonium. Deique fidem cum

Digitized b

ſua obligaret. Atqui mentem attollere, ſeu attentam reddere effectus eſt ieiunij. Reuerentiæ quoque olim tribuebatur quod in templo ſolum, & ſuper altari attacto Euangeliorum libro iuramentum ederetur, quem librum tenebat ſacerdos manibus, vt iurans ſe quaſi ante Chriſti tribunal poſitum recogitaret. Innuit hanc conſuetud. S. Chryſoſt. dicens; *non ita deploro quoſdam in viis iugulatos audiens, ſicut gemo, & lacbrymis proſequor, & horreſco, cum video quempiam propè menſam hanc ſcilicet altare venientem, & manus imponentem, & Euangeliis iurantem attactis.* quam hodiè quoque ſeruari indicant verba quæ habentur ſub finem formæ profeſsionis fidei Catholicæ. *Ego N. ſpondeo, voueo ac iuro, ſic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.* quibus poſtremis verbis indicatur ſi Polydoro Virgilio credimus lib. 2. cap. 12. quod quemadmodum Euangelium noſtræ eſt Religionis fundamentum nulla de cauſa violandum, ita violare iuſiurandum nullo modo conueniat. Dicerem potius ea execrationis habere vim, vt ſit ſenſus, niſi iuramento fidem habeam, quo me obligaui, non me Deus adiuuet, nec mihi proſint hæc ſancta Dei Euangelia. Secundum eadem iura non admittuntur perſonæ ad iurandum inhabiles, vt pueri, & qui aliàs peierarunt in iudicio. Illi ſiquidem ob defectum ætatis & iudicij ante pubertatem, iurare non coguntur, eſto per accidens admitti queant, ſi vigeat in iis ratio, & vltrò ſe offerant. Hi verò ſemel in publico deprehenſi periurio, digni ſunt qui ſceleris huius affectũ depoſuiſſe non præſumantur. Cautum rurſus ne ambo litigantes iurare ſinantur, calumniam ſe nullam ſtruere, quandoquidem ſic omninò futurum eſt vt alteruter peieret. Ne prætereà in rebus non maximis iuramentũ à ſacerdotibus exigatur, non quaſi inidoneis, ſed propter dignitatem ſtatus, in quem cooptati tanta morum integritate pollere cẽſentur, vt citra eiuſmodi Sacramentum ſit iis meritò habenda fides, c. *ſi quis presbyter* 2.2. q. 4. Vndè nec apud Romanos Diali flamini & Idolorum ſacerdotibus iuramentum deferebatur, vt potè cuius vim in ore illorum habere videbatur ſimplex aſſertio, quodq; tunc temporis viris ingenuis ac dignitate præſtantibus tormenti erat loco, proptereà quod ea ratione dictionem, fidemq; ſuam in dubium vocari ſeu ſuſpectã eſſe cernebant, ſicut & ſeruorum ac mancipiorũ, qui in equuleum rapiebantur, vt quæſtione ab iis veritas extorqueretur. Adhæc ſancitum grauiter, ne quis iuret per pudenda Chriſtĩ

Homil. 15. ad popul.

C. pueri 22. q. 1.

Chriſti membra, aut ſacroſanctæ Virginis, ob blaſphemiam quæ cum his iuramentis cõiungitur, & definiri ſolet vituperiũ aut cõuitium cum diminutione honoris diuini Couar. in c. quãuis §.1. n.17. Nam licet Chriſtus membra illa habeat, ſicut alius quilibet verus & integer homo, dum tamen proiectè, & quaſi in illius cõtemptum nominantur, reſultat vera blaſphemia grauibus pœnis vindicanda c. ſi quis per capillum 2.2.q.1. Idem eſt iudicium, quãdo abſq; reuerentia & debitis circumſtãtiis, membra ipſa honeſta vſurpantur. His enormibus modis iurantes Clerici deponuntur c. *Clericum*, & in d.c. *ſiquis* Laicis verò imminet excomunicationis ſententia, & lingua iure ciuili perforatur vel abſcinditur Authent. *vt non luxurientur.*

Aduerſantia Iuſtitiæ ſeu bonis moribus mirum quàm ſimiliter reprobentur, etiam quæ aliquam boni vel æqui ſpeciem induunt, vt ſi quis iuret ſe acceptam iniuriam vindicaturum, hoſti non parciturum, omnibus in rebus nulla excepta proprio Domino obſequuturum, amici gratia facturum quid libet. *Nihil promittat inboneſtum* inquit canon *vnuſquiſque* 2. 2. q. 4. *aut ſi promiſerit, tolerabilius eſt promiſſum non facere, quam facere quod turpe ſit. Sæpe plerięq; conſtringunt ſe iuramenti ſacramento, vt cum ipſi cognouerint promittendum non fuiſſe, Sacramenti tamen contẽplatione faciant, quod ſpoponderunt.* Dicat tamẽ aliquis nonne cõtra bonos mores eſt, ſi quis iuret ſe initurũ cum aliqua matrimoniũ, atq; ita ſe virginitati renuntiaturũ? & tamen eiuſmodi iuramentum ratum habet Eccleſia. Reſpondeo, eſſet quidem contrarium bonis moribus, ſi qui iurat præcisè ac directè & ſolitariè iuraret ſe vltrà nõ fore virginẽ, propter eandẽ cauſam ob quã præcedenti c. huius generis vota inſana, ipſoq; iure nulla eſſe demonſtrauimus, ſecus cum iurat ſe matrimoniũ cum aliqua contracturum, quia tunc ſui iuris exiſtens apud illam obligat fidem ſuam, idque interpoſito iuramento, à quo proinde ex natura rei reſilire nequit. Dico ſui iuris exiſtens, quia ſi per votum caſtitatis, in ius diuinum perfectè tranſeat, vt fit quando ſolenne eſt votũ, nec abſq; peccato iurare poteſt futurũ cõiugiũ iudicio eiuſdẽ Eccleſiæ, nec ſtare tenetur iuramẽto. Ecquis dicat teneri me iureiurãdo, quo in me recepi dare tibi Titio equũ, cuius dominiũ iampridẽ abieci, & ſciens ac volẽs in Semproniũ cõtuli? Nemo. Tãto ergo minus illud de quo agitur poteſt eũ qui iurauit obſtrin-

peſtifera doctrina tantos progreſſus fecerunt, vt nihil minus quàm à conſcientia redarguantur, aut pudore ſuffundantur, ſed exultent potius cum ſe periurio extraneos aliquos, in primis autem Iudæos & Chriſtianos circumueniſſe vident: duo tantum exempla depromam ex infinitorum numero. Conſtantinus Palæologus nouiſsimus Græcorum Imperator cum bello fractus, ab Amurathe Turcarum Rege pacem ea conditione impetraſſet, vt in perpetuum ei ac ſucceſſoribus annuum tributum penderet, atq; id multo tempore optima fide præſtitiſſet, ſucceſsit tandem Amurathi Mahumetus 2. qui regni fines dilatandi cupidiſsimus, nec ferre valēs vnam Conſtantinopolim potentia opumq; ſplendore toto orbe celeberrimam, ex qua ſuo nomini atq; Imperio plus gloriæ accedere poſset, quàm ex compluribus Maiorum ſuorum victoriis, ſibi non parere, iuratæ pacis fœdera, cuius vtili conditione aliquando vſus fuerat, expugnationis ſpe illectus violare conſtituit. Ergo octauo anno Imperii obſidionem aggreditur tanta pertinacia, vt quadrageſimo quarto die qui fuit 4. Calend. Iuli 1453. vrbem occupauerit, Palæologum occiderit, euerſoq; antiquiſsimo Oriētis Imperio (floruerat enim vrbs illa annis 1121. toto orbe clariſsima) ſedem ibi fixerit Mahumetanæ ſuperſtitionis. Rurſus poſt annos 120. hoc eſt anno 1573. inuidens Selymus eiuſdem ſectæ Imperator Cyprum Venetis miræ fertilitatis inſulam, & omnium rerum ad humanum vſum copioſiſsimam, ita vt ex redditu Caſalium ſeu oppidorum ad regiam Cameram attinentium, ex ſale, & ex vectigalibus prouentum plus minus 500000. aureorum Reſpublica illa quotannis reciperet, qui ibi in merces commutati, poſtmodum Venetiis vnum millionem ſeu decies centena millia reddebant, apud ſe ſtatuit iurātum pariter cum illis fœdus violare, quod & fecit. Itaq; Salaminam ſeu Conſtantiam, quæ hodie Famaguſta dicitur, eſtq; emporium Inſulæ præcipuum, validiſsime oppugnatam per menſes vndecim coēgit, tandem deditionem facere, cumq; per ſe ſuoſq; licere iuraſset, vt M. Antonius Bragadinus prætor ſtrenuiſsimus cum vniuerſo præſidio vita, rebuſq; ſaluis diſcederet, vix illum in poteſtate habuit, cum innumeris affecit ludibriis & per incredibilia tormenta, ex hac vita in aliam demigrare compulit, inter alia ter ceruicem præcidendam iuſſo porrigere aures & nares

Xx ampu-

amputauit,& viuo pellem detraxit. Mahumetem 2. de quo proxime, ſcribit Cuſpinianus in eius vita quod cum præfecto Nigroponti ſeu Chalcidis quam iiſdem Venetis eripuit, iuraſſet ſe parciturum; paulo poſt tamẽ illum per mediũ ſecuit, cauillatus pollicitum ſe ceruici non lateribus nihil allaturum mali. Paucis vt concludam, dici non poteſt, quoties exprobrata illis ſit hæc improbitas, ſed toties laconicas neſcio quas lunas prætenderunt.

Rurſus nihil tam futile propter quod in iuramẽtum non prorumpãt. Nam licet in Azo. 30. 26. moneat ſuos Mahumetes *diuinam confirmationem pro modico ne adducite* exemplo tamen ſuo quod verbis longe præponderat, oppoſitum ſemper morem docuit. Pro meris nugis frequenter Deum conteſtans, exemplum in Azo. 47. ſcribit per *Angelorum in cœlis ſeriem non eſt niſi vnus Deus, qui cœlum & terram condidit.* Quis te inſane furor agit? quæ intemperiæ tenent? an aliquid perſpicuum magis quam vnicum eſſe Deum, qui cœlum terramq; ſit architectatus? quod ſi manifeſtiſsimum eſt, ſi à nemine negatur, ſi nullus ſacramento confirmari abs te petit, an non ſuperfluè agis, & impiè ſacroſancta re abuteris, atq; ad abutendum cæteris viam paras? Inſanire pergis, & in ſexageſima prima ais *per ventos flantes attractasq; nubes ponderoſas & naues æquore currentes, Angelosq; nuntios, hæc omnia vera ſunt.* Nemo quę tunc ſcribebas vera eſſe negebat eſto poſſet maxime, nihil ergo neceſſe erat, vt perſuaderetur, tot creaturarũ accire teſtimonium, vt taceam ridiculas à te nominari vtputa ventos flantes, quaſi vero abſq; flatu ventus poſsit eſſe, attractas naues põderoſas potius quàm impulſas, aut leues, & naues æquore currentes, potius quàm in ſtatione poſitas. Ibidem ſic Iudæos affaris & Chriſtianos *per velum rubore ſolis affectum vos contrariis verbis inhæretis.* Quaſi de hoc ambigerent, ſe nimirum ſibi mutuo, & tibi doctrinæq; tuæ aduerſari. Sed ad quid cœlum commemoras rubore affectum ſolis? neq; enim hæc deſcriptio quidquã ad rem facit, niſi vt oſtendat, quantum ridicula te iuramenta delectent, id quod etiam declaras Azo 62. vbi dicis. *Per montem Sinai Dei vindicta ſuperueniet* & 63. *per ſtillam veſpertinam cliens noſter nihil niſi diuinitus ſibi mandatum loquitur* & 68. *per calamum & lineas, non es niſi nuntius Dei, non es energumenus.* Quæ ſunt iſtæ lineæ, cur non potius per ſuperficies & ſolida, per triangula, parallelogrammata, circulos, trapezia, pentagona, exagona, cubos, globos,

pyra-

pyramides, & figuras alias iurantem introducis Deum? Prætereo quàm futiliter authore te eiuret per creaturas ſuas, quib. infinitè eſt maior, quisquis autem iurat, ſi quid habet ſe ſuperius, per illud iurare debeat, vel per ſemet ipſum ſi nihil Hebr. 6. neq; enim ſuſpicari poſſum tantum in te fuiſſe ingenii, vt Deum agnoueris per creaturas ſuas quatenus in iis relucet iurare potuiſſe, cũ hoc ſit per ſeipſum iurare, vt cum ait Deut. 4. *teſtes inuoco hodie cælum & terram.* Hoc ſolum inculco ac repeto, te cõtra iuramenti reuerentiam mirè eſſe proiectum ac ſuperfluum. Ne hic quidem exitus. In 79. hæc habes *per res viſibiles & inuiſibiles nuntii noſtri verbum bonum eſt.* In 2. *per ſtellas combuſtas & retrogradas, hoc verbum eſt boni Prophetæ Deo deuotè ſeruientis, nec vnquam præceptum eius trangredientis.* In 105. *per ficos & oliuas montẽq; Sinai, iſtamq; tellurem impauidam,* an alia quædam pauida ac meticuloſa? *omnes credentes atq; benefici optima mercede donabuntur.* Quantus in iurando es Ardelio quàm profuſus ac ridiculus, & his ipſis verbis à te ipſo diſsidens. Hic quippè per terram iuras, cum tamen in Azo. 100 per eam iurare nefas putes inquiens, *per terram inhabitatã à te, filiumq; Patri ſimilem nõ iuro.* Sed quo te proripies ſi Dei verba te reddere oſtendam, quaſi per diabolum iurantis? Nonne diuina illa Maieſtas immundo huic ſpiritui honorem cultumq; tua quidem ſententia deferet? nec per ſe ſatis poſſe ſua confirmare videbitur? ob idq; ad dæmonis teſtimonium, vt apud homines fidem inueniat, confugere? Oſtendo facilè modo verba tua in Azo. 87. tua eſſe non abnuas, ibi ſic loquitur Deus tuus cõmentitius. *Per Angelos legationis efficaces ventosq; ſiccos & imbriferos, dæmonesq; Prophetis inſtructionem ferentes, omne mandatum noſtrum veriſſimè accidet.* Non me prǽteribit illud Azo. 34. *imponentes quidquam ſuis vxoribus abſq; teſtimonio, quater iurent ſe verum dicere, quintaq; vice dicant maledicamur ſi mentimur: Ipſæ autem mulieres accuſatæ ſi ſe purgare voluerint, quater iurent illos fuiſſe mentitos.* Haud dubiè ſuperuacaneum eſt tot multiplicare iuramenta, cum vnum ſufficiat, & vim habeat omnibus parem. Deinde cum iuſiurandum vtriq; parti litiganti deferatur, fieri non poteſt quin alterutra mentietur ac peieret, atq; ita polluitur iuramenti religio. Item cum nõ conſtet quænam mentiatur, æquè credendum eſt vtriq; vi iuramenti, ſic indeciſa lis relinquitur, & fruſtra Deus in teſtem aduocatur.

Sed neq; à iuramentis iniquis abstinent. Nihil iniquius quàm depopulari, & armorum vi subigere pro viribus vicinas quasq; prouincias innocentes & liberas, & tamen non contenti Alcorano credere suggerenti in Azoaris quamplurimis, & ad nauseã vsq; inculcanti hanc esse Dei voluntatem, vt omnia diripiant; ad truculentam hanc deprædationem iuramento insuper sese obstringunt, Imperatores præcipuè & Prætoriani milites seu Ianizeri. Atq; hæc vna causa est, cur adeò sint fœdifragi ac periuri, quia videlicet argumentantur non posse vim vllam inesse iuramento, quo promittunt se nullam hostibus cladem illaturos, diuinæ voluntati ac iussioni contrario, & vt ex natura rei inesset ei aliqua, ei tamen derogari per illud aliud iuramentum & antiquius & multo solennius.

§. 5. Vt defectus religionis nouatorum quoad iuramentum nemini sit inexploratus, tria de illis demonstranda suscipiam. Primum eos iuxta sua principia debere nullo vti. Alterum si quod vsurpent non tamen omnes illius species, cum tamen omnes actus sint religionis, atq; positis debitis circumstantiis assumi ab illis debeant, qui diuinæ gloriæ curam gerunt. Tertium eos inter iurandum nec veritatis rationem haberi solitos nec iudicii, aut etiam iustitiæ.

Quod ad primum, nulla est de Anabaptistis dubitatio, quia iuramentum omne reprobent ac reiiciant, sic enim loquuntur. *Quod spectat ad iusiurandum, venimus in hanc concordiam, vt iudicemus esse confirmationem quæ fieri debet tantum in nomine Dei in veritate non mendacio iuxta præceptum legis, sed Christianis omne iuramentum per Christum prohibitum esse.* Hoc inter se definiunt propter verba illa Matth. 5. malè intellecta; *ego autem dico vobis non iurare omninò,* quæ si rigidè vt prima fronte sonant, essent accipienda, si omnẽ prorsus in Euangelica lege iurandi vsum interdicerent, quomodo Christus Dei gloriæ consuluisset, quæ à recto isto vsu ex parte pendet cum religionis sit actus? quomodo Matth. 23. approbasset iuramentum quod fit per templum? quomodo Paulus magnus eius Apostolus sæpe iuramentum interposuisset vt Phil. 1. 1. Thes. 2. & Angelus Apo. 10. iurat per viuentem in secula seculorum? Haud dubiè tantum voluit Christus aliorum omnium interpretum iudicio Iudæos reprimere audacter, & proiectè pro rebus nihili iurare solitos, & vicissim

In cap. 7. doctrina Anabapt.

vicissim ab aliis iusiurandum exigere, quod interim pharmacis persimile est, nec sæpe vsurpandis nec temerè. Exemplo hoc illustremus, dixerat Christus *neminē per viam salutaueritis*. Luc. 10. quibus verbis ipsimet Anabaptistæ omnē omninò salutationē prohibitam non censent, sed cum Aug. serm. 42. de Sanctis eam solā, quæ in nugas ac confabulationes degenerat, quæq; moras affert, ne qui iter agit, celeriter id faciat, quod iussus est exequi; cur non etiam cum moderatione priora verba illa interpretantur? Atque hoc obiter.

Nec Lutherani nec Caluinistæ satis doctrinæ suæ consentiunt, nisi pariter ab omni iuramento abstineāt. Primò quia iuxta illam vouere nō debēt, vt nos docuit § quintus superioris capitis, ergo nec iurare, tum quia votum inter & iuramentum maxima quædam est cōnexio, tum quia multò maior est ratio cur istud quàm illud supprimatur: multò quippè vrgentiora sunt scripturarum pro voto quàm pro iuramento testimonia. In iis passim occurrit vouendi consilium vt Psal. 75. *vouete & reddite*, iurandi autem nec consilium nec præceptū propriè, sed ad summum non iurare per falsos Deos, vnde nec secundum præceptum Decalogi, in quo de iuramento agitur, affirmatiuo modo proponitur his verbis *assumes nomen Domini Dei tui*, sed negatiuè his aliis *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Nec moror quod scriptum est *reddes Domino iuramenta tua*, nam etiam iubetur coniux coniugi debitum reddere 1. Cor. 7. & ab illo non discedere ibid. & Math. 10. nec tamen idcirco coniugium in præcepto est vel consilio. Secundo, quia in teste necessaria valde est sapientia, vt perspectam habeat propositæ rei veritatem, & probitas vt agnitæ velit perhibere testimonium. Vtroq; autem attributo sectarii Deum spoliant, vt iampridem audiuimus.

Tertiò nihil circa Dei cultum, quod ab eo in scripturis præceptum nō sit, recipiunt. Iuramentum autem vt ostendi § 2. ad cultum Dei facit, interim tamen vt iam iam vidimus in diuinis eloquiis non præcipitur, ne quidem cum dicitur Deut. 6. *per nomen illius iurabis*. Nam cum statim sequatur *non ibitis post Deos alienos*, palam est sensum esse quem paulò ante dicebā, ne videlicet per hos iuremus, sed per solum verum Deum supposito q iurare velimus.

Quod ad secundum licet Anabaptistæ iurandi vsum reciperēt,

Digitized by Google

cum tamẽ iuramentum definiant confirmationem quæ fieri tantum debet in nomine Dei, ſine dubio illam ſaltem ſpeciem excluderent, quæ fit per interpoſitas creaturas. Excludunt eandem iuxta ſua dogmata Caluiniſtæ & Lutherani, tum quia ſanctorum cultum eleuant, qui autem per illos iurat, abſq; dubio aliquo eos honore proſequitur, ſicut & Deum, cuius in iis repræſentati accerſit teſtimonium, non ſecus ac qui eos laudat non Deum ſolum in iis laudat, ſed eos quoq;. Tum quia eorundem inuocationem impugnant, iuratio autem per aliquid, quædam eſt eius inuocatio, vnde Apoſtolus 2. Cor. 1. iurare volens per Deum ait *teſtem inuoco Deum in animã meam.* Caluinus eſt qui præcipuè cum ſuis iurare per ſanctos vetat, eoq; pertinent illa eius verba, *cũ ſolus Deus veritatis teſtis allegatur, vnam è præcipuis laudibus quas à nobis requirit ipſi tribuimus,* & infra, *quemadmodum vult ſolus adorari, & inuocari, ita iubet vt tantummodo per ipſius nomẽ iuretur.* Sed tàm ridiculè id facit, quàm clare ibidem ſcribit contrarium videlicet fas eſſe iurare per creaturas. Loquentem ſi placet audiamus. *Minime malum eſſe ducebant Iudæi, fruſtrà & inaniter per cœlum & terram iurare, modo ne directò per nomen Dei iuraretur. Chriſtus vero ineptã cauillationem ac Sophiſticã eſſe oſtendit, ſic velle ſe coram Deo purgare, cum ſub nomine cœli & terræ nomen etiam ipſius oblique comprehendatur.* & infra *cum quis per caput ſuum iurat, ſi exiſtimat ſe per id quod ſuum eſt iurare, nec iureiurando ſuo maieſtatem Dei attingere fallitur in id enim dominatur etiam Deus, ſic ergo ſemper ſumitur nomen Dei.* Ecce quomodo agnoſcit iurare per creaturas eſſe implicitè iurare per Deum ipſum, ac proinde ſicut per Deum iurare licet, ita etiam licere per creaturas, & certè expreſſa Chriſti verba ſunt, *qui iurat in templo iurat in ipſo, & in illo qui habitat in eo, & qui iurat in cœlo iurat in throno Dei, & in eo qui ſedet ſuper eum.*

In Inſtit. cont. Ana. cap. 7.

Matth. 23.

Quod ad tertium, nec iurãdo veritatem colunt, nec iudicium adhibent, nec iuſtitiam obſeruant. Explicanda ſunt tria hęc paulò fuſius, ne me vt calumniatorẽ exiſtiment. Tria ſunt ob quæ poteſtatem faciunt cuilibet vota diſſoluendi, nempè quia præcepta non ſunt, quia pugnare videntur cum Chriſtiana libertate, & quia ſunt perpetua. At iuramenta ſimiliter præcepta in ſcripturis per ſe & expreſſe non ſunt, & cum obligare docentur, libertatem illam frænant, & cum ſimpliciter efferuntur, valent ſuapte natura in perpetuum, non ergo obſeruanda ſunt iuxta doctrinam pſeudo euan-

euangelicam, quid autem aliud est ea non obseruare, quàm peierare? Constat ergo primùm quod iurando nec veritati consulant, nec consulere doceãtur. Quadrant cum hac pestifera doctrina mores illorum aptissimè, ac præsertim Caluinistarum. A Caluino prodierunt libertini, vt ipsemet Deo sic prouidente fateri coactus est his verbis. *Satan à viginti annis vt doctrinam Euangelii, quàm emergere videbat, extingueret aut præfocaret, aut saltem diffamaret peruersas opiniones excitauit*. & statim post loquens de eiusmodi libertinis. *Plurimi qui anteà fideliter cum pura Euangelii doctrina edocti fuerant, statim abrepti atq; abalienati sunt*. At libertinos scribit ibidẽ supra modum delectatos fuisse periurio. Verba eius sic habent. *Absq; vlla religione nunc hoc nunc illud asserunt*, & mox *quin etiam vehementer in eo gloriantur, & magni se æstimant, quod ea simulatione vti norint. Atq; adeò hoc vnum est ex præcipuis capitibus Theologiæ ipsorum*. Carolo 9. Rupellam obsidenti iurauerat Angliæ Regina Protestantium caput, auxilium se nullum obsessis ministraturam, ecce interim nõdum bimestre præterierat, cum militari eos præsidio recreauit. In Scotia Iacobus Stuartus Caluinista celebris, cum in Mariæ Reginæ fidem & obedientiam iurasset, à qua maximis fuerat affectus beneficiis & auctus, non ita multò post, tanta in eam petulantia rebellauit, vt etiam armorum vi ad excedendum regno impulerit, seq; in Angliam recipiendum, vbi eam aliud quoddam perfidiæ genus nihilo humanius excepit. Elizabetha enim illa violato iureiurando publicæ hospitalitatis, aduenam coegit obtruncato capite è vita discedere. Guillielmus de la Noue cum inaudiuisset anno 1573. Rupellanos iurasse Regi futurum, vt intra suos se limites continerent, nec Caluinistis cæteris suppetias vllas ferrent, eo protinus aduolauit, vtq; iusiurandum illud omninò negligerent, non suasit modo, sed persuasit. & quoties idem ipse Regi Catholico iurauit fidem, hoc est sæpissimè, toties iuratam fregit. Nempè quomodo seruabunt illam hominibus, qui per vota Deo datam violare non perhorrescunt? In Cantabria seu Briscoia Galliæ Narbonensis prouincia oppidum est Nauarrinum, vbi cum Caluinistæ Catholicos 40. in potestatem suam redegissent, & se iis nihil illaturos mali iureiurando spopondissent, noctu in totidem lectis seorsim dormientes crudelissimè iugularunt. Marescalcum S. Andreæ virum nobilitate, religione, militari gloria celeberrimũ, cum

In Institut. aduers. lib. cap. 8.

cum in prælio quod ad Druydas gestū est intercepissent, & se iurassent nullum ei damnum illaturos, citò tamen confoderunt propè Carnutum nihil tale cogitantem. Alius æquè militia clarus cui nomen la motte Gondrin, eques torquatus S. Michaelis die quadam Valentiæ in Delphinatu ab iis pariter interceptus, ac tandem se dedere coactus accepto prius iureiurando, quod vitæ suæ parcerent, fores iis reserauit, in quas vix truculenti homines intulere pedem, cum neglecto eo sacraměto in captum insilierunt, eumque regiæ maiestatis gerentem vices præfati ordinis torque aureo è collo pendente ad fenestræ tignum suspenderunt. Cui Gallorum non est Caluinista ille notissimus, qui post violatam pariter fidem, quam iurauerat 30. militibus castrum de Marcheuille in Lotharingia propugnantibus substrata palea viuos ligatosq; & longa serie sucularum more dispositos incendit? Quis de illo alio non audiuit, qui Regi Catholico se fideliter obsecuturū, nec in eum aliquid vnquam moliturum publico iuramento spopondit; nihil item facturum contra publicam pacem, præcipuè verò contra Catholicam Religionem in Belgio, quod tamen belli mox repleuit procellis & incendiis? De hoc lege si vacat Michaële Baium Cancellarium Louaniensem in tractatu *de vnione statuum* anno 1578. & libellum qui inscribitur. *Ressponte des estats du païs de Henant à Monseigneur l Archidus*, & illum cui titulus *le recueil des litters & faicts de la ville d' Arras.* Cum Princeps Condæus & Caspar Colinæus Admiralius Lutetiam venire nollent ad nuptias sororis Regis cum Henrico Borbonio Rege Nauarræ, nisi Rex, id est Carolus 9. veniendi potestatem ac securitatem iureiurando firmatam daret, fecit quod rogabatur, & vicissim ab eis promissioně accepit simili sacramento communitam, nempè vt admissi ab omnibus seditionibus, molitionibus, consiliis bonæ fidei repugnantibus abstinerent, sed non abstinuerunt. Imò confestim ac secretò ingenium viresq; suas eo contulerunt, vt Maiestati suæ insidias struerent capitales, genusq; illius totum perderent, quemadmodum docuit Confessio publica duorum Antesignanorum Briquemaut & Cauaigne, qui coniurationis socii fuerant, & deprehensi perempti sunt, vt testantur inter alios Petrus Carpentarius in epist. ad Franciscum Portum, & Bellefor. in Carol. 9. vt nihil mirum videri debeat, si rex iusto furore percitus, & periculo etiam post coniu-

rationis

Digitized by Google

rationis detectionem circumdatus, in magnã perduellium illorum partem publico ferro animaduerti iusserit. Habent in more Regum Legati priusquam legationis iter arripiant, fidem apud illos suam iuramento obligare. Retinuit hanc consuetudinem Guillielmus de Grandchamp Caluinista huic muneri à Christianissimo Rege apud Turcarum Imperatorẽ præfectus, cuius quidem Imperatoris animũ, vt ad sectam suam tuendam præsertim in Gallia inclinaret, Bassæ cuidam promisit, se suosq; in eodem regno perturbaturos omnia, nihilq; prætermissuros quod ad res Turcicas in ea Occidentis plaga disponendas & amplificandas facere posse videretur, si modo in fœdus cum Imperatore descenderent. Ad hæc indignabundus Bassa respondit, *videre se quod bonus rex Galliæ non legatum, sed proditorem ad aulam Ottomannicam misisset. Huguenotos porrò longè inferiores esse, quàm vt sese demittat ad illorum amicitiam supremus orbis Princeps nec fidem habere velle eiusmodi nebulonibus, qui proprium etiam Regem proderent, & impugnarent. Turcos solitos cum Imperatoribus, Regibus, & magnis Principibus agere, non cum perfidis & rebellibus subditis, Turcicam fortitudinẽ ista proditorũ consilia detestari,* vt testatur Guil. Reginald. lib. 1. Caluin. cap. 2. Hic me cohibebo, ac ne in eorum perfidias propè carẽtes exitu excurrã longius, idem de illis quod de Græcis dicere sufficiet, *testimoniũ, religionem, & fidem nunquam ista natio coluit, totiusq; huius rei quæ sit vis, quæ authoritas, quod pondus ignorat, vnde est illud, da mihi mutuum testimonium.* *Cic. in orat. pro Flacco.*

Superuacaneam esse aduertentiam ac deliberationem vbi libero arbitrio nullus est locus, nemo qui sapit, inficiabitur. Quid namq; profuerit expendere, & maturè apud te constituere quid agere te oporteat, quando & quomodo, si nihil tibi sit libertatis, quo reiectis malis id eligas, quod recta ratio libratis circumstantiis decreuerit faciendũ? At tam sacramentarii, quàm Lutherani liberum arbitrium oppugnant ac negant; nõ ergo videri possunt inter iurãdum vti iudicio, sed iuxta sua principia proiectè, ac tumultuariè iurare quidquid in buccam venit, dixisses principio Caluinistas perpetuum quoad hoc fœnum circumferre, adeò infrequentes in iurando erant, sed quemadmodũ malè affecti tandem vel ex improuiso, vel aliter, nunc scabie, nunc ructu, aut flatu alio indecoro intestinam suam infirmitatem, cacochymiam, & vitiũ produnt: sic in istis diuturna esse nõ potuit peregrinæ huius sanctitatis simulatio, sed Caluino ipso adhuc superstite in tantam

conuersa est iurandi licentiam, vt abstinere nõ potuerit, quin ista scriberet. *Videmus hodiè in iuramẽtis effrenem mundum, & dissolutum esse, nullus est boni animi vir, cui non valde molestum sit, ita contemptui haberi nomen Dei.* Et paulò post *nobis profectò vehementer displicere debet, tàm dissoluta iurandi licentia, qua hodiè homines abutuntur, ac longè melius esset non iurare omninò, quàm ita temerè, ac leui de causa, aut nulla potius iusiurãdum adhibere.* Vtiq; suorum describit mores, inter quos vnos vitam degebat. Cætera quæ ad complementum spectant reuerentiæ, vt caput aperire, pectori manus admouere, sacras paginas tangere, in templum venire, &c. multò adhuc magis prætereunt iuxtà sui leges pseudoeuangelij, ne ritus aliquos vsurpare videantur, non imperatos, nec subnixos verbo Dei.

In Insti. aduers. Anabap. cap. 7.

Tandem iniustitiæ latentis in iuramentis quæ adhibent vel à suis petunt, duas tresue coniecturas afferre possumus. Prima est perturbatio Reipublicæ, quam vbi in Consistoriis suis vel synodis accuratè conceperint, & conceptam communi iureiurando constabilierint, postea furiosè prouehunt vbicumq; possunt, vt sic prima iaciant Euangelii sui fundamenta, & dominationis quam ambiunt, & libertatis quam sibi præstituunt. Altera est mos adigendi eos de grege nostro Catholico; quos blandimentis & magnificis promissionibus allexerunt, vt eiurata fide veteri nouę suæ sese sacramento obstringant. Iniustitiam hic latere dico omnium maximam, videlicet eiurare vna ex parte auitam fidem, tot sanctorum Patrum, tot firmatam seculis, tot receptam conciliis, tot miraculis illustratam: ex altera nouam profiteri, quàm nuper inuexerunt priuati homines, legitimam nullam vocationem valentes ostendere, moribus corruptissimi, & prę superbia iactantes sapere se præ vetustate illa tota veneranda, quam præterea quoad partes ferè omnes damnarunt prisca illa concilia, quam constat nullo vnquam miraculo insignitam, quàm deniq; iam satis probauimus, & magis adhuc probaturi sumus extinctionem esse religionis & virtutis omnis. Tertia quod iuxta formulam sacramentorum à Caluino compositam adigant susceptores paruulorum etiam idiotas ad obligandum se coram Deo ad docendũ eiusmodi paruulos vbi adoleuerint omnia quæ nouo ac veteri testamento continentur. Id cum sit iis impossibile minimèq; necessarium, distat sanè procul à Iustitia.

De

Digitized by Google

De Adiuratione actu 7. externo elicito, & nota 9. veræ Religionis.

CAPVT XIX.

§. 1. *Adiuratio quid sit.*
2. *Actus est Religionis.*
3. *Catholicis familiaris.*
4. *Incognitus autem Mahumetanis.*
5. *Et sectariis.*

ADiura[illegible] vt docet S. Thomas 2. 2. q. 90. artic. 1. nihil est aliud, quàm inducere quempiam ad aliquid faciendum diuini nominis & honoris causa. Cuius vocabuli ratio petitur ex affinitate & analogia, quæ est inter actum hunc & iuramentum, vt appositè obseruauit Greg. à Val. Tom. 3. disput. 6. q. 8. p. 1. Sicut enim qui iurauit, tenetur ratione diuini honoris ac nominis id facere quod se facturum promisit: ita qui adiurat, impellit & quodammodo obligat eum quē adiurat, vt eiusdem diuini honoris causa quod rogatur id faciat. Non tamen idem modus vtrobiq; interuenit, nam per iuramentum honori diuino consulimus, quatenus Deum profitemur scire omnia, & veritate in primis delectari, mendacio offendi, proindeq; verū id esse, in cuius testem assumitur, quia si falsum esset, ille à nobis testis factus mendacij, meritò in iram exardesceret, nō est autem verisimile, quòd eam velimus in nos concitare, nec proindè quod iurando mentiamur: per adiurationem verò, quatenus significamus dignum Deum esse, cuius intuitu, amore & causa id fiat, quod petitur. Mihi videtur ista vocis huius significatio incognita prorsus fuisse Ethnicis, nec aliud iis fuisse adiurare, quàm iurare, vt Terentio in And. *per omnes tibi adiuro Deos, nunquam eam me deserturum*, & Cic. Phil. 2. *adiuras[q;] id te inuito me non esse factum*, vel quàm adigere ad iusiurandum, vt apud Liu. 5. decad. lib. 3. *Censores vt eam rem adiuuarent, ita in concione edixerunt, legem censui censendo dicturos esse, vt præter commune ciuium omnium iusiurandum hac adiurarent*. Sed hoc non moror. Non enim si vnicam eius significationem agnouerunt, consequens est repudiari debere cæteras, §. 1.

Digitized by Google

metipsum Deus meus, vel aliquod eius attributum vt Psal. 24. *memento mei tu propter bonitatem tuam domine*, vel aliquis sanctorũ vt Psal. 131. *propter Dauid seruum tuum non auertas faciem Christi tui.*

Angelos adiuramus & homines non cum intentione obligandi eos verè, quia sic iniqui essemus arrogando nobis ius & potestatem in eos quam non habemus, sicut & Caiphas volens Matth. 26. respondendi necessitatem imponere Christo quem ex miraculis satis intelligere poterat Deum esse, ob idq; exemptũ, & tribunali suo minimè obnoxium, sed solùm deprecãdo per aliquid diuinum, vt hoc vel illud faciant. Exemplum habes Rom. 12. *obsecro itaq; vos fratres per misericordiã Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem.* Quod si sint subditi, adiurari possunt cum intentione augendæ vel confirmandæ illius necessitatis, qua iam obedire tenentur, eo ipso quo subditi sunt, ita vt si post adiurationem non pareant, grauius peccent.

Etiam Angelos dico adiurari posse, quia preces dirigere ad eos possumus, vt ex Caluino ipso docuimus cap. 10. §. 2. quid autem vetat inter precandum eos sacrum aliquid accersere, cuius reuerentia facilius permoueantur ad opitulandum nobis? nihil certè vt notat Syluester v. Adiuratio n. 2. rectè itaq; dixerimus, *adiuro te Michael Archangele per diuinam bonitatem, vt mihi præstes auxilium.*

Adiuramus dæmones non animo stimulandi eos ad aliquid præstandum diuini honoris causa, frustrà id tentaremus cum sint in malitia confirmati, & perpetuò Dei odio flagrent, & superbia illorum ascendat semper Psal. 73. nec deprecandi vt aliud quippiã faciant, vel omittant, quia hæc deprecatio pertineret ad beneuolentiam & societatem, quæ nobis planè cum illis interdicitur 1. Cor. 10. *nolo vos socios fieri dæmoniorum*, nec cum illis paciscendi eadem de causa, & propter apostasiam quæ interuenit, cum pactum eo tendit, vt Christus & res sacræ abnegentur, nec beneficii alicuius eorum ope consequendi, quippè iuxta prouerbium δῶρα τῶν ἐχθρῶν ἄδωρα exitium quippè potius afferre quam vtilitatem solẽt, sed amoliendi ac impediendi damnum quod sunt inferre parati, iuxta potestatem à Christo in Ecclesia relictam his verbis *in nomine meo dæmonia eiicient.* Hoc fateor abiurare potius est quàm adiurare, ob similitudinem tamen seu quia permouetur diabolus non minus quàm si adiuraretur, adiurandi verbum retinetur.

Paulus prædicat,&c. sensus est, si verus Christus est Iesus ille quem Paulus prædicat, si vera eius prædicatio, exite à corporibus istis, hæc veritas inuocata adstringat vos ad id faciendum, sit abitio vestra huiusce veritatis argumentum.

Quartò pergratum Deo est atq; honorificum, boni aliquid propter ipsum facere, vnde ait Gen.22.*quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.* Iam verò si sanctum est, si religiosum, quomodo non etiam erit, alios per Deum adigere, vt tale quid agant? Sic autem adigere adiurare est.

Prostant in Ecclesia Catholica allatæ omnes Adiurationis species. Primò adiuratur Deus pater per verbum seu filium, in orationibus omnibus publicis, quæ sic exeunt, *per dominum nostrum Iesum Christum filium tuum*, constat autem sic exire quam plurimas. Adiuratur Spiritus sanctus iis aliis quæ clauduntur hoc modo. *per Christum Dominum nostrum*, in quibus scilicet de cœlestiũ donorum largitione, deq; mentis illuminatione specialibus Spiritus sancti effectibus agitur, vt in illa quæ principio Sabbathi sancti decantatur, & sic habet. *Veniat quæsumus omnipotens Deus super hoc incensum larga tuæ benedictionis infusio, & hunc nocturnum splendorem inuisibilis regenerator accende, vt non solum sacrificium quod hac nocte litatum est arcana luminis tui admixtione refulgeat, sed in quocumq; loco huius sanctificationis mysterio fuerit deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia, virtus tuæ maiestatis assistat*, & additur *per Christum Dominum nostrum*, qua proindè additione in adiurationem euadit, habemus ergo adiurari quoque apud nos Spiritum sanctum. Aliæ integrè diuinum verbum respiciunt, vt vltima quæ effertur feria quinta in cœna Domini. *Adesto Domine quæsumus officio seruitutis nostræ, & quia tu discipulis tuis pedes lauare dignatus es, ne despicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandasti, vt sicut hic nobis, & à nobis exteriora abluuntur inquinamenta, sic à te omnium nostrum interiora lauentur peccata, quod ipse præstare digneris, qui viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum Amen.* quæ conclusio perindè valet ac si diceretur, *per teipsum qui viuis &c.* & sic tota oratio manifestam rationem habet adiurationis. Tandem ex iis quæ ita desinunt, per eundem Christum Dominum nostrum, quædam Trinitati ipsi offeruntur, vt secreta illa quæ quotidie in Missis dicitur. *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus* & sub finem *per eundem Christũ Dominum nostrum Amen.* Quibus similiter postremis verbis palàm est triadem illam sanctam adiurari. §. 3.

conſpectu omnium. Notum eſt Lippis & tōſoribus quàm ſolenniter Lauduni in Gallia abactus ſit per adiurationem Exorciſtæ, loci illius Epiſcopi Beelzebuth, cum turmis ſuis à corpore Energumenæ circa annum Domini M. D. L X I V. Et quamuis nullus abigeretur, ſtarent adhuc res noſtræ, quia non hic diſputamus, quem effectum habeant adiurationes eiuſmodi, ſed cum actus ſint religionis, num à Catholicis vſurpentur ſicut & cæteri. Catechumenis quoque, & paruulis applicantur Exorciſmi ſecundum veterem Eccleſiæ conſuetudinem, cuius perſæpè meminit S. Auguſtinus, vt arceatur ab illorum corporibus idem Diabolus, inuidia crepans, quod ad Sacramentum properent, quod ſui eſſe deſinentes, Chriſti filij eſſe incipiant; ne item illis noceat, ne Baptiſmi effectum præſtigiis ſuis impediat, corruptam aut ementitam aquam veræ ſubſtituendo, aut ne immediatè reipſaque corpus attingat, ſed tantum attingere videatur ſatagendo, ſicut olim efficiebat, ne flamma læderet, vel proximè attingeret templum Iouis, quod erat Apamææ, vt ſcribit Theodor. lib. 9. cap. 33. Denique in aqua luſtrali implicitè exorcizatur ſiue adiuratur, quatenus Eccleſia ſuppliciter rogat per Chriſtum qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos, vt vſus eiuſmodi aquæ benedictæ prodeſſe poſſit fidelibus, aduerſus inſidias & molitiones Diaboli, v. g. vt repellat illum à termino iuſtorum, ne ſit in vmbraculo Eccleſiæ vel altaris, vt loquitur Antiſtes in cuiuſcunque conſecratione Eccleſiæ.

Poſtremò extat in Pontificali cuiuſque Diœceſis forma adiurandi nubes, tempeſtates, erūcas, ſerpētes, &c. vel potius in his diabolum ipſum, quando extraordinariè multiplicantur, ac ſe habent modo quodam innaturali & inſueto, ex quo facilè eſt intelligere, inſtrumenta eſſe immundi illius ſpiritus illa excitantis, & ſe comparantis illis mediis ad nocendum grauiter humano generi. Aliâs, id eſt, cum merè naturaliter videntur contingere, nec adiurari ſolent nec debent. Id ſi fiat ſuperſtitio erit priuati alicuius nullo modo imputanda Eccleſiæ, & ſæpenumero excuſanda ob ſimplicitatem & ignorantiam. At ſuperſtitioſa videtur ipſamet Eccleſia, cum in his adiurationibus alloquatur res inanimatas, ac ſaltem rationis expertes. Iam reſpondi non tam ad eas, quàm ad diabolum iis vtentem verba dirigi; addo-

ratus ſubditus eſt adiurantis, vt Eliezer reſpectu Abrahæ, vel deprecatio, quando è contra ſuperior eſt, vel ad minus æqualis adiuranti. Cum ergo ſancti ſuperiores ſint mortalibus ac ſaltem pares, orantur vtique à Nouatoribus ſi ab iis adiurantur. At nunquam orantur, vt vidimus cap. 10. §. 6. ergo nec adiurantur.

Quod ad Dæmones & arreptitios, non modò abſtinent ab illorum adiurationibus, ſed magnoperè etiam cauent ne tale quid aggrediantur, adeò infœliciter res illis ceſsit à principio, vt teſtatur in vita Lutheri Cochlæus, & præter illum Staphylus eximius quondam eiuſdem Lutheri diſcipulus. Neminem vnquam ne vnum quendam liberare à Dæmone potuerunt, quod ſanè per ſe ſufficit, vt coniectare meritò quiuis poſsit, non niſi falſam religionem eſſe penes eos. Siquidem neceſſe eſt, inquit Lactantius hanc ſolam *veram eſſe religionem, quæ & rationem Dæmonum nouit, & aſtutiam intelligit, & vim retundit, & eos ſpiritualibus armis domitos & ſubactos cedere ſibi cogit.* AEquè parum nituntur eundem immundum ſpiritum adiuratione arcere à Catechumenis vel baptizatis, quandoquidem eos iam ex materno vtero in Dei ius ac poteſtatem tranſiſſe per fidem Parentum exiſtimant, & ita nihil iis metuendum à Dæmone. Deinde cum ſcriptura nullibi præſcribat hunc ritum, quaſi in baptiſmo vſurpandum, aduerſarentur ſuis principiis, de nihil recipiendo quod ſcriptum ac iuſſum non ſit, ſi illo vterentur. Permouit hæc cogitatio Caluinum vt ſcriberet. *Neq; verò ignoramus aliis in locis adhiberi alias cæremonias quamplurimas, quas vetuſtiſſimas eſſe minimè diffitemur, ſed quoniam aut hominum arbitrio atq; libidine, aut certè leui aliqua de cauſa excogitatæ ſunt: Deniq; quoniam ſine verbo Dei fictæ & introductæ ſunt, nobis ſanè ſine vlla religione viſum eſt eas tolli atq; aboleri oportere.*

Lib. 4. c. 27.

In formula Sacram. adminiſtr.

Superſunt res inanimatæ, quarum adiurationem cum in nobis, quaſi ſuperſtitioſiſsimam inſectentur ac rideant, non eſt quod ab illis expectemus.

De Laudatione Dei actu 8. externo elicito veræ Religionis, & nota 10. eiusdem.

CAPVT XX.

§. 1. *Quid sit hæc laudatio, vbi de eius contrariis.*
2. *Actus est Religionis.*
3. *Et crebra in ore Catholicæ Ecclesiæ.*
4. *Cum è contra blasphemiis scateat Mahumetica.*
5. *Itemq́ Pseudoeuangelica.*

§. 1. EX laude vniuersim definita nullo negotio lector intelliget, quid sit Dei laus siue laudatio: Laudem propriè sumptam definiunt omnes, sermonem elucidantem rei alicuius excellentiam, non quod scriptione quoque elucidari nō posit, sed sermonis potius fit mentio quasi præcipui, & quo per se vtimur, scripto autem tunc solùm, cum sermocinandi coram deest occasio. Differt ab honore, à fama, à gloria, & tandem à reuerentia, quòd honor ex Arist. lib. 1. Ethic. cap. 12. honestarum tantummodo rerum sit, hoc est virtutum, quæ per se bonæ dici solent, suoque iure postulant, vt ad testificandam illarum dignitatem atque præstantiam, dentur ab hominibus signa quædam externa, eaque omnium nobilissima qualia sunt non verba, sed detectio capitis, genuflexio, loci cessio, obsequium, & alia id genus opera. Et quoniam virtutes soli Deo insunt, ac creaturis ratione pollentibus, fit vt cæteræ nullum ad honores ius habeant. Laus verò latius se exporrigit, si quidem in eas etiam creaturas cadit, quæ ad aliud relatæ, seu ratione vtilitatis solius quam afferunt bonæ habentur. Quo in genere inanimatas quoque numeramus, eas saltem ex quibus insignia quædam commoda deriuantur. A fama differt, eo quod fama non consistit in signis quibusdam extrinsecis, sed in aliorum iudicio propter quod vulgò definitur, *existimatio bona, de aliquo impressa menti vnius vel plurium.* A gloria autem, quia *gloria est præclari alicuius dicti factiúe manifestatio facta pluribus,* simul, vt quando Dux belli strenuus parente exercitu specimen dat egregium militaris

ris fortitudinis, vnde & definiri solet. *fama celebris honestatis, excellentibus in humanum genus meritis excitata, beneuolentiam multorũ concilians.* Honestatis dico quia esto quis opibus abundaret, omnium bellorum victor esset, cæterisque omnibus in rebus admirandus, si tamen honestati nõ se conformet, si sine iustitia & eius partibus, fide, benignitate, clementia, &c. viuat, nec laudem merebitur, nec videri gloriosus poterit, sed ingenti hac labe pulchritudinem omnem obscurante, inglorius erit & illaudabilis. Ea propter nemo in Tamerlano illo Tartarorum Rege gloria dignum arbitrabitur, nemo laudandum suscipiet, quod cum aliquando vrbem quæ dedere sese intra bidui spatium recusauerat, multis machinis oppugnaret, ac obsessi spem salutis omnem abiicientes habitu lugubri pueros omnes deformatos instruxissent, vt ad illum supplices accederent, & flebili clamore sublato misericordiam implorarent, hos ille pueros conspicatus eminùs equitum turmam obuiam misit, quæ illos omnes laniaret ac protereret, vrbeque mox potitus in omnem sexum tàm barbarè furorem exercuit, vt ne vnum quidem patriæ superstitem reliquerit. Differt postremo à reuerentia, quia reuerentia nec scripta nec verba postulat, sed vt notat Azor lib. 3. Instit. moral. cap. 7. habet aliquid metus seu pudoris admixtum. Est enim quædam velut animi retentio, & compressio siue contractio profecta ex apprehensione alienæ magnitudinis, quã dicto factoue offendere formidamus.

Et quoniam Deus per se bonus est, quin etiam optimus, perfectissimus, atque vtilissimus, quandoquidem ab illo in nos omnes beneficia tàm multa deriuantur, in obiecto laudis merito primas tenet.

Ex modis quibus institui laus diuina potest, alij sumuntur à vocis qualitate, alij à laudis ipsius argumento seu subiecta materia. Primi generis sunt sermo simplex sine cantu, cantus non figuratus, cantus figuratus siue Musica, & denique psalteria, cymbala, cytharæ, aliaq; id genus eiusdem Musicæ instrumenta. De sermone simplici nemini dubium est, quin meritò ac licitè vsurpetur ad laudandum Deum, maximeq; de primo isto intelligi potest illud Psal. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Et Psal. 73. *Pauper & inops laudabunt nomen tuum,* vtique non cantando siquidem Musica in egestate & luctu alio importuna

Digitized by Google

eſt narratio Eccleſ.22. Sed humiliando ſe coram Deo ac dicendo, *iuſtus es Domine, & iuſta iudicia tua*, vel cum alio, *ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Idem de ſimplici cantu iudicium, rectè inquam ad laudandum Deum aſſumitur. Vnde Ioſaphat 2. Paral. 20. *Dedit conſilium populo, & ſtatuit cantores Domini, vt laudarent eum in turmis ſuis.* Atque vt nos doceret ſcriptura, quàm arriſerit Deo hic laudandi modus, ſequitur, *cum cœpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias eorum* (id eſt hoſtium) *in ſemetipſos.* Ait quoque Iſaias: *Lauda ſterilis quæ non paris, decanta laudem.* Talis ad minus fuit hymnus ille quem ad laudem Dei cecinit Chriſtus, cum Diſcipulis ſuis, Marc. 14. Illa item pſalmodia de qua Apoſtolus Epheſ. 5. *Loquentes vobis metipſis in pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Hymnus*, inquit S. Auguſt. in Pſal. 72. *Eſt laudatio Dei cum cantico.* Sed & de Muſica ſeu cantu figurato idem dico ſentiendum.

Iſa. 54.

Primò, quia ſcriptura huic modo fauet, cum ait 1. Paral. 5. *Igitur pariter & tubis & voce, & cymbalis, & organis, & diuerſi generis muſicorum concinentibus longè ſonitus audiebatur.* Notanda hæc particula *& voce.* Lucæ item ſecundo dicitur cum Angelo facta multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum. Si cœleſtes hi cantores concentum inter ſe non efficiebant, quid opus fuit vni multos accedere, cum vnius vox cumulatiſsimè audiri à Paſtoribus potuerit? quomodo item plures eſſe, potuerunt Paſtores diſcernere? ſi vnus idemque omnium tonus erat, idemque maximè præciſus, rationem habebat vnius ſimpliciſsimæ vocis, nec à pluribus proficiſci videri poterat. Quod ſi melodiam concentumque fuiſſe ponamus, facillimè res tota explicatur, quia concentus ſtatim multitudinem prodit cantantium.

Secundò, Apoſtolus in cap. illo 5. vniuerſim de cantu loquitur ſine reſtrictione ad certam ſpeciem, atque ita noſtrum non eſt aliquam excludere. Neque enim reſtringendi ſunt fauores, ſed magis ampliandi.

Tertiò, quia hoc ipſo modo vſi ſunt colendo Deum viri ſanctiſsimi, de quibus Eccleſ. 44. *Laudemus viros glorioſos, & parentes noſtros in generatione ſua.* Et infrà: *In peritia ſua requirentes modos muſicos, & narrantes carmina ſcripturarum.*

Quar-

Digitized by Google

Quartò, quia cantus figuratus manifestè antecellit non figurato, siue artem consideres, siue vim inflectendi animos atq; permouendi; multo ergo magis diuinis officiis adhibendus. Eccuius erunt optima quæque, nisi diuini obsequij? De vi & efficacia illa sic loquitur M. Tullius l. 2. de legib. *Assentior Platoni nihil tàm facilè in animos teneros ac molles influere, quàm varios canendi modos, quorum vix dici potest, quanta sit vis in vtramq; partem.*

Quintò, quia maiori honori tribuunt, quotquot sunt Principes temporales, si laudes suas musicè decantari audiant, quàm si absque musica; siquidem ea ratione plus artis in iis celebrandis impendi, plus laboris adhiberi vident, atque adeò pluris se fieri.

Sextò, quia ne ipse quidem cantus simplex concentu caret. Nam vt docet Aristoteles in Problemat. pueri & senes vocibus suis acutis & grauibus natura duce octauam seu διαπασῶν generant, quæ tantum abest vt non sit perfecta consonantia, vt potius propter concentum perfectissimum vnisonantia dici soleat.

Septimò, quia simplex cantus vni priuato homini, figuratus autem multis omnis ætatis ad laudandum Deum conuenientibus respondet. Sicut ergo non ægrè fert Dominus, si multos seruos suos simul conuenire videat; immò id ei longè est gratissimum; ita neque fert grauiter voces illas promiscuas acutas, graues, medias animorum concordiam consensione sua repræsentantes.

Tandem homines sumus, & ad perseuerandum alacrius in diuinis officiis, aliquo indiget imbecillitas nostra, quo obrepens tædium ac fastidium minus sentiat. Hac consideratione scribit in suis Confessionibus S. Augustinus, introductum fuisse cantum in Ecclesiam latinam. Atqui figurato multo magis demulcetur, hilarescit, prolectatur, ac retinetur animus, quàm simplici.

Quod ad instrumenta musica, illorum quoque vsum rationi esse consentaneum, patet.

Primò, quia finitima sunt Musicæ, quam iam iam propugnauimus.

Secundò, quia recepit ea lex vetus, idque non vt legales aliquas cæremonias futurũ quodpiam nouæ legis mysterium portenten-

tendentes, sed vt naturales, 1. Paral. 15. *Vniuersus Israël deducebat arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis, & cytharis concrepantes.* Et Psal. 150. *Laudate eum in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, laudate eum in cymbalis benè sonantibus.*

Tertiò, quia humanam vocem ac Musicam supplent, tàm quoad laborem, quàm quoad perfectionem. Neque enim vt docent artis huius periti, adeò exactè seruatur in articulatis vocibus proportio ad concentum necessaria, atque in non articulatis: sicut ergo propter locutionem scriptiones & nutus retinemus, velut quædam eius supplementa; ita nos decet intuitu cantus tàm simplicis quàm figurati, Musicę instrumenta non respuere, sed magnifacere.

Quartò, bona sunt ea quibus circa diuina leuatur tædium & augetur deuotio, vt paulò ante dicebamus de cantu, quem ob id Caluinus non est ausus reprobare, sed potius magnifecit his verbis: *Si ad eam quæ Dei & Angelorum conspectum decet grauitatem attemperatus sit cantus, cum dignitatem & gratiam sacris actionibus conciliat, tùm ad excitandos in verum precandi studium animos, plurimùm valet.* Quomodo non etiam organa musica, quæ multò præstantius id præstare multis videntur? Agesilaus certè apud Lacedemonios, vt strenuorum militum animos instante pugna vehementer incenderet, de cantu vocali parũ sollicitus, Anapæstorum ictus excogitauit, quibus auditis ardebant pugnæ desiderio, & leonum instar in hostes ferebantur.

Lib. 3. Inst. c. 20. n. 32.

Interim totus hic cantus vt rectè se habeat, duo postulat saltem publicus. Alterum, vt fractus non sit & dissolutus, vanitati potius quam pietati seruiens. *Retinendæ sunt,* (inquit Clem. Alex.) *modestæ & pudicæ harmoniæ, amandando à forti & neruosa nostrà cogitatione molles & eneruatas, quæ improbo flexuum vocis artificio ad delicatam & ignauam vitæ agendæ rationem deducunt; graues autem & quæ ad temperantiam pertinent modulationes, ebrietati & proteruiæ valedicunt.* Iidem Lacedemonij vt orationem probabant simplicem & infucatam, sic cantu vtebantur grauissimo, & in hoc differebant ab Atheniensibus, quorum & dictio longè erat mollior, & cantus fractior.

Lib. 2. Pæd. cap. 4.

Alterum, vt ad eundem cantum publicum nec fœminæ vulgo admittantur, nec viri etiam laici (vbi saltem plures adsunt

Cle-

Digitized by Google

Clerici) sed aliquando tantum ad indulgentiam. Nam si vniuersim fœminis non permittit Apostolus in Ecclesia loqui, multo minus semper cantillare, præsertim cum voce sua natura molli, atque in vanitatem citò citius degenerante, pietati magis obfuturæ videantur quàm profuturæ, nisi modestissimus iis cantus præscribatur, modesta item ac simplex cantandi ratio, & locus extra virorum conspectum positus vt Monialibus. Laici quoque facilè dissonant, & sic cantum perturbando exponunt illum risui. Neutris certè, hoc est, nec fœminis nec laicis permissum fuisse videtur Leuit. 10. ita canere, sicut nec publicas preces fundere, sed solis filiis Leui, dicente Moyse ad Aaron & filios eius: *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta Sanctorum est, quæ data est vobis vt portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini?* Et vt ad gratiæ legem descendamus, in Conc. Laod. quod perantiquum esse constat, in cap. 15. decernitur, *non oportere præter canonicos Cantores qui in suggestũ ascendũt, & ἐκ διφθέρας* (id est ex membrana) *legunt, aliquos pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* Scio scriptum à S. Basilio. *Populi cum vxoribus ac mulieribus & pueris, & ipsis senibus antè portas effusi preces faciunt.* Verùm de cantu non loquitur, nec de precibus publicis, sed de priuatis quas populus Catholicus mœrens ob persecutionem Arianorum fundebat idque non intra templa ab iis profanata, sed antè fores. *Epist. 69.*

Dicamus nunc de modis laudandi Deum habita ratione materiæ.

Ad hoc primò pertinet, summam eius bonitatem, potentiam & perfectiones alias magnificè prædicare iuxta illud. *Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini*, quippè Dei nomen in sacris paginis perfectiones eius omnes vulgò significat, vt Psalm. 8. *Admirabile est nomen tuum in vniuersa terra*, id est, sapientiam, bonitatem, &c. tuam omnes mirantur & prædicant. *Psal. 112.*

Secundò, defectus ab illo omnes remouere, vt Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Hebr. 9. *Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Et 1. Pet. 3. *Non est inuentus dolus in ore eius.*

Tertiò, efferre laudibus effectus eius & creaturas quas fecit, ad quod prouocat nos Psalmographus dicens: *Laudate eum sol & luna,* *Psal. 148.*

luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen, nequaquam has creaturas propriè alloquitur, vt pote ſenſus rationiſque expertes, ſed per hanc proſopopeiam, docet nos, id facere ex illarum contemplatione. Ad numerum porrò creaturarum in primis maximeque pertinent viri ſancti, in cœlis iam cum Chriſto regnantes, in quibus poſſe ac debere laudari Deum, teſtis eſt luculentus idem Pſaltes cum ait: *Laudate Dominum in Sanctis eius.* Quid autem aliud eſt in iis laudare Deum, quàm in iis laudare dona & gratias, quas à Deo acceperunt, & bona opera quæ adiuti gratia iſta fecerunt, & mala quæ forti animo pertulerunt? Neque enim aliter laudabatur Apelles in picturis ſuis, quàm quod hæ dicerentur arte conſtare abſolutiſsima, quam ab illo acceperant. Rectè itaque Eccleſiaſticus occaſionem dare volens laudandi Deum, Sanctos

Eccleſ.44. ipſos laudare conſulit: *Laudemus viros glorioſos & parentes noſtros in generatione ſua.* Et infrà: *Sapientiam ipſorum narrent populi, & laudes eorum nuntiet Eccleſia.*

Quartò & poſtremò accepta ab illo beneficia fusè commemorare, quod quidem adeò cedit in benefactoris gloriam, vt poëta quidam ſcripſerit:

Et melior nulla quæritur arte fauor.

Diuinæ laudi oppoſita eſt blaſphemia, quam ſecundum vſum ſcripturæ ſacræ, & doctrinam Hugonis de S. Victore definire

Li. de fruct. carn. & ſpir. cap. 6. poſſumus, *loquutionem tendentem in diminutionem honoris diuini.* Sicut autem quatuor dictis modis laus Deo tribuitur, ita proferri poteſt blaſphemia. Primò, ſi qua perfectione ſua Deus à blaſphemo ſpolietur, vt omnipotentia ab illis qui dicebant; *Deus Ezechiæ eruere non poterit populum ſuum de manu iſta.* 2. Paral. 32. Secundò, ſi irrideatur, vel contemptu dignus eſſe iudicetur, Matth. 26. *Prætereuntes blaſphemabant eum mouentes capita ſua, & dicentes vah.* Tertiò, creaturas, ſententias, vel actiones eius aliquas ſuggilando, & ſic Matth. 12. blaſphemaſſe dicuntur, qui interpretabantur eius miracula præſtigias quaſdam eſſe dæmonis, & quidam Actor. 6. narrantur dixiſſe verba blaſphemiæ in Moyſem, id eſt, detraxiſſe Moyſi, & Apocal. 13. non Deus ſolùm, ſed etiam Sancti qui in cœlo ſunt, dicuntur à beſtia blaſphemari. Quartò, ſi bona quæ in nos

nos contulit aut inficiemur, aut deprimamus, aut alteri cuidam principio feramus accepta. Quid enim hoc aliud est, quàm illum profiteri nihil aut parum esse munificum, aut ab eo non descendere omne datum optimum, & omne donum perfectum?

Vtrum laudare Deum, & quæ Dei sunt, religionis sit actus, quæstio est ventilationem vix vllam desiderans. Eccui dubium esse posit laudibus Deum coli? Scribit Lucas cap. 17. ex decem leprosis sanitati redditis, vnum remeasse ad Dominum, eumque magnificasse velut summè potentem & bonum, & misericordem; de aliis autem qui vnâ regresi non fuerant, Dominum grauissimè conquestum dixisse, *nonne decem mundati sunt & nouem vbi sunt? non est inuentus nisi hic alienigena qui rediret & daret gloriam Deo.* Haud dubiè docemur his verbis magnificam laudem illam, quam vnus ille Christo decantauit, fuisse Christo honorificam, & actum vnum virtutis Religionis, cui propositum est gloria & honore Deum prosequi. §. 2.

Secundò, sacrificium inter hos actus reponitur, vt iam antè declarauimus: laus autem species quædam est sacrificij Psalm. 49. *Immola Deo sacrificium laudis.* Osee 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum.* Ac ne quis argueret impropriè esse sacrificium, ob idque nihil aut parum cedere ad Dei gloriam, testatur expresè scriptura eiusmodi sacrificio fore vt Deus colatur. *Sacrificium laudis,* inquit, *honorificabit me.* Paulò ante dixerat: *Inuoca me in die tribulationis eruam te & honorificabis me.* Quid est hoc loco honorificabis me, nisi laudabis me? hoc enim maximè facere solent, quicumque aliena ope à calamitate aliqua erepti sunt, extollunt ereptores suos laudibus, & magna animi gratitudine tantum iis beneficium acceptum ferunt.

Tertiò, quotidiè sacrificabat Iob pro filiis, ne fortè Deum blasphemarent Iob. 1. vt scilicet per sacrificium honorem Deo restitueret, quem ei blasphemando adimebant, si fortè blasphemabant. Iam verò si per blasphemiam honori diuino detrahitur, quomodò per Dei laudem illi contrariam huiusmodi honori non consulitur?

Digitized by Google

Quartò, colitur Deus quoties in animis hominum magna de illo exiſtimatio gignitur, quod præclarè ab eo fit, qui eum laudat, in conſpectu præſertim plurium: vnde nulla vnquam fuit natio tàm barbara, quæ deorum ſuorum præconia non cenſuerit partem eſſe cultus qui iis debebatur. Dianam coluerunt Epheſij, ſimul autem Actor. 19. laudant illam exclamantes quaſi per horas duas, *magna Diana Epheſiorum.* Et Daniel. 14. cultores Baal, de illo item conclamant, *Magnus es Bel, & non eſt apud te dolus quiſquam.* De aliis olim apud Romanos Herculis ſacerdotibus ſcripſit quidam,

incenſa altaria circum
Populeis adſunt euincti tempora ramis.
Hic iuuenum chorus, ille ſenum qui carmine laudes
Herculeas & facta canat.

Hoc eodem modo inſignes quoſcumque viros coli ſolitos teſtis eſt Cicero cum ait: *Grauiſſimus auctor in originibus dixit Cato, morem apud Romanos hunc epularum fuiſſe, vt deinceps qui accumberent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atq; virtutes.*

§.3. Illuſtriſsima eſt in Eccleſia Catholica Dei laudatio, nec quidquam quod ad eam faciat prætermittitur. Plenum eſt pſalterium diuinis laudibus, ab illa autem iugiter recitatur, horas ſuas ſeptem canonicas ex eo præcipuè coagmentat, & Clericis omnibus ſuis ſacro aliquo ordine initiatis, vel Eccleſiaſticum beneficium conſecutis, tam Regularibus quàm ſecularibus ex obligatione recitandas proponit. Præter quos multi etiam laici ſponte propria illas recitant, de quorum numero inter alios fuit noſtra ætate Petrus Gregorius, qui ſyntagma iuris in lucem edidit, & quocum magna mihi olim neceſsitudo fuit; ſit iam in pace ſpiritus eius. Is tametſi vxoratus, & curis obſtrictus non vulgaribus, quas ei partim res familiaris, partim docendi munus aſsiduum, & in Academia Muſsipontana decanatus afferebant, non prius ſomnum oculis dabat, & palpebris ſuis dormitationem, quam ſe Clericorum more huiuſmodi penſo liberaſſet.

Præter

Digitized by Google

Præter Psalmos ferè semper in ore habent Catholici eximium illud Epinicion, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto, sicut erat in principio & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.* Sæpissimè item hymnum Ambrosianum. *Te Deum laudamus,* & illum alium de cœlo delapsum, *Gloria in excelsis Deo,* & quamplurimos congruentes variis solennitatibus, istoque vel alio simili modo exeuntes. *Laus & perennis gloria Deo Patri & Filio, sancto simul Paracleto, in sæculorum sæcula.* Accedunt orationes creberrimæ, quibus Deo nunc vnam, nunc insignem aliam virtutem inesse profitemur. Vt *Deus cui proprium est misereri semper & parcere, &c. Deus à quo bona cuncta procedunt, &c. Omnipotens sempiterne Deus, qui terrena simul & cælestia moderaris, &c Deus cuius est totum quod est optimum, &c. Deus sine quo nihil est validum nihil sanctum, &c. Deus cuius misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, &c.* Vt verbo dicam, quicquid ab eo dictum factum, volitum, aut constitutum est, id bonum valdè, & iustum, & absolutum, & sapientissimè decretum agnoscunt ac prędicant. Ne diabolum quidem excipiunt, qui inquiunt nequaquam malus est vt à Deo conditus, sed quam acceperat naturam bonã peruersitate propria malam effecit, vnde in veritate non stetisse dicitur. Nec lupos, serpentes, cicutam, aconitum, &c. & res id genus alias homini noxias, tum quia ex illis abusu potius, & imprudentia propria, quàm aliunde damnum accipit, vt cum quis vino sese ingurgitat, aut proprio confodit ense, vnde scriptum est, *creaturæ Dei factæ sunt in muscipulam pedibus insipientium,* tum quia prosunt ad exercendum industriam nostram, vt ab illis caueamus, & patientiam, vt damna vel molestias quas inferunt fortiter perferamus, & ad acuendum futuræ vitæ desiderium, vbi nulla talis est infestatio. & ad deprimendam hominis superbiam ferre non valentis morsum pulicis, & denique diuinæ iustitiæ seruiunt peccata nostra castiganti, præsertim venialia sine quibus non viuitur super terram. At nunquid non interdicunt sacerdotibus coniugium alioquin à Deo institutum, & in Quadragesima à cibis abstinent, quos Deus creauit? Respondeo neque illud, neque istos idcircò ab iis malos reputari. Si Medicus vinum interdicat homini febre laboranti, an propterea illud bonum negat esse? Minimè profectò, sed quia videt ægrotum pessimè affectum, nec excitamentum postulare exuberantis caloris sed refrigerium, potum

Sap. 14.

hunc non simpliciter, sed peraccidens, & secundum quid, hoc est ei malum esse concludit ob idque interdicendum. Eodem modo cum sacerdotes continentiæ voto sint præuenti, & obstricti ad decurrendum in eo statu vitæ reliquum, quo liberius, & expeditius diuinis vacent obsequiis, meritò illis ad carnale coniugium via præcluditur, sicut etiam ei qui cum Bertha contraxit potestas adimitur quamdiu illa viuit, contrahendi cum alia, quia sic in Berthæ transiuit potestatem, vt sui iuris esse desierit. Carnes similiter in Quadragesima non excludunt vt malas, sed eadem ratione qua Sectarius cum ieiunat à carnibus, & alio quouis cibo abstinet. Is si antè prandium interrogaretur, quare iis non vescatur? num metuat ne Dei creaturam illo quoque antemeridiano tempore bonam infamare, & quasi malam respuere videatur, dicet haud dubiè, nihil se tale metuere, quia vsum illius non suspendit in perpetuum sed ad tempus, idq; non quasi rei malæ, sed quasi rei quæ tūc assumpta obstaret fini quem sibi proponit, castigationi inquam carnis siue concupiscentiæ. Hoc ipsum quasi ab iisdem Catholicis in re non absimili responsum accipiat.

Iisdem non est satis Deum in se laudare, omnia quæ in eo sunt suspicere, quicquid vituperio dignum ab eodem remouere, excurrunt insuper in laudes Sanctorum omnium præsertim beatissimæ Virginis Mariæ, in cuius solennitatibus norunt, qui intersunt & audiunt, quàm multa dicantur in publicis precibus, & è superiore loco tam à Concionatoribus, quàm à piis Adolescentibus (vbi non bonis modo literis sed solida etiam, & verè Christiana pietate imbuuntur) ad eximiam eius Laudem pertinentia. Agnoscunt vltrò quod dico Aduersarij, immò etiam contendunt illos in hac Laude modum seruare nullum, sed longè extra oleas ferri, illa de hac eadem Virgine, deq; sanctis pronuntiantes, quibus de Deo ipso nihil maius commemorauerint. Quid enim maius de illo efferri potest, quàm si peccatorum nostrorū vincula rumpere posse videatur, & conferre nobis vitam æternam? Illis autem cœli ciuibus hoc ipsum adscribunt, vt in hymno Apostolorum Petri & Pauli. *Iam bone pastor Petre clemens accipe vota precantum, & peccati vincula resolue tibi potestate tradita, qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.* Et in Antiphona quadam. *Salue Regina mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra.* Et infrà: *Eia ergo*

 aduocata

aduocata nostra illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte, & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. His non contenti diuos illos, & diuas vocant, quod perinde videtur ac Deos, & Deas appellare. Eosdem maximè B. Mariam nunc cum Luna & Stellis, nunc quod intolerabilius est cum Sole ipso comparant, singulare nihil in cœlo relinquentes, quo Dei Maiestas exprimatur. Hæc minacia obiecta facile est retundere, videlicet quosdam Dei effectus sanctis attribui, non tamen solis, nec vt causis primariis, sed vt instrumentalibus, quod dum facimus duce & auctore scriptura ipsa facimus, quæ peccata à sacerdotibus remitti docet, Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Et à sanctis conferri gratiam, Rom. 1. *Desidero videre vos vt aliquid impertiar vobis gratiæ spiritualis,* esto scriptum sit, Psalm. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus,* & saluari peccatores, Iacob. 5. *qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte,* & fieri miracula, tametsi dicatur Deus facere mirabilia magna solus. Exod. 11. *Moyses autem & Aaron fecerunt omnia signa, & ostenta quæ scripta sunt coram Pharaone,* & introduci populum in terram sanctam, Deut. 31. *Confortare & esto robustus, tu enim introduces populum istum in terram, &c.* quamuis scriptum sit cap. 18. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam.* Diui à Catholicis appellantur, sed non idcircò Dij, quia Diuus dicitur, quia ob insignem aliquam dotem singulariter Deum repræsentat, vel propius ad illum accedit quàm cæteri. Sic iura Imperatoribus epithetum hoc tribuunt propter potestatis eminentiam. At nonne sancti per sanctitatem, & gratiam qua pleni sunt, & potentiam sibi datam ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, & beatitudinem qua modo perfruuntur, multò magis Deum participant? nihil profectò minus est diuinum esse quàm diuum; at constat plurima sic appellari, hoc est diuina, quæ interim paria Deo facere nullo modo cogitamus. Cicero in libro de Amicitia animos hominum diuinos vocat. & lib. 1. de Orat. hominem facundum hominem diuinum in dicendo. Rursus quæcumque in suo excellunt genere, & amplissimè fiunt, diuina dicere consueuit, vt Act. 6. in Verrem, *O diuina Senatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio.* Et quamuis etiam dum adhuc terram incolebant, ob sanctitatem, potestatem, & gratiam illam dicti fuissent Dij, adhuc reprehensione carerent

rerent Catholici, cum similiter Moyses adhuc viuens dictus sit Deus Pharaonis, Exod.7. & in Psalm.18. Iudices Dij nuncupentur. Eadem scriptura sanctos homines soli, lunæ, ac stellis assimilare non dedignatur, Iud.5. *Qui diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* Psalm.88. *Thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum.* Cant.6. *Quæ est ista quæ progreditur, quasi aurora consurgens pulchra vt luna, electa vt sol?* Genes.37. Ioseph afflatu Dei etiam soli se præfert dicens, *vidi per somnium, quasi solem & lunam, & stellas vndecim adorare me*, in qua sententia Iacob manifestè soli comparatur. Tandem si postquam obiit Caluinus Bezæ dicere licuit solem occubuisse Ecclesiæ, non poterit à Catholicis virgo illa inclyta sol appellari, quæ concipere, & parere, lactare & circumferre meruit filium Dei?

Beza in vita Caluini.

Laudant postremò Deum singulari studio à beneficentia, eo ipso quo affatim ei gratias agunt, vt testantur orationes illæ publicæ ac quotidianæ, quæ post communiones appellantur. Et prætereà vulgatum illud populi responsorium, *Deo gratias*, de quo S. August. *quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo explanemus, quàm Deo gratias? hoc nihil dici breuius, nihil audiri lætius, nihil intelligi gratius, nec agi fructuosius potest.* Et tertiò pars illa hymni cuiusdam frequentissimi, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*, id est, propter æternam beatitudinem, quam nobis præparasti, & propter omnia vitæ huius bona, quibus ad illam disponere nos, beneplacitum fuit ante te. Et denique passio Dominica, quæ ad reparationis nostræ incomparabile beneficium grata perpetuaque memoria recolendum, variis in locis, aut quotidie legitur, aut singulis sextis feriis.

In epist. ad Marcell.

Quo autem apud illos, & augustiores sint Dei laudes, & Deo gratiores duo obseruant, alterum decantant eas non voce tantum simplici, vt quando separatim horas recitant, sed etiam cum cantu simplici in choro diebus feriis, & cum cantu figurato musicisque instrumentis in Dominicis, & aliis solennioribus, præsertim in Ecclesiis cathedralibus, qui cantus tam pius ac patheticus solet esse, vt quo tempore degebã Lutetiæ Parisiorum Caluinista quidam templum præteriens B. Virginis sub vesperam, quando pro more inclytæ, & planè regiæ illius Ecclesiæ concinebatur, *Inuiolata, integra, & casta es Maria*, illectus Symphonia ingressus

ſus ſit ædem ſacram, vbi adeò permotus eſt interius, videns præſertim loci maieſtatem, vt ſectæ ſuæ deſerta faſtidiens efficacem cogitationem ſuſceperit aggregandi ſeſe Eccleſiæ Catholicæ. Alterum cauent diligenter, ne earundem laudum decorem admixta vanitas aliqua inficiat. Itaque licet elegantes nonnunquam hymnos modulentur, cuiuſmodi ſunt qui iſta habent initia, *vt queant laxis reſonare fibris*, &c. *Pater ſuperni luminis*, &c. *Æterni Patris vnice fortem virili pectore*, &c. *Pange lingua glorioſi corporis myſterium*, &c. *Pange lingua glorioſi prælium certaminis*, &c. Vt omnes intelligant non deeſſe facundiam, qua perpetuò ſi conſultum eſſet vterentur; vt plurimum tamen ſtilum vſurpant pedeſtrem ac ſimplicem, ſcientes quod non in infacundiloquio ſuo exaudiendi ſint à Domino, ſed magis in feruore ſpiritus, & tam dictionis quàm morum ſimplicitate dicente Salomone, *cum ſimplicibus ſermocinatio eius*. Vnde licet vnam eandemque vocem pluries repetere, vel ſententiam non ſit in more poſitum iis qui humana ſapiunt, & quærunt vbique delectabilem varietatem, quia tamen magni eſt affectus indicium, quaſdam aliquoties reciprocant, & modò cum Angelis ter dicunt, *Sanctus, ſanctus, ſanctus*. modo, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, &c. ad quod multum iuuantur ipſius exemplo Chriſti qui in horto dixit tertiò eundem ſermonem. *Prou. 3.*

Quod ad blaſphemias, ſi non ſemper ab illorum vita, à doctrina ſaltem, remotiſsimæ ſunt. Decreto Iulij III. Romani Pontificis ſoluere iubentur prima vice ſcuta auri 40. in orphanorum vſum conuertenda, aut decem ſi fortunæ ſint admodum tenuis: altera vice duplicatur vtraque mulcta, præter quam incurritur quoque infamia cum inhabilitate ad honores, dignitates, & quæcunque beneficia; tertia verò triplicatur, & vacant ipſo facto beneficia, dignitateſque omnes illius, qui ſe toties hoc ſcelere proluerit. His pœnis tametſi grauibus facta eſt multiplex acceſsio per extrauag. Leonis X. & Iuſtinianus in Authent. Conſt. 77. hanc impietatem decernit extremo ſupplicio vindicandam. S. Ludouicus Galliæ Rex blaſphemantium linguam ferro candente adurebat, atque ſeipſum hanc pati pœnam paratum profitebatur, ſi ea exſcindi tantum poſſet flagitium (tametſi Paulus AEmil. lib. 7. hiſt. Franc. candentem laminam referat fronti blaſphemi inuſtam eodem iubente Rege) quod adhuc

fuisse seruari solitum eo tempore, quo Lutherus fecit à nobis diuortium, testis est Boier. in decis. 301. Burdegal. Meminit eiusdem pœnæ, tanquam receptissimæ Pappo lib. 1. tit. 2. Arresto. 1. additque horribiliores blasphemias à Catholico Magistratu etiã morte vindicantes, ac reipsa Burdegalæ 20. Iunij M.D.XXX. Latam à Curia capitalem sententiam in Philippum Huant, cuius lingua primum resecta, subinde corpus viuum flammis datum. Aliam item in alium, qui beatissimam Virginem affecerat probris grauissimis, propter quod linguã ei forceps, caput ensis demessuit. Et in summa Franciæ Reges ferè circa regni auspicia faciunt ab eiusmodi legibus initium hæreditario quasi iure, vt blasphemos in chamo & fræno constringant, de quibus in ciuitate Aurelianensi dictum à Christo sciunt Roberto antecessori suo Hugonis Capeti filio, quod in regno suo pacem non haberet, quandiu eos toleraret. In Hispania blasphemis carcer prima vice indicitur, ex quo ante integri mensis decursum non educuntur. Secunda pecuniæ summam non mediocrem pendunt, & in exilium per semestre relegantur: tertia verò, iis lingua perfoditur, nisi blasphemus, inquit Couar. sit ex illis qui scutiferi appellantur, vel maioris conditionis homo. Is siquidem pro tertia blasphemia duo quadrãtum millia fisco numerare iubetur, & ad annum deportatur. Et quamuis vt addit, præfata linguæ confixio quæ clauo fit, aliquot in locis obsoleuerit; in eam tamen mutata est, qua ligno lingua premitur. Hispani lignum hoc *Mordaca* vocant. Seneca lib. 4. de benef. cap. 16. *linguarium* latinè dixit.

1. p. relect. in Rubric. de pactis, §. 7. n. 11.

§. 4. At secundum doctrinam Mahumetis vix quidquam est in Deo laude dignum, multa execratione ac vituperio. A bonitate maximè, ab omnipotentia, sapientia, & similibus, si ab alia re quapiam laudari posse videretur; atqui eum præclaris istis attributis spoliat Mahumetes, vt vidimus cap. 3. 4. 5. 6. &c. nec spoliat solum, sed contrariis etiam subiicit, & boni vice obtrudit nobis improbum, vice potentis imbecillum, &c. cum in mentem satis venire nequeat, quo modo sapientissimus non sit, nisi quia permixtam habet cum sapientia insipientiam, & ita de cæteris. Non itaque Deum laudandi ansam suis præbet, sed maximè vituperandi, frustraque instituit, vt in Meschitis multoties occinatur, *alhendu lillabi*, hoc est, *gloria sit Deo*, quæ enim gloria inclementi,

qua-

qualem sæpè facit Alcoranus, vt in Azo. 12. vbi dicitur Deus nunquam placari homicidis, nec ab iis flecti posse ad misericordiam, sicut neque à filiis qui parentibus suis malè precati fuerint. Quæ item laus inducentis peccatores ad nequiter operandum? inducit autem Deus secundum Mahumetem, vt vidimus cap. 4 § 4. & inducẽdo vituperabilior est, & pœna dignior, quàm illi ipsi peccatores, ob id namq; & serpens magis punitus est quàm mulier, quemadmodum & mulier plusquam vir. Et Iesabel maiores pœnas dedit, quàm Achab vineæ raptor, ipsa quippe vniuersum hoc negotium texuerat, Regisque lapsus occasionem dederat.

Secundo de variis creaturis pessimè loquuntur & sentiunt, atque ita Deum ipsum inhonorant illarum conditorem, tantum abest, vt eum laudandi ansam ex iis arripiant. Dicamus primum de ignobilioribus quales sunt inanimatę, tum ad nobiliores gradum faciemus. Ad inanimatas vinum pertinet, quod à Diabolo esse non à Deo, nec licitè vsurpari posse ex Alcorano manifestè liquet. Ad eminentiores verò Christus Dominus secundum carnẽ, & Angeli, & æterna ipsa fœlicitas. Agnoscunt in Azo. 4. & 5. primatum inter creaturas vni Christo datum, eũdem Dei esse animam, verbum, sapientiam, caput item Prophetarum, Mahumete ipso longè superiorem. Quis iam eos crederet in eum ducturos verba blasphemiæ, seu de eo aliter quàm honorificẽtissimè locuturos? & tamen in Azo. 13. scribunt arsisse illum ambitione tanta tamq; sacrilega, vt ab irato Deo verba ista audiuerit. *O Iesu fili Mariæ, tu persuades hominibus, vt te Dei loco matremq; tuam habeant.* Quantum flagitium rogo? Dei ambire nomen, honorem, dignitatem? non esse sua contentum sorte? extra præscriptos sibi cancellos egredi? quæ in Deo potissima sunt sibi arrogare? vtque sibi tribuantur, auctorem esse hominibus? nec sibi solum, sed etiam matri suæ, de qua nulla est dubitatio, quin mera sit creatura? qualis est Deus ipse secũdum Alcoranistis, quorum iudicio tam flagitiosa, & iniqua est Dei anima, verbum & sapiẽtia? Hanc siue Christum, si Diabolum vocassent aut Prometheum, adhuc & illum iniuria graui, & Deum ipsum dedecore affecisse viderentur; quanto nunc magis cum vtroque illum deteriorem nobis faciant? Diabolus quippe nec solus nec proprie haberi Deus voluit, sed Dei tan-

tum similitudinem appetiuisse legitur. Prometheus rapere duntaxat ausus est, si habemus Poëtis fidem, de summi Iouis igne particulam, propter quos interim ausus sacrilegos, in Caucaso est monte religatus, & euiscerandus vulturi traditus. Christus autem vt aiunt, cum non esset Deus verè se Deum fecit.

Item ad ordinem eminentiorem creaturarum spectant Angeli, & tamen de his quoque indignissimè sentire solent & loqui, quod si ostendero, erit planè cur Deum ab huiusmodi secta non efferri laudibus, sed magis magisque in suis creaturis vituperari, contemnique arbitremur, atque ita eam à Religionis virtute abesse longissimè. Angeli duo sunt inter alios, quos in Alcorano suo sæpè scribit Mahumetus à Deo missos ad compescendas iniustitias mortalium, & iussos diuertere ad hospitam quandam tum optimam, cum formosissimam, cuius specie capti, & amore irretiti post lautissimam tractationem, non retribuerunt bona pro bonis, sed mala, vim siquidem eius pudicitiæ intulerunt, quod vbi resciuit Deus, mox furore percitus sententiam in eos tulit, vt ad diem vsque iudicij in puteo quodam Babylonico penderent à pedibus, perinde ac boues cum exenterantur, de qua vanissima fide mentionem quoque facit Guill. Postellus in lib. de rebus Turcarum. Ecce qualiter vilissimi terræ vermiculi, de eximiis illis spiritibus, qui stant coram Deo semper, & summa cum veneratione ac sanctitate illi seruiunt, sermocinantur & scribunt. Nihil dubium quin in Deum ipsum tota hæc blasphemia refundatur, vtpotè cuius Ministri præcipui, tàm creduntur esse turpes & flagitiosi.

Item ad creaturas refertur cœlestis beatitudo quàm bonis & diligentibus se præparasse Deus creditur, & in qua iis suæ Maiestatis copiam facit. Haud dubiè si eam demonstrauero iuxta illa Mahumetis dogmata locum esse impuritate superantem prostibula omnia, nec sanctorum esse habitaculum, sed hircorum salacissimorum, nō dignum Deo præmium, sed Lenonis spurcissimi, non summi honestissimique Regis beneficium, sed infamis Epicuri aut Heliogabali donatiuum, non denique retributionem quæ illustret Dei gloriam, sed quæ eundem supra modum dedecoret,

coret, de se benemeritos tàm abiectè remunerantem, eaque largientem quæ porcos magis quàm homines, & lurcones quàm honestos decet. Si inquam hoc demonstrauero, palàm erit ab eo procul abesse Mahumetem, & qui eius castra sequuntur, vt videri posint Deo laudem ex creaturis quæsiuisse. Continet beatitudo quam describit, voluptates omnes corporis, sed præcipuè venereas, & quæ in proritando gustu versantur. vt fusè traditur in Azo. 1. 28. 64. & 65. docetq; his verbis Cuspinianus in Mahumete primo: *Docuit insuper voluptates corporis futuræ fœlicitati minimè officere, cum legem suam seruantibus promitteret deliciarum hortum paradisum, quo optatißimis fruituri essent deliciis, & omnis generis voluptatibus, puellis vestes ornatas, cæteris quas quisq; expetere posset carnis voluptates, qua versutia mollem suapte natura populum quo voluit traduxit, cum omne genus libidinis ac voluptatis promitteret.* Addit Mahumetus in Azoaris illis, *ibi vestientur omni colore præterquam nigro.* Si vestientur quomodocumque id fiat, illic ergo textores erunt, & infectores, & fullones (neque enim ex mundo beatificas vestes illas accipient, secumque asportabunt) quo quid dici potest amentius? quorsum indumenta nisi ad frigus, imbrem, & alias cœli iniurias propulsandas, vel velandas partes corporis, quæ patere absque pudore nequeunt? At in cœlesti illo regno, nec frigoris sensus aderit, nec dolor vel æstus, quæ prima abibunt, nouaque fient omnia. Sed nec ibi locum pudor inueniet, quia peccatum & omnis concupiscentia mala, quam meritò sequitur erubescentia procul erunt. Nam neque Adam & Eua priusquam peccassent amiciebantur; à solo peccato pudor prodiit, nihil præter culpam velamenta dedit corporibus. Hoc quoque percontor de copiosis illis dapibus quæ ibi futuræ dicuntur, quomodo eas beati concoquent & excernent? Num ibi ex consequenti futuræ sunt foricæ quæ fæces recipiant? Videtur mihi Mahumetus tanquam solers vnguentarius pedori huic occurrisse, dum excrementa in sudorem abitura tradidit. Multum ergo illic sudabitur, ab iis maximè qui continuò erunt saturi. At prouidendum quoque fuit, qua ratione sudor tantus depelleretur à corporibus. Num balneo, num strigilibus? num pannis & frictionibus? vndique angustiæ & sordes plurimæ, ex quibus immensum quoddam sterquilinium, & cloacam fœdißimã necesse tandem est resultare. Quæ fortè cogitatio illum admonuit,

Digitized by Google

nuit, vt paulò inferius scriberet odores suauissimos ibi ex pomis emanaturos, & thymiana illud sterquilinarium temperaturos. In eundem fortè finem aderunt, & scopæ, quæ sordes in aceruum colligant, & fæculenti topicorum repurgatores. Haud dubiè talia de vita illa beata effutire, nihil est aliud quàm summa libertate blasphemare. Obiter solum explicandum est, quomodo de eadem beatitudine similia quædam dici non possint iuxta doctrinam Christi, cum prædicat iustos in cœlo epulaturos cum gaudio, & recubituros cum Abraham, Isaac, & Iacob. Respondeo non esse simile. Nam Christus vsus est hac loquendi forma iuxta receptam apud Iudæos consuetudinem, qui per esum huiusmodi spirituales ac sempiternas delicias, velut per aliquid analogum indicabant; vnde & ipse non semel quæ ita dicebantur, figuratè accipi debere admonuit, & post missum in Apostolos Spiritum sanctum, enucleatiora fuerunt omnia. Tunc cognitum cibi nomine cuius meminerat, intelligi vel quodcumq; opus bonum pariturum dulcissimam in cœlo satietatem, quo pertinet illud Psal. 127. *Labores manuum tuarum quia manducabis*. Et Ioan. 6. *Operamini cibum qui non perit*, vel satietatem ipsam omni cibo suauiorem opera nostra coronaturam. At Mahumetus figuris, tropisque exclusis, ac si genuinam gestæ rei contexeret historiam, omnia in cœlo sic se habere scripsit, vt retulimus; nec vnquam Turcarum sacrificuli spiritualem aliquam interpretationem afferre solent, sed Maiorum suorum traditione sic intelligenda didicerunt, vt prima fronte verba sonant.

Ex his ergo liquet abundare eos blasphemiis, in laude autem Dei esse parcissimos quippe vix alio eum præconio celebrãt, quã quo asseritur vnus esse non multiplex, & cum hoc depromunt non cantu vtuntur figurato aut musicis vllis instrumẽtis, sed simplici voce, quæ potius boatus quidam ingentissimus dici, quam cantus debeat.

§. 5. Vix ouum ouo similius est ô Sectarij, quàm vos in hac parte Mahumetanis, palàm id faciam, sumpto initio ab eo quod iam dicebam. Qui ex vobis Caluino adhærent, profitentur in diuinis officiis nec cantu vti figurato, nec musicis instrumentis. Suspicor quidem nonnullis in locis horum iam vsum introductum, adeò mutationi obnoxia est secta ista sicut & aliæ, nec diu carere potest

test oblectamento aliquo sensuum;ab illius tamen principio non fuit sic,nec iam est vbi viget acrius, & pertinacius inhæret Antesignani sui vestigiis. Plurimum me fallit coniectura,si vera ac sola huius rei causa, cur scilicet initiò hunc cantum hæc item instrumenta in templis supprimere decreuerunt, non sit vt eo religiosores & sanctiores viderentur,quo ab omni scurrilitate remotiores. Verum enimuerò perparum hoc prodesse potuit ad persuadendum tales eos esse sapienti, vt qui probè nouit scurrilitatem vitium esse non Musicæ, sed inanium quorundam Musicorum, præter quos inuenire est alios, depromentes ex arte sua cantum figuratum, superantem quoscunque non figuratos virtute conciliandi modestiam,& pietatem excitandi. Atque vtinam saltem cantus ille simplex quem adhibent Venereum nihil redoleret, sed redolet heu nimis. Est mihi liber præ manibus Geneuæ excusus titulo isto præmunitus, *Cantiones spirituales*, & certè rythmicè tangūtur in iis, quæ maximè sacra sunt & spiritualia, puta quæ ad Dei præcepta pertinent,quæque ad fidei articulos. Verum præter errores & blasphemias commixtas omnem perdentes vnguenti suauitatem,resonatur cantio quælibet ad modum prænotatæ alicuius salacissimæ. Exemplum, Authoris verba sunt,cantio noua & spiritualis resonanda ad modū cantilenę. *Seruiam amoriū Deo,&c.* Rursus, cantio aliā noua & spiritualis modulanda ad imitationem cantilenæ: *Mi Domina succurre languori meo consuetū amoriū remediis,&c. & sic de cæteris.* Haud dubiè quemadmodum iuxta Dominicum præceptum non prohibemur solum habere coram vero falsos Deos,sed etiam falsorum imagines, Exod.20.sic hominum verè Religiosorum est, non modo abstinere à lasciuis cantionibus, sed etiam à cantu qui ex iis depromptus non potest non refricare illarum ipsiusque argumenti memoriam. Eleganter Cicero,*non solum crimine carere debemus,sed etiam suspicione criminis.*

Iidem Caluinistæ dogmatibus suis præcludunt sibi viam laudādi Deum. Nam cum nos rideant Caluinum suum secuti,quod quadragesimale amplectentes ieiunium, & beatissimæ Virgini Mariæ salutem dicentes, insistere audeamus Christi vestigiis, & officium vsurpare Gabrielis Archangeli, legem ac necessitatem imponunt sibi abstinendi à Dei laudibus, ne si eum laudare tentent, Christi quoque imitatores habeantur, & Angelici muneris æmu-

æmulatores. Nisi fortè negare velint Christum aliquando laudasse Deum, etiam cum cœna facta hymnum recitauit. Angelos similiter diuinis laudibus aliquando dedisse operam, etiam cum facta est multitudo illa militiæ cœlestis dicentium, *Gloria in excelsis Deo*.

Cap. 10. §. 5. Adhæc qualescumque Dei laudes concinant, tàm illi quàm Nouantes alij breuissimæ sunt. si namque breuissimæ sunt orationes quas fundunt, vti iam supra vidimus, & multò magis id spectant, vt à Deo petant & impetrent quibus indigent, quàm vt illius dicant magnalia, perfacile est concludere eos ad laudãdum Deum morula vix vti temporis, & certè in precibus suis quas Ecclesiasticas vocant, vix aliud quàm postulationes inuenias. Psalmos decantant, sed quot singulis vicibus quibus congregantur? vulgò vnicum, eumque non adeò longum. Quanquam esto plures concinerent, id nequaquam ad perfectam Dei laudem sufficeret, eo quod Psalmi non ponunt ante oculos omnia Euangelicæ legis mysteria, nec cunctorum descriptionem continent quæ laudabilissimè Christus egit, non miracula quæ patrauit, non beneficia quæ contulit, non mores sanctos quibus resplenduit, non labores quos causa nostra exantlauit, nõ munia & leges quibus sapientissimè Rempublicã suam temperauit. Accedit quod cum in genere duntaxat, obscurè & implicitè manifestent nobis ea quæ Psalmographus spiritu prophetico ex eadem lege gratiæ quasi frustillatim decerpsit, omninò alios quoque hymnos ad maiorem tot tantarumque rerum commendationem, in lucem edi oportuit ac decantari.

Sed quod omnium deterrimum videri debet, quemadmodũ inepti sagittarij si semel scopum feriant, centies aberrant, & peccatores grauissimi vni operi bono moraliter, quam plurima opponunt flagitia, quibus id etiam demoliuntur, quod vtcumque benè ædificauerant; sic Nouantes illi infœlicissimi modicas Dei laudes ingenti blasphemiarum caligine obscurant, & mole opprimunt.

Intolerabilis blasphemia est, malorum quæ sub sole fiunt authorem Deum facere, itaque licet auditum sit Gentiles quosdam peccatorum causas in naturæ imbecillitatem reiecisse, alios in astra vt Babylonios, alios in Parcas vt Poëtas, alios in fatum vt Philo-

Philosophos, alios in externam vim noxiam atque pestiferam vt Manichæos; qui tamen eam Deo adscripserint, de nullis legitur. Vni Luthero ab exordio humani generis est hæc palma impiissimæ doctrinæ reseruata, & per illum quod antiquus hostis frustra sæpè tentauerat, tandem cum infinita hominum ruina perficit, vt scilicet summa illa bonitas atq; iustitia, improbitatum omnium fons haberetur, etiam earum quæ cum in Tragœdiis non aguntur, sed per nuntios referuntur, ita videntur horribiles, vt Auditores scelerum atrocissimorum illata mentione contremiscant. Thyestes Atrei frater genialem lectum adulterio polluit, Atreus Thyestis filios innoxios obtruncauit, ipsique eorum Patri comedēdos apposuit. Sol ne tantum scelus aspiceret, orientem versus contrario cursu equos incitauit. Verum secūdum doctrinam illam & pronuntiatum hæreticum, nec Thyestes adulter, nec Atreus vllo modo homicida nominandus est, nec vllum crimen in familia Pelopidarum inhæsit, nec Clytemnestra quidem accusanda quod adulterauerit, quod virum interfecerit, quod vitæ filiorum sit insidiata, neque vlla causa fuit, cur Orestem postquam matrem occidit, furiæ vexarent; siquidem omnia ista tetra facinora Deum auctorem habent, si Luthero Caluinoque credimus. Fabulæ hæc sunt dicat aliquis, quæ poëtis per somnium venere in mentem. fabulæ quidem, sed quid refert? quasi verò minora his quæ in theatris repræsentantur, & apud Poëtas conficta legūtur, sint ea scelera quæ furore hominum verè patrata fuisse scimus. Caini parridium, immanitas Pharaonis, cæca libido Beniamitarum, crudelitas Abimelech, qui dominandi cupiditate præceps septuaginta fratres suos vna die concidit, tyrannis Athaliæ & Iezabelis. Grande conuicium in Deum iecisse visus est Epicurus, cum illum desidem appellauit, vt scribit M. Tullius lib. 1. de Nat. Deorum, & Talmudistæ cum quatuor in eo peccata commenti sunt, quod Chaldæos creasset, quod peccatū originale in orbem intulisset, quod Babylonicæ captiuitati populum suum subiecisset, quod denique lunæ detraxisset partem luminis, quo solem principio exæquabat, vt scribit Sixtus sen. tom. 3. lib. 2. & S. Hieronymus in cap. 1. Sophon. quanto magis videri debent Nouatores æquicensoribus blasphemias vomere, quos non pudet infinita alia flagitia, non vt hæc animo conficta, sed vera, non leuia sed longe grauissima ad diuinitatem qua nihil sanctius, quasi ad caput

reuocare? *Qui Deum natura bonum,* inquit Plutarchus diſputans aduerſus Stoicos, *malorum cauſam conſtituit, cōtra omnes notitias loquitur, eſtq; infinitis partibus tolerabilius imbecillitatem Deo tribui, diciq; multa improbè fieri contra eius naturam & voluntatem, quàm nullam eſſe libidinem, nullum ſcelus, quod nō ipſi imputandum ſit.* Ego ſanè blaſphemiam hanc Luthero, Caluino, Zuuinglio communem, vt demonſtrauimus cap. 4. §. 4. tàm grauem iudicare ſoleo, vt quoties ad memoriam redit, toties cogitationem meam ſubeant verba illa Hieronymi: *Vbi mare illud eloquentiæ Tullianæ? vbi torrens Demoſthenis? nunc profectò muti eſſetis ambo, & lingua veſtra torpeſceret. Inuenta eſt res quam nulla eloquentia explicare queat, repertum eſt facinus, quod nec Mimus fingere, nec ſcurra ludere, nec Attellanus poſſit effari.*

In epiſt. ad Sabinian.

Horrenda alia blaſphemia eſt iracundum Deum dicere, iniquum, ſæuum, &c. vnde Caluinus in reſponſione ad Balduinum ſic ſcribit: *Quomodo Deū ipſum cuius Leges recito, ſæuitiæ infamia aſpergere non veretur?* Et Sap 12. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos.* Atqui his illum vitiis ſæpiſſimè grauant. *Deus,* inquit Zuuinglius. *ſæpiſſimè quia iracundus eſt. & ſine cauſa ad vindicandum pronus, de hominibus nihil tale promerentibus ſempiternas pœnas repoſcit.* Lutherus ſimiliter in libro de ſeruo arbitrio: *Deus vt merita non reſpicit in ſaluandis, ita neque in damnandis, illic indignos coronat, hic indignos punit vtrobiq; nimius & iniquus.* Similia docet Caluinus in toto ferè tractatu de prædeſtinatione, eſto magis connitatur inquitatem hanc excuſare ac tegere. Arripuerūt ex ſcripturis fateor blaſphemiæ huius occaſionem, ſed malè intellectis. Innocentem Iob afflixit Deus ſed temporalis tantum afflictio fuit illi vtiliſsima, cum poſt eam nactus ſit duplicia, præter immarceſſibilem coronam, quæ illum in cœlo manet. Idem infantes abſorpſit cataclyſmo non minus quàm adultos, ſed hoc prioribus illis percommodè accidit, cum hoc modo erepti ſint à manifeſtiſsimo ſummæ corruptelæ periculo, proindeque æternæ damnationis, & tormentorū ſeu pœnę ſenſus. Rurſus Iſaac innocentem iuſſit immolari, ſic tamen vt non ita multo poſt ſuſcitandus fuerit à mortuis, vt impleretur illa Dei promiſsio, *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes,* & inſigni illa rerum abundantia potiturus, quam ei tantæ occaſione obedientiæ conſtat obtigiſſe. Taceo quod cum hi omnes in originali peccato concepti natique fuerint, meritò

Geneſ. 22.

tem-

temporalibus pœnis inter quas mortem cōputamus, ſubiici potuerunt, cum rurſus eſſent aliquid parētum ſuorum, alienum ab æquitate non fuit, horum peccati in illis velut in rebus ſuis dicto modo vindicari, iuxta illud Exod. 20. *Ego Dominus viſitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Atqui illa alia mala quæ Deus ſecundum Nouatores infert innocentibus æterna ſunt, nullam miſeris vtilitatem afferunt, nullum in iis peccatū verum ſupponunt, nec in parētibus ſed in Deo ipſo ſolo vt oſtendimus. Et quamuis aliquod verum in parentibus ſupponerent, nulla tamen ratio patitur, vt propter illud filij æternis ſuppliciis præſertim ſenſus addicantur (ſed morti ad ſummū corporis, eiq; non ab hominibus ſeu iure humano, ſed à ſolo Deo inferendæ) *Anima quæ peccauerit*, inquit Dominus, *ipſa morietur*, intellige morte æterna, ipſa inquam & non alia, & Galat. 6. *Vnuſquiſq; onus ſuum portabit.* Operam itaque perdunt Sectarij cum ex ſacris paginis blaſphemiæ huic patrocinium quærunt. *Ezech. 18.*

Alia eſt Dei leges affirmare viribus noſtris ſuperiores, *Execramur eorum blaſphemiam*, ait S. Hieron *qui dicunt impoſsibile aliquid à Deo præceptū eſſe.* Haud dubie quiſquis hoc aſſeuerat, & iniquū Deum facit, & inconſultū & ſuperuacaneum, quia ſicut æquū pōdus dicitur, ꝙ alicuius eſt viribus proportionatū, vt innuit qui ſcripſit: *In epiſt. ad Damaſc.*

Sumite materiam veſtri qui ſcribitis æquam
Viribus, & tentate diu quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri. *Horat. in Arte.*

Sic iniquū, ꝙ illas ſuperat, & iniquus qui ꝓportione illa poſthabita illud iſtis imponit: Magis aūt poſt haberi non poteſt, q̄ ſi omninò importabile ſit ꝙ imponitur, tales autē ſunt ex Lutheri, Caluini, & Zuinglij ſententia Dei leges datę mortalibus, vt conſtabit ex lib. ſeq. cap. 4. §. 5. Rurſus inconſultus iudicatur, & otio abutitur, qui à re aliqua id expectat vel exigit, ꝙ efficere vel dare nullo modo poteſt, v.g. ab igne frigus, ab infante labores grauiſſimos, à bruto vt aliquid ſyllogiſmo aſſequatur, Deus aūt vt volūt leges ſeu mandata ꝓpoſuit hominibus obſeruatu impoſsibilia, quę interim mādauit teſte Pſalmographo cuſtodiri nimis. Deum ergo faciunt iniquū, incultū, & otio turpiter abutentē, hoc eſt, deteſtabilē in eum blaſphemiam vomunt, dū legis ab eo latæ obſeruationē inter ea reponunt, quæ fieri nō poſſunt. Non multū abſimile erit argumentū, ſi hoc modo inſtituatur, Deū blaſphemant,

qui eius leges vocant inutiles, hoc autẽ faciunt Sectarij, cũ eas dicant esse obseruatu impossibiles, quandoquidẽ vtilitas si quã afferunt ab illarũ pendet obseruatione. Respondere solent esto sint impossibiles, & obseruari nequeant, illarũ tamen ꝓpositionẽ ad duo ꝓdesse, hoc est, ad manifestandã humanã imbecillitatẽ, & ad Dei virtutẽ declarandã. Sed reuera puerilis nimis est ista responsio, tũ quia imbecillus homo dici non solet, nec debet, nisi respectu rerũ, quæ tametsi ab illo ægrè fiant, absolutè tamen fieri possunt, extrinseco saltem accedente adminiculo, vnde gigantẽ esto non valentẽ rupes protrudere, nemo imbecillem dixerit, cũ sufficiat si ea obire posit, & quidẽ commodè, quæ humanis viribus superiora non solent esse. Non ergo decuit ad insinuandã hominis imbecillitatem præcepta ei dare impossibilia : tũ etiam quia agentis vnius infirmitate non illustratur vis agendi alterius, nisi dum illud hoc concurrẽte id molitur & perficit, quod per se non potuit. At Deum volunt nullum tale auxilium præbere homini, quo scilicet accedente totam legem seruare possit, quam per se nequit. frustra ergo ad diuinam gloriam virtutemque illustrandam introducta est legis impossibilitas.

Vidimus cap.3. §.5. ex iis plurimos diuinitatẽ facere passioni obnoxiam, ꝙ cæcus valdè est, qui non videt indignũ valde esse, & alienũ ab illius maiestate, atq; ita non modo blasphemum sed Atheismi etiam vel idololatriæ habere similitudinem, ꝙ si ex ore meo verũ esse non credunt, Caluinũ suum audiant. *Non magis profanatur Dei nomen, dum suppositis aliis diis planè ipse repudiatur, quàm dum commentitium illi quippiam, quod eius maiestatem inhonoret, affingitur.* Epist.1.

Item blasphemia est dicere, per Christi passionem ac merita peccatum verè non tolli, sed tantum non imputari, & per bonum quod cum ipsius gratia facimus, nihil nos mereri; hoc quippe est efficaciam illis manifestè adimere. Nam vt rectè argumentatur Greg. à Valent. in lib. de peccat. orig. cap. 8. si effecit tantum Christus, vt peccata non imputarentur, non venit vt dissolueret opera diaboli, & tolleret peccata mundi, sed potius vt susciperet peccati patrocinium; id est vt faceret Deo amabiles, qui odio habendi sunt, ob peccata quæ admiserunt, & reipsa circumferũt. At communis Nouantium assertio est, præcipuè autem Caluini lib.3. Institut. cap.11. n.2. & seq. iustificationem peccatoris in sola non imputatione consistere.

Item

Item blasphemia est imprudentiam, inscitiamque affingere Christi humanitati, quam constat oraculum fuisse diuinitatis & scrinium: hoc verò faciunt boni illi pseudoeuangelici, vt te docebunt, quæ iam scripsimus, cap. 7. §. 5.

Item blasphemia est Christum negare, vt malorum sic bonorum fore Iudicem, & esse legislatorem, cum vniuersim scriptum sit, *Dominus legifer noster*, Isa. 33. & *ipse est qui constitutus est à Deo Iudex viuorum & mortuorum*, Actor. 10. & rursus, *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*. 2. Corinth. 5. Negat autem Lutherus sic loquens in conc. de Dominica 3. Aduentus. *Hic à scandalo diligenter caue, quod obiiciunt tibi, qui Christum Legislatorem tibi faciunt & Iudicem; neq; sinunt eum auxiliatorem tantum tibi aduenire.*

Item blasphemia est quenquam fidelium ei exæquare; nunquid verò id non facit Zuinglius, tom. 1. in Actis disput. Tigur. dum ait, *fidelibus Deus Pater non minus fauet ac propitius est, quàm Filio suo proprio, nec minus cælum patere facit.*

Item blasphemia est horrore ipso horribilior, Christum damnatum dicere, cum eo statu nec infœlicior quisquam esse possit, nec ignominiosior; & tamen dicere audet Caluinus, lib. 2. Instit. cap. 16. n. 10. verba eius sunt, *Si ad inferos descendisse dicitur nihil mirum est, cum eam mortem pertulerit, quæ sceleratis ab irato Deo infligitur.* Et infrà: *Sciamus non modo corpus Christi in pretium redemptionis fuisse traditum, sed aliud maius, & excellentius pretium fuisse, quod diros in anima cruciatus damnati ac perditi hominis pertulerit.* Perspicuè sanè hæc docent Christum ad tempus saltem subiacuisse miserrimæ, & infami cõditioni damnatorum, à spe salutis omnis excidisse, iratum Deum habuisse, tortorem Dæmonem sensisse, horrendos edidisse clamores, & grauissimas quasque blasphemias in Deum euomuisse; hi quippe cruciatus, hi mores sunt damnatorum. Quid est Christum blasphemare, & Christi perduellem, atque vt sic loquar χριστομάχον se facere, & infinitam ac sufficientissimam satisfaciendi vim in minimo eius dolore latentem ignorare, si non est ista scribere? Haud certè alienus sum ab illorum sententia, qui Apostatam hunc suspicantur in pœnam tantæ contumeliæ, ab omni salutis spe sub exitum excidisse, desperatione quam Redemptori humani generis impiè tribuerat, iusto Dei iudicio in caput eius recidente, vt testatur Bolsecus in eius vita his verbis, *Dæmoni-*

Digitized by Google

bus inuocatis iurans, execrans, blasphemans, miserè expirauit. Et infrà: *Diem & horam detestatus est, quam vnquam studiis, & scriptionibus impendisset*, & prætereà pediculari consumptum morbo, ita vt omnibus esset detestabilis, non minus quàm Pherecides ille Syrius, qui quod in Deos tametsi falsos temerè quædam audacterque effutiuisset, coactus fuit ob pedorem & graueolentiam pediculis totum corpus erodentibus abdere sese, cumque accedentes amici interrogarent quomodo haberet, per foramen ianuæ extenso qui prorsus emarcuerat digito respondebat ita totum corpus reliquum habere, vt scribit AElian. lib. 4. hist. cap. 28. At nonne scribit Caluinus in gratulatione ad Præcentorem Lugdun. non se sed Abbatem quendam Præmonstratensem negasse inferos, & Christo desperationem affinxisse? Respondeo scribit quidem, sed ita vt tantum neget se duo hæc asseruisse, posterius à se assertum, videlicet Christi desperationem non negat, sed duntaxat primum, vt satis ostendunt hæc illius verba quæ sequuntur, *hunc verò calumniandi colorem inducit, quoniam in Catechismo negat Caluinus Christum ad inferos descendisse. Quasi verò Caluinus non apertè contendat retinendum esse hunc fidei articulum, ac frigidum commentum de sepulchro repudiet.* Scire cupiens lector, quid de re aliqua verè Caluinus senserit, non potest rationem inire præsentiorem, quàm si elaboratissimum, atque etiam recognitum illius opus adeat & interroget. Atqui elaboratissimum ipsomet teste est opus Institutionum, de quo in præfat. sic loquitur. *Hoc mihi in isto labore propositum fuit sacræ Theologiæ candidatos ad diuini verbi lectionem ita præparare, & instruere, vt & facilem ad eum aditum habere, & inoffenso in ea gradu pergere queant. Siquidem religionis summam omnibus partibus sic mihi complexus videor, & eo quoq; ordine digessisse, vt si quis eam rectè tenuerit, ei non sit difficile statuere, & quid potissimum quærere in scriptura, & quem in scopum quidquid in ea continetur referre debeat. Itaq; hac veluti strata via, si quas posthac scripturæ enarrationes edidero, quia non necesse habeo de dogmatibus longas disputationes instruere, & in locos communes euagari, eas compendio semper astringam.* Sed & illud ipsum compositum, Anno M. D. XXXVI. recognouit, Anno M.D.LIX. qui immediatè præcessit illum, in quo gratulationem illam scripsit. Cum igitur in eodem opere, loco supra citato apertè Christum dicat damnatum, & in desperationem prolapsum, non est quod quis id dubitet ei fuisse persuasissimum, aut credat retractatum.

Item

Digitized by Google

Item blaſphemia eſt ſcripturæ mendacium affingere, ſiue explicitè, id fiat, ſiue implicitè faciunt hoc Nouatores ſæpiſsimè, exemplum negãt virtutem reliquiarum ſanctarum, cui ſcriptura teſtimonium perhibet, 4. Reg. 13. docẽs mortuum ſuſcitatum ad contactum oſsium Heliſæi, & ſic ſcripturam mentiri inſinuant. negant Sacramentarij Chriſtum exhibuiſſe in cœna corpus ſuũ, negãt baptiſmi neceſsitatem, negant poſſe Eccleſiam peccata remittere; cum tamen hæc omnia expreſſum habeant in eadem ſcriptura teſtimonium, Matth. 26. Ioan. 3. Ioan. 20.

Item blaſphemia eſt Chriſti Eccleſium erraſſe dicere, tum quia hoc eſt idem Dei verbum accuſare mendacij, in quo & veritatis columna firmamentumque dicitur, & luculentam non errandi habet promiſsionem, Matth. 16. *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, &c.* Ioan. 14. & 16. *Paracletus docebit vos omnem veritatem.* tum quia hoc intolerabilis oſcitantiæ ac improuidentiæ Chriſtum arguit. Eccleſia ſiquidem ſponſa eius eſt; omnium autem mortalium ſententia. incurius, improuidus, oſcitabundus cenſebitur ſponſus ille omnis, qui valens ſponſæ ſuæ erroribus, fornicationibus, prolapſibus, &c. occurrere; vſqueadeò tamen id non facit, vt per quamplurimos annos turpiter eam impingere ſinat, & ſpurcitiæ multis ac grauibus inquinari. Ad ſex tantum annos ſimile commentum extendebat Pupianus, & tamen illum arrogantem ſibi iudicium, & reformationem prætentorũ abuſuum ſic alloquitur S. Cyprianus lib. 4. epiſt. 9. *Quis eſt hic ſuperbus tumor ad cognitionem ſuam Præpoſitos & Sacerdotes vocare.* Quid ſcripſiſſet ſi dicentem audiuiſſet Eccleſiam ab annis minimum mille errore circumuentam?

Item blaſphemia eſt ſacroſanctam Chriſti Domini matrem malignam appellare: hoc verò facit Caluinus in cap. 1. Luc. *Videtur ſancta Virgo,* inquit, *non minus malignè Dei potentiã reſtringere, &c.* Item ſcribere non eſſe cur valdè ſolliciti ſimus, vt illius honorem propugnemus. Scribit autem idem ibidem, verba eius ſunt, *nec magnopere laborandum, vt eam ab omni vitio vindicemus.* quaſi verò vt illius honor, ſic vitium atque infamia non redundet in eundem Chriſtum eius filium, cum ſcriptum ſit, Eccleſ. 41 *Filij abominationum fiunt filij peccatorum.* Et infrà: *De Patre impio queruntur filij, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.* Eandem cœli Reginam lancinare

cinare conātur linguis ſuis vipereis Hæreſiarchæ cæteri, vt Brentius in cap. 12. Matth. Lutherus cap. 4. ad Galat. vbi ait; *Maria Virgo Deipara vſque errauit, vt vbi quærendus eſſet Chriſtus neſciret.* Et in expoſitione Cantici, *Magnificat,* vilem & abiectam vocat, ac per contemptum ait mulgere boues, coquere, patellas, & paropſides mundare, pauimentum verrere, & vacuam fuiſſe ſcribit bonorum omnium.

Blaſphemia inſuper eſt beatos Angelos, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Euangeliſtas, & Sanctos alios in cœlis cum Chriſto regnantes conuitiis impetere, de quibus ait Dominus *qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Et rurſus: *In Prophetis meis nolite malignari.* Impetunt illos iidem Nouatores. Angelos negare audet Caluinus in cap. 1. epiſt. ad Coloſſ. omni ex parte ac citra culpam Deo ſatisfacere. Idem in cap. 16. Geneſ. ita loquitur. *Satanas occulta fraude Abrahamum circumuenit, vt contra voluntatem Dei, & legitimum naturæ ordinem coniugij legem peruerterit, & lectum coniugalem qui duobus dicatus erat pollueret.* Et in cap. 29. *Iacob præter naturam ac belluino more duas vno in lecto ſorores habuit, quibus velut in cumulum duæ poſtea concubinæ acceſſerunt, malumq́ue duplicauit polygamia, triplicauit verò inceſtuoſis nuptiis.* De Moyſe autem hæc habet in cap. 6. Exod. *Legem Dei imperioſè præſcribit, & præcipiti impetu quantum in ſe eſt, extremum eius conſilium labefactat, ac inconſideratè ſua ipſum iuſtitia exuit,* quaſi verò Deus ipſe non ſit qui ad ſanctorum & populi ſui multiplicationem cum Patriarchis illis diſpenſauit, & diſpenſare potuit, vt plures ſibi vxores adſciſcerent, cum id ſibi ipſi tribuat dicens, 2. Reg. 12. *Dedi tibi domum, & vxores Domini tui in ſinu tuo,* & Moyſes nō fuerit mitiſſimus iuxta ac fideliſſimus in populo Dei, Num. 12. ac proinde cauerit ſemper diligentiſſimè, ne quid contra Dei iura loqueretur. Apoſtolos vix vnquam dignantur Sanctorum epitheto, ſed nudo ſuo nomine Matthæum, Ioannem, Petrum, Paulum, Iacobum, ſicut etiam Mariam appellant, cum tamen Euangelicis ſuis egregium aliquod agnomentum frequenter tribuant, vt Buccero Caluinus, quem in præfatione reſpōſionis ad Balduinum benedictæ memoriæ virum, eundemq́ue venerādum vocat. Idem Geneuenſium Pſeudo-apoſtolus grauiſſimum ſcandalum à Petro admiſſum ſcribit, quod gentilium incircumciſorum conuerſationem vitaret. Euangelium item ab eodem deformatum,

In cap. 2. epiſt. ad Gal.

matum, & in discrimen adductum, publico peccatum malo, iniuriam factam Gentibus, iniquè obstrictas piorum conscientias, libertatis doctrinam silentio sepultam. In cap. 21. Actor. ait Iacobum fratrem Domini magnam alteram Ecclesiæ columnam, & primum Hierosolymis Christiani gregis Episcopum hominem fuisse vitiosi zeli ac superstitiosi. In cap. 2. 4. 8. & 27. Matth. hunc Euangelistam impropriè sæpeque citasse veterum Prophetarum sententias, contrà germanum ac proprium sensum. Sed neque Lucam intactum abire sustinuit in cap. 6. Luc. nec Ioannem in cap. 8. & 17. immò audacter contendit impropriè fuisse locutum. Lutheri iudicio in serm. de cœnæ, B. Petrus infernum meruit: Bullingeri autem in cap. 19. & 22. Apocal. & Marlorati in suis Rhapsodiis, hoc est, duorum insignium Caluinistarum Ioannes Euangelista ingentis idololatriæ est reus, quod Angelum colere voluerit. Secundum eundem Marloratum B. Paulus vixit aliquando, quasi Epicurus cõtemptor Dei maximus, profanus, carni prorsus deditus. Addit Brentius in Apolog. *D. Petrus Apostolorum præcipuus, etiam post acceptum Spiritum sanctũ cum Ecclesia Hierosolymitana errauit*, & Magdeburgenses Cent. lib. 2. cap. 20. *Paulus conuocata Synodo omnium Presbyterorum, à Iacobo Apostolo, & cæteris persuadetur, vt propter Iudæos offensos purificet se in templo, in quo Paulus obtemperat, qui certè non exiguus tanti doctoris videtur lapsus, non satis rationem habentis abrogatæ Mosaicæ legis.* Horum omnium parens Lutherus B. Petri hostis capitalis, quo eum deprimeret, pares ei facere non dubitauit fideles omnes. *Quid amplius habere potest Petrus*, inquit, *quatenus Christianus est, quàm ego vel tu.* Idem Tom. 5. Germ. folio. 324. de S. Antonio, Basilio, Hieronymo, Gregor. Nazianz. Bernardo, & aliis post Apostolos Christianæ Ecclesiæ columinibus inuidiosissimè scribit, & indignissimè loquitur. *Omnium illorum sanctitas*, inquit, *in eo consistit quod multum orarunt, & ieiunarunt, quod magnos labores subierunt, corpus castigarũt, duriter cubarunt, & asperiore vestitu vsi sunt, quã oẽm ꝓpemodũ sanctitatẽ etiã canis & porcus quotidie exercere potest.* En vestrã ô Sectarij in eximios illos Patres reuerẽtiã. Sic impiꝰ Chosroes Persarũ Rex Hormisdã Patrẽ suũ fustib. ad necẽ vsq; diuerberari iussit. 3. p. Postil.

Sunt & aliæ infinitæ sectarum blasphemiæ in superstites omnes Catholicorum ordines, in summum Pontificem, in Cardinales, in Episcopos, in Sacerdotes, in Regulares, in Reges & Principes, sed omittuntur, tum quia nullus esset exitus si percurrerentur omnes; tum quia negliguntur, vt canum latratus

importunissimorum. Nam & Hecubam Reginam fingunt Poëtæ cum Troia euersa passim maledicta in Græcos congerendo, intemperanter dolori indulgeret, tandem fuisse in canem conuersam, vt hac ficta conuersione indicarent præcipitem conuitiandi impetum à persona etiam Principe profectum nihilo pluris faciendum, quam canis rictum.

De aliis quibusdam externis & elicitis Religionis Actibus à S. Thoma prætermissis, & cæremoniarum nomine comprehensis ac primum.

De Sacramentis & vsu eorundem actu 9 externo elicito veræ Religionis, & nota II. *eiusdem.*

CAPVT XXI.

§. 1. *Proponitur Sacramenti definitio.*
2. *Eiusdem vsus ad Religionem spectat.*
3. *In Ecclesia Catholica maximè perspicitur.*
4. *In Mahumetana nihil minus.*
5. *Languet autem & friget in Synagoga Nouantium.*

COmplectitur cæremonia latè sumpta quemlibet actum externum, qui non aliunde bonus est & laudabilis, nisi quia fit ad Deum colendum, vt notat Bellarm. tom. 2. Controu. de Sacram. in genere, c. 1. & sic tam adoratio, quàm sacrificium de quibus iam disseruimus, appellatur nonnunquã cæremonia, sed eiusmodi cęremonia, quę immediatè, & per se fit cultus Dei. Verũ in præsentia de his tantũ disputare intendimus, quæ diuini illius cultus appẽdices potius sunt

Digitized by Google

sunt, & dispositiones proximæ. Quo in genere occurrunt primo Sacramenta (de his me loqui sciat Lector, quæ propria sunt nouæ legis) quorum genuinam definitionem adducit Catechismus Trid. Concilij his verbis, *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis & iustitiæ tum significandæ, tum efficiendæ vim habet.* Dicitur res subiecta sensibus, quia sensu percipitur, vt materia Baptismi visu & tactu, forma verò auditu. Item materia Eucharistiæ siue panis & vinum visu, gustu, & tactu, forma vero auditu, &c. Dicitur vim habere significandi, seu esse signum, quia signorum more deducit nos in rei alicuius latentis notitiam, non minus quàm fumus in notitiam ignis qui non videtur, vt docet S. August. lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 5. Vbi etiam appositè monet, latentem rem illam quam significat sacram esse, neque enim aliter signum sacrum diceretur, nisi sacra res esset quam connotat. Si quæras quænam ea sit, sanctitas est & iustitia, vti ex definitione liquet, vel si mauis, & in idem redit, gratia Dei per quam anima sanctificatur: namque diuinæ literæ effectum hunc Sacramento clarissimè tribuunt. Actorum 2. *Baptizetur vnusquisque vestrum in remißionem peccatorum.* Ioan. 6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum,* haud dubiè nec peccatorum remissio, nec vita æterna esse potest absque sanctitate, iustitia, & gratia, de qua Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Idem probatur testimonio S. Augustini dicentis, *totum fructum visibilium Sacramentorum in inuisibili gratia positum esse.* Docet idem etymologia nominis. Sacramentum enim dicitur, quod sacram seu sanctam mentem efficiat; non ergo aliud significat, quàm sanctitatem à qua mens denominatur sancta formaliter. Quorsum enim, & quid aliud significaret? quid magis indicare potest, quàm id cuius gratia propriè est institutũ? Atqui propriè & præcipuè institutũ est ad sanctificandos homines nõ ad homines Christo obligandos vt vult Zuingl. in lib. de vera & falsa Religione, cap. de Sacram. quia scriptura de Sacramẽtis loquens obligationis huius non meminit, nec talis obligatio vllam habet cum Sacramento puta cum ablutione similitudinẽ. Non ad discernendum fidelem populum ab infideli (vt voluisse Carlostadium narrat Lutherus in serm. de verbis cœnæ) propter easdem causas, & quia in promptu sunt semperque fuerunt meliora quædam & commodiora, & certiora discernicula, v. g. exterior

q. 84. in Leuit.

teriot fidei confessio, signum crucis, constans & mutua charitas,&c. Vnde non ait Dominus, Ioan.15. in hoc cognoscent homines quod discipuli mei estis, si baptismum habueritis vel Eucharistiam, sed si dilectionem ad inuicem. Non promissionem reconciliationis, seu remissionis peccatorum, vt somniauit Kemnitius; siquidem in Sacramentorũ confectione & vsu, nullæ interueniunt promissiones, seu verba promissoria, neque enim dicitur qui baptizatus fuerit, saluus erit, sed *ego te baptizo*, atque hanc formam retinent ipsimet Lutherani; nec qui manducat hunc panem, viuet in æternum, sed, *accipite & comedite, hoc est corpus meum.* Non denique æternam prædestinationem, vt existimauit Caluinus lib.4. Institut.cap.14.§.1. Siquidem ex nullo prorsus capite potest ostendere baptismum, vel aliud Sacramentum quantumuis optima dispositione recipiatur indicare homini (quanto minus certum facere) quod sit prædestinatus. Et absurdum est putare, ex tam multis qui Sacramenta recipiunt, etiam in bono statu, quoad præsentem iustitiam, non esse aliquos de numero reproborum, atque ita non habere in iis Sacramenta falsam significationem, si vera sit Caluini sententia.

In 2.p.Exa. cap. de effic.Sacra.

Deinde aut vult Caluinus Sacramenta esse signa prædestinationis incerta, ac tantum probabilia, vel certa; si incerta, superfluam omnino facit eorum institutionem, cum plurima alia sint, ex quibus ratiocinari quis potest verisimiliter se esse prædestinatũ, v.g. si mundo & pompis eius perfectè abrenuntiet vt Christum sequatur, si excellat patientia, si constantem voluntatem habeat non peccandi mortaliter, si charitate flagret, si delectetur vsu Sacramentorum, & bonis operibus, si nouissima sua frequenter ac seriò meditetur, &c. si certa, pugnare facit ea cum scripturis sacris omnem hanc prætentam certitudinem refutantibus, vt Eccles.9. *Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* Et 1.Corinth.4. *Nolite ante tempus iudicare, &c.* Et cum prouidentia Dei, quam nullo modo decuit certitudinem hanc hominibus dare, ne in superbiam & noxiam securitatem erigerentur, ad quam heu iam satis propendent. Et cum diuinis illis testimoniis quæ docent omnino exploratos non esse homini actus proprios, qualiter se habeant, sed sæpè de illis perperam iudicari, Rom.8. *Quid oremus sicut oportet nescimus.* Prouerb.14. *Est*

via

Digitized by Google

via quæ videtur homini iusta, nouißima autem eius deducunt ad mortem. Apocal.3. *Dicis quia diues sum, &c. & nescis quia miser es & miserabilis, &c.* Nec proinde omninò exploratam esse prædestinationem, vtpote cuius persuasionem vult Caluinus in vsu sacramentorum pendere ab actibus propriis, ac præcipuè ab actu fidei quàm ab illis vult excitari. Et eandem ob causam cum propria confessione; fatetur quippè obscura esse cuilibet, quæ in anima geruntur interius: *Fideles*, inquit, *fallaci fidei simulatione non hominum oculis modo imponunt, sed suis ipsorũ animis.* Et infrà: *Tot vanitatis recessus habet, tot mendaciis scatet cor hominum, tàm fraudulenta hypocrisi obtectum est, vt seipsum fallat.* Et denique cum praxi baptizandi paruulos, qui cum non sint capaces actus fidei nec persuasionis illius, vtique ad baptismum admitti non deberent, ne frustra baptizarentur velut incapaces effectus propter quem baptismus, & alia Sacramenta dicuntur à Caluino instituta. *Lib. 3. Inst. cap. 2. §. 10.*

Prætereà in definitione illa dicitur sacramentum nouæ legis vim habere gratiam illam sanctificantem non significandi solum sed efficiendi. Primò, quia diuina illis eloquia efficaciam hanc manifestè tribuunt. Acto.2. *Baptizetur vnusquisq; vestrum in remißionem peccatorum.* Ioan.6. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Nempe quia hic panis producit gratiam, per quam vita confertur æterna. Ioan.20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Huc pertinet trita illa S. Augustini sententia: *Vnde tanta virtus aquæ vt corpus tangat & cor abluat, &c.* Accedit & congruentia manifesta, quod licet Christus ad conferendam seu producendam in nobis gratiam, necesse non habuerit, vti aliquibus instrumentis præsertim sensus expertibus, cuiusmodi sunt sacramenta; consultisimè tamen vsus sit, vt potentiam suam ostenderet, talibus organis tàm eximiam qualitatem producendo, vt nulla esset occasio iis velut causis præcipuis effectum tantum adscribendi, vt sicut quia homines sumus per Moysem, Apostolos, & homines alios dirigere nos voluit, ita quia corpore constamus per res aliquas corporeas nos sanctificaret, & sic remedia conditioni nostræ responderent, vt superbiam nostram confunderet, illam ad ea quæ per se egena sunt remittendo, vt denique tanto probabilius constaret virtutem Dominicæ mortis applicari nobis in sacramentis, quanto ea quia sensibilia sunt, nobis sunt notiora. *Tract. 80. in Ioan.*

Digitized by Google

Dicuntur denique à ſolo Deo ſeu Chriſto inſtituta, quia eſto Deus in rigore iuris ſeu de poteſtate abſoluta, Eccleſiæ ſuæ poteſtatem dare potuerit ſacramenta inſtituendi, vt poſt S. Aug. tract. 5. in Ioan. docet S. Thom. 3. p. q. 64. artic. 4. reipſa tamen & de facto vt aiunt, Chriſtus per ſe ſolus id fecit, eodem Aug. teſte epiſt. 118. cap. 1. nec mirum, cum decuerit, vt is vnus ac ſolus iaceret fundamenta legis gratiæ, & Architectonicos imitaretur, quibus in more eſt quæcumque maioris momenti ſunt per ſe moliri, quæ autem minoris ſuffectis ſibi artificibus agenda relinquere. Sacramenta autem inter præcipuas Religionis partes numerantur.

§. 2. Sacramentorũ vſum in album Actuum religionis referimus. Primò, quia ſi circumciſio, & alia veteris legis ſacramenta, quæ horum noſtrorum ſymbola tantum erãt, dicente Apoſtolo 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis*, diuini cultus partem efficiebant, vt fatentur omnes, eamque impensè admodum à Deo inculcatam, quomodo non multo magis iſta noſtra efficient?

Secundò, quia ita ſemper cenſuerunt ſancti Patres, adeò vt neget S. Aug. lib. 4. de Bapt. cap. 22. ſine ſacramentis religionem eſſe poſſe, & verba S. Baſilij ſint lib. 5. contra Eunomium: *Summus cultus religionis ille eſt, qui Spiritui ſancto tribuitur, cum in eius etiam nomine Baptiſmus datur.*

Tertiò, quia hodiè quoque ſic ſentiunt non Catholici modo, de quibus nemo dubitat, ſed etiam ipſimet Nouatores, & Nouatorum duces, vt Caluinus & Beza quorum ille ſic loquitur lib. 4. Inſt. cap. 14. §. 1. *Prædicationi Euangelij aliud affine eſt fidei noſtræ adiumentum in ſacramentis, de quibus certam aliquam doctrinam tradi magnopere noſtra refert, vnde nos & quem in finem inſtituta fuerint, & quis eorum vnus vſus, diſcamus.* Et in Inſtruct. aduerſus Anab. cap. 2. *Id honoris nos ſacroſancto Dei verbo ſanctiſq; eius ſacramentis deferre par eſt, vt vbicumq; annuntiari hoc verbum videmus, atq; ex regula quam nobis præſcribit, pure Deum adorari, reiecta omni ſuperſtitione adminiſtrari Sacramenta, illic ſine vlla controuerſia Eccleſiam Dei eſſe concludamus.* Hic verò in confeſsione fidei cap. 4. n. 34. Sacramenta ait eſſe inſtrumenta quibus vtitur Spiritus ſanctus, vt nos magis ac magis cum Chriſto vnum efficiat, ex quo poſtea ſalutem noſtram hauriamus. Neuter ſanè de illis tàm auguſtè loqueretur, niſi ad Religionem ſpectare crederet.

Quar-

Quartò, cum sacramenta vt supra euicimus, instrumenta sint Dei ad producendam gratiam, sanè quisquis hac fide imbutus illa vel administrat vel recipit, tacitè profitetur Dei omnipotentiam, valentis per tàm infirma media, tantum effectum producere, vt ratiocinatur D. Thomas, qua professione quis inficiari potest coli Deum? Deinde sicut iniquitas seu malus conscientiæ status cum quo seruitur Deo in Dei redundat ignominiam, ita vt propter illam non respexerit ad Cain & ad munera eius, sicut nec ad eos qui expostulant Isa. 48. *Quare ieiunauimus & non aspexisti, &c.* Ita haud dubiè sanctitas, cum qua ei præstatur obsequium, ad gloriam eius pertinet (sicut etiam ad terreni Regis gloriam ornatus, & mundities magna cui studet qui ei obsequitur) & ex consequenti id omne quo talis sanctitas acquiritur, cum ergo acquiratur per vsum sacramentorum ad sanctificationem nostram ordinatorum, meritò inter Religionis actus computatur. 3.p.q.62. art.6.

Vt Ecclesiam Catholic. circa sacramenta religiosissimam esse nemo nesciat, aduertendum religionem in iis positam tria maximè complecti. Primum vt nulla respuantur, nec vicissim admittantur vt sacramenta quæ verè non sunt. Alterum vt de iis magnificè sentiat & loquatur, tertium vt eadem tractet dignè & reuerenter. §.3.

Quod ad primum, nulla respuit, quia ex sententia etiam aduersariorum septem sunt ad summum; illa autem admittit totidem in Concil. Trid. sess. 7. cap. 1. videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitētiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium. Vicissim adulterina nulla recipit, maximè namque adulterina essent Confirmatio, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, at verissima sunt sacramēta, cum in iis manifestè eluceant ritus externus, institutio Christi, & gratiæ promissio, præter quæ tria nihil ad sacramenti constitutionem requiritur, nec deprehenditur in Baptismo ipso & Eucharistia, quæ iidem Aduersarij credunt & fatentur vera esse sacramenta. Elucent inquam tria hæc. Nam quod ad ritum externum in Confirmatione, frons chrismate inungitur, & capiti manus imponitur, in Pœnitentia peccata recitantur, & sacerdotalis absolutio profertur, in extrema vnctione organa sensuum oleo vnguntur, in Ordinatione vasa sacra tanguntur, & iis vtendi potestas

Digitized by Google

stas datur, in Matrimonio consensus mutuus verbo aut nutu exprimitur. Quod ad Christi institutionem, nisi ab illo vno instituta esset Confirmatio siue impositio manuum, nunquam illa Apostoli velut ordinario ac rato quodam ritu vsi fuissent statim post illius ascensionem, vtebantur autem ordinariè Actor. 8. *Tunc imponebant illis manus, &c.* Nec alicubi legitur aliquis Apostolorum ex proprio ingenio illam excogitasse seu introduxisse. Et quamuis legeretur aut præsumeretur, interrogarem aduersarios credant ne hoc ab Apostolo illo seu Apostolis factum afflatu Spiritus sancti an non. si dicant afflatu, ergo diuinitùs instituta est Confirmatio, quod erat probandum; si absque hoc afflatu, peccarunt ergo Apostoli illorum sententia superstitiosum appellantium quidquid humana mens motu proprio circa Dei cultum vsurpat & excogitat. Cum ergo superstitiosos in facto illo fuisse dicere horreant, diuinam institutionem interuenisse fateantur oportet. Pro Pœnitentia prostant verba illa clarissima: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &c.* Quæ cum pronunciauerit Christus post hæc alia, *accipite Spiritum sanctum*, quasi remissio alienorum peccatorum futura esset in Apostolis effectus eiusdem Spiritus sancti dati & accepti, perinde est ac si dixisset Christus, *peccata remittite*, ne videlicet nisi ea remitterent cum oportet, otiosus in iis esset ille Spiritus effectuque expectato frustraretur: de extrema vnctione, adsunt pariter perspicua illa Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes oleo in nomine Domini.* De Ordinatione scitum est illud, 2. Tim. 1. *Admoneo te vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ac tandem de matrimonio dilucidè ait Dominus, Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et 1. Cor. 7. *Si non se continent, nubant.* Quod ad gratiæ promissionem quid clarius pro confirmatione his verbis: *Et accipiebant Spiritum sanctum*, immediatè succedentibus, illis aliis, *tunc imponebant illis manus?* Quid pro Pœnitentia enucleatius istis, *peccata remittuntur eis?* Quid pro extrema vnctione his à S. Iacobo vsurpatis, *Si in peccatis fuerit remittentur ei?* Quid pro ordinatione notius Pauli sententia quam citauimus, *resuscites gratiam quæ est in te per, &c.* Quid denique pro matrimonio fidelium vrgentius adhortatione illa ad coniuges, Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam.* Ad rem arduam sane vocantur

Ioan. 20.

cantur

cantur his verbis mariti fideles, vt imitantes Christi morem erga Ecclesiam, vxorum suarum infirmitates perferant, post carnem alteram non abeant, indissolubilem cum iis vitæ consuetudinem retineant, de sancta educatione susceptarum ex iis prolium sint in primis solliciti,&c.cumque res sit perardua & magna indigens gratia; nihil autem faciendum proponat diuina prouidentia disponens omnia suauiter, quin vna prospiciat ne desit gratia illa siue auxilium ad id opportunum,dicente Apostolo: *Qui dedit velle dabit & perficere*, non est dubium quin annexa sit eiusmodi gratia coniugio quod ineunt nisi forte ei præcludant indispositione sua viam.

Quod ad secundum, sentit & loquitur de iisdem magnificè, docet enim à Christo instituta Conc.Trid. sess.7. can.1.multo augustiora esse Mosaicis can.2. & instrumenta gratiæ can.6. partim necessaria omnibus partim vtilia can.4. Eadem hominum animos ad septem præcipua præparare, eo quod Baptismus sacramentum sit fidei, sess. 14. cap. 2. (multo nobilius & efficacius Baptismo Ioannis, sess.7.can.1. de Bapt.) confirmatio spei, Eucharistia charitatis, sess.12. cap.2. Pœnitentia iustitiæ, sess.14. cap.2. extrema vnctio fortitudinis & perseuerantiæ ibid. in doctr. de extr. vnct.ordo prudentiæ, sess.23. cap.4. matrimonium temperantiæ, sess.14.cap.8. Item sicut ipsa 7.sunt,ita ad totidem hominum genera accommodari, quippè Baptismum esse intrãtium in vitam, sess.2. can.2. de bapt. confirmationem pugnantium. de cons.dist. can. Spiritus sanctus. Eucharistiam vires resumentium Concil. Trid. sess.12. cap.2. Pœnitentiam à lapsu resurgentium, sess.14. c.1. extremam vnctionem ex hac vita decedentium, in d. doctrina de extr.vnct.Ordinem ministrãtium,sess.23.cap.2. & matrimonium milites nouos corporaliter inducentium dist 47.can.sicut.Denique his 7.Sacramentis perfici vitam spiritualem ad similitudinem corporalis, eo quod per Baptismum homo spiritualiter nascitur,sess. 7. can. 2. de Bapt.per confirmationem crescit in gratia de cons. dist.5. can. de his vero.per Eucharistiam benè agendi vires fouet ac recreat, sess. 12. cap. 2. per Pœnitentiam & extremam vnctionem à morbo & infirmitate liberatur,sess.14.cap.8.per Ordinem spiritualiter gubernatur, sess.23.cap.4. per matrimonium multiplicatur in ordine ad Spiritum. Præsertim verò Eucharistiam

stiam extollit vocans eam Sacramentum Sacramentorum, sess.13. cap.7. symbolum vnitatis, sess.13. in principio, sacramentum charitatis ibidem, pignus futuræ gloriæ ibid. cap.2. panem Angelorum cap.8. viaticum nostræ peregrinationis. S.Gregor.homil.4. in Euangelia.

Quod ad tertium in iis tractandis, conficiendis, dispensandis insigni reuerentia & maiestate vtitur, primò, quia neminem assumit ad illorum ministerium, quem non prius solenni ritu consecret. Secundò, quia seriò monet ne ad illud imparatus accedat, seu in malo statu, peccare enim lethaliter eum, qui cum ex officio id faciat, dispositionem non præmittit conuenientem, scriptumque esse Isa.1. *Lauamini, mundi estote, qui fertis vasa Domini.* Iubet tertio vt munus istud obeat amictus veste sacra, vt opus non profanum, sed sacrum esse significetur, & aperto capite ob reuerentiam, & lucẽte cereo, vt negotium indicetur esse diuinitatis, cuius ignis est symbolum. Vetat quarto prætermitti ritus sacros à se institutos cum ad alia multa, tùm ad conciliandam illis existimationem apud inertem plebem, id negligere ac fastidire solitam, quod nullis eiusmodi externis ritibus videt adornatum. Singulariter autem interdici ac præteriri prohibet signum crucis, sine quo negat S. Aug. tract.119. in Ioan. quidquam recte perfici, & cuius vsus cum auctorem nullum alium primũ habere ostendi possit, meritò à Christo & Apostolis descẽdisse creditur. Cauet quinto, ne à profanis tangantur, sed magna cura custodiantur, locum habeant peculiarem, pretiosè contegantur, & à sacrilegio ac irreuerentia quoad fieri poterit vindicentur. Sextò, sacrosanctam Eucharistiam, quia in ea firma fide credit verè Christum contineri, peruicta argumentis quæ cap.11.§.5. protulimus, adorandam proponit, circum fertque publicè, ne alioqui minus ei honoris habere videatur, quàm Platoni habuit Dionysius Siciliæ Tyrannus, quem ad se venientem magno vt honore afficeret, in regio curru illum sedere iussit, & aurigæ partes sustinẽs illum circumduxit.

Ælian. lib.4.c.18.

Quoad suscipientes autem seu eos qui initiantur sacramentis, iubet primò omnes aperto esse capite, flexisque genibus nisi obstet infirmitas, ieiuno corpore quoties ad sacram synaxim acceditur (cum nimis sit indecorum, patere prius stomachum profano,

sano,quàm sacro cibo)nisi pariter infirmitas obicem ponat,mũdis quoque vestibus, mundiore conscientia, quando de sacramentis à Baptismo & Pœnitentia distinctis agitur (quæ duo cum ad iustificãdum peccatorem sint instituta,dispositionem in mente non prærequirunt, quæ vera sit mundities, & peccatum excludat mortale) rursus armis depositis, ense etiam & pugione, magna concepta deuotione,fide, humilitate ac reuerentia, tempore antemeridiano quoad fieri potest, quando scilicet animus pleno ventre ac curis nondum aggrauatus, facilius potest in diuina intendere,ac tandem in loco sacro seu templo. Quid plura? minimum sacramentorum est matrimonium, & tamen de seruando huius decoro peculiarem curam gerit, vt cum in caus.28.q.1.can. penult.& antepenult. seuerè prohibet illud cum infidelibus celebrari: *Caue Christiane,*inquit,*Gentili aut Iudæo filiam tuam tradere; caue Gentilem aut Iudæam atque alienigenam,hoc est,omnem hæreticam, & alienam à fide tua accipere tibi vxorem.* Et infrà:*Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias eis dare, sed potius accipere, si tamen se profiteantur Christianos futuros & Catholicos.* Cum prætereà inter consanguineos illud celebrari non finit intra quartum gradum, eo quod iidem sunt moraliter cum communi principio (à quo gradus illi computari incipiunt) ob magnam vicinitatem, vnde & in illis, seu vsq; ad quartam generationem, velut in rebus peculiariter suis puniri dicitur, ac proindè iidem moraliter inter se, iuxta tritum illud pronuntiatum, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, ex quo infert quod sicut cum communi illo principio inire non debent coniugium ne coniugali familiaritate violent naturalem quam ei debent reuerentiam, & per coniugium ei pares fiant cui naturaliter impares sunt ac subiiciuntur,ita nec inter se.nam cum illud repræsentent,non possunt inter se contrahere,quin aliquo modo contractum hunc inire cum illo ipso iudicentur.

Sed nunc obiecta tria velut totidem tela ab aduersariis contorta repellamus. Hi prætendunt Sacramenta impiè à nobis tractari,& mala fide dispensari. Primò, quia illorum substantiæ ceremonias multas admiscemus, quibus nec Christus vsus legitur nec Apostoli,& sic præ illis volumus videri sapientes. Secundò,

quia Baptismi administrationem mulieribus concedimus; cum tamen sicut eis docere non conuenit, ita nec baptizare. hæc quippè duo coniunxit Christus dicens, Matth. vlt. *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Tertiò, quia laicis sub sola panis specie Eucharistiam porrigimus, cum tamen sub duabus ministrandam & exemplo Christus docuerit, & verbo dicens de ipso calice: *Bibite ex hoc omnes.* Et Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem non habebitis vitam in vobis.*

Ad primùm ritus illos non adhibemus quasi velimus plus Christo sapere, sed ne ea prætermittamus, quæ licet ipse per se & immediatè instituere noluit, Ecclesiæ tamen suæ instituenda reliquit, penes quam si non esset potestas eiusmodi aliqua sanciendi quomodo, 1. Corinth. 11. scriberet Apostolus de Eucharistia loquens, *cætera cum venero disponam.* Et capite decimo quarto: *Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis.* Et Caluinus libro quarto Instruct. capite duodecimo, paragr. decimo quarto: *Multa esse relicta iudicio & institutioni Ecclesiæ circa ieiunium, pœnitentiam, preces publicas & similia quorum à Christo relicta non est certa regula?* Si nulli essent recipiendi ritus, nisi quibus Christus vsus legitur, quomodo scripsisset Augustinus (quem in re sacramentaria magni faciunt sacramentarij) *quid est quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur siue fronti credentium, siue ipsi aquæ qua regenerantur, siue oleo quo chrismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Et serm. 181. *Omnia quæ consecrantur cum inuocatione nominis Christi in hoc signo consecrantur.* Quomodo ipsimet Nouantes multos habent eiusmodi? nonne dicunt priusquam baptizent: *Adiutorium nostrum in nomine, &c.* Et Patrinos adhibent, & nomen imponunt, & his verbis baptizandum etiam infantem alloquuntur, non intelligentem quid dicatur: *Ego te baptizo.* Et quibusdam in locis semel tantum aquam infundunt, in aliis ter, & in solo templo baptismum administrant, idque non nisi præsente populo, cum tamen Philippus Eunuchum baptizauerit absente populo, & Christum Ioannes cuius baptismum eiusdem rationis cum nostro volunt esse?

Serm. 118.

Ad

Digitized by Google

Ad secundum, quemadmodum Deus nullibi fœminas ad circumcidendum masculos vocasse vel destinasse legitur, nihilominus quia edoctus erat populus Israel circumcisionem esse necessariam ad salutem, intulit fas esse necessitatis tempore in hac parte etiam fœminarum vti ministerio, ne pueri ex hac vita discederent necessario remedio destituti; de facto Sephora vxor Moysis, circumcidit præputium filij sui, Exod. 4. Sic omnino putandum est, in simili casu licere fœminis baptismum conferre, quo qui renatus non fuerit, nō intrabit in regnum cœlorum, Ioan. 3. Haud dubiè reputantur à Sectariis Catholici deterioris conditionis, quàm illorum fœminæ, si ergo ratum habent baptismum ab illis collatum, cur non etiam ab istis? Sed quid mirum si fœminas ministerij huius planè incapaces contendunt esse, qui etiam viros non vocatos ad ministerium verbi, vt loquuntur excludunt, esto à Philippo nec Sacerdote, nec eiusmodi Ministro baptizatum sciant Eunuchum illum, & Paulum ab Anania, qui ne quidem erat Diaconus.

Ad tertium, porrexit Christus fateor Eucharistiam sub vtraque specie, sed solis Apostolis, & Sacerdotibus, quos scilicet ad eiusmodi munus destinauit; neque enim aliqui præter Apostolos cum eo recumbebant, iisdem solis de calice dixit; *Bibite ex hoc omnes*, vnde ait Marcus, cap. 14. *Biberunt ex eo omnes*, cum ergo solos Apostolos bibisse constet, ex consequenti liquet, ad eos solos directa fuisse verba illa, ac proinde argumentum petitum ex hoc facto non euincere, administrādam esse Laicis Eucharistiam sub vtraque specie, immò potius contrarium. Quod ad verba illa, Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, &c.* Respondetur totum Christum ob idque tam eius corpus, seu carnem quàm sanguinem sub panis specie contineri, atquia ita Laicos cū ad hanc speciem admittantur, reipsa & quantum satis est manducare Christi carnem, & bibere eius sanguinem.

Sed neque deesset responsio, etsi probaret aduersarius, quod nunquam faciet, verba illa sic accipienda, vt caro sub vna specie, sanguis sub distincta alia exhibeatur. Dicam siquidem cum cæteris Catholicis, nihil opus esse vt hoc ad fideles omnes referatur, sed sufficere si ad solos Sacerdotes, quales erant Apostoli

 quem-

quemadmodum cum belli Dux ingruente certamine sic suos alloquitur, nisi firmi consistatis, & dato signo fortiter obuios demetatis hostes, gratiam apud me nullam inibitis, vtramque sententiæ partem ad omnes non dirigit, sed priorem tantum; posteriorem autem nõ ad eos qui sarcinas curant, aut vexilla circumferunt, aut tubarum inflatu militares animos accendunt, sed ad eos duntaxat, qui opportunis armis instructi sunt ad impetum faciendum. Nec Rex Nabuchodonosor, Daniel.2. cum ita loqueretur, *nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur*, ariolos suos omnes obligare sic voluit, vt ei quiuis indicaret tam somnium, quàm somnij interpretationem, sed satis habuit, si vnus illud, alius hanc aperiret, quod si euenisset, totus nihilominus grex dictus fuisset integrè ei fecisse satis. Vides mi Lector, quàm non militet contra communionem Laicorum sub vnica specie, nec Christi factum nec sententia. Quid si iam omnia ei fauere demonstrauero?

Fauet primò scriptura, quia insinuat satis Christum ipsum sub sola specie panis Eucharistiam porrexisse in Emaus. Panis quem ibi dedit verè fuit Eucharisticus, tum quia nihil erat necesse communem panem benedicere, frangere, & illis dare, qualem ab iis potius accipiebat, vt ab hospitibus peregrinus; tum quia communis panis tantum effectum non habet vt oculos aperiat: Ille item panis dictus est à Luca fractio panis, quo nomine vocari solebat Eucharistia, vt patet Actor.2. & 20. & secundum aliquos interpretes dicti sunt discipuli duo cognouisse illum in fractione panis, quia viderunt illum vtentem eodem ritu, quo in cœna vsum fuisse acceperant. Cum ergo in communione illa Emauntina sola panis species interuenerit, præsertim ex sententia Nouatorum dicentium nihil recipiendum quod scriptum non sit, scriptum autem non est aliam ibi speciem fuisse adhibitam, sicut neque in cap. illo 2. & 20. Actorum, dicendum est etiam à principio Ecclesiæ in vsu fuisse communionem sub vnica specie, non quod negem sub duabus quandoque fuisse à Laicis communicatum, sed quod contendam, id nec fuisse necessarium nec perpetuum.

Secundò fauet antiqua Ecclesiæ consuetudo, quę negari non potest annorum esse ad minus 600. vt testatur magnus ille Hosius

sius, Poloniæ Cardinalis, cum in Dialogo de vtriusque speciei communione sic loquitur. *A principio quo Polonia Euangelium recepit, hoc est ab annis prope 600. nunquam aliter, quàm sub vnica specie communicatum est; quis autem credat in hac sola prouincia id obseruatum?* O quanti facerent, quàm vrgerent Ecclesiæ consuetudinem Aduersarij, si tam vetustam aliquam proferre possent sibi manifestè adminiculantem.

Tertiò fauet experientia quamplurimorum sacrilegiorum & incommodorum, quæ ex promiscuo vsu speciei vini resultare deprehensa sunt, & quibus omnino fuit occurrendum, v. g. abstemios inde horrorem pati, vinum facilè acescere, facilè effundi, non vbique reperiri, ab ægrotis non rarò euomi, &c. præuidit hæc incommoda Deus, sed satius habuit remedium & cautelam eo tempore adhibere, quo contingerent. Nam etiam æterna sua cognitione anteuertit abusus futuros circa serpentem æneum, nec tamen ob id ab illius præceptione abstinuit, aut per eius abolitionem huiusmodi abusibus occurrere decreuit, antequàm euenirent.

Quartò nihil spiritualis vtilitatis perit populo occasione communionis sub vnica specie, quippe vtilitas, siue fructus à Christi sumptione pendet; totus autem in vtraque specie sumitur, tum quia iam non moritur, Rom. 6. ob idque sub specie panis non exhibetur vt mortuus & exanguis, sed vt viuus & cum sanguine; tum quia docet id clarissimè, cùm ait, Ioan. 6. *Qui manducat me.* Haud dubiè de se toto loquitur; manducatio autem solam panis speciem connotat, in ea ergo seorsim sumpta se totum contineri significat, & sic non minus vtilitatis offert in ea sumptus, quàm si in vtraque sumeretur. Lubet hoc insigni exemplo illustrare. fide credimus totam diuinitatem in tribus esse diuinis personis, & totam in qualibet; num quia in verbo quoque est, & Spiritu sancto, sibi aliquid detractum putat Pater? seque minus perfectum, quàm si ea in se vno ac solo existeret? nihil minus. Ergo à simili nequaquam suspicari licet minus ad te vtilitatis ex vnica quàm ambabus speciebus deriuari. Dic mihi quis fructus est corporis & sanguinis Christi quando sub diuersis speciebus accipiuntur? non alium profectò responsurus es, quàm vitam æternam dicente Domino, *qui manducat meam carnem, & bibit*

bit meum sanguinem, habet vitam æternam. At quid minus promittit de corpore suo loquens? nonne paulò antè dixerat, *si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum?* Et rursus infrà: *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum?*

Quintò, quemadmodum in primitiua Ecclesia ad communionem admittebantur paruuli, teste Dionys. Eccles. Hier. cap. 7. & S. Cypr. tract. de lapsis, & S. Augustinus epist. 107. deprehensis tamen incommodis quæ inde oriebantur, abrogata est hæc consuetudo, idque meritò vt agnoscunt ipsi Nouatores, hoc ipso quo illam in vsu amplius non habent; sic planè boni consulant oportet, abrogatam simili de causa communionem Laicorum sub vtraque specie.

At saltem rara est apud Catholicos communio etiam sub vnica specie, cum tamen in primitiua Ecclesia esset frequentissima, & vna cum sacerdote semper aliqui de populo communicarent. Respondeo id etiam hodie apud eos fieri, saltem in præcipuis solennitatibus, & vbi magis viget vel Ecclesiastica, vel Regularis disciplina. Deinde si rarò fiat, tribuendum id est, infœlicitati temporum, & contagio nouarum sectarum pietatem omnem sensim extinguentium, & oscitantiæ priuatorum, non Ecclesiæ, quæ vt bona mater filios suos hortari non desistit ad frequentem communionem. Præstat eam audire loquentem. *Hæc sacra mysteria ea pietate & cultu credant, & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter sumere possint.* Et rursus: *Optaret quidem sancta Synodus, vt in singulis missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent.*

§. 4. Apud Mahumetanos nihil simile reperias. Primo nulla habent vera Sacramenta, seu ritus, qui sanctificandarum animarum potestatem habeant vel habere credantur. Quippe huiusmodi maximè essent circumcisio, & ablutio illa frequens qua vtuntur Meschitas suas adituri, vt insontes puriique in conspectu Dei appareant; at ne in ista quidem cadit ratio illa Sacramenti, non in circumcisionem, quia non vtuntur illa nisi vt externo & sensibili gentis suæ Symbolo: quippe si eam adhiberent ad peccatum aliquod eluendum, & circumcisi animam perficiendam, frustrà ei paruulos subiicerent, quos constat peccato nullo obstrictos non actuali saltem graui, & perfecto ob defectum ætatis, nec originali,

nali, quia nullum tale agnoſcunt teſte Cuſpin. in lib. de Religion. Turc. & Reginaldo lib. 2. Caluinoturc. cap. 1. Deinde cum fœminę ſint circumciſionis incapaces, interim tamen peccato obnoxiæ non minus quam viri, vtique peculiaris quidam ritus circumciſioni reſpondens iis eſſet propoſitus, nullus autem eſt. Tandem ſi circumciſio huiuſmodi aliquam viris afferret ſanctitatem aut afferre crederetur, diu non differretur, ſed infantibus ſtatim poſt natiuitatem applicaretur, ne alias ſanctitate illa deſtituerentur, & incircumciſi ex hac vita diſcederent. Atqui octauo tantum anno vel etiam ſerius ad illam admittuntur, vt ſcribit Cuſpin. loco citato. indeque infert nihil eam conferre ad ſalutem gentis illius iudicio. verba eius ſunt. *Maior pars filiorum ſine circumciſione*, tamdiu ſcilicet dilata *moritur, adeò nihil eam ſaluti prodeſſe putant.* Non etiam cadit ratio Sacramenti in crebram illam ablutionē, quod vt oſtendam notandum, ex eodem Auctore ibidem, eam triplicem eſſe. Prima gentilitio illo idiomate *Zeoagirmem* dicitur, & perfuſio eſt totius corporis tam diligens & accurata, vt nullus planè in toto corpore locus illotus maneat, ſed ad quemuis aqua perueniat, aliâs irrita eſſet lotio. Solent ob id radere pilos omnes, barba in viris excepta, & crinibus in capitibus mulierum, quos tamen multo ſtudio lauant, & pectinibus crebrò diſcriminant, vt aqua penetrare poſsit. Incidunt præterea vngues manuum ac pedem in hunc finem, quin etiam eodem referunt præputij ſui reſectionem, videlicet ne ſub eo ſordes aliquæ remaneant. Hanc primam lotionem putant perneceſſariam poſt vſum coniugij, & quamcunque pollutionis maculam etiam naturalem. Altera vocatur *Tachriat*, & neceſſaria iudicatur cum naturæ opus exercetur, vel ventoſitates erumpunt. tùm enim arcano quodam in loco emundant fœdas partes corporis. Tertiæ *Abdas* nomen eſt, alij Aptan vocant quinque ſenſuum organis neceſſariam, qua manus & brachia ad cubitum vſque abluunt, dehinc os, aures, & totam faciem ad aures vſque, ac demum crura, tibias & pedes. Has lotiones dico cum ſint merè naturales ac corporeæ, nec animas emaculare poſſe vtpote ſpiritales, nec aliquo eas decore afficere, baptiſmi noſtri rationem eſſe diuerſiſsimam, cum auctorem Chriſtum habuerit, qui vera patrauit miracula, vt fatetur Mahumetus, & iis euicit di-

uina se virtute præditum, qua potuit aquam eleuare ad effectum supernaturalem. Mahumetus autem nullum fecit, quin insuper nullum se fecisse fatetur, vt aliâs videbimus, ita nihil prorsus est, vnde illum meritò suspicari posimus ea virtute præditum, præsertim cum moribus prætereà fuerit corruptissimis.

Secundò de impropriis illis, & qualibuscunque Sacramentis suis abiectè sentiunt, quia vt vidimus, aut iis vtuntur, tanquam meris notis vt circumcisione, aut si minimo sint iudicio præditi, vt procul dubio sat magno sunt plurimi, satis intelligunt ablutiones illas materiales emaculare posse carnem solam, ac proinde non pluris faciendas, quàm ablutiones equi vel canis.

Tertio eadem indignissimè tractant. nam circumcisionis minister non alius quàm profanus Chirurgus est, nec eam in templo, sed in triclinio facit, idque prandij, vel lautissimæ cœnæ tempore, si Philippo Lonicero credimus, libro 2. de Turc. moribus, & Barthol. Georg. cap. 3. Rursus Sacramentorum cum eximia quædam sint Religionis fundamenta materiam, constantem oportet esse. Apud eos autem talis non est ablutionis materia, nam iuxta Azo. 9. si desit aqua ad puluerem terræ fas est recurrere purgandi, seu tergendi corporis gratia. Tandem vt circumcisionem sic istiusmodi ablutiones domi, ac proinde in loco merè profano peragunt. nec ad illas vllam animi præparationem referunt, cum tamen ad veri Sacramenti vsum debitum, ac religiosum permagna requiratur.

§. 5. Sunt quoque Nouatores quoad Sacramenta irreligiosissimi. Primò, non omnia recipiunt. Secundò, nihil aut perparum iis tribuunt. Tertiò, frigidissimè illa, & sine magnificentia cultuque vllo administrant.

1. Quod ad primum nulli omnia septem recipiunt, sed alij quinque, alij tria, alij vt Caluinistæ duo tantum videlicet Baptismum & Eucharistiam; & tamen omnibus septem demonstrauimus veram inesse rationem Sacramenti, & Caluinus ipse fateri cogitur, si consentire velit doctrinæ propriæ. Namque in responsione ad quæst. 3. Serueti rationem afferens cur præter Baptismum Christus Dominus Eucharistiæ Sacramentum insti-

Digitized by Google

instituerct, hoc factum scribit, quia munere fungi voluit Christus accuratissimi patrisfamilias, cui satis esse non debet peperisse filios, vel in domum suam introduxisse. Requiritur præterea vt alat eos, itaque baptismo, per quem regenerantur fideles, accedere debuit Eucharistia, qua alerentur. At nonne etiam postulat prouidentia perfecti Patrisfamilias, ne in domo eius desint, quibus & corroborari possit suscepta proles, & cum sordes contraxerit, perpurgari, & aduersus insidiantem hostem communiri, nec Pædagogi à quibus optimè institui, nec denique ratio qua multiplicari? hæc autem omnia spiritualiter fiunt per Sacramenta Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, Ordinis, & Matrimonij. Sed quid dico eos non omnia septem recipere? immò secundum varia sua principia nullum planè recipiunt, nec recipere debent. Exemplum. Sacramentum est signum rei sacræ, ergo qui rem sacram non admittunt, profectò nec Sacramento locum dare conuincuntur. Illi autem rem sacram non admittunt, quia vt ostendimus non potest esse alia quam gratia inhærens, per quam verè, propriè, & realiter sancti sumus; hanc autem pernegant contenti sola non imputatione peccatorum.

Deinde cum Deus nihil temerè frustraque faciat, profectò Sacramenta tollunt, qui superfluum eis finem assignant, quod quomodo non faciunt magni hi Euangelici, cum ea docent ad solam fidem, qua iustificemur excitandam & fulciendam instituta? certè cum vt volunt, fidelis non modò fidem certò se habere intelligat, sed illam præterea non possit perdere, superuacaneum est quidquid admouetur vt fulciatur. Cum rursus vt docent, eo ipso quo est in homine illum iustificet, nihil opus habet excitari, vt excitata fidelem iustum faciat. Iuxta hoc ipsum tenentur Dei verbum inter Sacramenta vera ponere, cum interim nec sit verè Sacramentum, nec ab illis credatur esse. Id probo quia Sacramenti proprij rationem in eo sitam volunt, vt sit externum quid à Deo, seu Christo institutum, vim habens excitandi fidem. At profectò Dei verbum eiusque prædicatio externum aliquid est à Christo profectum & institutum, & fidem nostram in primis sustinens, Psalm. 118. *Confirma me in verbis tuis*, Psalm. 129. *Sustinuit anima mea in verbo eius.* Romanor. 15.

Vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Nec est quod causentur Dei verbum in scripturis non vocari Sacramentum, quippe nec Baptismus in iis sic appellatur, nec Eucharistia, quorum tamen neutrum à numero excludunt Sacramentorum; Matrimonium contra cum iisdem hoc nomen habeat, negant esse Sacramentum, vt verissimum sit quod dici solet, eos de scripturis ludere pro arbitrio, & neque repudiare quod proponitur si sibi arrideat, esto in iis non contineatur, nec contra recipere si non arrideat, quantumcunque contineatur.

2. Secundò abiectissimè de Sacramentis loquuntur, & scribunt. Primò, nolunt ea legalibus præcellere (qualia vocat Apostolus egena elementa) immò minoris virtutis contendunt esse. Zuinglium audi. *Si in veteri Testamento carnalia duntaxat, & externa fuerunt, nec aliquam potuerunt puritatem, & munditiam miseris, & pollutis hominum conscientiis afferre, quanto minus in Christo poterunt, in quo nos solus spiritus viuificat?* Ecquis est quem Theologia ista noua in magnam admirationem non rapiat? quid absurdius quàm vmbram corpori, figuram æquare veritati? quid restat nisi vt pariter negemus Christum præstare Moysi, Euangelium legi, Christianam Ecclesiam Synagogæ? Nonne proportione quadam, vt se habent Sacramenta à Christo instituta ad Mosaica, sic Christus ad Moysem, & Christi Ecclesia ad Synagogam? Secundò, nihilo plus tribuunt Baptismo Christi, quàm Baptismo Ioannis, non considerantes præ mentis stupore ac cæcitate, non posse nõ esse augustius quod à Domino instituitur quàm quod à seruo, & quod in nomine Spiritu sancti confertur, quàm quod secus, & quod Symbolum est, quo & in quo datur idem Spiritus sanctus iuxta illud, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto*, quàm quod non est.

Lib. de Bapt. c. 1.

3. Tertiò negant illis vim omnem sanctificandi animas. *Externus baptismus*, inquit Zuinglius loco citato, *qui aqua constat ad peccatorum ablutionem*, nihil facit. Et infrà: *Sacramenta externa res sunt, & in animam non possunt operari, quasi verò, si non* possint naturaliter, consequens sit non posse supernaturaliter. Caluinus verò lib. 4. Inst. cap. 14. n. 2. *Ad eorum vero alterum obiectum Dei gloriam ad creaturas deriuari, quibus tantum virtutis attribuitur, sicque eatenus diminui, respondere*

promptum

Digitized by Google

promptum est nullam in creaturis virtutem à nobis reponi. Atque hinc patet deteriores illos esse Nestorianis, qui si non per pœnitentiam, per baptismum saltem peccata verè remitti concedebant. Ex hoc pestilente principio conclusionem deducunt nihilo meliorem, videlicet sacramentum nullum fidelibus necessarium esse ad salutem, cùm à nullo quicquam virtutis spiritualis accipiant. Quæ causa est, cur de paruulis suis baptizandis parum sint solliciti, nec baptizent eos Caluinistæ quãtumuis morte periclitentur, si dies non sit concionis, nec eosdem alio quàm in cœlum euolasse credant, si absque baptismo ex hac vita discedant.

Quartò, sic de iis loquuntur, vt ea institui ab Ecclesia potuisse, & noua posse satis insinuent, quatenus ea nolunt aliud esse, quàm vel notas quasdam fidelem populum ab infideli dirimentes, vel symbola quædam excitantia fidem & sustinentia. Iam verò quid magnum ac mirum si talium auctor sit vel dicatur Ecclesia? Nonne dux quilibet militaris Imperatori surrogatus, hoc ipso quo militiam administrat ius habet præscribendi huiusmodi signa, quibus sui ab hostibus distinguantur? præmia item proponere ac ostentare, buccinatores adhibere, & vt verbo dicam, nihil non excogitare & agere, quo accendi & incitari, & confirmari posit animus præliantium? 4.

Quintò, suis dogmatibus occasionem populo manifestam præbent ea penitus abnegandi, siquidem iuxtà hæc dogmata, nulla prorsus admittenda esse paulò antè docuimus, multo adhuc magis ea contemnendi, quasi egena vt Mosaica, immò iis inferiora, quasi virtutem nullam continẽtia, quasi nihil in animam influentia, quasi ne fidem quidem excitantia, cum hæc excitatio sine quodam in animam influxu non posit esse, quasi non necessaria, ne paruulis quidem iam iustificatis per fidem parentum, & excitationis illius incapacibus, quasi denique superflua, cum amitti fides non posit, esto illa non suscipiantur, & promissio à Deo facta sit per se certissima, & digna cui mens assentiatur, nec ad assentiendum externa quædam adiumenta conquirat. 5.

Sextò, sacramenta suscipiunt & conferri sinunt ab iis, qui nec legitimam vllam vocationem habent vel possunt ostendere, nec cæremoniis vllis sacris sunt initiati; cum tamen aliquibus initiarentur Mosaicorum ipsorum dispensatores. 6.

Digitized by Google

7. Septimò, cum Baptiſmus iterari nec poſsit nec debeat, eſt enim generatio quædam ſpiritualis, vnde ſicut neminem bis naſci contingit corporaliter, ita neque ſpiritualiter, nec proinde baptizari; rebaptizant tamen Anabaptiſtæ, indeque nomen acceperunt, quin etiam huic eidem Baptiſmi iterationi prorſus ſacrilegæ fauet multipliciter Caluini doctrina lib. 4 Inſt. cap. 15. n. 7. & 18. & Zuuinglij lib. de Baptiſ. tract. 1. & Kemnitij 2. p. Exam. cap. de Baptiſ. Ioannis, quatenus ſcribunt eundem prorſus fuiſſe baptiſmum Ioannis & Chriſti. vndè ſic diſputo. Apoſtolus Actor. 19. iis contulit Baptiſmum Chriſti, qui prius baptiſmum Ioannis ſuſceperant, nec id citrà magnam impudentiam negare poteſt Caluinus, cum manifeſtè id textus perhibeat. ſic enim habet: *His auditis*, quod ſcilicet tantum baptizati eſſent baptiſmo Ioannis, *baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu.* Ergo ſicut baptiſmo Ioannis baptiſmus Chriſti, ſic vni baptiſmo Chriſti alius eiuſdem poteſt ſuccedere. Item quatenus docent eundem baptiſmum, ſicut & alia ſacramẽta eſſe nuda ſigna externa Moſaicis ſimilia, hæc autem conſtet quando talia erant quę repeti poterant, crebrò fuiſſe repetita. Item quatenus volunt eorum finem eſſe excitare & fulcire fidem, quæ procul dubio excitatio atque confirmatio tanto eſt melior quanto crebrior.

8. Octauò, veſtes nullas peculiares adhibent, nec lumen, nec peculiaria vaſa, ſed neque adhibere poſſunt iuxtà eadem ſua pronuntiata, ne ſcilicet aliquid non iuſſum, aut à Chriſto & Apoſtolis non vſurpatum facere videantur; cum tamen Moſaica quo magis commendarentur, inſignibus cum veſtibus tractarentur, & ne quis diuina quædam opera eſſe ignoraret, lucente lumine perficerentur.

9. Nono, ſacramentorum materiam quam non minus, quam ſacramenta ipſa oportet eſſe immutabilem, mutant ipſi ſæpè, non aliquo ſubnixi ſcripturæ teſtimonio ſed ſolo proprio iudicio ſiue arbitrio. Ex quo enim alio haurire potuit Beza audacem illam definitionem, cuius mentionem facit epiſtola ſecunda, licere in neceſsitate alia vti materia quàm aqua ad baptizandum?

10. Decimò, exigeret reuerentia vt flexis genibus ſacramenta ſuſciperent cum etiam apud homines, feudatarij non niſi iis in terram poſitis feudo inueſtiantur, & Dominis directis iurent fidem, & iu-

& iurisdictionem accipiant, & in gratiam, si forte ab illa exciderint, redeant. Ecce autem plusquam feudum hic. At modo stantes Eucharistiam suscipiunt vt Caluinistæ, modo accumbentes ne à Christi & Apostolorum exemplo recedere videantur, quasi verò peculiaris ratio non fuerit sedendi in cœna, vbi Dominus ipse visibiliter præsens minimeque obligatus genuflectere antè Eucharistiam, dispensabat cum Apostolis suis, vt qui cum illo accumbere cœperant, eodem seruato situ illam de manibus suis susciperent, sicut etiam peculiaris fuit cur non manè, sed ad vesperam mysterium hoc totum perageretur.

Vndecima, cum iuxta primæuæ morem Ecclesiæ in sacramẽtorum administratione ad insinuandam illorum maiestatem ac virtutem ritus varios adhibeamus, inter alios autem exorcizemus infantes, ne vel diabolus inuidia crepans imminente Baptismo iis noceat, vel in iisdem baptismum præstigiis suis impediat, adulterinam aquam substituendo, vel ne corpus tangat impediendo, nullos adhibent, sed vt superstitiosos execrantur. 11.

Vndecimò, cum ad Eucharistiam magna quadam præparatione sit opus, ne si prætermittatur iudicium sibi manducet, qui communicat 1. Cor. 11. nullam adhibent veram ac solidam cuiusmodi maximè est exomologesis, seu remissio peccatorum facta ministerio sacerdotum, quibus in persona Apostolorum constat dixisse Dominum, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, Ioan. 20.

Duodecimò, cum Eucharistia viaticum sit nostræ peregrinationis, vt scribit S. Ambros. in orat. de obitu fratris sui Satiri c. 7. ob idque digna qua se quisque eo præcipuè tempore, quo est ex hac vita discessurus, cõmuniat, eiusdem S. Antistitis exemplo, ad quem ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus Dei voce ter admonitus accurrit, eique sanctum Domini corpus præbuit; immò exemplo ipsiusmet Christi & filiorum Israël. Ille quippè transiturus ad Patrem cœnam fecisse legitur cum discipulis suis; hi quoque ab AEgypto recessuri se suosque Agni paschalis esu refecerunt, qui non crucis modo sacrificium, sed Eucharistiam adumbrauit, vetuit Caluinus ea muniri ex hac vita migrantes teste Hosio lib. 1. de Hæresib. & patet quia voluit, vt non daretur nisi in Ecclesia, lib. 4. Inst. cap. 17. nu. 43. ægroti autem ad Ecclesiam non 12.

dese-

deferuntur. fuit sanè hoc vnum ex præcipuis diaboli stratagematis, videlicet aliquam inire rationem qua spirituale hoc animarum munimentum peccatoribus dissuaderet, morti proximis. Nec valet quorundam argumentatio, Christum multis simul nõ vni tantum, iisque sanis non ægrotantibus Eucharistiam porrexisse, & quod fecerat iussisse fieri, nam si ita rigidè & ad amussim obseruanda sunt quæ fecit, ergô ad communionem duodecim tantum admittendi erunt, idque in triclinio, & sub noctem, & post cœnam communem,&c. Deinde, quomodo quod pro multis institutum est, non etiam pro vno? multis prædicatur verbum Dei, quid vetat quominus etiam vni vt Samaritanæ, cum opus habet? si hoc fit in Verbo, cur non in Eucharistia? Rursus si quid pro sanis institutum est, quomodo non multo magis pro ægrotantibus, quos idem Dominus affirmauit Medico nullo magis indigere? Quis nescit voluntatem magis Legislatoris, quàm verba perspiciendam? clamant hoc sanè vno ore Iurisperiti. Vetat lex ne quis muros transcendat, quid si hoc faciat ciuis, vt hosti fortiter resistat? vetat ne quis in palatio sanguinem fundat, quid si necessitate id Chirurgus faciat? sic demus dictum fuisse à Christo hoc facite in meam commemorationem, & expressius altaris sacramentum multis simul, iisque sanis administrate, tamen succedente vitæ periculo propter quod expectari multitudo nõ potest, & saluti consulendum est modis omnibus, præsumendum esset mentem eius fuisse, vt ægrotis omninò dispensaretur. Sed quid mirum si illud moribundis dari Caluinus vetuerit, cum etiam baptismum administrari nolit multo magis necessarium? obiecerat sibi in lib. illo 4. cap. 15. §. 20. *At periculum est ne is qui ægrotat, si absq; baptismo decesserit, regenerationis gratia priuetur.* Ad hoc respondet: *Minimè verò.*

Matth. 9.

13. Decimo tertiò, postulat religio, vt qui Eucharisticum panem suscipiunt vel administrant, reuerenter illum contrectent, & ab omni scurrilitate abstineant; quod illi obseruare adeò nõ solent, vt contrà, moribus suis satis ostendant, quàm vili eum loco habeant, ex suscipientibus multi frustulum in peram mittunt, quãdoque etiam posteà portendunt canibus. Et Prædicãtes sæpè pro sua temeritate mira excogitant, vt ille qui Viennæ in Austria anno 1588. Eucharistiam in populum distributurus icunculam seu pupu-

pupulum fictitium supra mensam posuit, & mox eiusdem peram astrigmentis solutis explicauit, ex eaque triplicis generis hostias eduxit, albas, nigras, medias, albas quas Nobilibus porrigeret, nigras quas Rusticis, medias quas mediocris fortunæ hominibus. Cumque post calicis dispensationem fat multum vini superesse cerneret, illud in lagenam misit, quæ post fornacem erat, vt acetum fieret.

Decimo quartò, cum digna sint sacramenta in quorum gratiam beneficium aliquod suscipientibus conferatur, nullũ prorsus apud eos cõfertur. Apud nos autem quibusdam in locis reus ad Eucharistiam confugiens in tuto est nec capi potest. Et qui per baptismum regeneratus in bello capitur, capientium Catholicorum seruus non efficitur, sed ad summum præstat pecuniam in redemptionis pretium quam Græci λυτρὸν vocant teste Couarruuia relect. in cap. *Peccatum* p. 2. §. 11. n. 6. 14.

Decimo quintò, rarissimè communicant, cum tamen Caluinus ipse in lib. illo 4. cap. 17. §. 43. ad decentiam pertinere fateatur, vt sæpissimè & singulis minimùm hebdomadis id fiat. 15.

Decimo sextò, laudabilissima est in sacramentorum vsu conformitas, non secus atque in dogmatibus, quam insinuans Apostolus dicebat: *Idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia*, & tamen in eo mirè à se discrepant, manifestamq; dissimilitudinis huius occasionem præbet illis idem Caluinus ibidem, cum omnia fermè vult esse libera. Verba eius sunt: *Cæterùm quod ad externum actionis ritum spectat, in manum accipiant fideles nec ne, inter se diuidant, aut singuli quod sibi datum fuerit, edant, calicem in Diaconi manu reponant, an proximo tradant, panis sit azymus an fermentatus, nihil refert*. Ite iam Nouatores, & gloriamini si potestis rectũ apud vos vsum esse sacramentorum, atque ex hoc capite colere vos Religionem veram. 16. 1. Co. 1.

GG De

De Feſtis eorumq́; vſu actu 10 externo elicito, & nota 12. veræ Religionis.

CAPVT XXII.

§. 1. *Feſtorum ratio & obſeruatio in quo ſit poſita.*
2. *Actus Religionis eſt.*
3. *Extant apud Cathol. feſta plurima, admodumq́; piè obſeruantur.*
4. *Pauciſſima contra tàm apud Mahumetis ſequaces.*
5. *Quàm apud aſſertores Pſeudoeuangelij.*

§. 1. FESTI nomen primitiuum eſt, & idem olim erat cum feria, ſic dicta quod in ea feriretur ſeu mactaretur hoſtia, & ratione diuini cultus opera alia ſuſpenderentur: vel à ferendis in honorem Dei epulis ex pecorum frugumque prouentibus. Quia verò dies in quo ita ceſſabatur à reliquis operibus feriæ habebat nomen, factum eſt vt alij dies & tempora, in quibus quomodocunque, ſeu à quocunque opere ſibi homines temperabant, eodem nomine inſignirentur. Hinc feriæ meſsium & vindemiarum, in quibus Iuſtitium erat, id eſt, vacatio à forenſibus negotiis. Item feriæ Nundinæ, quibus vacare licebat Ruſticis, vt ad mercatum venirent & nundinas. At nobis Chriſtianis dies omnes feriæ dicuntur. Dominicus quidem feria prima, dies lunæ feria ſecunda, & ſic deinceps ad ſeptimam vſq; ſeu Sabbathum, quia vt iam dictum eſt, ceſſatio ab opere aliquo feria dicitur; Chriſtianis autem quotidiè abſtinendum eſt à quibuſdam operibus, nimirum à peccatis, quæ libertate nos vera deſtituunt, & miſerabiles iniquitatis ſeruos efficiunt, vt meritò ſeruilia dici debeant: *Qui enim facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Ioan. 8. *Et ſola apud Deum libertas eſt non ſeruire peccato,* vt ſcribit Hieronymus. Abſtinendum inquam, quia cultum Deo exhibere tenentur in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus vitæ ſuæ. Conſtat ergo Ethnicorum etiam ſententia de natura feſti eſſe, vt in eo cultus Deo deferatur, atque in hunc finem ab operibus quibuſdam

In epiſt. ad Celantiam *Luc. 1.*

dam aliis abstineatur. Cum *duas res magnas præsertim non modo agere vno tempore sed ne cogitando quidem explicare quisquam possit*, & iuxta parœmiam difficile sit, ne dicam impossibile, sorbere simul & flare, lepores duos venari, cœlum & terram aspicere. Ridebantur olim qui Philosophiæ nauantes operam, non totam, sed partem ei dabant, partem rebus aliis planè disparatis; vt potè quibus omnibus facere satis ἀδύνατον videbatur: quanto magis pronuntiassent colere volentem Deos debere sibi extraneis operibus interdicere, quæ magna quædam auocamenta sunt à sacris studiis & meditationibus? Et quamuis obiri quoquo modo possent vna cum diuino cultu, obiri tamen non expediret, quia non quomodocumque peragi debent quæ Deum spectant, sed propter illius maiestatem, & ne in re tanti aliquis subrepat error, admodum accuratè, hinc maledicitur Hierem. 8. qui facit opus Dei negligenter. Cic. Phil. 11.

Hæc ipsa opera quæ festis oportet diebus missa facere, peccata non sunt, non quod inter festa peccare liceat, sed quod ipsa præcisa lege festorum non prohibeantur. Supponit potius eiusmodi lex iam interdicta. Videns autem ad Deum colendum nequaquam sufficere, si iis non offendatur, sed religiosos insuper actus aliquos accersendos, quibus propriè, positiuè, ac formaliter coleretur, iis porrò aduersari mechanica & seruilia opera, non quidem vt mala bonis, sed vt impedimenta grauia cogitationes ad se nostras vocantia, indixit vt eiusmodi opera supprimerentur, quo soluta, libera, parataque mens existeret ad assurgendum in Deum solito fortius & efficacius, obeundosque actus illos religiosos, quorum determinationem reliquit Deus Ecclesiæ.

Ex his procliue est coniicere, festorum obseruationes Religionis virtuti esse in primis consentaneas hoc modo. In festo duo sunt, cessatio ab operibus seruilibus siue mechanicis, quæ nimirum propria seruorũ sunt, & à nobilibus fieri non solent; & occupatio circa actiones quasdam pias operibus illis mechanicarum artium quasi substitutas. Inest vtrisque Religionis ratio. Namque media ordinantur ad finem, eiusque naturam induunt; cum itaque cessationis illius scopus sit opus religiosum, v.g. consideratio diuinorum beneficiorum vel perfectionum, dicente §. 2.

Digitized by Google

Domino Psal.45. *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus.* Annumerabitur & ipsa actionibus religiosis.

Secundò, valet argumentum à loco ad tempus; sicut ergo templa eo ipso religionem sapiunt, quo loca sunt quidquid profanum est excludentia, diuinis autem destinata obsequiis, vt iam aliàs declarauimus, sic persimilem ob causam solennitates & festa.

Tertiò, præparatio ad rem quampiam eius pars quædam esse videtur, ita vt secundum iura de proximo accingendus pro accincto habeatur. L. filius familias, ff. de milit. testam. & lib. 1. Reg. 30. qui pugnare parati erant remanentes ad sarcinas, spoliorum partem accipiunt, ac si depugnassent cum cæteris: illa autem ipsa cessatio præparatio quædam est diuinæ seruitutis, quatenus exclusio est peregrinarum occupationum, eoque fine suscipitur, vt illas arceat, atque ad colendum Deum mentem comparet, pars ergo quædam est Religionis.

Ad aliam partem venio, ad actus inquam pios, qui in festis exercentur Dei colendi gratia, sanè cum ij vel oblationes sint, vel sacrificia, vel orationes, vel gratiarum actiones, vel Dei laudes, vel spiritualium rerum commentationes, vel vsus sacramentorum, vel eiusmodi quædam alia quibus Deus manifestè colitur (neque enim præscribi alia debent) negari non potest, quin horum respectu ad religionem festa pertineant. Dico non debere præscribi alia, quia id satis coniectari potest ex Sabbatho Iudæorum, in quo triplicis beneficij refricabatur memoria. Primum erat rerum omnium procreatio. Alterum Iudaicæ gentis ab AEgyptiaca seruitute liberatio. Tertium ac postremum sanctitatis, religionisq; institutio. Primi indicium dedit Dominus cum sanciens diei septimæ otium, eam rationem apposuit, Exod. 20. quod sex diebus cœlum, terram, & omnia effecisset, quæ cœli ambitu continétur, septimo autem à prima illa rerum vniuersarum molitione conquieuisset, quasi admonens, vt parenti rerum omnium gratias agerent, illumque ob tàm admirandam fabricam assidua prædicatione celebrarent. Secundi autem quando post verba illa Deut. 5. *Memento quod & ipse seruieris in Ægypto, atq; inde eduxerit te Dominus.* Moyses continuò adiunxit: *Idcircò præcepit tibi vt observares*

seruares diē Sabbathi. Tertij denique cùm ait, Exod.31. *Videte vt Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me, & vos in generationibus vestris, vt sciatis quia ego Dominus qui sanctifico vos, custodite Sabbathum, sanctum est enim vobis.* Quid est dicere, *ego Dominus qui sanctifico vos,* nisi ego Dominus, qui vos mihi sacris deuincio, & ad omnia munera sanctitatis instruo. Iam verò quomodo ad Dei gloriam non cedebat omnia hæc mente agitare? quàm admirabili vi, sapientia, & bonitate vniuersam creaturam condiderit? quāta benignitate gentem cuius tutelam susceperat, è durissima seruitute ereptam in libertatem asseruerit? quàm eximiis ritibus, cæremoniis, & institutis illius tum decori, tum saluti consuluerit?

Et quia in mentionem incidimus Sabbathi Iudæorum, quod populi illius festum erat ordinarium, haud dubiè cum Dominus præcepti nullius obedientiam seuerius exegerit, cum significare volens subuersam omnem religionem, conqueratur, & dicat Sabbatha sua violata, non custodita, non sanctificata, quasi omisso hoc obsequio nihil amplius restaret, in quo posset honorari, satis superque indicat festorum obseruationem opus esse religiosum. Idem suffragio suo testatum reliquit S. Augustinus sic scribens; *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat.* Et serm.251. *Dominicum diem Apostoli religiosa solennitate habendum sanxerunt.* Conspirat & Caluinus in eandem sententiam his verbis, Lib.2. Instit. cap.8. n.34. *Cæterum generalis doctrina præcipuè tenenda est, ne Religio inter nos vel concidat, vel languescat, diligenter colendos esse sacros cœtus, & externis subsidiis, quæ ad fouendum Dei cultum valeant, operam dandam esse.* *L.20. cont. Faust. c.21.*

Hæc cum ita sint, cum festorum obseruatio pars vna sit diuini cultus, erit haud dubiè Religio illa præstantior cæteris paribus, quæ festis pluribus abundabit. Cumque vera Christi Ecclesia longè sit Mosaica, & Pagana quauis illustrior, hoc vno indicio prodere se debet inter cætera, quod festa longè plura celebret, præsertim cum finis vnus festorum sit diuinorum beneficiorum commemoratio, ei autē obtigerint multo plura, & augustiora quàm illis aliis.

Iam demonstremus de Catholica seu Romana, quàm sit numeris omnibus quoad hanc partem absoluta. §.3.

Primò tam multa festa colit, vt quartam anni partem occu-

pent, præsertim si publicis vbique receptis accedant locorum propria. Constat annus diebus CCC. LXV. si de communi sermo sit, vno plus si de intercalari, quare quarta pars erit dierum circiter 91. At Dominicæ numerantur 52. festa mobilia 9. tria in resurrectione Domini, totidem in Pentecoste, Ascensio Christi, solennitas S. Trinitatis, & alia augustissimi Sacramenti. Immobilia alia plus minus 30. ex quibus fateor sicut etiam ex mobilibus aliqua concurrunt cum Dominicis sed paucissima. Quid jam fiet si priuata accedant, votiua inquam, & Patroni proprij, & dedicationis propriæ Ecclesiæ?

Secundò, hæc illius festa instituerunt ij, quos posuit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, hoc est partim Apostoli, partim qui iis successerunt Episcopi Catholici, quibus in promptu est legitimam vocationem suam ostendere, ac se per ostium ingressos fuisse, non aliunde vt fures & latrones. *L.4.cont. Donat.c. 24.* Certè cum iuxta S. August. quod vniuersa tenet Ecclesia, nec conciliis constitutum sed sempiternum est, rectissimè credatur ab Apostolica auctoritate traditum; horum autem festorum Dominicæ, Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Parasceues, Ascensionis Domini, & Epiphaniæ, quæ in Catholica celebrantur Ecclesia initium nullum post Apostolorum tempora designare liceat, conuincuntur vtique sanctionis esse Apostolicæ. Hic si opus esset, sique non metuerem Lector, ne tibi tædium afferret superflua scriptio proferrem benè longam sanctorum Patrum seriem, qui harum solennitatum adeò meminerunt, vt etiam multi in iis ad populum sermonem habuerint. Quod ad alia festa recepta vbique Catholicæ Ecclesiæ, non possunt non esse vetustissima, cum similiter sæpe eorum mentionem faciant iidem sancti Patres, qui scilicet floruerunt primis Euangelicæ legis temporibus, vt Augustinus. Chrysostomus, Hieronymus, &c. Recentior videtur Purificatio B. Virginis, & tamen illius institutionem ab alto deducit Cedrenus videlicet ab anno nono Iustini magni, eamque vocat hypantem aut hypopantem, id est processionem obuiam, quasi tunc in occursum prodeamus Christo Domino testamenti Angelo venienti ad templum suum. Sed & festo omnium Sanctorum, quod magis adhuc nouitatis accusatur, initium dedit Bonifacius IV. ante annos 900. eique templum Pantheon dedicauit. Immò putat

Couar.

Digitized by Google

Couar.lib.4 var.reſol. cap.19.n.8. efficaciter ſe probare ex S.Auguſt.ſerm.37.tom.10. hoc feſtum in vſu fuiſſe magni huius Doctoris tempore. Sed ſit feſtum aliquod Catholicorum recentiſſimum,an idcirco non erit recipiendum? nonne quæ auctoritas illa alia inſtituendi data eſt primis illis Eccleſiæ columinibus, perſeuerat in legitimis illorum ſucceſſoribus? Si potuit Eccleſia Iudæorum inſtituere motu proprio feſtum Iudith, ſi illud ſequẽtibus annis muſsitante nemine magna religione obſeruauit, quomodo non poterit Chriſtiana auctor eſſe quorundam recentium? Si poteſt priuatus quilibet, immò totus vnus populus voto ſe obſtringere ceſſandi ab operibus ſeruilibus tempore aliquo libero,vt impenſius vacet pietati,vel etiam voto nullo interueniente ceſſare in eundem finem, cur non etiam Eccleſia,& ſecundum ſpiritalem poteſtatem quam accepit in ædificationem, filios ſuos obligare ad eiuſmodi ceſſationem?

Tertiò,ſicut Sacramenta Euangelica Moſaicis, & myſteria figuris reſpondent, ita ſolennitates æquum fuit reſpondere ſolennitatibus,quod quàm rectè apud Catholicos fiat,conſidera.Obiicitur primum Sabbatho dies Dominicus, feſto Paſchæ feſtum Paſsionis & Reſurrectionis Chriſti, feſto Pentecoſtes,in quo data fuit lex vetus in monte Sina, aliud eiuſdem nominis in quo data eſt lex ſpiritus vitæ, feſto Neomeniæ feſtum B.Virginis, in qua prima apparuit illuminatio ſolis,id eſt Chriſti per abundantiam gratiæ. feſto tubarum, feſta Apoſtolorum, quorum ſonus exiuit in omnem terram, Pſalm.18. Feſto expiationis feſta Martyrum & Confeſſorum, feſto tabernaculorum, feſtum conſecrationis, ſeu dedicationis Eccleſiæ. Feſto cœtus atque collectæ feſtum Angelorum,vel Sanctorum omnium,vt docet S.Thom.1.2.q.103.art. 3.ad 4.

Quartò,ſicut iuſtus titulus inſtitutionis feſtorum Iudaicorum fuit ſtudioſa proteſtatio gratitudinis, erga Deum propter accepta ab illo ingentia quædam beneficia,quorum memoriam in illis ſuis ſolenniis ad mentem reuocabant, vt in feſto Neomeniæ, ſeu Nouiluniorum memoriam perpetuæ aſsiſtentiæ & gubernationis, pro qua ſacrificia offerebant, de quibus Num.28.& tubis perſonabant iuxta illud,Pſalm.80. *Buccinate in Neomenia tuba.* In feſto Paſchatis,ſeu Phaſe memoriam magni cõmodi quod

ſenſit

sensit populus, quando monitus vt luna 14 liniret sanguine Agni super liminaria domus, ne occideretur ab Angelo percutiente, morem gessit, & incolumis euasit, Exod. 12. Leuit. 23. In festo Pentecostes memoriam acceptæ legis, & vbertatis frugum terræ, Deuter. 16. In festo tubarum iteratam memoriam eiusdem acceptæ legis, vel si mauis diuinæ contestationis factæ in monte Sina, quando legem dedit Deus populo per Moysem. Tunc enim Deo loquente populus sibi audire visus est sonitum buccinæ seu tubæ corneæ, Exod. 19. vt exponit S. Basil. In festo Scenopegiæ, seu tabernaculorũ memoriam diuinæ protectionis, quando filij Israël educti de AEgypto per desertum degebant in tentoriis & tabernaculis, Leuit. 23. Numer. 29. In festo Encæniorum memoriam instaurationis altaris, quod cum esset à gẽtibus profanatum, restitutum, & reædificatum est à Iuda Machab. 1. Mach. 4. In festo Iudith memoriam liberationis de manu Holofernis. In festo Mardochæi memoriam liberationis ab insidiis & coniuratione Aman filij Amadathi; antè quem diem quoniam fauente Deo insignis quædam victoria Iudæis obtigit, 1. Machab. 7. 2. Machab. vlt. contra Nicanorem Regis Syriæ ducem, qui instructus infinito penè armatorum numero vrbem inuaserat, constitutum fuit, aliud quoddam festum pridie diei Mardochæi, vt narrat Iosephus lib. 12. antiq. cap. 17. Sicut inquam à Iudæis magna ratione subnixis festa huiusmodi cœpta sunt coli, sic à Catholicis magno iure coluntur Christiana, vt constabit inductione facta per præcipua.

In Psal. 80.

Diem Dominicum colunt idque proximè post Sabbathum, quia ratione commemorandi beneficium creationis in festiuitate illius diei, in qua Deus ab illa requieuit, mutata est in beneficium recreationis, quæ facta est à Christo per gratiam, & absoluta die Dominico per eius resurrectionem, fuitque illa lux in statu gratiæ prima, multò præstantior illa, de qua dictum est, *fiat lux.*

Pascha celebrant, ne intereat apud illos memoria partim insignis cuiusdam mysterij partim ingentis beneficij. Mysterium est transitus Christi duplex (Pascha Hebraica vox est & transitum significat) alter à vita ad mortem, qui quidem contigit feria 6. quam Parasceuem dicimus; alter huic oppositus à morte ad

ad vitam, qualis incidit in diem Dominicum proximè sequentem. Hic posterior priorem illum supponit & connotat. Est item eatenus præstantior, quatenus ad ipsum prior ille ordinatur & tendit. At beneficium in eo elucet, quod vt Christus pro nobis dignatus est mori, ita & resurgere, vt quemadmodum in ipso moriente nos in quantum peccatores morimur, ita in ipso, & cum ipso resurgente per eiusdem gratiam iustificati, suo tempore ad gloriam resurgamus. Christus enim primitiæ dormientium, 1. Corinth. 15. sine cuius resurrectione nulla fieret suscitatio à mortuis. Cæterùm ne primum illud mysterium implicitè tantum, & connotatiuè vt aiunt, in hoc eodem Paschæ solenni die recoleretur, præclarè institutum est, vt in ipsamet feria sexta, quàm accuratissimè populo inculcaretur, præsertim cum seria illius meditatione peccatores etiam grauissimi quodam, quasi fræno cohibeantur. *Certum est,* inquit Origenes, *quia vbi mors Christi circumfertur, non potest regnare peccatum, eius vis tanta est, vt si antè oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido, nullus furor, nulla superare possit inuidia, sed continuò ad eius præsentiam totus ille peccati, & carnis fugatur exercitus.* *In cap. 6. epist. ad Rom.*

Pentecosten colunt vt Spiritum sanctum esse, atque in Apostolos visibili specie quinquagesimo post Pascha die descendisse recognoscant. Magnus vtique fauor, magnum priuilegium, quo tunc temporis donati sunt hi spirituales terræ Principes, & nos cum illis, quandoquidem propter nos, & propter nostram salutem illud acceperunt, vt nimirum præclarè digneque ferent verbi semen, quod procedit de ore Dei, quo alendi fuimus. Accedit quod diffidere non possimus fore, vt in nos quoque rite dispositos spiritualiter illapsurus sit idem Paraclerus. Etenim quis in Parentes munificus filios negligat? Et quamuis nihil inde vtilitatis ad nos perueniret, pro studio nihilominus nostro erga præcones illos sanctissimos, collatum iis tantum beneficium grata celebrare quotannis memoria deberemus, cum inter amicos communia sint omnia, & congaudere proprium sit charitatis. Vnde & Apostolus Roman. 1. Gratias agit Deo per Christum pro Romanis, scribitque 2. Cor. 1. *De periculis eripiet nos adiuuantibus & vobis, vt ex multorum personis eius, quæ in nobis est donationis per multos gratiæ agantur pro nobis.*

Iisdem festus est natalis Christi, quia minimè ferendum videbatur, vt quo die inæstimabilis cœlorum thesaurus ad ditandam inopiam nostram in mundum venit, feriam aduentus huius cogitationem non susciperent, nec exultarent in salutari suo, nec cantarent canticum nouum venienti, vt sit nobis viæ vitæque socius. Haud dubiè *necesse est*, ait S. Maximus, *vt in commune nos omnes qui futuri examinis, resurrectionisq́ promissæ accepimus fidem, habeamus metum quidem de Iudice, sed de Redemptore lætitiam.* Epiphaniæ festum agunt, quia vt idem admonet homilia 5. *Salutare nobis est atque conueniens, vt concurrentes ad festa Dominica, & mysteria Saluatoris nostri, de cuius natiuitate gauisi sumus, eius manifestatione lætemur; quia sicut nascendo gloriosus est Dei filius, ita apparendo mirabilis. Mirum namque quod Christus processit ex Virgine, nec minus magnificum, quod ostensus è cœlo est. Mirum valde quod nouum hominem terra suscepit, stupendum nihilominus, quod nouum hunc hominem noua de cœlo stella prodiderit.*

Hom. 2. de Nat.

Habet insuper varia Sanctorum festa, quia saluberrimum est illorum virtutes imitari, vnde Apostolus, *imitatores mei estote*, inquit 1. Corinth. 4. & alibi, *Mementote Præpositorum vestrorum qui vobis locuti sunt verbum, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.* Imitandus quidem præcipuè, & præ oculis habendus est Christus, quia vt docet S. Thomas adoptio filiorum Dei est per conformitatem ad filium naturalem, sed imitatio illa nullo modo huic aduersatur, sed planè consentit. Ea propter S. Augustinus in lib. de doctr. Christ. vnam coniunxit cum altera dicens. *O anima Christiana euigila, Domini tui imitare vestigia, considera quot millia Martyrum tritam tibi fecerint viam, transierunt virgines, pueri, & puellæ, & adhuc times?* Iam verò quis modus eos rectè imitandi, nisi eorum cultui festa aliqua destinentur, in quibus cessantes ab operibus vna ex parte laudemus Deum qui tales illos fecit, ex altera consideremus qualiter vitam instituerint suam, vt ad eandem amussim nostram applicemus? hoc fine profectò destinanda sunt aliqua, idque notat Doctor idem clarissimus his verbis: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur.* Quo eodem spectant illa sancti Bernardi sermone secundo, in festo omnium Sancto-

Heb. 13.

1. p. q. 93. art. 4.

L. 20. cont. Faust. c. 21.

rum,

Digitized by Google

rum, *fidelis sermo & omni acceptione dignus, vt quos solenni veneratione prosequimur, etiam simili conuersatione sequamur.* Ideo autem singulariter beatam Virginem inter sanctos hoc honore prosequimur, quia illos omnes dignitate antecellit, multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, sed illa supergressa est vniuersas; & *sicut lilium inter spinas, sic illa inter filias.*

Quintò, præclarè in festis suis Christum imitantur, qui venit vt dissolueret opera Diaboli. AEmulus honoris & rerum diuinarum Diabolus nihil non facit, quo Dei & Sanctorum cultum extinguat, vt suum statuat, exegit olim à suis sacrificium soli Deo debitum, Idolorum statuas in Caluariæ monte statui curauit loco Dominicæ crucis, & festa varia partim detestabilia partim vanissima introduxit. Quid fecit Ecclesia Catholica? his expunctis alia verè sancta ac religiosa substituit, vt Calendis Ianuariis festum circumcisionis, sacrificiis Plutonis quæ initio Februarij circum gestatis accensis cereis peragebantur festum Purificationis eiusdem sacrosanctæ Virginis, floralibus, seu festis Floræ alias eiusdem Deiparæ solennitates, Augustalibus quæ Calendis Augusti, in honorem Augusti Cæsaris fiebant, festum vinculorum beati Petri Apostolorum Principis.

Perparum est hoc totum dicat aliquis, si conueniens desit festorum obseruatio. Constat autem è Catholicis illis complures adeò pietatem in festis non colere, vt tunc maximè insaniant, & genio indulgeant, Alij nunquam auarè magis nundinas exercent. Alij quasi desperabundi ferre non valentes tyrannicam festorum multitudinem, in iis ac si festa non essent secularibus negotiis suis dant operam, ne desit vnde labore manum sibi & suis victum conquirant. Respondetur ad ista facillimè, ac primum excessus illos vitia esse priuatorum hominum, tanto minus imputanda Ecclesiæ, quanto instantius illa omnia interdicit. Vide quomodo loquatur in vno Treuirensi Concilio, cap. de feriis. *Si quis siue Clericus, siue Laicus in prænominatis celebribus festis operæ mercenariæ publicè vel priuatim, aut compotationibus, choreis, ludis, aut id genus lasciuiis, & leuitatibus temerè, & contumaciter sese dederit aut immiscuerit, ab officialibus nostris arbitraria pœna pro modo delicti, etiam brachij secularis auxilio si opus erit, inuocato puniri*

to puniri mandamus. Idem est de nundinatione iudicium, tam tenax est Ecclesia religionis festorum, vt sicut Deus post Abelis cædem quo mortales valde absterreret ab omni incentiuo, & occasione homicidij, brutas animantes in cibum assumi vetuit, quia id fieri non solet sine effusione sanguinis; sic illa festorum tempore interdictos voluerit actus, qui esto seruiles propriè non sint & mechanici, ad illos tamen accedunt, & valdè à spiritualibus auocant. Huiusmodi sunt lites forenses, quas ob id prohibet, capite primo & vltimo, de feriis ne fortè sicut Iudæis dictum est, Isa.58. *Ad lites & contentiones ieiunatis, nunquid tale est ieiunium quod elegi*, ita filiis suis improperetur, *ad lites & contentiones festa colitis, nunquid talia sunt festa quæ expectaui?* Ne citationem quidem partis valere vult, si fiat in die festo, sed execratur, velut deuotionis auocamentum. Apud Ethnicos ipsos, lege de Panatheneis interdictum erat circa talia publicè vel priuatim occupari L.gradatim.ff. de mun. & Martialis libro 10. Epigram. vbi ait, *natalem colimus tacete lites.* Huiusmodi quoque sunt nundinationes & mercatus illi, de quibus in obiectione fit mentio, non minus valere iussi in cap. illo primo & vltimo. Itaque sola priuatorum cupiditas fuit, quæ illos sacro tempore introduxit; priuatorum item Pastorum oscitantia factum, vt malum hoc, quod primitus reuelli facilè poterat, iam post radices altas vix possit. Ita fit vt culpa vacet Ecclesia, quam si pro sui ratione muneris audirent omnes, citò aboleretur illa omnis impietas, nihil non docet, quo eam quiuis detestetur. Admonet primum peccare mortaliter, quotquot sine legitima dispensatione, qualem Præpositi soli spirituales possunt concedere, vel vrgente graui & manifesta necessitate ea notabiliter, seu magna ex parte violant.

Secundo festorum obseruationem iuris esse naturalis, licet Institutio iuris sit Ecclesiastici, quia natura docet vilescere quæ communia sunt, oportere proinde ad hoc vt homines Deum reuereãtur certa tempora & loca, certos item Ministros ad eius cultum deputari, vt obseruauit S.Thomas. Esse item iuris diuini, teste Couar.lib.4.var.resol.c.19.n.4. ac violatori dici posse illud Apostoli, 1.Thessal.4. *Qui hæc spernit non hominem spernit, sed Deum, qui etiam dedit Spiritum sanctum suum in nobis.* Nec esse cur quis hoc miretur,

retur, obligationem videlicet iuris esse diuini, cum interim institutio sit duntaxat Ecclesiastici; hoc enim sæpè accidere, nempe vt Antecedens & consequens diuersi iuris & ordinis sint. Exemplum, restituere visum cæco actus est supernaturalis, visio tamen subsequens actus est naturalis; figuræ circularis partes maximè inter se distare antecedens est Geometricum, quod autem inde infertur difficillimè coalescere & sanari vulnera rotunda, consequens est artis medicæ. Vouere nullius est iuris cum sit omninò liberum; voto tamen satisfacere iuris est diuini. Sic Ecclesia festiuitates determinat, & determinando quadam ratione instituit; hac autem institutione posita vult eas Deus iubetque obseruari, quippè scriptum est Exodi vigesimo: *Memento vt diem Sabbathi sanctifices*, cuius nomine non hodierno solùm, sed legis quoque tempore festiuitates omnes comprehendebantur, propter quod non Sabbathi solum, sed Sabbathorum in veteri testamento crebra fit mentio vt Threnorum primo: *Viderunt eam hostes, & deriserunt Sabbatha eius.*

Tertiò, Patres familias nequaquam munere suo integrè defungi cum festa celebrant, nisi ea insuper à domesticis suis curent obseruari, ait namque Dominus in capite illo vigesimo: *Septimò die Sabbathum Domini Dei tui est, non facies omne opus in eo, tu & filius tuus, & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas.*

Quartò, festa plurima communibus esse Dominicis augustiora, quotquot videlicet duplicia vocantur, multùm proinde hallucinari, atque ab æquitate recedere eos, qui illarum duntaxat habent rationem, tota libertate hæc alia violantẽs ac si nullius essent roboris, aut nulla eorum lege tenerentur.

Quintò, nihil esse metuendum, ne plurium festorum accurata obseruatio temporalibus lucris officiat (quanquam esto officeret, non idcircò violari deberent, quia quodlibet damnum temporale seu cessationem lucri vberè compensat meritum boni operis) siquidem potens est Deus prospicere, vt res familiaris aliunde incrementa sua accipiat. Mirum dictu: Cum populus Dei iussu, septimò quouis anno ab omni agrorum cultura abstineret Leuit. 25. non idcircò eo adueniente consumebatur, sed an-

no ſexto duplicabatur annona, tantumque ferebant agri, quantum ſeptimo & octauo erat ſatis.

Quod ad querelam illam de feſtorum multitudine, propria eſt impiorum hominum, quibus quodcumque religionis opus cenſetur graue, ſicut contra amanti ac religioſo nihil difficile. Huic quia cordi eſt Dei cultus, videtur breue quodcunque temporis ſpatium ei tribuitur; illis cõtraria de cauſa longiſsimũ, vellent cultum illum ſi fieri poſſet omni ex parte abolitum, quo liberius & maiore otio in vtramque dormirent aurem, & tamen ſi contingat eos terrenis miniſtrare Principibus nunquam ſuppetere ſibi credunt ſat temporis vt eis ſeruiant, adeò ſunt vbique præpoſteri, & ſe probant minimè factos ad incolendam Dei domum, in qua quicumque habitant acturi feſta, & laudaturi ſunt eum in ſecula ſeculorum.

§. 4. Nuſpiam feſtorum meminit Alcorani liber, quantum obſeruare potui. Prohibet quidem Mahumetus in Azo. 13. terreſtrem venationem, non tamen occaſione feſti alicuius, ſed peregrinationis quæ Mecham inſtituitur. Nam cum in venatione huc atque illuc excurrere oporteat, per ſaltus & deuia; Arabes autem latrunculi hæc vulgò loca occupent, atque in iis deliteſcentes in viatores minimè cautos diuiſoſque ab inuicem ex improuiſo inſiliant, meritò proſpexit, vt peregrini à tàm periculoſo exercitio abſtinerent. Rurſus quod in Azo. 19. ſanciuit, ne pluribus quàm quatuor menſibus bellum à ſuis gereretur, nequaquam eo fine factum eſt, vt octo alij pro feſtis haberentur, ſed cum à Nouembri ad Iunium vſque incluſiuè, nec ſub dio milites conſiſtere poſſint propter aeris inclementiam, neque ſi copioſus ſit exercitus, neceſſarios ab vrbibus & pagis cibos accipere queat, inclinatis ſcilicet ad vacuitatem horreis, oportuit bellum reliquis tantum quatuor menſibus deſtinare.

Nec tamen idcircò nullum iam apud gentem illam Muſulmannicam feſtorum vſum eſſe contendo, ſed ridicula eſſe affirmo, & quæ religionis ſplendorem imminuant potius quàm augeant. In primis ſi ſextam feriam ſeu veneris diem excipias, vniuerſa

Digitized by Google

uersale nullum habent, ne vnum quidem excepto Paschate. Priuata enim sunt quæ à nonnullis eorum Religiosis speciali deuotione celebrantur, vt scribit Cyprianus. Illud autem vnum quod colunt mense Maio camelum linteo vestientes, & per arua circumducentes in honorem Mahumetis, qui aliquando vagam ac perditam vxorem suam huc illuc discurrendo quæsiuit, & tandem inuenit, Maurorum est proprium teste Postello in simili opere, sicut & Turcarum natalis S. Georgij dies, vt insinuat Theuet. lib. 3. Cosm. cap. 6.

Lib. de Rel. Turc.

Deinde, quid est quod vel Mahumetus, vel eius gregales posthabito die Dominico Christianorum, & Sabbatho Iudæorum feriam sextam elegerunt quàm colerent, nisi contradicendi studio, ne videlicet aut Iudæi haberentur, aut Christiani? Nos quidem qui Christiani dicimur & sumus magna adducti ratione spreto Sabbato diem sequentem colimus, quia prædictum perspicuè erat in Prophetis, Iudaicam legem adueniente Christo in nostram esse mutandam, idque fatetur ipse Mahumetus in Azo. 5. his verbis: *Deus pius & misericors prius testamentum vetus, deinde Euangelium rectas vias hominibus tradidit.* Ad quam legis diuersitatem insinuandam operæpretium fuit, expuncto Sabbatho Mosaicæ illius proprio aliud quoddam surrogare, quo singulariter resurgentis memoria Christi recoleretur. Mahumetus autem probare nunquam potuit vel leui coniectura, Iudaismum aut Christianismum lege aliquando sua iure abolendum. Immò vtrumque docuit sequendum & retinendum. Neque enim aliud sibi volunt verba illo Azo. 1. *Tu fidem Creatoris prædica, persuadens vt legibus Moysi & Christi firmam fidem adhibeant.* Idem est de illius vel illorum temeritate iudicium circà festa paschalia; non ea celebrant eodem quo Iudæi tempore, hoc est, in decima quarta luna primi mẽsis quem Nisam vocant, vel quo nos Christiani, id est, in die Dominica proximè sequente, sed duodecimo mense lunari, qui nunc in ver incidit, nunc in æstatem, nunc in Autumnum vel hyemem, quemadmodum ex variis Auctoribus recitat Reginaldus lib. 2. Caluinoturc. cap. 3.

Adhæc quanta est iniquitas, cum sanctum Georgium festo colant, idque tanto studio, vt cùm aliàs in bello effusè latroci-

nen-

Digitized by Google

nentur, & per fas nefasque omnium prædentur bona; si quis tamen in die illi festo vel obolum furto surripiat, absque vlla spe misericordiæ mox laqueo vitam finiat. Theuet. supra; non multo magis Christum colere, & beatam Virginem, & Ioannem Baptistam, Christi præcursorem, quos ipsimet credunt sancto Georgio antecellere infinitis propè partibus. Nunquam sancti Georgij meminit Mahumetus. At Christum verè sanctum fuisse, omni virtute clarissimum, Prophetarum Principem, ac supra omne humanitatis fastigium prædicauit in Azo. 4. In sequenti autem beatam Virginem vocat omnibus viris splendidiorem, ac mundiorem & soli Deo perseueranter studentem. Ioannem verò Baptistam virum bonum, perennem virginem, magnumque Prophetam. Sed facile coniectare est, vndenam hæc iniquitas ortum habuerit. Sancto Georgio tantum honorem deferunt non religionis causa, sed vt ista velut communione apud Christianos illos qui Georgiani vocantur, & illi addictissimi sunt gratiam ineant, quos non parum metuunt, vt testatur Bellefor. tom. 2. Cosmogr. lib. 3. cap. 6.

Rursus non abstinent in diebus festis ab operibus seruilibus, si Reginaldo credimus loco citato, & Postello in libro de Relig. Turcar. Fusis in Mosquea precibus, vnicuique licet toto reliquo tempore in quodcumque voluerit opus clàm vel palàm incumbere. Pauci tamen sunt, qui tunc seruilibus illis se tradant, ludos potius frequentant, inquit Cuspin. in tract. eiusdem argumenti, cum instrumentis musicis, & saltationes exercent, & circumactiones corporis cum incredibili velocitate. Sed an ebrietates prætereunt? Lonicerum audiamus libro secundo de Turcicis moribus: *Primarium aliquem habent velut eiusmodi opificij communis ducem, quem in festo cateruatim adeunt, & postmodum in publico diuersorio variis coemptis cibariis toto fermè die ad noctem vsque pergræcantur, vbi quot rixæ, quot turpitudines, quot belluini mores, quot contemptus numinis interueniant, facile est diuinare.* Sanè quatenus tunc temporis ad seruilia opera extendunt manus, idque communi lege ac permissu, meris Ethnicis deteriores sunt, ex quibus scripsit vnus quispiam.

Digitized by Google

Luce sacra requiescat humus requiescat arator Tibull.l.2. eleg.2.
Et graue suspenso vomere cesset opus
Omnia sint operata Deo, nec audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.

Quatenus autem absurdis illis corporis motibus, & commessationibus vacant, grauius adhuc in religionem peccant, melius tota die foderent, melius eorum fœminæ lanam facerent. Augustinus tractatu tertio in Ioannem, & in Psalm.32.

Addamus sub finem ineptissimam causam festi illorum præcipui seu paschalis: *In eo epulantur*, inquit Lonicerus supra, *& se mutuo osculantur & recreant, partim in memoriam arietis, qui Abrahamo præter spem in victimam filij loco oblatus est, partim in memoriam noctis illius, in qua Deus de cœlo Gabriele interprete Alfurcam seu Alcoranum transmisit ad Mahumetem.* Quid tantum meruit aries ille, vt eius memoriæ dies aliquis consecrandus videretur, vel si relata putetur ea solennitas, vt gratiæ agantur præpotenti Deo, quod Isaac innocentis iugulum gladio peti non siuerit, sed arietem ei substituerit; quomodo ob innumerabilia beneficia alia longè maiora sibique penitiora festos dies non multo magis agere consueuerunt? Quis risum prætereà facilè tenuerit, cum delatum noctu audit Alcoranum ad Mahumetem? Non poterat aptius imposturæ tempus designare. Neque enim interdiu dicere debuit, ne eam lux ipsa proderet, neue fidem dictis suis abrogaret defectu testium, quos sibi nullos esse, & tamen grauioribus rebus cum interdiu geruntur, vulgo adesse non ignorabat. Vsurpant Mahumetani in eiusdem Paschalis festi solennitate ritum vanissimum oblinunt enim vngues manuum & pedum certo ceromate, quod vngues rutilos efficit, eademque tinctura caudas equorum & pedes imbuunt, teste Barthol. Georgen. cap. 2.

Quod ad Nouatores, præterquam quòd Caluinistis nulla festa sunt præter Dominicum, cæteris autem tàm pauca alia, vt vix quatuor vel quinque numerum excedant, demonstro iuxta illorum principia nullum prorsus recipiendum, maximè namque Dominicum videri possunt meritò ac iuste colere, at ne hoc quidem iure colunt. Peto namque quo iure in eo celebrando §.5.

fulciantur, an ſcriptura, an traditione, an Eccleſiæ auctoritate, an ratione. Ex nullo horum opportunam poſſunt reſponſionem deducere. non ex ſcriptura, quia vetus illa Sabbathi ſeu diei ſeptimę commendatio tàm parum ad Dominicum pertinet, quàm parum Sabbathum dies eſt Dominicus, & verba illa 1. Corinth. 1. *De collectis quæ fiunt in Sanctos ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite per vnam Sabbathi*, non exprimunt quæ ſit illa vna Sabbathi, multo minus in ea feriandum, neque enim collatio eleemoſynarum quam in ea fieri iubet Apoſtolus, feſtum poſtulabat, vt fieret. Illa ſimiliter Apocalyp. 1. *Fui in Spiritu in Inſula quæ vocatur Pathmos in die Dominico,* non determinant expreſsè & clarè, quis ſit hic dies dominicus, quippè omnes multipliciter dici poſſunt Dominici, minus adhuc inſinuant fuiſſe diem feſtum, cum Ioanni Euangeliſtæ non minus reuelationes fieri potuerint diebus aliis. Non ex traditione, quia illam rident eiuſmodi Nauatores, neque ex authoritate Eccleſiæ, quia iidem auctoritatem hanc nihili faciunt in conſtituendis rebus ad religionem pertinentibus, niſi in quantum fulcitur diuino verbo, ex quo vt vidimus, teſtimonium pro die Dominico peti non poteſt ſufficiens. Nos ſi interrogemur incunctanter reſponſuri ſumus, videlicet diem Dominicum, pro feſto habendum, idque iure diuino iuxta probabiliorem Theologorum ſententiam, verũ non tam ſcripto quàm tradito.

Secundò, decreta humana in materia Religionis abominantur, & doctrinas illas eſſe contendunt, quas reprobat Chiſtus dicens: *Sine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* At diei Dominicæ inſtitutionem vult Caluinus humani eſſe iuris, ait enim, *Nec ſine delectu Dominicum diem quem vocamus, in locum Sabbathi ſurrogarunt.* Adde quod ſi ius diuinum in hac inſtitutione interuenire crediidiſſet, nunquam illum mutare præſumpſiſſet, at mutationi voluit eſſe obnoxium, addit enim: *Neque ſic tamen ſeptenarium numerum moror, vt eius ſeruituti Eccleſiam aſtringam. Neque enim Eccleſias damnauero, quæ alios conuentibus ſuis ſolennes dies habeant.* Ergo diem Dominicum debent abominari, quanto magis alia quibus longè illum anteponunt.

Matth. 15.

Lib. 2. Inſt. c. 3. n. 34.

Tertiò,

Digitized by Google

Tertiò, sugillant Religionis nostræ actus plurimos, ob determinatum numerum, qui in illis interuenit. v. g. ieiunium quadragesimale, septem horas canonicas, & rosaria in quibus cum aliquot orationibus Dominicalibus aliquot sunt decades salutationum Angelicarum. Domino seruitis ad numerum inquiunt, ac si non esset consultius incircumscriptas ei preces offerre. Nihil hac obiectione puerilius, cum diuina eloquia infinitorum meminerint religione præstantium, qui inter orandum certũ quendam numerum obseruarunt. In horto Christus ipse tertiò eundem sermonem dicit. Matth.26. Angeli ter inclamant sanctus, sanctus, sanctus. Isa.6. Rex Dauid septies in die laudem dicit Deo, Psal.118. Et Daniel tribus temporibus in die flectebat genua & adorabat; sed faciamus esse fortissimam, est sanè cur à simili nec diem Dominicum, nec vllum aliud festum constans occurrensq; post certam dierum reuolutionem obseruent, ne si id faciant, in eadem damnatione sint, ac sibi dictum audiant, se Deo seruire ad numerum. *Daniel.6.*

Quartò, aut festis diebus Deum colunt, vt sunt dies festi in genere, aut vt tales dies; non posterius, quia sic includunt humanam determinationem & constitutionem, quam excludere profitentur à ratione colendi Deum; neq; prius, quia non dantur talia festa in abstracto, sed quæcumq; sunt determinata sunt, nec est vna aliqua ratio colendi Deum, quæ tantum petatur ex illis quatenus in genere festa sunt, sed contrahitur in illis vt talia existunt, sicut nulla datur actio hominis in genere, sed huius tantum & illius. Si ergo festi determinationem quia ab Ecclesia proficiscitur nihil ad colendum Deum facere credunt, nec certè aliquid erit ex parte festi vt festum est, vnde coli possit. Negari non potest quin eadem determinatio habeat se per modum causæ secundæ seu particularis, cum ergo clarum nimis sit in Philosophia & Theologia tota, has duas causas circa vnum idemque versari, eodemque tendere, fateantur quoque necesse est, festum vt festum, & festum vt tale festum eodem spectare, & sub vtraque ratione vel facere ad Dei cultum, vel non facere, at non facit secundum illos, & maximè secundum Caluinum lib.2. Instit.cap.8. num.32. &lib.4.cap.10.num.30. vt est tale festum, ergo neque vt est festum simpliciter.

Digitized by Google

Quintò, cum tàm pauca festa colant, omnibus sunt mortalibus hoc nomine irreligiosiores, non Catholicis tantum, qui præter Dominicum habent quam plurima, sed etiam Iudæis, quibus præter Sabbathum, sunt quoque multa, vt ex præcedentibus liquet, & Paganis, quorum pro variis acceptis beneficiis tanta erat in festis agendis propensio, vt Iulius Cæsar ad agendas Deo gratias subacto Pompeio dies 10. indixerit, quæ vt festa colerentur. Si quis à me percontetur, quid in vobis latere credam ô Sectarij, propter quod festorum numerum ac multitudinem ita refugitis, nec latum vnguem aberrabo à Scopo veritatis, si & impietatem respondeo & auaritiam. Putent reuera vobis, & omni felle amariora, & fumo quouis molestiora sunt exercitia omnia diuini cultus, quæ vos diu multumque auocant à domesticis, & lucrosis vestris occupationibus; itaque vt circulus planum sui minimo, sic vos illum Dei cultum quàm parcè potestis attingitis, nec id inficiabimini, nisi volueritis contra mentẽ loqui. Et tamẽ quid hac ratione proficitis? an Catholicis multo ditiores estis? an lucra longè maiora facitis? aut fœlicius & vberius agros metitis? haud dubiè sicut mira Dei virtute accidit Exod. 16. vt de mensura Gomor quæ paruulis obtingebat, tàm parum super esset finito die quàm de mensura quæ adultis, cum tamen longe plus super futurum videretur, ita iusto eiusdem iudicio euenire cernimus, vt Catholicis ditiores non sitis, esto quo magis magisque ditemini, festa paucissima recipiatis.

Dio Cass. Lib. 43.

Sextò, palàm est contemplationem eximiarum virtutum, quibus in hac mortali vita Sancti claruerunt, cedere in gloriam & honorem Dei, à quo vno illas acceperunt, non minus, quin etiam magis, & multo potiore iure, quàm ad Assueri existimationem consideratio pulchritudinis Vesthi Reginæ, ad quam contemplandam Satrapas suos aduocasse legitur. Cum ergo feria esse non possit talis contemplatio, nisi in festo, hoc est, in tempore, in quo vacemus ei suspensis operibus seruilibus, sicut in Apellis picturam seriò intendere nemo potest, nisi ab obiectis aliis obtutum abstrahat; nullus iure negauerit decere, vt præter festa Dominica quædam sint Sanctorum (sicut quondam apud Iudæos erat festum Iudith) in quibus attentè recogitemus, quàm magna fecerit Sanctis suis qui potens est, atque ad imitationem

& vsus

Digitized by Google

& vsus nostros conuertamus, quæ in iis obseruauerimus, Quod quidem rectissimè fieri, agnouit his verbis Caluinus, *primum caput nostræ exhortationis est, vt certa exempla Martyrum qui nos præcesserunt, ad nostram consolationem confirmationemq́ accommodemus.* Resultat ex his ipsis Sanctorum solennitatibus magna Dei gloria, in quibus & eius extolluntur benefacta & suspiciuntur. Hinc illud sancti Maximini Taurinensium Episcopi qui nos præcessit annis 1200. *Gloriosissimos Christianæ fidei Principes annuis solennitatibus honorantes fratres charissimi, ipsum Dominum ac Deum nostrum qui huius auctor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque latino sermone dicuntur missi, qui ergo honorant missos, manifestum eos honorare mittentem, quoniam dignitas quæ defertur Ministris, illi sine dubio cuius Ministri sunt exhibetur, quemadmodum ipse saluator ad discipulos ait, qui vos recipit me recipit.* Ecce interim huiusmodi festis carent Nouatores, adeò vt illa etiam superstitioni adscribant. Cum interim natalitia sua festo coli gestiant, & Ethnica probent ac defendant. Elizabetha certè Regina Protestantium in Anglia caput eraso festo Natiuitatis B. Virginis natalis sui diem substituit, in quo nemo non feriabatur, & laudes eius decantabat medias inter epulas ac tripudia, & vbique resonabat aër pulsu campanarum, & Caluinus in cap. 14. Matth. ratas habet natales solennitates Herodis, Pharaonis, & aliorum impiorum hominum rationem afferens, quod ea celebrando possint viri probi gratias Deo agere, quod non illorum more mentem gerant obcæcatam; quasi verò adhuc melius non sit, & non etiam possimus celebrando festa Sanctorum, eidem gratias agere, quod illorum exemplo ac more mentem geramus probè institutam; & noua quædam virtutis incentiua sentiamus, & perpensa mercede qua iam perfruuntur, inardescens animus æmulari cogitet solito fortius charismata meliora? ita est profectò vt nos docuit S. Chrysostomus cum scripsit. *Nemo est qui nesciat Martyrum glorias hoc diuino consilio à Dei populis frequentari, vt & illis debitus honor dicatur, & nobis virtutis exempla fauente Christo monstrentur, vt dum hæc ita celebrari perspicimus, cognoscamus quanta eos gloria maneat in cœlis, quorum natalitia taliter celebrantur in terris, quò possimus etiam ipsi talibus prouocari exemplis, &c.*

In hom. de fer. persec.

Hom. 1. in natal. Apost.

Postremò, pauca illa festa quæ habent violant impunè ac sine vllo numinis metu Caluinistæ omnes vbi abest scandalum, & quod magis mirere Lutherani. Sic enim loquuntur VVittenbergenses in articulo de potestate clauium ad Hieremiam Patriarcham Constantinopoleos. *Quid sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Respondemus quod liceat Episcopis facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, non vt per illas mereamur remissionem peccatorum, aut satisfaciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, vt iudicent esse necessarios cultus, ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violant.* At quandoquidem perfacilè est sine cuiusquam offensione illa violare apud eos, quibus gratissima violatio est, nec posit esse iusta offensio, vbi festorum lex violantis non obstringit conscientiam, & leui momento tolli scandalum siue offensio posit, patet nutare apud eos omnem festorum religionem.

De minoribus cæremoniis actu 11. externo elicito, & nota 13. veræ Religionis.

CAPVT XXIII.

§. *1. Quæ dicantur minores cæremoniæ, & quomodo legitimæ ab illegitimis discernantur.*
2. Actus sunt Religionis.
3. Extant apud Catholicos præstantissimæ ac plurimæ.
4. Apud Musulmannos ineptissimæ ac plurimæ.
5. Apud Pseudo-euangelicos paucæ & illaudabiles.

§. 1. MInores cæremoniæ dicuntur respectu maiorum cuiusmodi sunt adoratio, sacrificium, Sacraméta, &c. quod cum hæ præcipui momenti sunt, & diuinum cultum per se ac directè respiciunt; illæ eatenus tantum ad colendum Deum conferant, quatenus ad ornatum significationemque eiusmodi cultus, vel præcipuarum eius partim prosint. Sunt autem triplices generis, videlicet aliæ naturales, quibus quodam naturæ instinctu vtuntur omnes, vt eleuatio manuum, vel

Digitized by Google

vel oculorum, genuflexio, tunſio pectoris, &c. quales repudiare nemo poteſt, niſi qui & naturæ repugnare velit, & diuino verbo in quo manifeſtum habent teſtimonium, vt 1. Tim. 2. *Volo vos orare in omni loco leuantes puras manus* Actor. 20. *Poſitis genibus ſuis orauit cum omnibus illis.* Et Luc. 18. *Publicanus percutiebat pectus ſuum dicens, Deus propitius eſto mihi peccatori.* Aliæ à Deo, vt lotio pedum antè Euchariſtiæ ſumtionem, &c. quæ lotio eſto ſub obligationem non cadat, nec iudicata ſit hactenus cadere, vt teſtatur S. Ambroſ. lib. 3. de Sacram. cap. 1. rectè tamen ad imitationem trahitur, atque ab eo ſolo carpetur, qui reprehendendum ſuſcipiet charitatis illius ſymbolum, puritatis & modeſtię, cuius ſtudium Chriſtus his verbis commendauit. *Debetis aliter alterius lauare pedes, exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis.* Aliæ denique ab Eccleſia, vt cœlibatus, veſtes, ſacræ, vigiliæ, incenſum, ſignum crucis, aſperſio cineris, benedictio aquæ, & rerũ ſimilium. Poſſe namque Eccleſiam cæremonias aliquas excogitare & introducere probatur.

Primò, quia aduerſarij ipſi à quibus vnis impugnantur, multas habent ab Eccleſia ſola inſtitutas, vt videbimus §. vltimo, non ergo tales poſſunt mali conſulere.

Secundò, quia Apoſtolus qui membrum parsque tantum erat Eccleſiæ, varia inſtituit circa Euchariſtiam dicens, 1. Cor. 11. *Cætera cum venerit diſponam*, quæ profectò alia quam cæremoniæ quædam fuiſſe videri non poſſunt. neque enim Sacramenti ſubſtantiã attingere potuerunt, à Chriſto iam inſtitutam. Iam membro poteſtas ineſt aliquas ſanciendi, quanto magis corpori?

Tertiò, quia humana ratio natura quædam eſt partialis, cum ergo quæ ab Eccleſia præpoſitis fiunt cum ratione conſentiant, eſto fortè vulgus iners hanc conſenſionem nõ ſemper intelligat, nec conſtitutarum rerum iuſtas cauſas apprehendat, admittenda meritò ſunt quæ ab illis, ſicut & ea quæ à communi natura proficiſcuntur.

Quartò, vel volunt aduerſarij (qui ſcilicet cæremonias ſacras ab Eccleſia introductas criminantur & repudiant) eas vt recipiãtur, diſertè & expreſsè in ſcriptura contineri; aut ſatis habent, ſi implicitè in ea contineantur. Prius dicere pudebit illos haud dubiè, ſi quid frontis habeant, & niſi abſoluere velint ab omni obligatione

gatione parendi, filios à quibus aliquid à Parentibus præcipitur; quandoquidem hæc parentum præcepta in ſcripturis expreſſa non ſunt, ſed implicitè ſolum continentur in mandato illo communi, *honora Patrem tuum, & matrem tuam,* ſi poſterius reſpondeant intentum habemus, nam cum Chriſtus Eccleſiæ legibus ac inſtitutis nos omnes ſubiiciat, dicens Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus,* & cap. 23. *Omnia quæ dixerint vobis ſeruate & facite,* & Luc. 10. *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Clarum eſt cæcutire nolentibus cæremonias Eccleſiaſticas, & res alias ab Eccleſiæ auctoritate manantes implicitè in Dei verbo contineri. Hoc dilemmate cum ſe vrgeri videant, reſpondent ſapientiores, vt ea quæ humani iuris ſunt, obligent, ſufficere quidem ſi implicitè in ſcripturis contineantur, ſed non videri implicitè contineri, quando pugnant cum iis qui expreſſè in eum locum habent; cæremonias autem & conſtitutiones multas Eccleſiaſticas pugnare. Hæc illi, qui cum abſque vllo prorſus fundamento aſſumant dictas cæremonias diſſentire ab iis quæ expreſsè ſcripta ſunt, magno planè iure à me negatur. Dicunt nolle ſe ritus recipere, qui à Dei vel naturæ ritibus, & inſtitutis diſſentiunt. Rectè, ſed interrogo, vel per non diſſentire intelligunt eoſdem eſſe, vel non eſſe contrarios. Si eoſdem eſſe, profectò datam Eccleſiæ poteſtatem aliquos introducendi ſanciendique irritam faciunt ac ſuperuacaneam. Quid namque ea opus erat, ſi nihil ab ea emanare potuit, niſi quod iam à Deo vel natura profectum ſit? an non ſufficiens vtriuſque auctoritas in legibus ſuis ſanciendis, tametſi Eccleſiaſticorũ decretorum nulla fiat acceſsio? quàm rideret Vaſallum, vel Proregem ſuum Rex, cui diceret do tibi imperandi poteſtatem, volo vt iuſsionibus ſingulis tuis obtemperent, ſic tamen vt nihil prorſus imperes, niſi quod iam præſcriptum à me fuerit, & imperatũ? Si non eſſe contrarios, iure id poſtulant. Verùm quis indubitatus controuerſiæ huius Palæmon erit, ſint ne Deo, naturæ aut ſcripturis contrarij nec ne? illi vix ſtellæ ſextæ magnitudinis, immò ſtellæ nebuloſæ, an Eccleſia ipſa electa vt Sol? illi ſpurij, an iſta ſponſa? illi vix ab heri & nudiuſtertius in lucem editi, an illa annos aliquot nata ſupra mille ſexcentos? illi onera terræ ac numeri, & fruges conſumere nati, an iſta Eua fœlix, & omnium mater verè viuentium?

illi

illi ſibi ſolis pulcherrimi vt Simiæ, an iſta Deo probatiſsima dicenti, *Tota pulchra es amica mea. & macula non eſt in te*, illi neſcientes quia miſeri ſunt,& miſerabiles, & cæci & pauperes; an iſta quam introduxit Rex in cellaria ſua,glorioſa,non habens maculam aut rugam, vel aliquid eiuſmodi, ſed ſancta & immaculata,Epheſ.5. illi diſcipuli,iſta Magiſtra? illi in quo modicum lumen eſt,an iſta amicta Sole? illi partes,iſta totum? illi caduci,iſta perennis? illi de quo altiſsimum in ſcriptura ſilentium, an iſta cui teſtimoniũ perhibent quotquot ſunt Prophetæ, illi qui vno iudicio ſuo Præceptore peſsimo vtuntur, an iſta cui Spiritus ſanctus ſuggerit omnia? illi denique qui nec introitum ſuum norunt nec exitum, an illa columna,& firmamentum veritatis? *Cant.4.* *1.Tim.3.*

Necdum acquieſcunt miſeri, ſed inſtare pergunt, & vrgere perfecta eſſe Dei opera, Deut.32. nec ei minus quàm Apoſtolo licere dicere, *omnia oſtendi vobis*, quod ſi ita eſt reiicere conuenit ritus omnes Eccleſiaſticos, eo quod ſi rectè accederent diuinis operibus,imperfecta iſta eſſe ſequeretur. Facilis reſponſio, perfecta Dei ſunt opera,perfecta documenta, ſed mente retinendum, id videri per ſeipſum facere,quod per alium facit, vnde quamuis neque nos immediate condiderit quoad corpus, nec immediatè docuerit,pauerit,&c. quia tamẽ per interiectos parentes, Doctores,nutritores,&c.hoc fecit,noſtrum ſe patrem vocat,Doctorem ac nutritium, atq; ita rectè dici poteſt Eccleſiaſticos ritus innexiſſe in complementum operum ſuorum quatenus Eccleſiæ ſuæ contulit eos ſanciendi poteſtatem. *Act.20.*

Cæterum ratio vera ac certa diſcernendi cæremonias legitimas ab illegitimis, iudicium eſt Eccleſiæ Catholicæ. Nam cum illud vnum regula ſit ipſiuſmet fidei, vt nos docebit ſequentis libri caput primum,quantò magis cæremoniarum? Deinde quid aliud eius loco idoneum eſſet diſcerniculum? haud dubiè vel ſcriptura, vel priuatum cuiuſque arbitrium:non ſcriptura,tum quia ipſamet diſcerniculo viuo indiget,vt ab apocrypha, & profana ſeparetur, vt ex eodẽ capite intelliges; tum quia Iudex eſſe non poteſt Eccleſiaſticarum, quas interim & recipiendas eſſe, & inter legitimas locum habere docuimus. Sed neque prauatum cuiuſque arbitrium,tum quia in aliis atque aliis diſsimillimum eſt,regulam autem vnam ac conſtantem eſſe conuenit, tum quia

quod omnes tangit, perpendi & approbari ab omnibus debet; cæremoniæ autem legitimæ tangunt omnes, ita fit vt subiici non debeant iudicio priuati alicuius, sed Ecclesiæ seu eorum qui cum Ecclesiam regant, pro ea tota supponunt, eamque repræsentant.

Sit itaque conclusio legitimos ritus esse, quos vniuersa recipit Dei Ecclesia; illegitimos contrà, quos damnat ac reiicit. Quod ad illos qui in priuatis duntaxat Ecclesiis recipiuntur, equidem hoc ipso tantam non habent commendationem ac certitudinẽ; quandiu tamen à Catholica illa non reprobantur, temerè à quoquam carpi ac repudiari non debent, sed pro legitimis haberi, quia in dubio melior semper est superiorum conditio à quibus prodierunt, in eorumque fauorem præsumi leges imperant.

§.2. Has minores cæremonias partem constituere diuini cultus, probatur primò ex Dei verbo. Nam Exod.18. Iethro Moysi auctor est iudicia vt ciuilia committat aliis, ipse autem doceat populum cæremonias, & ritum colendi Deum: cæremonias itaq; à cultu Dei stare censuit.

Secundo, à communi consensione populorum omnium. *Nulla religio*, inquit S. Augustinus, *ne falsa quidem sine cæremoniis consistere potuit.* Lib.19. cõt. Faust. c.11.

Tertiò, ad honorem Dei proindeque ad religionem pertinet veram fidem, ac Dei Ecclesiam exterius profiteri, sicut ex aduerso istas negare in magnam Dei cedit iniuriam: sed hæc professio fit non verbo tantùm, sed etiam cæremoniis illis quas præstituunt sacri Antistites, tanquam discernicula fidei & religionis veræ à cæteris, quæque ab iis qui finis sunt eo pertinere dignoscuntur. Vnde Apostoli ne Iudaizarent, sed religionem auspicarentur Christianam, diem Dominicam Sabbatho surrogarunt, hoc est, noua quadam cæremonia in religionis materia vsi sunt, & constat quod non minus ratiocinabitur ac concludet Turca Christianum me esse, si eo coram frontem teram signo Crucis, quàm si disertis verbis talem me esse prædicauero. Non ergo negari potest, quin ad religionem Deique gloriam conferat eiusmodi minorum cæremoniarum vsurpatio.

Quartò,

Digitized by Google

Quartò, quemadmodum coram Deo ex parte homicidij se tenet consilium malum velut eius incentiuum; ex parte similiter fornicationis, siue adulterij aspectus impudicus, verba lenocinantia, & quæcunque eo inclinant dicente Domino, *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus eam in corde suo.* Ita stant ex parte religionis quæcunque studium pietatis erga Deum excitant, augent, incendunt. Hoc autem præstant minores cæremoniæ, teste S. Augustino vbi ait, *si animus feratur ad similitudines corporales, & inde ad spiritualia, quæ similitudinibus illis figurantur, ipso quasi transitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus accenditur.* Teste item Caluino cuius hæc sunt verba in homil. de conuersat. in Ecclesia, *certum est quod optimus humanissimusq́; Deus cum nostram imbecillitatem animaduerteret, nobis dedit, quædam adminicula quibus infirmi fulciremur.* Teste insuper ratione, nam statim atque expendit secum animus, quot & quanta circa Dei cultum fiant, accensas lampades, amictus varios & pretiosos, ordinem vbique eximium, genuflexiones, inclinationes, varietatem ministrantium, thurificationes, processiones, aspersiones, benedictiones, & id genus alia, non potest non concludere eximium esse Deum, cuius in cultu tot tantaque interueniunt, eximia item sacrificia, & sacramenta, quæ cum his peraguntur. Pergit mox vlterius, & multo maiorem concipere incipit rerum sacrarum venerationem, quin etiam studium nouum timendi, & honore afficiendi diuinam illam maiestatem. Teste denique experientia.

Matth. 5.

In epist. ad Ianua. c. 7.

Hæc quippe causa vna est, cur in nobis Catholicis solennitatum maiorum tempore multo maiora sui argumenta nostra det pietas quàm aliâs, quia nempe solito maior est sacrorum nostrorum apparatus, cæremoniæ plures & augustiores: cur item Lutherani precibus, cæterisque pietatis officiis addictiores sint, quàm Caluinistæ Protestantes, & hi quàm Puritani, quòd hi cæremonias penè omnes cultumque externum valere iubeant, quo ablegato frigescat interior necesse est, & quasi decorticatus ramus sensim emoriatur. Atque vt magis adhuc perspicias Lector, quantum à rebus sensibilibus quales sunt cæremoniæ, mens nostra pendeat vt amorem, metum, & alios quoscunque affe-

Digitized by Google

ctus seriò concipiat, palam est plerosque, etiam qui inferni habent fidem longè minus incomparabilium tormentorum illorum cogitatione permoueri solitos, & vel ad bonum prosequendum impelli, vel à malo absterreri; quàm suspendio, carcere, deportatione, mulcta pecuniaria, inflicto à tortoribus verbere, tortura & similibus centuplo inferioribus. Vnde porrò tanta segnities? tanta cæcitas? tamque peruersum de rebus iudicium? vtique ex eo quod hæc posteriora sub sensum cadant; ob idque sint ad permouendas voluntates nostras in vtramque partem aptissima; illa vera nondum sint peruia sensibus, quibus conquiescentibus anima imperfectè res concipit, & indirectè ac reflexè tantùm, transfunditurque hæc imperfectio in affectus ipsos, qui conceptionem seu apprehensionem eiusmodi consequuntur. Rectè inquies, sed nonne verba satis sensibilia sunt, & rituum omnium exteriorum instar esse possunt? Hac ratione conficeres, cæremonias quoque naturales, & diuinas esse superfluas. Addo cæremonias eo nomine esse verbis efficaciores, quod visum feriant sensum nobilissimum, & ad excitandos affectus efficacissimum. Vnde 3. Reg. 11. satis non fuit Ahiæ Prophetæ prædicere Ieroboam, quod præficiendus esset decem tribubus, sed in symbolum aspectabile accepit insuper pallium suum nouum, & ad significandum quod prophetauerat, diuisit illud in partes 12. iubens, vt ex iis decem sibi assumeret. Addo rursus nihil obstare quo minus idem variis viis indicetur, nec id tribuendum statim superfluitati. Nam & Gen. 41. Deus duplici somnio idem Pharaoni reuelauit, vt attestatus est Ioseph de vtroq; dicens, *somnium Regis vnum est*, & infrà, *quod autem vidisti secundò, ad eandem rem pertinens somnium firmitatis indicium est.*

Quintò, sicut ignorantia vel obliuio Dei, & rerum diuinarum quia contemptum sapit, in Dei cedit iniuriam; sic ex aduerso notitia ac reminiscentia earundem, ad illius honorem pertinet, proindeque ad religionem. Cæremoniis autem ex parte talis notitia acquiritur. dant in primis occasionem interrogandi, Deinde respondendi, atque ita discendi quod prius ignorabatur iuxta illud, Exod. 12. *Cum dixerint vobis filij vestri quæ est ista religio? dicetis eis victima transitus Domini est, quando transiuit super do-*

mos

mos filiorum Israël. Exemplum videt populus in administratione & vsu sacramentorum passim vsurpari signum crucis, hinc mouetur ad sciscitandum quònam ritus iste spectet, & respondetur ei quod prius nesciebat, signum illud adhiberi, vt omnes intelligant vim omnem sacramẽtorum pendere à Christi morte & passione, cuius crux illa est symbolũ; quæ quidem doctrina sic comparata, si quãdo euanescat, facilè ad memoriam hoc eodem conspecto ritu reuocatur.

Sextò, palam est quod ornare res diuinas posito quod ornari possint & illustrari ad Dei conducat gloriam; sed ornari possunt & hic ornatus ex parte consistit in cæremoniis; ergo cæremoniarum vsus conducit ad Dei gloriam. Maior propositio extra dubium est. Minoris pars prior confirmatur verbis illis, *qui elucidant me vitam æternam habebunt*, quid est elucidare nisi illustrare, & lucem ac proindè ornatum quendam afferre non habenti? sint sacrificia, sacramenta, & res aliæ diuinæ seu à Deo institutæ, ex se augustissima; idcircò tamen nec intempestiua est, nec Deo ingrata ornatûs alicuius additio, qui ait, *murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*, & cœnam facere voluit cum discipulis suis nõ vbilibet, sed in cœnaculo grandi strato. Ecce aurum satis ex se pretiosum, & argento longè præstantius, eo tamen vermiculatur; & corpus Dominicum in cœna exhibitum nullo indigens ornatu cœnaculi, sine illo tamen non exhibetur: & quisquis verbum Dei è superiore loco ad populum tractat, non ea tantum eloquitur, quæ præcisè iacent in litera, vt dici solet, sed de suo addit plurima, quæ ad diuinum illud eloquium illustrandum conferunt, nec se hoc facto credit in religionem peccare, sed multum conferre. Tandem non est minus Deum honorari quam illustrari, at multipliciter se ait honorari à nobis, vt Marc. 7. *Populus hic labiis me honorat.* Confirmatur posterior; quia constat homines cęremoniis honorari, & quæ ad illos pertinent commendari, vt cum quis Imperatoris exosculatur purpuram, &c. cur non etiam sacrificia, sacramenta, & alia quæ ad Deum?

Ecclesi.24.

Septimò, probatur assertio nostra illorum ipsorum testimonio à quibus impugnatur, vt Caluini, apud quem ista leguntur. *Hanc necessitatem certo aliquo signorum externorum consortio homines colligandi cum Deus prauideret, ea postea Satan ad superstitiosos cultus transferendo*

Lib.4. Inst. c.14.n.17.

Digitized by Google

rendo deprauauit. Hinc illæ gentilitiæ imitationes in sua sacra, & cæteri degeneres ritus, qui tametsi errores erant, & superstitionis pleni, indicio tamen ipsi quoq; simul erant, non posse in professione religionis homines exteris huiusmodi signis carere.

Postremò, si quæ minores cæremoniæ ablegandæ essent, & nihil ad religionem conducerent maximè Ecclesiasticæ. at hæ quoque conferunt sic naturales & diuinæ. hæ quippè non ideo ad religionem faciunt, quia sunt à Deo vel natura, cum multa ab illis sint religioni minimè affinia, sed quod deuotionem excitent ac conseruēt, vel protestationes quædam sint fidei, vel mysterium aliquod sacrum significent, vel diuinis officiis splendorem efferant, &c. at quid vetat institutis ab Ecclesia precibus ista quoque præstari?

§ 3. Abundare Ecclesiam Catholicam ritibus sacris, quibus scilicet vtitur circa sacra & diuina officia, notius est quàm vt confirmationem desideret, in qua proindè horas bonas frustrà non teremus, sed in eo potius, vt eas à Nouantium vindicemus calumniis, & rectè se habere demonstremus. Caluinus vt alibi hæretico more ad mentiendum proiectissimus, miris illas mendaciis infamare nititur lib. 4. Instit. cap. 10. à numero 9. vsque ad 17. Ait & mentitur primò summam diuini cultus in iis à nobis constitui. Secundò, eas aduersari Apostolo, qui neque vult seruire nos elementis seu symbolis exterioribus Coloss. 2. nec iis astringi Gal. 5. Tertiò, per eas contemni quæ sunt in lege Dei grauissima. Quartò, esse prorsus inutiles. Quintò, esse iusto plures. Sextò, vim expiandi peccata iisdem à nobis tribui. Septimò, non differre ab histrionicis & paganis ritibus. Octauò, omnes referri ad lucrum faciendum. Nonò, frustrà coli Deum præceptis hominum. Decimò, Deum cum sit Spiritus coli debere in spiritu resectis externis ritibus. Hæc inquam omnia à vero remotissima sunt. Nam primò, tantam reuera differentiam ponimus inter cæremonias, & ea quibus accedunt, v.g. sacramenta quantam corticem inter & trūcum, corpus & animam, pellem & corpus, folia & arborem. Vnde & illas concedimus omitti posse in graui necessitate, & qui eas in tali casu omittunt, vel ex simplicitate & ignorantia inuincibili excusari, & non carere fructu rei principalis; cum etiam excusati sint Samaritani, 2. Paral. 30. qui comedendo Phase non seruarunt

cære-

cæremonias omnes in lege præscriptas. Secundò, Apostolus de ritibus loquitur partim à nulla Dei auctoritate profectis, partim Mosaicis, nostri autem à Deo per intermediam Ecclesiam descenderunt, & ab iis qui Mosaicæ legis proprij erant, valdè dissentiunt. Tertiò, propter cæremonias nihil grauius præter mittitur, quod si Caluinus fieri vidisset, haud dubiè quidnam illud sit, expressisset, cumque non expresserit, satis prodidit non se vera dicere, sed calumniari. Quartò, cum experientia constet, de qua superius, deuotionem mirum in modum accendi & foueri cæremoniis, tunc saltem cum studiosè, peritè, & elaboratè adhibentur, ab inutilibus profecto rebus longissimè distant. Quintò, nequaquam Caluinus tanti vir est iudicij, vt ei standum sit cum determinandus est cæremoniarum numerus, quas omninò nullas vellet esse. Sextò, à nullo vnquam Catholico audiuit Caluinus, sed apud se finxit & mentitus est, per cæremonias minores deleri peccata mortalia (de quibus vnis loquetur, cum alia non admittat) sententia Cathôlicorum: non illis certè sed Deo primùm, deindè sacramentis velut eius instrumentis hunc effectum attribuunt. Septimò, cum cæremonia illorum propria eaque frequētissima sit signum crucis, perspicuè falsum est nō alios quàm Ethnicos, & histrionicos ab iis ritus vsupari. Deindè cū tàm histriones quam Ethnici vtantur quibusdam naturali instinctu, & communi hominum consensione receptis, vt apertione capitis, vt genuflexione, vt thurificatio, &c. non statim damnandi nostri sunt eo nomine quod talibus in vsu sint vel fuerint, sed discernendi prudenter, qui illorum vanitati peculiariter seruiunt ab iis, qui à sapientibus quoque & viris sanctis vsurpantur; cuius posterioris solum generis cum nostros contingat esse, extra iactum sunt iustæ reprehensionis. Octauò, vocat illas quidem Caluinus mera lucri faciendi artificia, sed nihil probat. Ecquid boni malum nō erit si malum appellare sufficiat? quanta audacia (impudentiam dicere debui) in summa calumnia tantum affirmare? Nonò, si Deus quia Spiritus est externis ritibus malè colitur, errauit ergo Moyses cum tota synagoga & gente Iudæorum, quibus eiusmodi cultus familiarissimus semper fuit. Immò Deus ipsemet illius auctor reprehensione non vocat. Equidem adorandus in spiritu

seu

Psalm. 83. ſeu interno affectu eſt, at non ſolo. *Cor meum & caro mea*, inquit Pſalmographus, *exultauerunt in Deum viuum*, cor ad ſpiritum pertinet, corpus ad id quod exterius geritur. Decimò, fruſtrà colitur Deus præceptis hominum, quæ Deum nullo modo auctorem habent ſed reprobatorem. At quomodò cæremoniæ illæ auctorem ipſum non habent, cum ſint ab Eccleſia, cui contulit eas inſtituendi poteſtatem, iuſsitq; omnia honeſtè vt faceret, ac ſecundum ordinem? vbi rurſus eas reprobauit, vel quam legem tulit aliquando iis repugnantem?

Hæc obiter ad illius nugas & calumnias, nunc propiùs ac penitius qualiter hi ritus ſe habeant, conſideremus.

Primò, nec ſunt æquo plures nec pauciores. Exceſſus ſeu nimia multiplicatio quàm diſpliceat, monuit ſatis in Concil. Trid. his verbis Eccleſia: *Ne ſuperſtitioni locus aliquis detur, edicto & pœnis propoſitis caueant, ne ſacerdotes aliis quàm debitis horis celebrent, neue ritus alios aut alias cæremonias, & preces in Miſſarum celebratione adhibeant, præter eas quæ ab Eccleſia probatæ, ac frequenti & laudabili vſu receptæ fuerint.* Viciſſim tamen ſat multas recipit, cum in omnibus vitato vtroque extremo tenenda ſit mediocritas, & ita comparatum ſit, vt profanis etiam in rebus, quidquid ferè alicuius eſt pretij abſque ritu, & circumſtantia quadam non fiat, nec exhibentur, non vnguenta ſine vaſculo, nec aurum ſine marſupio, nec ſine ſcirpea fici. Quemadmodum variæ potentiæ cognoſcitiuæ ad hauriendam multiplicium rerum cognitionem homini à Deo traditæ ſunt, cum Angelus ſolo intellectu cognoſcat, vt docet ſanctus Thomas, ſic variis cæremoniis idem homo indigere credendus eſt, quibus ad notitiam perueniat multiplicium rerum ſpiritualium. Admittit primum naturales omnes, de quibus ſupra §. 1. Leuat ad Deum manus, tundit pectus, caput rebus ſacris aperit, lachrymas fundit, res ſacras oſculatur, vt quondam Magdalena Christi pedes, eaſdem vix audet contingere, ſicut nec quondam filij Cath vaſa Sanctuarij, quæ proinde inuoluta portebant Num. 5. Et quia Legatis omnibus in more poſitum eſt ſtando loqui, ipſa autem ad filios ſuos recitans verbum Dei legatione fungitur, illud ſtans legit & elucubrat. Admittit inſuper & in vſum adducit quotquot, vel immediatè Chriſtus inſtituit vt lotionem pedum, aut ſuperiora

Seſſ. 22. in decret. de obſer. in cel. Miſſ.

1. p. q. 57. art. 2.

Digitized by Google

riora Concilia vſurpandas cenſuerunt, iis exceptis quas recta ratio pro temporis conditione mutandas iudicauit. Ita fit vt probetur ſat multas recipere.

Secundò, ſi quæ ex iis vitio laborare videri poſſunt, maximè cœlibatus, veſtes ſacræ, vigiliæ, incenſum, ſignum crucis, exorciſmus, aſperſio cineris ineunte quadrageſima, conſecratio Eccleſiæ, & aquæ benedictio. At nihil his ineſt vitij ſed laudis plurimũ. Cœlibatus teſte Apoſtolo 1. Corinth. 7. impedimenta tollit ſeruiendi Deo quæ ſecum vehit coniugium, itaque qui illum huic non præfert ac probat, manifeſtè contradicit Apoſtolo, & Chriſto qui illum eſt amplexatus iniuriam facit, indicat ſiquidẽ quod perfectum exemplar diuini obſequij nobis non reliquerit. Caluinum præterea ipſum tacitè eadem de cauſa reprehendit, quaſi optimam partem non elegerit. Etſi namque aliquando vxorem habuerit, vt ſcribit Beza in eius vita, ea tamen defuncta ab vlteriore connubio abſtinuit. Vacant fateor multis impudentiis multi qui cœlibatum profeſsi ſunt, ſed an non etiam multis corruptelis multi Iudices, qui ſe in nullas conſenſuros iureiurando affirmarunt? interim non idcircò Iudiciale munus traducitur. Ad cœlibatum complectendum neminem cogit Eccleſia nec debet cogere, vt tamen obſeruet quem liberè eſt amplexatus, & ſe ſeruaturum ad maius Dei obſequium eodem ſacramento ſpopondit, non hortari ſolum poteſt ac debet Clericum, ſed etiam adigere pœnis propoſitis, & obſtare ne vltrò datam ac iuratam Chriſto fidem ſacrilego præſumat violare coniugio, præſertim cum Chriſto fauẽte facilè poſsit, ſi velit implere promiſſum, quo afflante illius concepit deſiderium dicente Apoſtolo: *Qui dedit velle, dabit & perficere pro bona voluntate.*

Sacrarum veſtium vſum in diuinis myſteriis noſtris obeundis, ſi quis non boni conſulat, deterioris ſortis ea faciet quàm fuerint ſuperiorum legum myſteria, vel ſint hodiè acta iuridica. Siquidem in lege naturæ eo ipſo quo Primogenitorum erat ſacrificia offerre, ex conſequenti veſtes inſignes induebant ac peculiares. vt non obſcurè docent verba illa, Geneſ. 27. *Veſtibus Eſau valdè bonis quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Et infrà: *Statimq; vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam, &c.* Subſecuta eſt lex Moyſis, in qua de Aaronis & filiorum eius indumentis ſacris, tàm multa præſcri-

psit Deus, Exod. 28. & 29. vt admiratione non careat voluisse eum fusè adeò describere & complecti, quod primo aspectu exiguum videri poterat, reuera non erat. In foro ciuili quoties negotia & causæ grauiores geruntur, ad purpuram Senatores confugiunt, in publicum ea instructi prodeunt, atque ita sibi munerique suo reuerentiam dignitatemque conciliant. Nihil verò aliud sunt sacri Antistites & Sacerdotes, quàm Ecclesiæ Senatores & Iudices, immò quàm spirituales quidam Reges & Imperatores, secularibus illis ius dicentes, eosdem ligantes & absoluentes, & in illorum animas acceptam exercentes potestatem; vt agnoscebat magnus ipse Constantinus.

Vigiliarum vsus antiquissimus est, & tàm rationi consentaneus, quàm ipsa festorum religiosa obseruatio, ad quam præparationes quædam sunt. Vtinam tantummodo hac infœlici ætate nostra, tanto studio atque olim celebrarentur. In iis ieiunabatur, à vino etiam & carnibus abstinebatur, aqua mera potum præbebat, obsonium panis cum sale & leguminibus, *populus consurgens,* ait sanctus Basilius, *antelucano tempore domum precationis petebat,* cursitabatur ad sepulcra Martyrum, à pueris, puellis, viris, fœminis, omnisq; ætatis & conditionis hominibus, vt scribit Euseb. lib. 2. cap. 27.

Lib. de Spirit. cap. 27.

Incensum siue thurificatio in veteri lege auctore Deo fuit frequentissima, non vt ritus aliquis eius proprius, sed naturalis ac saltem à quibusque populis vsurpari solitus. Quo fit vt laudabiliter quoq; à nobis vsurpetur, præsertim cum iuxta Dei verbum ob oculos ponat orationum piarum vim & effectum, quem perspectum habere, & externo aliquo symbolo insinuare ac profiteri omninò nostra refert. Gratissimus est incensi fumus, & sursum petit; sic puræ mentis oratio Deo acceptissima, tenditque in cœlum. Orat proindè sanctus Dauid, vt quam offerebat sicut incensum dirigeretur.

Psal. 140.

De signo crucis diximus iam multa satis cap. 21. §. 3. Tantum addo eos à quibus reprobatur, videri non posse alio quàm Satanæ afflari spiritu illud detestantis, quod nefarios omnes cœtus suos & machinamenta eo dissolui sentiat, teste sancto Athanasio. Esse item fastuosissimos, superbè repudiando quod à sanctis Patri-

In lib. de Human.

Digitized by Google

tribus tanta fuisset consensione susceptum & vsurpatum. Malè rursus sentire de sacrosancta Triade, deque passione Dominica, quorum duorum mysteriorum hæc ceremonia protestatio est signumque manifestum. Esse denique cur Magiæ adscribant magna & famosa illa miracula, quæ sub Constantino crucis beneficio contigisse narrat Eusebius. Nam si ad superstitionem crux pertinet, proximum est vt prodigia quoque illa pertineant, quæ illa interueniente contigerunt.

Exorcismos hic propugno non Gentilitios, quales idem sonabant quod fraudes & imposturæ, iuxta illud Vlpiani lib.1. ff. de var.& extraord. cognit. *Vulgare verbum impostorum esse exorcizare.* Sed sacros, per quos Christi perfectos nomine, indicatur eius potestas supra diabolum ab arreptitiis siue energumenis extrudendum.& infantulis baptizandis consulitur, qui à dæmonibus aliàs non parum diuexantur, vt notat sanctus Augustinus lib.21. de ciuit.cap.24.& lib.22.cap.22. In eorum tutelam dixi iam multa satis in cap. de Adiuratione.

Aspersio cineris cum sit venturæ aliquando mortis & seculi vanitatibus impositura finem saluberrima admonitio, quemadmodum ostendunt verba quæ vna recitantur, *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris,* vitio verti non potest, quin vna traducantur sententiæ illæ omnes sacræ, in quibus nos Spiritus sanctus ad accuratam periculosi exitus huius cogitationem vocat;& arguatur Deus qui illam statim à principio inculcauit, Genes. 3. & Abraham qui cum Deo verba faciens, & gratiam apud illum inuenire volens, fecit conditionis huius suæ mentionem dicens, Genes. 18. *Loquar ad Dominum cum sim puluis & cinis.* Haud dubiè cum mortalem hanc conditionem sibi perpauci obiiciant, ita viuentes quasi nunquam essent morituri, expedit obiici ne dicam obtrudi eis vltrò citroque quæcumque ad refricandam tantæ rei memoriam factura videntur. Faciunt aliquid verba, quis negat? at efficaciora sunt, quæ aspectum tactumque mouent ac feriunt. Vnde Agathocles Rex patre natus figulo, ne aliquando sortis immemor suę in superbiam erigeretur, cœnãti sibi semper inferri cibos voluit in vasis figulinis, quibus dum pasceret oculos, disceret animus seruare modum. Vetustissimus quoque AEgyptio-

rum mos fuit mortis simulacrum admiscere ferculis, vt ibi maximè illius memoriam retinerent, vbi intemperantissimum vulgus hominum minimè solet. Tactus omnium sensuum vehementissimus est, ita fit vt cinis capiti piè impositus inserat penitiùs dissolubilitatis cõmunis fidem, & perspicacius videri faciat sublunarium rerum vanitatem. Qua etiam de causa factum crediderim, vt cæci nati oculis lutum Christus superponeret, Ioan. 9.

Templa Deo publicè dedicantur, vt à profanis segregari locis doceantur, & assignari siue deputari diuinis officiis, quæ non minus immò longe magis reuereri liceat quàm Regum palatia, Ephororum curias, Atheniensium Areopagum, & Romanorum Capitolia. Huius dedicationis dies vt festum colitur, quia festorum occasio & scopus vnus est insignium beneficiorum à Deo acceptorum recognitio. Insigne autem inter cætera reputatur opportunitas, desiderium, & quidquid conducit ad cultum suæ Maiestati deferendum, cui seruire regnare est, quod quidem totum sub vno templi dedicati nomine continetur. Hæc rursus dedicatio cum ritibus aliquot peragitur, quia quæcumque rara & augusta sunt etiam profana, vt inaugurationes Regum, creationes Magistratuum, nuptiæ, adoptiones, illustrium virorum funera, &c. ritus aliquos desiderant, sine quibus nec tanti fierent, nec quid in iis contingat ac lateat satis intelligeretur.

Ducitur dedicationis initium à cœmeterio Ecclesiæ contiguo, figuntur in eo cruces, vt immũdi spiritus his potentibus fugati signis & absterriti corpora fidelium ibi sepeliendorum infesta habere desinant, non quod crux materialis veram aliquam in eos vim habeat, cum substantiæ sint spiritales, sed quod crucis apprehensione qua triumphati sunt, ibi in posterum consistere horreant, sicut horrebant Dauidis cytharizantis tacitas ad Deum preces pro furente Saul, fumum item cordis seu iecinoris piscis, quo item innuebantur feruentes Tobiæ iunioris ad Deum preces. Refugit anima ipsa nostra similiter spiritalis multa mente versare quæ esto materialia sint, quia tamen non placent, molestam habent cogitationem. Aspergitur item lustrali aqua, vt ea pariter respergere discant fideles sepulcra Maiorum suorum, & intelligant preces tum Ecclesiæ, tum suas pro iis fundẽdas aquæ huius rationem adumbrare, hoc est, illorum animabus magno

esse

eſſe refrigerio. Ingreſſurus templum Antiſtes clauſas portas iubet aperiri,quaſi Chriſti vice aditurus inuitis dæmonibus loci illius ſibi extructi poſſeſsionem , vnde & cruce limen ſignat cum baculo paſtorali,abireque præcipit omnia phantaſmata. Adhæc in pauimenti ſuperficie reſperſa cinere græcè & latinè ſcribit alphabetum,vt indicet doctrinam Chriſtianam non niſi in corde contrito,& humiliato recipi,& talem eſſe debere quæ commendet pœnitentiam,eos denique qui ea imbuendi ſunt paruulos ſe præſtare iis ſimiles qui docentur elementa literarum dicente Domino, *niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorũ.* quippe etſi fortè in ſecularibus ſolertiſsimi,facilè tamen euenire,vt in ſpiritualibus rudes planè ſint,& peregrini inſtar Pilati, qui cum Præſes eſſet,& quidem tantæ vrbis quãta tunc erat Hieroſolyma, quid tamen eſſet veritas ignorabat. Pinguntur in pariete cruces, quia inſignia ſunt Chriſti,quibus proinde par eſt obſignari locum,cuius vicario,ſuo interpoſito,admittit poſſeſsionem. Accẽduntur cerei, partim vt admoneantur fideles diuinitatem peculiariter eidem loco deinceps adfuturã, cuius ignis ſpeciale ſymbolum eſt,ob inſignem agendi vim, & ſupra elemẽta cætera eminentiam; partim vt locus eſſe ſignificetur,in quo poſthac illuſtrãdæ ſunt eorũdem fidelium mentes nouo Lumine,verbo inquam Dei à legitimis eius præconibus enucleando iuxta illud,Pſal.118. *declaratio ſermonum tuorum illuminat,& intellectum dat paruulis.* Et iterum Pſal.18. *Teſtimonium Domini lucidum illuminans oculos.* Delinitur altare vnguento pretioſo , ad incomparabiles gratias inſinuandas,quas homini Chriſto Deus contulit:altare quippe Chriſtum repræſentat, qui portauit iniquitates noſtras eaſque expiauit offerens ſeſe in ſacrificium;quo rurſus nituntur orationes,& omnia opera noſtra bona , vt fieri poſsint acceptabile Deo ſacrificium, eique offerri in odorem ſuauitatis. Quanquam crucem quoque ſignificat,in qua cruentè oblatus eſt, in altari deinceps incruentè offerendus.

Matth.18.

Reſtant benedictiones panis,aquæ,vini,& ſimilium,quę cum nihil aliud ſint,quàm expreſſę vel tacitæ inuocationes diuinæ beneficentiæ, vt quicunque his vtentur creaturis , non ſolùm non lædantur à Dæmone,ſed etiam aduerſus eum communiantur, & temporalem conſequantur vtilitatem, reprehendi ſimiliter non

Digitized by Google

possunt, nisi etiam orationes quæuis aliæ accusentur, & Deus ipse arguatur primò, quia initiò benedixit piscibus maris, Genes. 1. & Exod. 23. promittit se panibus & aquis seruientium sibi benedicturum. Verùm quidem est, quod benedicet creaturis suis iubēdo vt prosint, sed si in eo bonum est iubere, quomodo non etiam in nobis bonum sit benedicendo postulare? immò quid vetat eius Vicarios iubere similiter per modum instrumentorum? Secundò, quia Christus ipse reipsa vsus est his ritibus benedicens pisciculos paucos, & quinque panes. Tertiò, quia 1. Tim. 4. *Sanctificari dicitur creatura omnis per verbum Dei,* per quod obsecro verbū Dei, nisi quod super illam profertur? ecquæ est ista noua sanctitas, nisi peculiaris vtilitas, quam Deus tali creatura vtentibus cōfert, in gratiam benedictionis, siue inuocationis Ecclesiasticæ? Patet profectò Dei Christique exemplum, & tam vetus, quàm nouum testamētum suffragari benedictionibus creaturarum. Tandem si graue scelus est, vt verè est, imprecari mala vtentibus creatura aliqua, cur non è contra precari bona in nomine Domini? hoc autē est creaturæ benedicere. At inquies inanimata est creatura, & auditus expers, ad quam interim verba dirigit qui benedicat. Deinde nec potest, nec attentare debet homo facere per aliquod verbum suum creaturas Dei meliores, quam prius erant, cum hoc sit velle plus Deo sapere. Tandem post benedictionem eodem modo videntur se habere creaturæ quo antè, frustra ergo benedicuntur. Respondeo cum ad creaturas illas verba diriguntur, non hoc fit vt audiant, sed rogatur Deus, vt illas faciat vtiles nobis, sed quia hæc oratio exprimitur per modum imperij, sicut & illa, *fiat pax in virtute tua,* videtur prima fronte ad illas dirigi, quasi sensu præditas. Cæterùm si ad eas nullo modo liceret verba dirigere, quomodo dixisset Deus ad mare, *tace obmutesce?* quomodo imperasset febri, Luc. 4. quo? quo modo denique Nouantes paruulos quos baptizant, alloquerentur dicentes: *Ego te baptizo,* cum hæc verba, eorumq; significationem nihilo magis quàm lapis, intelligant? Rursus non tentat benedicens virtute propria facere illas melioris sed aliena, seu quod idem est rogat Deum, vt illas ipse meliores faciat, ac saltem prospiciat ne arte aliqua Dæmonis naturalis earum bonitas impediatur, aut in perniciem cōuertatur. Bonæ sunt creaturæ antè benedictionem, sed post illam melio-

Digitized by Google

meliores, vtpotè per quam singulariter sanctificantur, vt ex Apostolo audiuimus, & cõstat ex paucis illis panibus ac pisciculis, qui procul dubio ante Christi benedictionem reficiendis quinq; hominum millibus nullo modo pares esse poterant, postea tamen satis superque fuerunt. Semper quidem vtilitas ista noua à benedictione pendens non sentitur, vel quia temporalis cum sit sæpè non expedit, vel quia ob defectum fidei, vel indispositionem aliã dignus ea non est, qui benedicta creatura vtitur; etenim satis est nobis, quod aliquando sentiatur. Fateor tandem si sensum consulas, remque ipsam in se consideres, eandem prorsus esse post, quæ prius erat, verum effectus non idcircò est vnus & idem, quia Deus aliter posterius ea vtitur quàm prius. Nonne eædem erant aquæ zelotypiæ post maledicta in eas à sacerdote coniecta quæ prius? & tamen si legas caput quintum, libri Numerorum inuenies quantum potuerint posterius, quòd prius non poterant.

Cæremonias alias complures prætereo, ne si omnium velim sanctimoniam asserere, in immensum crescat opus. hoc solùm admoneo, si tibi statim peruia non sit sanctitas, illam ex dictis ratiocinare, ac saltem cohibe iudicium præceps, nec quia non intelligis, ideo inanes ac superstitiosas esse conclude, sicut *plurima Dei opera in absconsis sunt*, Eccles.16. & in naturis passim necesse est intellectum captiuare ac subigere, ita vt scriptum sit Eccles.1. *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*, sic habet Ecclesia in arcanis plurima, quæ neque capi possunt ab omnibus, neq; est necesse. Neminem adeò in altum ita prouexit ætas aut scientia, quin eius respectu reuera sit paruulus, & iubeatur à Christo effici sicut paruuli. quemadmodum ergo cum familiæ rebus, & aliis id genus agitur, parentes paruulis suis nequaquam produnt omnia, sed multa de industria silent, vt Abraham Isaaco cui percontanti, *Pater mi vbi est victima holocausti?* respondit, *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi*, nec quia non produntur, aut non intelliguntur ab iisdem paruulis, fas est ea criminari. sic à fortiori cauendum, ne cum aliquem Ecclesiæ ritum à te ignorari contigerit, vel ob inscitiam aut oscitantiam Pastorum tuorum eam nõ enucleantium, vel quia ob infirmitatẽ non potes hæc, & alia portare modò, & lacte opus habes non solido cibo, qualis perfectorum tantum est, Hebr.5. cauendum inquam ne illum improbo Gen.22.

dente rodas & crimineris, sed magis reuerere cõsiderans matrem tibi esse illius auctorem. Christi sponsam, Spiritus sancti discipulam. Modicum expecta ortum surgentis auroræ, & videbis facie ad faciem, quæ iam per speculum in ænigmate; nox præcedet dies appropinquabit. Nemo est cui detur in hac vita scire omnia.
Hom. 5. in Num. Præclarè Origenes, *quod genua flectamus orantes, & quod ex omnibus cœli plagis ad Solam Orientis partem conuersi orationem fundamus, non facile cuiquam puto ratione compertum.* Et infrà: *Cuncta hæc ergò & horum similia congerimus, nec tamen eorum assequimur rationem, leuamus humeris nostris & portamus ad opera diuina mysteria.* Cum principio solerent Romani lactuca vesci sub exitum cœnæ, postea factum est vt posteri ex aduerso inde cœnam inchoarent, qui mos in hodiernam vsque durat diem, & probatur omnibus, cum tamen nulla sit eius ratio, vel certè obscura adeò, vt Martialis indissolubilem quęstionem putet dicens;

Claudere quæ quondam Lactuca solebat Auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes.

Et certè frigidæ virtutis est, cum interim dictet naturæ Lumen stomachum pulmentis cibisque calidis & humidis præmuniendum, & ea quæ facilioris digestionis sunt præmittẽda contrariis. Quanto magis iudicium abnegare nos conuenit, quoties ab Ecclesia aliquid proponitur, nobis quidem obscurum, sed sibi compertissimum?

§. 4. Sicut Mahumetana Religio paucas partes complectitur, videlicet circumcisionem, lotiones corporis, orationes, Pascha, & quædam sacrificia, ita & paucas cæremonias, sed ineptissimas. Circumcisionem peragunt vt vidimus, loco & tempore profano videlicet conuiuij, nec vnquam sine simulatione ac mendacio. Chyrurgus siquidem postquam octennis pueri adduxit, atq; ad sectionem parauit præputium, foràs abit fingens ac mentiens se crastina tantum die rediturum, vt puero adimat imminentis sectionis metum, mox interim redit simulans venire se, non vt circumcisionem peragat, sed vt derelictum aliquid secum auferat, reuisensq; præputium vbi habeat, abscindit illud incogitanti, vt testatur Septemcastrensis, & alij.

De lotionibus corporis earumque ineptiis, dixi multa satis, cap. 21. §. 4. sicut etiam cap. 10. §. item 4. de absurdis ritibus, quibus oratio-

orationes suas condiunt. inter quos ille singulariter mihi semper visus est ridiculus quo Tulbantem, seu Titubantem, vel si mauis turbinatum pileum nunquam deponunt, sed erectis duobus sustentant indicibus quasi eleuaturi. quid hac indicum erectione inanius, & histrionicum magis? quanta irreuerentia tecto capite affari Deum, cum mortales Principes sic alloqui sit capitale? Neque enim memoria excidit quomodo antè annos plus minus 16. Moschorum Dux clauum insigi iusserit vertici cuiusdam legati, qui ausus fuerat operto capite legationis suæ summam dicere.

Eorundem Paschali festo merè profano, neque enim aliud quàm lautissimum conuiuium est, digna accedit cæremonia, vt patellę operculum; profana, inquam, nihil sacrum olens, nihil diuinum. Occurrentes sibi osculantur se inuicem dicentes, *baaran glutioczonus*, id est, sit tibi hoc Pascha faustum fœlixque. non secus atq; apud nos finita cœna vel prandio dici solet, *prosit*, hoc totum.

Plus adhuc habet vitij, quæ sacrificiis interuenit. Mactant domi victimas suas eo modo quo Laniones nostri vaccas in macello solent, & concepta verborum forma vtuntur tàm plena hypocrisis, & vanæ ostentationis, quàm factum Ananiæ & Saphiræ, Actor. 5. Sicut enim Ananias, & Saphira videri volebant agri sui diuenditi pretium totum afferre ad pedes Apostolorum, cùm tamen partem tantum ponerent, reliquam seruarent sibi, propter quod fuerunt coràm Deo detestabiles, statimq; expirarunt; sic Mahumetani dicendo inter iugulandum victimas illas, *hoc facio in laudem eius qui creauit omnia*, videntur & videri volunt mactationem illam omnem ad Dei referre gloriam, cum interim secus faciant, & oblatæ victimæ partem vicinis seruent partem sibi, atque ita vtilitati propriæ temporali studeant. Non quod non sit bonum facere, quidquid sit ad Dei gloriam, quando non est per se malum, sed quod dum proprio studetur temporali commodo, non sit perfectum vt præfertur, sacrificium.

Nouatoribus ritus sunt paucissimi, atque hoc nomine gloriantur quo deberent confundi, nec naturales, nec diuinos omnes recipiunt. quis eorum post peccatum admissum pectus suum præsertim publicè tundit? quis lachrymis genas rigat? quis osculo diuinas literas, vel res alias sacras dignatur aliquando? te- 5.5.

& tonſoribus. Iam probo quod iuxtà quædam ſua principia,nec vllas alias Eccleſiæ cæremonias admittere debeant. Maximè profectò videri poſſent recipiendæ, quæ Sacramentis accedunt, de quibus peculiaris Apoſtolo cura fuit, vt honeſtè adminiſtrarentur. At tales in Eccleſia noſtra reprehendunt, cauſantes iis nec vſum Chriſtum nec Apoſtolos, quas proinde qui introducunt plus Chriſto ipſo volunt ſapere,& à recta Sacramentorū adminiſtratione recedunt, cuius exemplo ſuo formam nobis reliquit. Ergo & in ſua debent reprehendere. Quid ſi eos demonſtrem etiam à ſemetipſis prohiberi, ne circâ religionem ritibus naturalibus vtantur? Si quos videant Ethnicis nobiſque communes,vocant nos confeſtim profanos ac degeneres, qui paganis multis ſuperſtitionibus ea quæ Dei ſunt commaculauerimus. At vix vlli ſunt naturales,qui non fuerint Ethnicis familiares, v.g. genuflexio. Namque non in templis modo,ſed viris etiam Principibus ſupplicando cadebāt in genua,eaque tangebant quod conſecrata eſſent miſericordiæ, vt dextra fidei, aures memoriæ,frons pudori,Mineruæ digiti. cur ergo ipſimet interdum genua flectunt? Ecce quomodo ſuo ſe gladio iugulant,& valdè ridendos præbēt, cum vniuerſim docent nefas eſſe quidquam in paganis imitari, & non attendunt Scripturam ipſam ſacram non ſemel id facere, etiam in iis loquendi formulis,à quibus prima fronte videri poſſet penitus abſtinendum, vt cum extinctionis nomine mortem exprimunt,2.Reg.14. *Quærunt extinguere ſcintillam.* Prouer.24. *Lucerna impij extinguetur.* 1.Theſſal.5. *Spiritum nolite extinguere.* Ethnici autem rati animam eſſe naturæ igneæ,in morte interire credebāt, huncque interitum exprimebant extinctionis voce primitus excogitata ad ſignificandam ignis ſeu luminis deſitionem hinc illud, *Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim.* flebant.

Seru. in eglog.6. *Eglog.5.*

Quotcunque porrò,& quæcunque ab illis recipiantur,certum eſt eas nullo modo ab iis ad colendum Deum aſſumi,quippe Dei cultum in interioribus tantum actibus conſtituunt, cum tamen ſuo quoque modo,vt §.2. demonſtrauimus per exteriores exhibeatur. Cum itaque humani actus non operentur vltrà intentionem agentium, cæremoniis quas habent Deum non colunt, atque ita religionem habent parte vna mutilam. Iam ſi eſt cur pudore ſuffundantur,quòd nec multas, & conuenientes recipiant,

Digitized by Google

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS.

LIBER II.

In quo de præcipuis eiuſdem Actibus imperatis, deque oppoſitis ipſi vitiis diſputatur.

De vſu trium virtutum Theologicarum actu 1. imperato & nota 14. veræ Religionis.

CAPVT PRIMVM.

§. 1. *Quid ſit in Deum credere, quid Deum ſperare, quid charitate diligere.*

2. *Imperatur hi omnes actus à Religione, ſpectantq́; ad eius perfectionem.*

3. *Vigent apud Catholicos.*

4. *Non apud Mahumetanos.*

5. *Nec apud Nouatores.*

TRES virtutes Theologicas fidem, ſpem, charitatem, quia eiuſdem ſunt ordinis, hoc eſt, ſupernaturalis, pro vna eademque computatas ſimul coniungimus, alioqui reipſa & eſſentialiter differentes. De illarũ actibus, & quarundam virtutum moralium, prout à Religione imperantur, §. I.

 hic

hic disputare aggredimur, ne aliquid ex quo pendet eiusdem Religionis complementum, neglexisse videamur. Quod tametsi non præstiterit S. Thom. 2.2.q.92. sed ad vitia Religioni opposita expositis elicitis actibus eiusdem, mox transitum fecerit; alibi nihilominus de iis disseruit, vt qui de singulis ex instituto verba facere decreuerat, opportunum quoque singulis locum tribueret, ac ne de aliquibus per accidens tantum disputasse videretur, facturus haud dubiè quod facimus, si Religionem sibi solam more nostro præstituisset.

Dicamus de fide primùm, tùm de spe & charitate. Facit singularis fidei cum spe connexio vt credere, idem aliquando quod sperare significet, vt apud August. in Enchirid. cap. 8. *Cum bona bonis futura creduntur, nihil aliud quàm speratur.* Rursus fides quandoque ponitur pro fidelitate seu immota in seruandis promissis constantia Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* Aliàs pro ipsa promissione, 1. Timoth. 5. *Primam fidem irritam fecerũt.* Aliàs pro conscientia Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Aliàs pro toto obiecto fidei, Ephes. 4. *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* Ac tandem pro firmo cælitusque dato assensu intellectus circa res omnes supernaturaliter reuelatas, eo ipso quo à Deo sunt reuelatæ, vel si mauis pro dono Dei ac lumine, quo illustratus intellectus eiusmodi assensum elicit, & propositæ credit veritati. Hoc solo postremo modo velut proprio & fidem, & credere in præsentia consideramus. Quod autem secundum scripturas aliqua eiusmodi sit fides, & requiratur ab omnibus, sic demonstro.

primò, fides est eximium ac cœleste quoddam Dei donum, Phil. 1. *Vobis datum est vt credatis in eum.* Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Indicat sanè vterque locus superiorem esse fidem habitu quocunq; humanis parto viribus. Sed & Matth. 16. legimus: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est.* Manifestè profectò connotatur hic reuelatio quædam supernaturalis, à naturali distincta quæ fit per carnem & sanguinem, id est, per humana media, cuiusmodi sunt Præceptores id docentes quod experientia, vel syllogismo, seu naturalis virtute luminis assequuntur. Quod quidem diligenter notãdum est aduersus impium Abailardum, & eos qui sensu vel ratione naturali metiuntur omnia nihil credenden-

dentes, ad quod nequeunt his viis peruenire, quantumuis dicatur à Deo reuelatum. O quàm acriter in eos inſurgeret Auguſtinus, ſi viueret cuius hæc ſunt verba: *Arcana & ſecreta regni Dei prius quærunt credentes, quò faciant intelligentes. fides enim gradus eſt intelligendi, intellectus autem meritum fidei. Apertè hoc Propheta dicit omnibus præproperè, & præpoſterè intelligentiam requirentibus, & fidem negligentibus, ait enim niſi credideritis non intelligetis.* Haud dubiè veritati humanæ, ſeu naturali nemo prius aſſentitur, quàm eam ratione fuerit aſſecutus, cum ergo Propheta de quo loquitur, velit è contra credere nos prius quàm intelligere, ſupernaturalem veritatem inſinuat, in cuius regulam humana ratio minimè aſſumi debeat. *Lib.50. homil.32.*

Secundò, eiuſmodi veritas à Deo reuelata, quæ ſcilicet per hanc fidem creditur, non eſt certa credentis prædeſtinatio, ſed quodcumque religionis veræ myſterium. Probatur prima pars videlicet fidei obiectum non eſſe certam prædeſtinationem propriam, vt contendunt Nouatores. Namque traditiones reiiciunt, & nihil credendum cenſent, quod ſcriptum non ſit. nullibi autem ſcriptura dicit quenquam in particulari eſſe prædeſtinatum. Ait quidem eos ſaluos fore, qui in bono perſeuerauerint vſq; in finem, Matth.10. Qui mandata ſeruauerit. Matth.19. Qui declinauerit à malo & fecerit bonum. Pſal.30. Qui præditi fuerint ſpe viua operante per charitatem. Sed nemini in particulari has promiſsiones applicat, & promiſsiones ſunt conditionales, ſi perſeueraueris vſque in finem, ſi mandata ſeruaueris, ſi declinaueris à malo & feceris bonum, &c. nulli autem perhibet teſtimonium quod impleat conditiones iſtas præſertim vt par eſt, vel ſit adimpleturus. Nec vllo modo conſultum fuit vt perhiberet, ne homo iam ſatis ad faſtum & otium factus, magis indè in ſuperbiam erigeretur, & torperet in bonis operibus. Deinde cum ſcriptura expreſsè affirmet Eccleſiaſt.9. *Omnia in futurum incerta ſeruari,* quomodo videri poteſt aliquem de æterna ſua prædeſtinatione certum ſecurumque reddere? Item cum omnes admoneat, vt in futurum cauti ſint, & timeant, & ſibi proſpiciant, 1. Corinth.10. *Qui ſtat videat ne cadat.* Et: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus* Et: *ſic currite vt comprehendatis,* procul ſanè abeſt ab eo, vt certitudinem illam alicui obtrudat. Item cum neget aliquem certum eſſe de ſua Iuſtitia.

Digitized by Google

ria. Iob. 8. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Et: *Verebar omnia opera mea sciens quod non parceres delinquenti.* (quomodo verebatur si certus erat?) Et 1. Corinth. 4. *Sed nec meipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est.* Prouerb. 16. *Est via quæ videtur homini recta, nouissima autem eius ducunt ad mortem.* Apoc. 3. *Dicis quia diues sum, & nescis quia miser es.* Quanto magis negat certum esse de sua prædestinatione supponente iustitiam? Quanquam esto quis certò sciret se esse iustum, non idcirco sequeretur certum illum esse de sua prædestinatione, vtpote ad quam præter præsentem iustitiam requiritur perseuerantia. Matth. 10. Nemini autem certò constat sit ne perseueraturus, immò timere quisque debet ne non perseueret, partim quia scriptum est, Psalm. 2. *Seruite Domino in timore & exultate ei cum tremore.* Et infrà: *Ne quando pereatis de via iusta.* Partim quia constat multos à gratia etiam baptismatis excidisse, vt Petrū, qui cum iam esset baptizatus iuxta illud: *Qui lotus est non indiget nisi vt pedes lauet, &c.* Christum tamen abnegando, peccauit mortaliter, & peccando gratiæ iacturam fecit. Tandem cum prædestinatio à Dei consilio ac voluntate pendeat, scripturæ autem frequenter doceant nequaquam patere mortalibus hāc voluntatem Psalm. 35. *Iudicia Dei abyssus multa.* Sapient. 9. *Quis hominum poterit scire consilium Dei, aut quis potest cogitare quid velit Deus?* Et: *Quæ in cœlis sunt quis inuestigabit?* Et Roman. 11. loquens de hoc ipso argumento, id est, de Prædestinatione ait: *Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Et 1. Corinth. 2. *Quæ Dei sunt nemo nouit nisi Spiritus Dei.* Falsum prorsus est posse aut debere aliquem secundum scripturas credere se prædestinatum. Sed neque potest id persuadere sibi certò, sumpto argumento, siue coniecturâ à sensu & iudicio proprio; quòd scilicet se benè effectum sentiat erga Deum & mandata eius, ac proinde dispositionem illam habeat, quam requirit Deus in prædestinatis, non inquam potest, tum quia homo propriis in rebus sæpè & facilè imponit sibi illudente dæmone, & amore proprio, existimans se iustum cum Pharisæo cum sit iniustus; non secus ac ægrotus sæpè sanum se credit, cum sit ægerrimus; & qui litigat, magno se iure fulciri cum nullo

nullo nitatur, & Orator tyro nihil ſe peccare contra eloquentiæ leges, cum tamen inpingat ſæpè, *prauum eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans corda & renes,* ac ſi enucleatius dicat, mihi ſoli conuenit perfectè exploratos habere omnes humani cordis receſſus, & qualiter verè affectum ſit intelligere. *Delicta quis intelligit* ait Dauid *ab occultis meis munda me.* Sicut nec ille nec alius delicta ſua omnia cognoſcit, ſed in ſinu geſtat fouetq; arcana plurima, ita profectò certus non eſt ſe omnibus Dei mãdatis perfectè morem geſsiſſe aut gerere, hæc quippè duo ſunt reciproca & ſe mutuo inferunt. At nonne poteſt homo certò & citra omnem dubietatem ſcire ſe eſſe in malo ſtatu, vt cum ſciens ac volẽs ſcortatur, calumniatur &c. poteſt quidem ſed non idcircò ſe eſſe in bono, quia ſtatus bonus ex tota reſultat cauſa, malus autem ex defectu quouis, iam verò cum facilè ſit defectum aliquem deprehendere, non tamen omnem abeſſe cognoſcere. Caput ſibi non dolere iudicat phyſicus, & non decipitur, iudicat pariter non ægrotare ſibi præcordia, eo quod occulta febris, quæ illa ſenſim depaſcitur, ſenſum non facit, ſed grauiſsimè decipitur ignorans arcanum quod geſtat vitiũ. Sed ſi ita eſt, ſi neq; ex ſcripturis neque aliundè certò ſcire poſſunt prædeſtinati ſe prædeſtinatos, angentur metu moleſtiſsimo, & perpetuò fluctuabunt. Ad hoc iam ſupra reſpondi, immò oſtendi ex ſacris paginis nec voluiſſe Deum, nec decuiſſe vt vellet, illos in hac vita planè eſſe de ſua ſalute ſecuros, ſed pauere magis ac metuere, ſicut etiam quo cautiores eſſemus, nec propriæ mortis horam, nec iudicii diem, nec quæ ſuperueniens allatura eſt dies, ſcire nos voluit. Interim ne incerti exitus cogitatione abſorberet nos triſtitia, proſpexit vt ſuppetere nobis poſſent magna quædam prædeſtinationis indicia, petita ſcilicet ex probabiliſsimo ſenſu deſiderii ſeruiendi Deo, amandi illum ſuper omnia, patiendi aduerſa, audiendi verbum Dei, ſeruandi eius præcepta, vitandi quodcumq; peccatum mortale, &c. Ierem. 17.

Hoc itaq; excluſo obiecto fictitio veræ fidei, aio obiectum verum eſſe myſteria ſeu veritates omnes & ſingulas quas Eccleſiæ ſuæ reuelare dignatus eſt dominus, ita vt nemini ſit ſatis vnam vel alteram credere, ſed omnes habere debeat explicitè vel implicitè perſuaſiſsimas, nam ſcriptum eſt Marc. 1. *pænitemini & credite*

Euangelio. Euangelium autem omnia à Deo reuelata complectitur partim vno ex his modis partim altero. Reprehenduntur præterea Luc. 24. discipuli duo eo quod tardi essent ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ, & vera charitas sine qua nemo aliquid est aut saluari potest credit omnia 1. Cor. 13. Accedit ratio manifesta, quod sicut propter summam Dei authoritatem obediendum illi est in omnibus, ita vt qui secus fecerit, & vel in vno offenderit fiat omnium reus, ita ob summam veracitatem in omnibus credendum. Eleganter S. Cyprianus, *non potest Euangelium in parte consistere, & in parte nutare, aut vtrumq; oportet vt valeat, aut vtrumq; veritatem amittat.* Serm. 5. de Lapsis cap. 5.

Tertiò dico assensum circa eiusmodi res fidei à Deo reuelatas debere esse certissimum & prorsus indubitatũ. Nam Act. 8. cum Eunucho prædicasset Philipus fidem illam de qua agimus, exegit ab eo vt nõ quomodocunq; in Christũ crederet, sed ex toto corde, & S. Iacob. cap. 1. iubet vt orando postulemus in fide nihil hæsitantes, quin etiam Marc. 5. ait Christus *noli timere tantummodo crede.* Ecce quomodo fidei opponit dubietaté velut incompatibilem. Huc spectant verba illa S. Athanasij de fide loquentis, *quam nisi quisq; fideliter firmiterq; crediderit, absq; dubio in æternum peribit.* Illà item S. Basilij serm. de fidei confessione. *Est igitur fides eorum quæ dicta sunt assentiens approbatio sine vlla hæsitatione, cum animi persuasione de eorundem veritate quæ Dei munere sunt prædicata.* Nimirum Deus non minus verax est quàm bonus; sicut ergo propter summam bonitatem diligendus ex toto corde, sic propter summam veracitatem ita ei credendum est, vt nulli magis, imò nulli æquè, ac proindè omni dubitatione postposita, præsertim cum sensibus ipsis nostris, & plerisq; hominibus tanta certitudine credamus, vt nihil dubitationis apud nos superesse patiamur. Ecce autem plus quàm sensus hic. Scriptum est Matth. 24. *cœlum & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Nihil est inter creaturas ex materia concretas cœlo constantius, de quo & syderibus insertis legimus, Psal. 18. *Statuit ea in æternum & in seculum seculi*, nihil de cuius firmitudine minus dubitemus. Et tamen sicut Deo compositi cœli mundi non sunt, Iob. 15. ita neq; constantes cum æternæ veritatis constantia ac certitudine comparati. Quis igitur dictorum eius assertionem quantumuis arcanorum, inauditorum, ac sublimium

Digitized by Google

mium censeat in dubium reuocandam? Tandē si liceret cum formidine aliquid à Deo reuelatum admittere, maximè propter dubiam Dei in eo asserendo veritatem & fidem, at si dubiæ sit in vno fidei, erit planè in omnibus, quippè semel malus semper talis præsumitur in eodem genere, quo argumento vtens S. Augustinus lib. 7. confess. cap. 19. probat nulli parti scripturæ sacræ subesse falsum. Hæc quidem non obstant quo minus posset quis illæsa fide aliquem eius articulum in dubium reuocare quandiu eius esse articulum inculpabiliter nescit, secus tamen quando scit. Rursus non obstant quo minus inuoluntaria dubietate aliqua tentari posit credentis fides, at non voluntaria, & cui deliberatè assensum præbeat, eo quod firmitudo ad quam tenetur omnem excludit dubitationem.

Quartò dico res à Deo reuelatas, & quas tenemur excellenti hac fide credere eas esse, quas Dei Ecclesia reuelatas ab eo fuisse docet. Tria supponit hæc assertio. Primum nō esse per se clarum quænam res sint à Deo reuelatæ. Alterum cum hoc sit obscurum eguisse humanum genus regula aliqua certissima dictante quænam sint illa quæ reuelauit, & à nobis credi voluit. Tertium hanc regulam quam procul dubio non negauit diuina prouidentia, aliam non esse quàm Dei Ecclesiam.

In primis non est per se notum quæ Deus reuelauit, & credi voluit. Nam si esset per se notum de hoc apud homines non litigaretur, sicut non litigatur vtrum omne totū sit maius sua parte, eo quod sit propositio per se nota. Deinde non est per se notū an Deus scripto tantum, an verbo tantū, an vtroq; modo prodiderit ea quæ nobis reuelauit, cū magna quoq; sit de hoc controuersia, ergo multo minus per se nota sunt quæ prodidit. Tertiò esto planè constaret scripta esse omnia quæ reuelauit, adhuc nō essent per se nota, quia scriptura quæ pro diuina recipitur, obscurissimum sensum habet, vt fatetur ipsa 2. Pet. 3. & patet partim experientia, si quis aliquam eius partē in manus sumat, præsertim Psalterium, Isaiam, Cantica Canticorum, Ezechielem, Epistolam ad Ro. Epistolam ad Hebræos, & Apocalypsim, partim ex tot eius interpretibus, tot itē occasione interpretationis variæ digladiationibus, quas profectò omnes vt sol nebulas dissiparet euidentia, si in ea locum haberet. Cum ergo non ex verbis sed ex sensu verborum

petantur dogmata seu veritates quas Deus reuelauit, minus adhuc possunt esse per se notæ, quàm ipse sensus.

Iam verò cum non sint per se notæ, atque ita improborum hominum calumniæ pateant, ita vt facile ab iis negari possint, vel earum loco adulterinæ ac peregrinæ substitui, cum præterea tàm abstrusum sensum contineant, procliue est intelligere, omninò eguisse homines regula aliqua fidei rectissima, quæ sacras interpretetur, & ab aliis separaret; ne ea destituti in rebus momenti omnium maximi errore circumuenirentur, nõ secus ac directore opus est ei, qui aliquo tendens incidit in centrũ, ex quo viæ complures quasi semidiametri in diuersa feruntur. Et quia omninò eguerunt, nefas est negare vel etiam dubitare à Deo prospectum ne vllo modo desideraretur. Haud dubiè si non prospexisset non disponeret omnia suauiter, cuius contrariũ affirmat Sapiens c.8. & delectari videretur discordiis, cum tamen Deus sit pacis non dissensionis 1.Cor.14. & minus faueret Christianæ quàm Mosaicæ Ecclesiæ, in qua regulam reliquit accersito Moyse, quæ omnes in iudiciorum ac voluntatum vnione conseruaret, *exspectate hic* inquit Moyses Exod. 24. *donec reuertar ad vos, habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos.*

Hanc certissimam regulam contendo solam esse veram Dei Ecclesiam. Nam si aliqua esset alia maximè scriptura sacra, aut priuatus cuiusque Spiritus siue iudicium à Spiritu sancto directum. At neutrum dici potest.

1. Nam quod ad scripturam sacram, regula quam hic quærimus egere non debet alia regula vt cognoscatur, quia sic esset progressus in infinitum, scriptura autem sacra indiget vna aliqua, vt sciatur esse verè scriptura sacra, & à profanis discernatur. Hinc illud Augustini *Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret authoritas*, & lib.28. contra Faustum cap.4. *Si non inuenisset Paulus in carne Apostolos quibus communicando, & cum quibus conferendo Euangelium eiusdem societatis esse appareret, Ecclesia illi omninò non crederet.* Et certè si deesset eius regula citò impij eam negarent, vel vt Mahumetus Alcoranum, nænias pro ea suas obtruderent. Secundò vera fidei
2. regula indicare debet omnia credẽda, at partes omnes scripturæ sacræ canonicas esse seu sacras; & dictatas à Spiritu sancto, fidei articulus idemq; insignis valde est, quibus tamen partibus suis

(plerisq;

(plerisq; saltē) ipsa non perhibet testimonium. Exempli gratia vbi nam dicit Euangelium Matthæi aut Marci huiusmodi esse partem, Alcoranum contra non esse? non ergo potest scriptura dici exacta fidei regula. Tertiò vera regula flexibilis ad cuiusq; nutum esse non debet, vt Lesbia, sed cōstans & inflexibilis, iuxta illud Ps. 2. *reges eos in virga ferrea*, at scriptura inflectitur ad cuiusq; nutū, ita vt non pudeat hæreticos & grauissimos quosq; peccatores illam ad sui passiones desiderij, atq; ad ea quæ minimè credenda sunt, accommodare, vt fures furari quia scriptū est, *qui potest capere capiat*, & ebriosos inebriari, quia scriptū legimus Cant. 5. *bibite & inebriamini charissimi*. cumq; sit muta silet, nec quidquam respondet his suis violatoribus, nō ergo per se sufficiens est ad indicanda nobis perspicuè ac certò diuina quę in se latent dogmata. Quod idem facilè concludes, ab illius obscuritate sumpto argumento, vt sicut nō sufficit clauus aut frænum, sed accedere nō nemo debet, qui illud arte moderetur, ita etiam interpretem sapientem, qui diuina eloquia enubilet, veroq; assignet sensui. Nisi fortè dicas obscurum vnum locum per luculentū alium exponi, ita vt proindè ipsa sibi interpres sit sufficiens. Verùm hoc asseretur absq; vllo solido fundamēto, tùm quia infinita sunt quæ in ea semel tantum dicuntur vt illud 2. Thes. 2. *tantum qui tenet teneat donec de medio fiat* tùm quia de sensu loci illius secundi, qui ad prioris enucleationē proferretur, quantumuis clarè poterit esse controuersia, quandoquidem verba illa *hoc est corpus meū quod pro vobis tradetur* tàm sunt perspicua, vt perspicuitate nulla fieri posse videatur accessio, & tamen hodie de nullorum aliorū sensu grauior est altercatio. Quartò regulam credendorum quærimus omnibus peruiam, quandoquidem omnium interest credere quod credendum est, scriptura autē nequaquam omnibus peruia est, quia plurimi legere nesciunt, nec satis tuti esse queunt, si alios legentes audiant, cum menti semper insidere possit dubitatio rectenè ac bona fide legāt, nec ne. Multi item legere quidem norunt, sed verborum significationem minimè apprehendunt, quam interim supponit & sensus verus, & veritas in eis reuelata. Quintò si Deus eam voluisset talem esse regulam, à principio Ecclesiæ seu mundi prospexisset ne deesset, ne alias homines etiam iusti errore periclitarentur. Cauisset insuper, ne decursu temporis pars eius aliqua intercideret. At

(Margin numbers: 3. beside "esse non debet…"; 4. beside "de nullorum aliorū…"; 5. beside "ritas in eis reuelata…")

nulla fuit toto ſpatio quod interiacuit creationē Adam & legem datam, quodq; annorum millia minimùm tria complectitur, & Matthæus non ſcripſit niſi annis 10. poſt Chriſti aſcenſionē, Marcus adhuc poſterius, Ioannes ætate ferè decrepita. Sed & multis ſeculis diſperſæ fuerunt epiſtolæ Apoſtolicæ ad varios ſcriptæ, & dubitatum diu de quibuſdam eſſent ne veræ omnes Apoſtolicæ vſq; ad annum 364. quando celebratum eſt concilium Laodicenum, à quo receptæ ſunt Can. 59. ſed quod quia Prouinciale tantùm fuit, nec tantæ fuit authoritatis, nec ſtatim vbiq; euulgatum, ſed poſt aliquot annos ſucceſsit tàm tertia quàm quarta ſynodus generalis, quæ illas recepit. Scripſit Apoſtolus epiſtolam ad Laodicenſes, eamq; in Eccleſia legi voluit vt patet ex c. 4. ad Col. &
6. tamen conſtat quod perierit. Sextò in dubiis doctrinæ & ſimilibus non alio nos remitteret Deus vt dirigeremur, ſed ad illā vnā, & ecce contrarium fit Deut. 17. *ſed difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris, &c. aſcende ad ſacerdotes Leuitici generis qui indicabunt tibi iudicij veritatem* Malach. 2. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius.* Matth. 18. *dic Eccleſiæ, quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus,* Deut. 32. *interroga maiores tuos & dicent tibi.* Eph. 4. *dedit quoſdam Apoſtolos, alios Paſtores, alios Doctores vt non circumferamur omni vento doctrinæ.* Ait quidē Chriſtus Ioan. 5. ſcrutamini ſcripturas, ſed ad eos qui ſcripturas tantum curabant, aut recipiebant, ac iactabant, & in iis poterant manifeſtè redargui.

Quod ad Spiritum particularem, ſeu priuatum cuiuſq; iudicium errare quidem non poteſt in definiendis quæ fide diuina credenda ſunt, poſito quod à Spiritu ſancto dirigatur, ſed per Deum immortalem quis præter inſanum & arrogantiſsimū hoc ſibi certò arrogabit? quod ſcilicet in ea definitione à Spiritu ſancto dirigatur? ſcriptum eſt fateor Luc. 11. *Pater veſter cæleſtis dabit de cælo Spiritum bonum petentibus ſe,* ſed vt ſupra argumentabamur, vnde ſcis mi homo, te Spiritum bonum, ſeu intelligentiam bonam rerum credendarū poſtulare cum tanto affectu, & perſeuerantia, & puritate cordis quanta requiritur? an memoria excidit quod ſcriptum eſt Ro. 8. *quid oremus ſicut oportet neſcimus?* Sed eſto ſit in te perfecta diſpoſitio, non tamen idcircò putare debes illum tibi immediatè daturum quidquid poſtulaueris, eſto vtile tibi ſit ac neceſſa-

Digitized by Google

neceſſarium, ſed mediis illis interpoſitis per quæ poſtulata ſimilia voluit ad petentes deſcendere, ad ſeruandũ ordinem de quo ſcriptum eſt *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*, Rom.13.v.g. Lumen per ſolem, calorem per ignem, ſanitatem per medicamenta & medicos, profanam ſcientiam per præceptores, ſacram autem ſeu fidem & intelligentiam rerum credendarum per Eccleſiæ Paſtores & doctores, ita vt dicat Apoſtolus Rom.2. *Fides ex auditu*, & Chriſtus ad mundum fide imbuendum diſcipulos ſuos legauerit dicens, *docete omnes gentes*, cum tamen poſſet nulla tali inſtitutione concurrente fidem ſingulis infundere. Matth. 28. Ac ne hanc legem nonnullis tantum gregariis perſonis propoſitam ſuſpicere, pone tibi ante oculos vas ipſum electionis in terrã proſtratũ, ad omnia iam promptum Chriſti obſequia, eoq; fine toto corde percontantem, *Domine quid me vis facere*, ne huius quidem de baptiſmi neceſsitate ac Act.9. ſuſceptione, deq; aliis tum credendis tum agendis inſtituere per ſe voluit, ſed erudiẽdum remiſit ad Ananiam. Prætereà tene præterit quantopere execretur ſcriptura ſanctaSpiritus particulares, eoſq; vanitati ac mendacio ſubiectos dicat eſſe? *Scripturæ Prophetia* 1.Pet.2. id eſt expoſitio, *propria interpretatione non fit*. Pſal.115. *Ego dixi in exceſſu meo omnis homo mẽdax*, Pſ.38. *vniuerſa vanitas omnis homo viuens*, Prou.3. *ne innitaris prudentiæ tuæ*, quàm procul eſt ab eo, vt in tanti momẽti rebus priuatum quemuis infallibilem faciat & ductorem ſibi eſſe poſſe conſentiat. Nonne, dicat aliquis, Romanus Pontifex B. Petri ſucceſſor priuatus quidam homo eſt? Et tamen dicitur, vobis errare non poſſe in determinãdis quæ fidei ſunt. Reſpondeo aliam huius eſſe rationem, qua enim Eccleſiam debuit totam regere, eadem decuit, vt in talibus proponendis errare nequiret, ſed in gratiam communis fidei infallibiliter à Spiritu ſancto dirigeretur, ne ſi errans ſeu cæcus cæcos duceret, in foueam omnes caderent. Propter hoc in perſona Petri claues accepit regni cœlorum Matth.16. inter quas vna eſt ſcientiæ ſeu certiſsimæ definitionis rerum credendarum, & Luc.22. donum confirmandi fratres ſuos in fide vacillantes, ac proinde docendi eos certò quid ſit credendum, & Ioan.21. authoritatem paſcendi doctrina oues ſuas, cuius ſupernaturalis doctrinæ prima pars eſt notitia eius, quod tenemur fide credere. Adhæc ſi priuatus cuiuſq; Spiritus talis eſſet regula, ad illum Deus ſiue ſcriptura quemlibet in dubio remitteret,

ret, ecce autem remittit illum ad alios, vt supra vidimus, Deut. 32. & 17. Mal. 2. Matth. 18. Eph. 4. nec moror quod scriptum est Rom. 14. *vnusquisq; in suo sensu abundet*, quia ibi sermo nō est de rebus credendis, sed de rebus indifferentibus, quæ bonæ fiunt & malæ pro qualitate conscientiæ & intentionis eius qui operatur. Item sicut obiectum fidei vnum est dicente Apostolo in eodem cap. 4. *vnus Deus vna fides*, & commnne quiddam omnibus fidelibus, ita fidei regulam oportet vnam & communem esse (cum etiam humanis in rebus, vt benè succedant vna sit communis regula agendorum & discendorum, in schola ludimagister, in militia dux, in domo paterfamilias, in regno Rex) qualis profectò minimè futura est, si iudicio relinquatur singulorum. Item vel priuatus cuiusq; Spiritus huiusmodi regula est, vt sibi relinquitur, vel vt à Spiritu sancto dirigitur: Non primum, quia certum est quod quilibet relictus sibi infinitis patet erroribus, etiam cum de rebus humanis hoc est facillimis agitur. Neque secundum, quia sic omnes in asignandis fidei articulis vni essent & conuenirent, sicut ipse Spiritus sanctus à quo dirigerentur vnus est, at nullo modo conueniunt, da mihi vel duos quantumcunq; sanctos, & alto iudicio, acuto item ingenio præditos, qui quid credendum sit nondum audiuerint, euoluant scripturā sacram à capite vsq; ad calcem, in eaq; meditentur die ac nocte, & videbis postea, quantum inter se dissentiant, interrogati, etiam in iis quæ iam censentur fidei capita ac fundamēta. Nonne hęresiarchæ omnes afflatos se iactant Spiritu sancto, & tamen quanta quoad dogmata inter illos diuersitas? Item vera fidei regula apta esse debet ad tollendas discordias; & errorem omnem ablegādum, at tale facere priuatum cuiusq; Spiritum, est ex aduerso fenestram aperire discordiis & erroribus: si quidem impostori nihil præsentius potest occurrere ad illudendum mortalibus, quam si iactare permittatur, sibi à Spiritusancto suggesta fuisse quæ loquitur, & iactanti fides adhibeatur. Et qui inter se contraria dogmata propugnabunt, sibi mutuo insanire videbuntur, congestisque tum conuitiis tum clamoribus accusabunt se inuicem sacrilegæ pertinaciæ, ac duræ ceruicis semper Spiritui sancto resistentis. Quinetiam citò venietur ad verbera, inflictaque alapa vt quondam Michææ
3. Reg. 22. Sedechias, sic vnus dicet alteri, *mene ergo dimisit Spiritus Domini &*

locutus

locutus eſt tibi ? Tandem ſi ſanctos Patres conſulamus, admonebunt nos verbis grauiſsimis, ne credamus nobis, aut priuatim regulæ illius rationem arrogemus. *Domine tremenda ſunt iudicia tua*, inquit S. Auguſt. *Quoniam veritas tua eſt nec illius aut illius ſed omnium noſtrum, quos ad eius communionem publicè vocas, terribiliter admonens nos vt nolimus eam habere priuatam, ne priuemur ea*, & lib. 3. de Trinit. cap. 1. de lectore loquens operum ſuorum ait, *ille non me amet amplius quam Catholicam fidem*, quibus ſanè verbis apertè ſatis inſinuat renuntiare ſe iudicio proprio, multoque anteferre Eccleſiæ ipſius iudicium. S. Hieronymus in epiſtola ad Demetr. ſenſum proprium Præceptorem peſsimum vocat, S. Greg. Nazian. & S. Baſil. totis 13. annis intra cœnobium ſeſe in ſtudiis ſacrarum literarum exercuiſſe legimus, illarum ſententiam non ex proprio ingenio, ſed ex maiorum ratione, & authoritate interpretantes. Quid ſi iudicium proprium demonſtrē ab ipſiſmet Hæreſiarchis reprobatum ? vnum audi Caluinum vice omnium, *tot vanitatis receſſus habet, tot mendaciis ſcatet cor humanum, tam fraudulenta hypocriſi tectum eſt, vt ſeipſum ſæpè fallat.* & in Decret. Seſ. 3. Concil. Trid. *Fateor ſicut non priuato hominum arbitrio allata eſt ſcriptura, ita indignum eſſe, vt ad priuatum cuiuſq; ſenſum trahatur.* & lib. 1. Inſtit. cap. 5. num. 12. *ſuum cuiq; ingenium inſtar labyrinthi eſt.*

Lib. 12. cōf. cap. 25.

Lib. 3. Inſt. c. 2. n. 10.

Quid ergo iam reſtat niſi vt Eccleſiam ducamus hanc eſſe regulam ? dicet profectò quiſquis ſine omni προσωποληψίᾳ volet hic ſententiam ſuam proferre.

Primò quia præter ſcripturam & Spiritum illum particularem ſola occurrit cui conuenire poſsit regulæ illius ratio, duobus autem illis non conuenire peruicimus.

Secundò quia ad illam remittimur à ſcripturis in dubiis fidei, vt etiam docuimus, & à S. Patribus, vt Epiphan. hæreſ. 61. Auguſt. in epiſtola ad Ianuarium & lib. 2. contra Iulianum, & Athan. qui in epiſt. contra Hæretic. ait *tantummodo ad ea reſpondendum eſt, quod ipſum per ſe ſufficit, ea Orthodoxæ Eccleſiæ non eſſe, neque Maiores noſtros ita ſenſiſſe.*

Tertiò, quia infallibilem habet authoritatem : aliàs ineptiſsimè vocaretur ab Apoſtolo 1. Timoth. 3. *Columna & firmamentum veritatis*, & falſo diceret Chriſtus Ioan. 14. & 16. quod ei ſuggeſturus ſit Spiritus ſanctus omnem veritatem, ſi quidem non ſuggereret

teret ei contrariam errori in quem laberetur, & præualerent aduersus eam portæ inferorum, id est errores (per quos velut amplissimas & ingentes portas in infernum ruitur) contra Christi promissum Matth. 16. & careret idem Christus debita prouidentia circa sponsam suam. Ad quid porrò ei concessa fuisset tanta in docendo securitas, & erudiendi nos cura commissa, nisi vt esset certissima illa fidei regula quam quærimus?

Quartò, quia vnus idemque insignis fidei articulus ille est qui veros scripturæ sacræ libros assignat, Ecclesia autem sola est quæ hunc ostendit articulum seu quot & quinam sint libri verè Canonici, vt supra vidimus; non est autem maior ratio, cur vnum certò & infallibiliter, quàm reliquos possit ostendere, omnium ergo regula censenda est.

Quintò, quia secundum nouatores omnia fidei dogmata continentur in scriptura sacra probè intellecta, sed Ecclesiæ solius est scripturam probè intelligere, & in dubio geminum eius sensum aperire. omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Leuit. & populus interpretationem legis petit ab Esdra. 2. Esdr. cap. 8. & legem requirere iubemur de ore sacerdotum Malach. 2. & scribit Caluinus loco supra citato, *Si de obscuro loco ambigitur, quonam sensu accipi debeat, non alia via meliore ad veram intelligentiam posse perueniri, quàm si pij doctores religiosa disceptatione in commune inquirant*, & infra, *nemo est nostrum, qui non libenter suas lucubrationes iudicio submittat Ecclesiæ, ergo Ecclesiæ authoritatem neque contemnimus neque extenuamus, nec proteruè hominibus habenas laxamus, vt quiduis audeant.* Simillima habet in gratulatione ad Præcentorem (& certè si priuatus aliquis certò illam interpretari iure creditur, quanto magis illa credenda est? Nonne pars minus aliquid est quàm totum, & filius minus sapere præsumitur quam mater? Nonne illa in scripturis habet non errandi promissionem priuato cuiuis denegatam?) Ergo Ecclesiæ solius est omnia fidei dogmata definire, atque ita regulam esse fidei. Scio hîc grauiter mussitare nouantes, quod hac doctrina videamur scripturam Ecclesiæ subiicere, adeoque parum fidei tribuere, vt eius Canones siue articulos ab homuncionibus condi posse arbitremur. At enim nihil virium habet, nihil iuris ista querimonia. Si Christus ipse subditus erat, non

dico

dico toti Eccleſiæ, ſed parentibus ſuis hoc eſt Eccleſiæ membro vni & alteri, quid mirum ſe ipſimet Eccleſiæ ſcriptura dicatur quodammodo ſubiecta eſſe, ac reipſa ſubiiciatur? Præcellens eſt ſcriptura, an non etiam Eccleſia? Loquitur in illa Spiritus ſanctus, nonne etiam in ore iſtius? Illa veritatis arca eſt, iſta columna & firmamentum, 1. Timoth.3. illa muta, nec ſe prodere valens nec interpretari, nec aduerſus corruptores defendere; hæc verò fandi pugnandique peritiſsima, quæ proindè omninò illi accedere debuit, vt tanquam fidiſsima ſoror ſorori adminicularetur, & viciſsim ab ea inſilentio myſteria plurima probeque viuendi modum perdiſceret, à quo non licet recedere. Non itaque facit Eccleſia ſcripturam ſacram, ſed oſtendit eam, & ab alia quacumque diſcriminat. ſicut lapis lydius & fornax non faciunt aurum, ſed ille verum indicat iſta probat: & Magiſtratus ad quem regiæ literæ diriguntur, dum examinat ſintnè regiæ, & quid ſibi velint, ac de vtroque fert iudicium, non idcircò illas facere dicitur, vel iniuriam illis inferre. A pari ergo diuinas literas nec condit Eccleſia, nec authoritatem tribuit, ſed ſolum ineſſe declarat, & ſic non eis derogat, ſed ſeruit, ſed eas commendat, & facit quod debet. Quanquam ſi hac ipſa propoſitione vterer: Eccleſia fecit ſcripturam ſacram, non penitùs à veritatis ſcopo aberrarem. Quærerem namque an non eam fecerint Prophetæ & alij ſcriptores canonici ſaltem vt inſtrumenta viua? At membra fuerunt Eccleſiæ, per illos ergo Eccleſia fecit eam, vt totum inſtrumentale per partem ſuam, Deus autem vt author principalis. Lucæ 2.

Nondum quidquid poſtulat §. iſte præſtitimus, non ſufficit Eccleſiam ſcire regulam eſſe credendorum, & diuinis præfectam ſcripturis tum aſsignandis tùm interpretandis; veſtigandum inſuper quantum patietur inſtituti mei breuitas, quæ tot inter ſpurias vera ſit Eccleſia. viſus eſt ſibi Caluinus lib.4. Inſtit. cap.8. n.9. acu rem, vt aiunt, tetigiſſe, cum veras huiuſmodi Eccleſiæ notas duas dixit eſſe, ſinceram verbi Dei prædicationem, & talem ſacramentorum adminiſtrationem, quæ inſtituto Chriſti conſentiat. Sed enim erat toto cœlo.

Primò, quia nullum adducit ſcripturæ textum in notarum 1.

huiuſmodi confirmationem, cum interim res ſit momenti grauiſsimi, quales ſtabiliri ſemper vult ſcripturæ teſtimoniis.

2\. Secundò quia cuſtos rei alicuius notior eſt re ipſa cuſtodita, ac proindè indicare potius illam debet, quàm ab illa indicari; ſed Eccleſia cuſtos eſt veritatis diuini verbi, ſeu quod idem eſt, ſinceræ prædicationis eiuſdem, iuxta illud Auguſt. in Pſalm. 57. *In ventre Eccleſiæ veritas manet, quiſquis ab hoc ventre ſeparatus fuerit neceſſe eſt vt falſa loquatur*, & illud Caluini ſupra num. 10. *ſignificat Paulus ne intercidat veritas Dei in mundo, Eccleſiam eſſe fidam eius cuſtodem, quia eius miniſterio & opera voluit Deus puram verbi ſui prædicationem conſeruari.* Non ergo ſincera verbi Dei prædicatio nota eſt Eccleſiæ, ſed potius contrà.

3\. Tertiò fides non eſt ſine ſincera illa prædicatione, ſed fides Eccleſiam ſupponit velut certam ſui regulam vt ex dictis liquet, ergo & iſta ipſa prædicatio.

4\. Quartò vera prædicatio verbi diuini ſupponit, diuinum verbum, ita vt de hoc prius conſtare debeat. Sed diuinum verbum ſupponit Eccleſiam veram, vt pote à qua ſola cuſtoditur, aſsignatur, & infallibiliter exponitur vt ſupra vidimus, ergo multo magis vera prædicatio verbi diuini ſupponit Eccleſiam. quod ſi ita eſt quomodo illius eſt nota?

5\. Quintò vera prædicatio vt vera eſſe ſciatur, ſeu ſcripturis verè congruere, debet ab infallibili aliquo Iudice examinari, qualis cum ſola poſsit eſſe Eccleſia, vt iampridem demonſtrauimus, examinari debet ab Eccleſia, non ergo notificat Eccleſiam ſed ab ea notificatur.

6\. Sextò ſi dicta prædicatio vera eſſet nota Eccleſiæ, non poſſet Eccleſia illa vera videri, à qua abeſſe putaretur; ſed ex ipſo Caluino poteſt credi abeſſe ab Eccleſia, quæ non idcirco debet falſa videri, non ergo legitima nota eſt Eccleſiæ. Probatur minor propoſitio ex verbis illis § 12. *Quin etiam poterit vel in doctrina, vel in ſacramentorum adminiſtratione vitij quippiam obrepere, quod alienare nos ab eius communione non debeat.* Vitium in doctrina error eſt, nec ſine inſinceritate prædicationis poteſt conſiſtere. quod vitium ſi alienare nos non debet à communione Eccleſiæ, profectò hoc fit quia vera eſt Eccleſia.

7\. Septimò debet nota Eccleſiæ accommodata eſſe omnibus, vt

quiuis

quiuis in eam aspiciens legitimum fidelium cœtum possit agnoscere. quomodo autẽ talis esse potest sincera illa prædicatio, cum innumeri ne quidem legere norint, tantum abest vt prædicationem examinare iuxta scripturæ canonem?

Octauò nota hic quæritur distincta à re quam debet indicare, aliàs indicaret seipsam, essetq; seipsa prior & posterior, notior & ignotior: at doctrina fidei eatenus ab Ecclesia vera non distinguitur, quatenus articulus vnus talis doctrinæ est, huiusmodi Ecclesia esse veram Ecclesiam, & ita velle probare veritatem Ecclesiæ per veritatem doctrinæ, est probare doctrinã per doctrinam, & facere vnum idemque sui ipsius notam. 8.

Nono talis nota quærenda est, qua iuuari possint ij soli, qui membra sunt veræ Ecclesiæ, cæteri autem confundantur; cum igitur hi non minus quàm illi sinceram verbi prædicationem sibi arrogent, ex eaq; conentur spuriæ Ecclesiæ prætensam veritatem ostendere; liquet, quòd nota ista non sit legitima sed ab impiis excogitata in circuitu ambulantibus. 9.

Decimo si recta sacramentorum administratio vera esset nota Ecclesiæ, in falsa Ecclesia non haberet locum, vel si haberet, vera esset non falsa; sed Caluinus in nostra sola est baptizatus: aut ergo Ecclesiam nostram veram esse fateatur necesse est, aut se non esse verè baptizatum. 10.

His inidoneis notis ab illo positis, lubet non idoneas multas substituere, ne in immensum crescat paragraphus, sed vnicam quam hominibus minimè pertinacibus satis facturam non dubito; antiquitatem intelligo, quam tanti fecit Apostolus, vt nullo modo tacendam putauerit, sed magnificè descripserit his verbis, *Accessistis ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam in Abel.* Debet certè inter patrem familias & familiam esse proportio, cum ergo Deus qui Pater est Ecclesiæ, sit antiquissimus dierum, vt loquitur Daniel, nec anni eius deficiant, vt ait Dauid, antiquam quoq; eius Ecclesiam esse, & à tempore quo subsistere cœpit nunquam interiisse credendum est. An non per absurdum foret, si cùm Diabolo à mundi exordio ciuitas quædam nullo defuerit tempore, nullam Deus habuerit vel à principio, vel tẽpore aliquo interiecto? Nullam amplius habere videbatur, quando Genes. 6. *Omnis caro corruperat viam* Hebr. 11. Dan. 7. Psal. 101.

 suam,

suam, & quando 3. Reg. 19. dicebat Helias, *Altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus.* Vere tamen habebat idq; testificatus est ad Noe dicens Gen. 7. *Ingredere tu & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iustum coram me in generatione hac.* Et ad eundem Heliam *derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curuata ante Baal.* Lege Matth. cap. 13. inuenies zizaniis semper coextitisse triticum, imò fuisse antiquius, si quidem cum apparere cœperunt, iam creuerat. De hac Ecclesia seu Christi regno in singulari semper scriptura loquitur, tanquam de vno non de multis, aitq; illud semper fuisse ac fore. Luc. 1. *Regni eius non erit finis*, Psalm. 144. *Regnum tuum regnum omnium seculorum*, Ex hoc aio sequi quod nunquam desierit, quia non existens in seculo, in quo defuisset, regnum dici non potuisset omnium seculorum; in eodem desinere incipiens, finem habuisset. Huic continuæ Ecclesiæ durationi siue existentiæ Caluinus ipse manifestum præbet testimonium his verbis, *si definitionem Ecclesiæ recipere sustines, dic post hac: Ecclesiam esse societatem sanctorum, quæ per totum orbem, per omnes ætates dispersa, vnitatem fidei & fraternam charitatem colit.* Denique hæc ipsa Ecclesia vt præstantissima, sic durationis est præstantissimæ, vt sit in omnibus proportio: præstantissima autem duratio dicitur, quando res ab antiquissimo deducta principio in consequentibus ætatibus continuò perseuerat. Hinc nobiles qua ratione enitere inter homines appetunt, eadem generis sui ætatem quàm remotissimis possunt terminis circumscribunt, ac si fieri possit deriuant alto à sanguine Teucri. Alij pictos ostendunt vultus.

In Epist. ad Sadoletum.

Maiorum, & stantes in curribus AEmilianos,
Et gaudent post hac multa deducere virga.
Fumosos equitum cum dictatore Magistros.

Hæc etiam est causa, cur in Gallia Parlamenta siue Senatus tanto pluris fiant cæteris paribus, quanto sunt vetustiores, vt Parisiensis, quàm Tholosanus ac Burdegalensis fundati à Philippo Pulchro anno 1302. Et hi quàm Grationopolitanus institutus à Ludouico II. anno 1453. & Grationopolitanus quàm Diuionensis, cuius principium incidit in annum 1476. & hic quàm Rhotomagensis fundatorem nactus Ludouicum XII. anno 1499. &

Rhoto-

Rhotomagensis quàm Aquensis in Prouincia erectus anno 1501. Et hic quàm Ahedonensis constitutus anno 1553. sub Henrico 2. Hactenus de fide.

Spes virtus est diuinitus infusa, seu donum supernaturale per quod certa cum fiducia exspectantur futuræ vitæ bona ab eo, qui adiutus diuina gratia facit quod in se est, vt illa assequatur. Virtutem esse diuinitus infusam seu donum supernaturalem, ex eo liquet, quod fide nitatur propter quod Apostolus Hebr. 11. fidem appellat, *Sperandarum rerum substantiam*. & S. Augustinus scriptum reliquit, *quid sperari potest quod non creditur*? Sicut ergo fides supernaturalis est, non secus ac obiectum eius cui conformari debet, ita & spes quæ fide vt dixi nititur, & obiectum similiter habet supernaturale, ac prius creditum quàm speratum. Nec peruium sensibus, sed delitescens in cœlis, Rom. 5. *Si quod non videmus speramus, per patientiam exspectamus*, & Tit. 2. *Exspectantes beatam spem, & aduentũ gloria magni Dei*. Atque hinc probata relinquitur pars altera definitionis, in qua, æternæ vitæ bona per spem expectari diximus: Vbi tamen huiusmodi bonorum nomine Deus præcipuè intelligitur, à quò vno spes habet, vt Theologicis virtutibus annumeretur; minus præcipuè autem gratia, virtutes, dona, & auxilia Spiritus sancti, quibus tanquã gradibus quibusdam ad Deum peruenitur, quæq; nobis Christi meritis conferuntur. Tertiam partem his verbis contentam, *certa cum fiducia*, insinuat scriptura cum spem vocat viuam 1. Pet. 1. & fiduciam, 1. Ioan. 5. & sperantem iubet viriliter agere ac confortari Psal. 26. & spei tribuit anchoræ nomen, Hebr. 6. Dixi deniq; ab eo qui facit quod in se est, quia Deus procul dubio cum de salute nostra agitur, cooperationem nostram vult gratiæ suæ accedere, sine qua sperare non spes sed præsumptio dicenda est. Quoties in Psalmis dicitur Deus adiuua me, Deus in adiutorium meum intende? Iam verò quis adiuuari potest qui nihil agit? Sanè hoc verbum iuxta omnes Grammaticos, significat externi auxilij accessionem ad conatũ proprium, ita vt qui nihil conatur dici non possit adiuuari. Scripserat Apostolus 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id quod sum*, mox concursum seu collatam operam suam insinuat dicens, *Gratia eius in me vacua non fuit. Sed abundantius illis omnibus laboraui*. Rursus post illa verba

In Enchir. cap. 8.

verba *non ego autem* ſubtexuit, *ſed gratia Dei mecum.* Definiendum erat Deut.4. Quomodo inueniendus eſſet Dominus, Reſpondet Moyſes *cumq; quæſieris ibi Dominum Deum tuum inuenies eum, ſi tamen in toto corde quæſieris.* Populum ſuum introducere decreuerat Deus in terram promiſſam? Vtrum otiantem introduxit? Laborem, conatum, induſtriam, ab eo nullam exegit? Imò aſsiduè fuit ei dimicandum, aſsiduè connitendum, ac ne pugnante eo nihil non ageret Moyſes, conſcenſo monte etiam graues manus ad Deum attollebat. Sagittam feliciter iactam legimus, vtiq; non ab Heliſæo ſolo qui repræſentabat Dominum, ſed à Ioas Rege dum eius manibus ſuas Propheta ſuperponeret, cui vbi ad laborare deſtitit, viciſsim quieuit à concurſu vir Dei, & iratus contra illum

4.Reg.13.

ait, *Si percuſsiſſes quinquies, aut ſenies, ſiue ſepties, percuſsiſſes Syriam vſq; ad conſummationem.* Induſtriam noſtram vſq; eo requirit Apoſtolus, vt eius proportione bona illa æterna diſpenſanda non dubitet,

2.Cor.9.
Serm.15. de Verb. Apoſt.

qui parce ſeminat, inquit, *parcè metet.* Trita eſt illa Auguſtini ſententia, *qui fecit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te, fecit neſcientem, iuſtificabit volentem*, qui etiam libro 3. Hypogn. iumento comparat liberum arbitrium, & gratiam Dei ſeſſori, vt ſicut iumentum verè iter conficit, non conficeret tamen niſi à ſeſſore impelleretur ac dirigeretur, ita homo eſt qui ſalutem ſuam operatur, & operari iubetur, tantum abeſt otiari vt debeat: operari tamen nequiret diuina gratia deſtitutus. & præfat. in Pſalm.38. *Ille ſperat qui bonam conſcientiam gerit, quem verò pungit mala conſcientia retrahit ſe à ſpe, & non ſibi ſperat niſi damnationem. Vt ergo ſperet regnum habeat bonam conſcientiam, & vt habeat bonam conſcientiam, credat & operetur.* Ne Ethnicos plane Sileamus *cunctamini*, inquit, M. Cato apud Saluſtium, *alius alium exſpectantes, videlicet dijs immortalibus confiſi, qui hanc Rempublicam in maximis ſæpè periculis ſeruauerunt. At enim non votis muliebribus illorum auxilia parantur, vigilando, agendo, bene conſulendo proſperè cuncta cedunt, vbi ſocordiæ te atque ignauiæ tradideris nequaquam Deos implores.* Poterat quidem Deus cooperationem à nobis nullam requirere, ſed noluit, quia vna ex parte dum exigitur, nihil eius gloriæ detrahitur, quandoquidem ipſius gratia fit vt ei adlaboremus, & ſic ei vni adſcribenda ſit tota noſtri laus operis, tota efficacitas; ex altera illuſtratur non

paru

Digitized by Google

parum eius bonitas, dum nos dignatur in cooperatores aſſumere, & conditio noſtra magno fauore beneficioque afficitur; multo tandem iucundior atque honorificentior futura eſt beatitas, quàm ſtrenui conatus & labores præceſſerint. *Labores manuum tuarum quia manducabis*, inquit Pſ. 127. *beatus es & bene tibi erit*, & Prou. 31. mulier fortis *quæſiuit lanam & linum, & operata eſt conſilia manuum ſuarum, plantauit vineam ſuam guſtauit & vidit quoniam bona eſt negotiatio eius. Manum ſuam miſit ad fortia & digiti eius apprehenderunt fuſum*, ecquit inde ſequitur? *fortitudo & decor indumentum eius, & videbit in die nouiſsimo. Surrexerunt filij eius & beatiſsimam prædicauerunt, vir eius & laudauit eam.*, & ſub finem dicit Agonotheta, *date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.* Non defuit ex profanis ipſis qui diceret:

Quod venit ex facili faciles ſegnesq; tenemus;
Quod ſpe quodq; metu torſit habere iuuat.

Charitas eſt virtus diuinitùs infuſa, qua Deus ſuper omnia & propter ſe diligitur, proximus verò propter Deum. Super omnia diligi debet, quia ſcriptum eſt; *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis.* Matth. 22. neque enim videri quis poteſt eum ſuper omnia diligere, qui ſic nõ diligit, nec viciſsim ſic diligere, qui non illum ex conſequenti diligit ſuper omnia. Cor, anima, mens, vires vſurpantur hoc loco vt ſynonima ad maiorem emphaſim, eandemque rem ſignificant, id eſt, amandi facultatẽ vt ſenſus ſit. Ita diliges Dominum Deum tuum, vt nihil antè, vel plus, vel æquè ac ipſum diligas. Ipſum ſuper omnia diliges, ipſi plura vel maiora voles bona, quàm vllis aliis rebus tibi placebit quod ſit omnipotens, immenſus, æternus, &c. quod ab omnibus religiosè colatur; quod in ſe habeat omne bonum, &c. Et quamuis vehementiorem & fortiorem amorem erga quaſdam creaturas in te ſis experturus (quod mirum non eſt, eo quod feruor iſte ſiue intenſio naturaliter pendet ab apprehẽſione fortiſsima boni amabilis; fortiſsima autem non ſolet eſſe niſi concurrente ad eam ſenſu; Deus verò quia ſubſtantia eſt ſummè ſpiritalis ſub ſenſum non cadit, ſecus amici, parentes, vxores & res aliæ ſublunares) haud tamen idcircò videri deſines illum ex toto corde, & ſuper omnia diligere, quandoquidem aliis omnibus carere malles quàm ipſo, & illas minus

horres quàm ipſum offendere. Diligendus eſt propter ſe, quia ſicut ſumma eius bonitas ab alio non eſt, ſed à ſe, ita propter alia minimè diligi debet, ſed propter ſemetipſam, quod innuens ſanctus Auguſtinus lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 10. ait *charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipſum, & ſe atque proximo propter Deum.* Eodem ſpectant verba illa S. Bernardi *cauſſa diligendi Deum Deus eſt.* Poſtulat tandem charitas, vt ſicut Deum, ita proximum propter Deum diligamus, quandoquidem imago quædam ipſius eſt quicunque proximus, eumque repræſentat. *Nolo pluribus immorari*, inquit idem S. Augſtinus, *nam ſi diligenter conſiderantur iſta duo præcepta, ita ex alterutro connexa reperiuntur, vt nec dilectio Dei poßit eſſe in homine ſi non diligit proximum, nec dilectio proximi ſi non diligit Deum.* At quomodo fieri poteſt inquies, vt diligatur ex toto corde Deus, ſi diligatur cum eo & proximus? An non diſtrahetur vis amoris ſi tendat in vtrumque? Facilis eſt reſponſio quam ſubminiſtrat nobis S. Thomas 1. 2. quæſt. 99. art. 1. ad 2. & 2. 2. q. 25. artic. 1 quandoquidem ſupponitur proximus non propter ſe diligi ſed propter Deum, ſubeſt vtrobiq; eadem ratio formalis amandi, ex qua cum metiendi ſint actus virtutum, ſit vt eiuſdem virtutis, id eſt, charitatis ſit diligere vnum & alterum, ſicut eiuſdem ſpeciei, & viſio qua videtur lumen, & qua videtur color ſecundum luminis rationem. Rurſus cum ex hypotheſi diligatur proximus propter Deum, voluntas vno eodemque motu amoris in vtrumque fertur, atque ita minimè diſtrahitur, nec in vtroque ſic amando anguſtias vllas patitur, ſecus eueniret ſi abſque vllo ad Deum reſpectu diligeretur.

In libro de dilig. Deo.

In lib. de fide & operib. cap. 10.

§. 2. Ne mirum aut incredibile tibi videatur, poſſe fidem, ſpem, & charitatem virtutes Theologicas religione eminentiores ab ea nihilominus imperari, & ad proprium eius finem hoc eſt ad colendum Deum ordinari. Pone tibi ante oculos ſecurim fabrilem; hæc profectò per ſe licet inuenta ad ſecanda ligna, nihilominus poteſt à milite in manus ſumi, & ad profligandas transferri hoſtes. Sic inquam poteſt Religio ad maiorem Dei gloriam actus virtutum illarum imperare, quod quidem facit eo ipſo quo voluntatem mouet ad eliciendos huiuſmodi actus interuenientibus earundem virtutum habitibus.

Fide, ſpe, & charitate coli poſſe Deum docet vniuerſim ſanctus

Digitized by Google

ctus Auguſt.lib.2. Retract.cap.63. vbi ait *ſcripſi librum de fide,& ſpe,& charitate.* Et infrà: *Vbi ſatis diligenter mihi videor eſſe complexus, quomodo ſit colendus Deus* Et in Enchir.ad Laur.cap.3. *Hic ſi reſpondero fide,ſpe,& charitate colendum Deum, profectò dicturus es breuius hoc dictum eſſe, quàm velis.*

Fide in primis coli poteſt Deus, quia magnus quidam Dei honor eſt, cum verax cogitatur, & fide dignisſimus in omnibus quę loquitur.hoc autem fit per fidem.Secundò,quia fundamentum eſt omnis alterius cultus, quia vt ait Lactantius *prius eſt Deum ſcire,poſterius Deum colere,* ſpecialiter autē fundamentum eſt orationis dicente Apoſtolo Hebr.11.*Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt.* *Lib.4.diuin.Inſtit. cap.4.*

Tertiò, ita ſentiunt ipſi aduerſarij vt Caluinus lib.1. Inſtitut. cap.2.n.2.vbi ait: *En quid ſit pura germanaq; religio,nempe fides cum ſerio Dei timore coniuncta.*

Quartò, qui refragatur Dei verbis quaſi falſis aut dubiis illum inhonorat, ergo ex aduerſo honore afficit qui non refragatur ſed credit, nulloq; negotio confirmatur hæc illatio ex verbis illis Numer.20. *Quia non credidiſtis mihi,vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël, &c.*

Sicut autem fide ipſa,ita etiam externa fidei confeſsione Deus colitur,idque probatur. Primò ex loco proximè citato,qui perſpicuè docet poſſe Deum à credente ſanctificari ſeu honorari coram hominibus; certum autem eſt hanc honorationem aliter fieri non poſſe, quàm externa profeſsione fidei.

Secundò, nulli Chriſti gloriam magis promouerunt quàm Martyres,nihil autem in martyrio elucet magis,quàm eiuſmodi confeſsio.

Tertiò,Caluinus ipſe in tota epiſt.1.in hoc verſatur,vt oſtendat eum qui eiuſmodi confeſsionem prǽterit cum depromenda eſt,peccare grauiſsimè in fidem &religionem,quod ipſum repetit in 2. & in alia de recta conuerſ.in Eccleſia.

Quartò,ſi valde inhonorarit patrem ſuum carnalem,adeò vt deberet ſecundum iura exhæredari,qui eum coram aliis negaret ac inficiaretur; quomodo non etiam Deum, ſi illum ſimiliter ſe noſſe abnueret.Quod ſi opus iſtud meritò irreligioſum creditur, reſtat ſanè vt oppoſitum ſit religioſum.

Quod ad spem, sicut fides directè atque ex proprio munere id solum spectat, vt hominem dicenti Deo firmiter assentiri faciat, non autem vt Deus honore inde resultante afficiatur, sed hunc religioni relinquit accurandum, quę ex proprio munere illum sibi obiicit, & ne desit voluntatem mouet, vt velit intermedia fide credere; sic spei in primis curæ est firmare mentē, ne dum media sectatur æternæ beatitudinis vndiq; septa difficultatibus animum despōdeat, sed planè confidat fore, vt si modo non desit ipsa sibi, ad beatitudinis illius portū esto arduissimum tandem aliquando aspirante Domino perueniat. Quod ad honorē qui in Deum redundat ex tali in ipsum confidentia, non ab illa propriè attenditur, sed ab eadem religione, quæ ne is desideretur, voluntatem quandoq; mouet ad sperandum, vt sic colatur Deus dum apprehenditur, vt promissor fidelissimus iuxta ac potentissimus, valens suos de omni tentatione eripere, & vbi transierint per ignem & aquam educere in refrigerium, & tam perfectè in integrum restituere, vt capillus de capite non pereat, vt denique in paucis vexati in multis benè disponantur, qui deniq; facientibus quod in se, non sit gratiam negaturus. Hinc facile est intelligere, quanto iurę actus spei inter eos quos religio imperat reponatur, quod si necdum tibi satis persuadetur, lege Num. caput 14. ex eo disces quod sicut puniti sunt, & promissam terram non intrauerunt, qui sperare noluerunt, se diuino adiutos præsidio fore hostibus omnibus superiores: ita ex aduerso, & contraria de caussa magnam mercedem reportarunt Caleb & Iosue, quia scilicet in Deo sperarunt, & sperando illius gloriam illustrarunt dicentes: *Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terram huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare. Recessit ab eis omne præsidium, Dominus vobiscum est, nolite timere.*

Restat charitas, quæ hoc ipso quo ex proprio munere facit, vt voluntas per dilectionis actum Deo velut summo bono vniatur, indirectè ac consequenter ad Dei conducit gloriam, quatenus tacita protestatio est summę bonitatis in Deo existētis. Quid itaque facit religio? voluntatem mouet, vt ad honorem Deo hac via conciliandum eliciat auxiliante charitate actum dilectionis, qui proinde à religione imperari rectissimè dicitur.

Secundò, si Caluinus in Instruct. contra Anabaptistas cap. 7. iura-

iuramentum Religionis actum eſſe ſcribit, quia ſouet mutuam inter homines dilectionem, quid dixiſſet de ipſa charitate, per quam formaliter Deus ipſe ſuper omnia diligitur, & ad hominem venit, & manſionem apud eum facit.

Tertiò, ad religionem reducitur actus ille quo Religio valdè illuſtratur, talis autem eſt actus dilectionis mutuæ (ac multo magis dilectionis erga Deum) nam cum videt mundus eiuſdem religionis profeſſores pacem & amorem inter ſe colere, facilè præſumit & interpretatur, effectum hunc eſſe verum religionis, manſuefacere ſolitæ illorum corda, in quibus habitat. Secus euenit, cum deprehenduntur mutuis flagrare odiis, & ſimultates exercere. Annotauit quod dico Concil. Baſil. in epiſt. ad Bohemos vbi ait, de charitate loquens. *Huius defectu virtutis videtur & blaſphematur paſſim religio noſtra Chriſtiana ab infidelibus, nec veram eſſe credunt, quam per tot ſectas hinc inde lacerari inſpiciunt. Quod tametſi verum ſit ſpectatis diſſidiis circa Religionis ipſius doctrinæq; capita, habet nihilominus etiam locum propter diuturnas illas ſimultates animorumq; diuortia, de quibus nunc agitur. Creduntur ſiquidem animi religione vera facilè manſueſcere, & in conſenſionem venire mutuam, velut in eo quod præcipuum eſt ſimillimi.*

Excellere Catholicos fide, ſpe, & charitate, ſic ad oculum demonſtro. Quod ad fidem, recipiunt in primis quodcunque Dei verbum, quo videlicet expreſsiſſe videri poteſt veritates omnes quas à ſe reuelatas à nobis credi voluit. Hoc verbum duplex tantum eſt, ſcriptum vnum quod aliter ſcriptura dicitur, alterum non ſcriptum, ſed viua voce & quaſi manu traditum, quod proindè traditionum nomine intelligitur. Vtrumque inquam recipiunt Catholici, iſtud quidem vt vltrò fatentur aduerſarij; illud verò, quia ſcriptura ſacra omnium iudicio ad ſummum complectitur 40. libros teſtamenti veteris, & quinque noui, vna cum 21. epiſtolis, & Apocalipſi. hos autem omnes recipiunt in Conc. Trid. Seſſ. 4. in decreto de ſcripturis canonicis. §. 3.

Secundò, credunt toto corde nec falli poſſe Deum nec fallere, impoſsibile eſſe mentiri eum, longè certiora cenſenda quæcunque dixerit, quàm quæ ſenſus noſter apprehenderit, ingentis piaculi habendum loco, ſi quis eius aſſertiones non dico repudiauerit, ſed cunctanter receperit vt dubias. Docentur enim quod tametſi ſcrupulus veræ fidei non aduerſetur, ſed cum ea

poſsit conſiſtere, eo quod non eſt iudi[illegible], ſed potius apparentia, & argumentum contra iudicium v[illegible]o iudicio, cum eadem tamen pugnare dubitationem, quæ licet hæreticum non conſtituat cum deeſt pertinacia, infidelem tamen conſtituit & denominat latè ſumpto nomine infidelis, vt definitur in cap. *dubius* de
Lib.8. de Trin. c.5. Hæret. & peccato mortali ſemper inficit dubitantem, niſi ſubita ſit & ſubreptitia, vndè negat S. Auguſt. in iis quæ fidei ſunt fas eſſe dicere *forte ſalua fide*, inquit, *licet dicere forte virgo Maria talem faciem habebat; forte autem de virgine Maria natus eſt Chriſtus, nemo ſalua fide Chriſtiana dixerit.* Breuiter nuſquam apud illos auditur narratis diuinis myſteriis, quomodo id fieri poteſt? quis hoc credat? ſed tanta ſimplicitate dicenti Deo quidlibet, fidem habent, vt ſtupori ob id ſint exteris, & eo nomine ab inſipientibus videantur iuxta illud
Iob.12. *deridetur iuſti ſimplicitas.* Et quemadmodum qui verè diligit non terretur proſtratis amici rebus, ſed tunc maximè amorem prodit ſuum, nec grauia queritur à ſe po[illegible]i, ſed ea præcipuè ſibi gratulatur, vertitque ſeſe in omnen[illegible]tem, vt præſtet obſequium: Ita nec commouentur credendarum arduitate rerum, ſed tales maximè gaudent occurrere, in quibus ſibi liceat præclarum fidei ſuæ ſpecimen dare, & dando Deum honorare, qui cum poſſet ea quæ per fidem obſcurè cernimus, in hac etiam vita elucidare, caligine tegi voluit, vt probaret nos, tantumne ei tribueremus, vt veriſsima eſſe crederentur quæ pronuntiat, eſto planè ardua, & à ſenſibus remotiſsima.

Tertiò, ne vnquam errare contingat in amplectendis tanquam de fide, quę de fide non ſunt, adhęrent immobiliter in omnibus definitioni Eccleſiæ, quam §.1. veram ac ſolam fidei regulam eſſe demonſtrauimus. Ne rurſus in Eccleſia ipſa deligenda fucum patiantur, ac forte adulterinæ dent nomen, attentiſsimè conſiderant quænam illa ſit in quam Eccleſiæ veræ proprietates omnes conueniunt, atque huic vni deprehenſum in membra ſeſe offerunt. Exempli gratia vna ex huiuſmodi proprietatibus eſt antiquitas, vt ibidem oſtendimus, id eſt, interrupta à Chriſti & Apoſtolorum tempore ad noſtra vſque duratio: ſic autem duraſſe Eccleſiam ſuam ſiue Romanam probant clariſsimè prolata ſerie continua Romanorũ Pontificum, à B. Petro vſq; ad Paulum V. qui hoc noſtro tempore in illius ſedet cathedra. Eſt autem hęc ſeries.

Petrus

Petrus,Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Euariſtus, Alexander, Sextus, Theleſphorus, Siginius, Pius, Anicetus,Soter, Eleutherius,Victor,Zepherinus,Callixtus, Vrbanus, Pontianus, Anterus,Fabianus, Cornelius, Lucius, Stephanus, Sixtus, Dionyſius,Fœlix,Euthychianus, Caius,Marcellinus, Marcellus,Euſebius,Miltiades,Sylueſter,Marcus, Iulius, Liberius, Fœlix, Damaſus, Siricius, Anaſtaſius, Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Celeſtinus, Sixtus, Leo, Hilarius, Simplicius, Fœlix, Gelaſius, Anaſtaſius, Simmachus,Hormiſda, Ioannes, Fœlix, Bonifacius, Ioannes,Agapetus,Siluerius,Vigilius, Pelagius, Ioannes, Benedictus, Pelagius, Gregorius, Sabianus, Bonifacius, Bonifacius, Deusdedit,Bonifacius,Honorius, Seuerinus,Ioannes, Theodorus,Martinus Eugenius,Vitalianus, Adeodatus, Domnio, Agatho,Leo, Benedictus Ioannes, Cuno, Sergius, Ioannes, Ioannes Hyginius,Conſtantinus,Gregorius,Gregorius, Zacharias, Stephanus,Stephanus,Paulus,Conſtantinus, Stephanus,Adrianus, Leo, Stephanus, Paſchalis, Eugenius, Valentinus, Gregorius, Sergius,Leo,Benedictus, Nicolaus, Adrianus, Ioannes, Martinus, Adrianus, Stephanus, Formoſus, Bonifacius, Stephanus, Romanus, Theodorus Ioannes, Benedictus, Leo, Chriſtophorus,Sergius Anaſtaſius,Lando, Ioannes, Leo, Stephanus, Ioannes,Leo,Stephanus,Martinus,Agapetus, Ioannes, Leo, Benedictus,Ioannes,Domnus,Benedictus,Bonifacius, Benedictus,Ioannes,Ioannes,Ioannes,Gregorius,Sylueſter,Ioannes,Ioannes, Sergius, Benedictus Ioannes, Benedictus, Ioannes, Gregorius, Clemens,Damaſus, Leo Victor, Stephanus, Benedictus, Nicolaus,Alexander,Gregorius, Victor,Vrbanus,Paſchalis, Gelaſius Callixtus,Honorius,Innocentius,Celeſtinus, Lucius,Eugenius, Anaſtaſius,Adrianus,Alexander, Lucius, Vrbanus, Gregorius, Clemens, Celeſtinus, Innocentius, Honorius, Gregorius, Celeſtinus, Innocentius, Alexander, Vrbanus, Clemens,Gregorius, Innocentius Adrianus,Ioannes,Nicolaus,Martinus, Honorius, Nicolaus,Celeſtinus,Bonifacius,Benedictus,Clemens,Ioannes, Benedictus,Clemens,Innocentius, Vrbanus Gregorius Bonifacius,Innocentius,Gregorius,Alexander,Ioannes,Martinus,Eugenius,Nicolaus, Callixtus, Pius, Paulus, Sixtus, Innocentius, Alexander,Pius,Iulius, Leo, Adrianus, Clemens, Paulus, Iulius,

Mar-

fuerit vt in actione myſterij ſacri diceretur, *ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam, &c.* Proferant in ſpecie Nouatores aliquod doctrinæ caput, quod à prædeceſſore damnatum à ſucceſſore fuerit pugnatum. Haud dubiè tam parum id faciunt, quàm parum cõueniunt de tempore, in quo ſucceſſores deflexiſſe prætendunt à doctrina Maiorum. Rurſus tam parũ id facturi ſunt, quàm omnes, hoc eſt, & ſucceſſores & anteceſſores illi ſunt iidem cum vno tertio, & ad amuſsim conueniunt cum œcumenicis Conciliis celebratis intra quinque prima ſecula: quàm rurſus alienum eſt à diuina prouidentia pati, vt ab aliquo Vicario ſuo grex totus in errorem inducatur; quàm denique incredibile eſt ſic dormitaſſe totum hunc gregem per annos mille, vt eiuſmodi præteritum errorem nunquam deprehenderit, minus adhuc Authori ſuo obiecerit. Tolerabilior eſſet minusq; ſuſpecta accuſatio, ſi Catholicam Eccleſiam vnius vel alterius duntaxat erroris inſimularent; nunc autem cum in tot prolapſam contendant, dictis ſuis fidem adimunt, non ſecus ac in iudicio actor, ſi reum quem multo tempore fateatur integerrimis fuiſſe moribus, mox traducat vt omni ſcelere coopertum, vt homicidam, adulterum, perduellem, plagiarium, ſycophantam, hæreticum, ac publicum graſſatorem. Nam vt inſolens minimè ſit à tanta virtute ad aliquod tranſire vitium, in tot tamen proruiſſe, exiguam vel potius nullã ſpeciem habet veritatis. Taceo quod dum errores in Eccleſiam irrepſiſſe contendunt ſectarij, multum cauſæ ſuæ officiunt, quatenus vitare non poſſunt, quin ſcripturas ſacras corruptas habere conuincantur. Siquidẽ quas habent, ab Apoſtolis acceperunt per intermedios illos Pontifices, qui errorum illorũ authores fuiſſe dicuntur, quiq; ſi verè aliquos inuexerunt, iis vtiq; ſcripturas illas accommodarunt, ꝙ abſq; earum corruptela fieri nõ potuit. Aut ſi dicantur non fuiſſe permiſsi à diuina prouidentia corruptelas illas inducere, cur non etiam, immò potiore iure dicamus obſtitiſſe diuinam prouidentiam, ne in errores illos inciderent? quæ impedire voluit ac potuit malum poſterius, cur non etiam prius? At nonne Liberius ſiue Libanius Papa ſubſcripſit Arianiſmo in Synodo Ariminenſi, cui è cõtra ſemper repugnauit Iulius primus eius Anteceſſor? Reſpõdeo, nunꝙ ſubſcripſit Arianiſmo, ſed tantum vi metuq; adactus conſenſit in relegationẽ S. Athanaſij,

licis, vt S. Benedicto, S. Antonio, S. Hilarioni, &c. tam per se quam per satellites suos, vt infideles ac veneficos satis est exploratum. Item impugnatio penè continua temporalium Principum partim Romanorum, Gothorum, & VVandalorum, partim Mahumetanorum. Item impugnatio Hæreticorum, vt quondã Arianorũ, & hac tempestate Pseudo-euangelicorũ, quos certè dixeris collegisse superiorum omnium sęculorum rabiem, vt illam in Catholicos sibi coæuos conuerterentur. Verùm non hæc sufficiunt, vt illos faciant despondere animum. Norunt circumferre se imbecillé naturã, sed simul se omnia in eo posse, à quo cõfortantur. Insultus sentiunt carnis & cupiditatum suarum, verùm vna secum reputant quod scriptum est, *sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Genes. 4. Vident in arduo sitam religionem Catholicam, sed minimè terrentur cum attendunt, etiam pueros & puellas diuina fauente gratia constanter mortem oppetiuisse, qua nihil vel altius in eadem religione assignari potest, vel formidabilius. Grauissimas dœmonis insidias ac impressiones imminere sibi non dubitant, pergunt nihilominus bono esse animo, cum scriptum recordantur, *resistite Diabolo, & fugiet à vobis.* Iacob. 4. Aequè parum fugit eos, obnoxios se esse continuis Turcarum & Nouatorum molitionibus, interim tamen more suo Deo seruire insistunt, cui facillimum esse norunt, omnes illorum conatus dissipare, atque etiam in caput conuertere. Quod si fieri non videant, quia fortè sibi non expedit, confidunt tamen se per patientiam fore aspirante Deo malis omnibus superiores, & pro certo credunt illos, sicut & auos suos in fumum tandem abituros; *neque enim adulterinæ plantationes dabunt radices altas, aut stabile firmamentum collocabunt.* Sap. 4.

Restat charitas cuius & magna apud illos sunt exempla, & argumenta plurima. Primò, docent Deum amandum & amari posse propter se super omnia, seu ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, ex omnibus viribus, & proximum propter Deum. Secundò, charitatem esse reginam virtutum omnium, & tàm fide quàm spe longè superiorem, multoque magis quàm illas in iustificationem nostram influere. Tertiò, quia martyrium Dei causa susceptum potissima quædam est charitatis confirmatio, seriò admonentur, vt data occasione constantes illud & gratulabundi

bundi subeant, neque enim quidquam sibi posse fœlicius contingere, Martyres præcipua quædam membra esse Ecclesiæ; atque in cœlis singularem gloriæ coronam percipere. Qua doctrina mirum quam multi eius ardeant desiderio. Vnus S. Frãciscus inter alios in Syriam profectus est, vt ibi eius occasionem inueniret, ac saltem quæreret. Quartò, quia aliud quoddam eius signum est diuinorum obseruatio mandatorum, dicente Domino, Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me*, docentur omnes teneri quemlibet ad illorum obseruationem, nullam in iis fingendam impossibilitatem, sed miram quandam
1. Ioan. 5. facilitatem, cum mentiri non potuerit qui scripsit, *mandata eius grauia non sunt*. Quintò, quia charitatis proprium est non peccare, & vt loquitur Apostolus non agere perperam, instituuntur omnes vt mori potius, quàm peccatum vnum etiam ex minimis quę venialia appellantur, committere, ne quidem mundi totius lucrandi gratia vnum tale perpetrandum. Sextò, quia ad eandem pertinet perditum proximum recuperare, non eis sufficit in Europa in eius salutem incumbere, atque vt saluus fiat omnes ei occasiones dare, verbo, scripto, exemplo, conuersatione, moribus, exhortatione, institutione, consilio; sed etiam in vtramque Indiam ad gentes natione barbaras emenso Oceano se conferunt, vbi & Dei gloriam fidemque annuntient, & miseras animas à tenebris ad lucem, ab Orco ad cœlum reuocent. Septimò, quia odio habere aliquem cum charitate pugnat è diametro, nihil non agitur quò eiusmodi odium ab Orthodoxorum cordibus abstrahatur, quod vt melius fiat, nolentibus illud deponere negatur tàm absolutio Sacramentalis, quàm Ecclesiastica sepultura.

§. 4. Apud Mahumetanos autem, neque fidem vllam veram inuenias neque spem aut charitatem. Non fidem, nam cum agnoscant tam in Aso. 1. quàm in 12. Christi Euangelium esse verbum Dei, sic enim prima loquitur, *tu fidem Creatoris pradica, persuadens vt legibus Moysi & Christi firmam fidem adhibeant*, sic vero duodecima; *Euangelium via est recta timentibus Deum*, quæ tamen in Euangelio continentur non credunt, v. g. Christum esse filium Dei, saluari posse homines per Christum solum, Christianam fidem duraturam vsque ad mundi

finem,

Digitized by Google

finem, nec ei legitimam vllam aliam successuram, non licere ex rapto viuere, aut vxores habere plures, &c. Contrà loco verę fidei infinitis nugis assentiuntur, nullo vero Dei verbo subnixis, vt cum dicunt, creatum Adamum Deus erexit supra pedes suos, & tunc eius caput pati cœpit vertiginem, & tanquam arborum folia flante vento agitari, audiuitque à Deo hunc ventum flantem iudicium esse Prophetarum, ex quibus proditurus esset Mahumetus. Simul autem accepit in facie splendorem, quem cum ventum esset ad generationem Seth, transmisit in Euam, & Eua in Seth, & prodiit Seth sine socio, cum tamen prius Eua gemellos peperisset. Vestiuit autem Deus Seth veste rubra, qui sic vestitus ab Adamo moribundo luminis audiuit mysteria, nempè quod in posteros suos esset lumen transfusurus, quousque veniret Mahumetus. Ad quod scripto stabiliendum descendit de cœlo Gabriel cum 70000. Angelorum. Ventum tandem est vsq; ad Chaidar Ismaëlis filium, cui dixit Angelus da scripturam Iacob filio Isaac, quod cum fecisset Chaidar ab Angelo reprehensus est propter tam facilem obedientiam, & in pœnam eius animam idem Angelus eduxit per auriculam, eius tamen filio lumen illud reliquit, fecitque vt successiua traductione duraret vsque ad Mahumetem, qui natus est 12. Februarij, & tunc proiectus in mare Diabolus, sed post 40. dies è mari emersit cum sociis. Eo nato obtulerunt se venti & nubes, & aues, & Angeli, vt eum educarent, ad quod munus cum admissi non essent Angeli, recesserunt irati. Posteà tamen venit vnus Seraphin, qui educauit illum per triennium, & post illum Gabriel per annos 39. Anno autem 40. dedit ei Alcoranum, eumq; vectum iumento cui nomen Alborach deduxit in cœlum, vbi potestatem accepit flamma ferroque vrgendi homines legi suæ non se vltrò accommodantes.

Postell in lib. de Rel. Turc.

Secundò cum fidei proprium sit ardua credere, nihil vnquam credere voluit Mahumetus cum suis, quod alienum valdè sit à sensibus & communi vsu. v.g. mysterium sacrosanctæ Trinitatis; quam vt valdè impugnaret, continuo suis insonuit vnicum esse Deum; ac si vnitati diuinę essentiæ obstaret Trinitas personarum; Item mysterium incarnationis filij Dei; neque enim assequi poterat, quomodo qui prius esset Dei, cœpisset esse filius hominis, nec tamen qui prius erat esse desiisse. Itaque in Aso. 13. & 19. hanc

 incar-

incarnationem falsè ridet. Item mysterium passionis mortisque Dominicæ. Namq; indignum similiter ratus tantum Prophetam in crucem agi, non factum credidit, quod vt fieret non decere iudicauit. Hinc Iudam vel Simonem Cyreneum, vt quondam Isaacco arietem, ei mortem subituro suffectum fabulatus est.

Secundò spe carent, quia fide vera sunt destituti, vt proximè demõstratum est, sine qua impossibile est subsistere spem & charitatem. Haud dubiè vt fidei, sic spei obiectum est supernaturale: alterius autem vitæ bona non credunt esse supernaturalia, sed merè humana ac temporalia, venereas inquam ac spurcissimas voluptates.

Sed & alia quadam via expertes probantur esse veræ charitatis, videlicet quia obiectum illius præcipuum est Deus vt bonus: Deum autem bonitate sua spoliant, vt vidimus lib. 1. cap. 5. §. 4. obiectum autem minus præcipuum est quicunque proximus, etiam ille, à quo iniuriam acceperis, tum quia Deus de diligendo proximo legem ferens restrictionem nullam apposuit; tum quia quod iniuria te affecerit, non idcircò imago Dei esse desinit. illi autem ipsissima lege sua iubentur odio habere inimicos. Sic enim loquuntur Aso. 19. 52. & 70. *inferentem vobis iniurias, vos similibus pœnis afficite. Nemo vir bonus deprecetur pro incredulis. Vindicans se post iniuriam acceptam nequaquam reus existit. domos vestras auferentem nullatenus diligatis.* Nempe quid mirum si inimicos sic insectentur, quibus ludus est ipsismet amicis ac benefactoribus exitium afferre? Exemplum Mahumeto 2. percharus fuit Bassa Moyses, sicut etiam Thursinos germanus filius, quem tamen octodecim tantum annos natum, vel vt scribunt alij sesquiannum, amore in capitale odium commutato, allidere ad saxum voluit, hoc primum. Superuenit Moses, authorque fuit, illum vt in balneo potius suffocaret, quàm allideret, quod & fecit. Nonne præmium merebatur infœlix hic Bassa, aut hoc scilicet mortis mitioris? ecce interim eiulanti Thursinis matri necandus est traditus, quæ trepidantem mox cultro impetiuit, cor transfixit, excerptum hepar canibus obiecit. Idem Mahumetus Chalim tutorem fidelissimum ac prudentissimum, de quo dixerat ei Amurathes pater morti proximus, *illum non secus obseruabis & audies quàm si pater esset* è medio de repente sustulit. Alium quendam cuius opera magnis semper in rebus

Cuspin. in Vita Mahum. 2.

rebus vsus fuerat, post lautissimum conuiuium donauit 50000. aureorũ, sed ita vt statim in furorem versus prostratum pedibus calcauerit, & fuste vlmeo ad lassitudinem vsque tamdiu pulsauerit, donec miser ille tantum non mactatus lachrymabili sæpius voce clamaret *gratias ago mi here.*

Nouatores similiter nec integram nec veram fidem habent. Alij vt Anabaptistę plurimi & Suenckfeldiani scripturam sacram eleuant: quam constat præcipuum esse veræ fidei armamentarium. Alij vt Caluinistæ & Lutherani traditionibus nullum dant locum, & tamen præter scripturam planè admitti debent, velut aliud quoddam veræ fidei promptuarium (de humanis Dei verbo contrariis non loquor, quales solas reprobat Christus Matth. 15. sed de Apostolicis) apertum siquidem testimonium perhibet illis Apostolus dicens: *Itaque fratres state & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem siue per epistolam nostram.* Ecce quàm clarè non commendat scripturam solam, sed etiam traditiones à scriptura differentes. Alibi sic loquitur: *Tu ergo fili mi confortare in gratia quæ in Christo Iesu. & quæ audisti à me per multos testes hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Easdem sic admittendas esse scribit Augustinus in epist. 118. vt hoc in dubium reuocare insolentissimæ dicat esse insaniæ. Irenæus autem lib. 3. cap. 2. *Prouocamus eos ad eam traditionem, quæ ab Apostolis per successiones Episcoporum in Ecclesiis custoditur.* Tertullianus doctissimus & antiquissimus Ecclesiæ scriptor toto libro de præscriptionibus aduersus illos disputat, qui nihil nisi quod literis sacris expressum erat, recipiebant. Homines sanè quorum moribus accommodare se consueuit diuina sapientia disponens omnia suauiter, præter leges scriptas multis non scriptis æquè niti solent. hinc illud l. 4. de legib. ff. *quæ longa consuetudine probata sunt, ac per annos plurimos obseruata, non minus quàm ea quæ scripta sunt iura seruantur*, & l. 31. *cum ipsæ leges non alia ex causa nos teneat, quàm quod iudicio populi receptæ sint, merito & ea quæ sine vllo scripto populus probauit, tenebunt omnes.* Nihil dubium quin docendi modus qui fit viua voce, & vetustior illo sit qui scripto continetur, & certior atque præstantior. Vetustior quidem, quia illo vsus est Deus in erudienda Ecclesia sua, totis tribus primis annorum millibus, quot scilicet fuerunt à mundi exordio vsque ad Moysem: præstantior verò, quia vt scribit Hieronymus in præfatio-

§. 4.

2. Thess. 2.

2. Tim. 2.

Digitized by Google

fatione generali *habet nescio quid latentis energia viua vox*, maior item dignatio est loqui ad aliquẽ ore proprio, quàm scribere, & cum omnes sint viuæ vocis percipiendę capaces, quid sibi velit qui loquitur certiùs intelligunt. vnde nec olim Pythagoras quidquam scripsit, nec Socrates, sed neque Christus supremus doctor, quem voluisse, vt ab aliis quæcunq; dixerat in scripta referrentur, nullo potest argumento demonstrari; & quisquis hoc asserit vel id ex se fingit, vel traditione nititur, affirmans quod non potest scriptũ ostendere. Quid plura? ipsimet traditionum impugnatores non paucas admittunt, verbi gratia, colendum diem dominicum, paruulos baptizandos, idque in templo & concionis duntaxat tempore, vtendum hac forma inter baptizandum, *ego te baptizo, &c.* communicandum manè, & ieiuno rectoque corpore, adhibendos suscriptores in baptismo, in diebus ieiunij fas esse vesci carnibus, fas esse ministro seipsum communicare, denuntiandum matrimonium priusquam celebretur, scripturam quę sacra dicitur esse verè Scripturam sacram, symbolum Apostolorum conditum esse ab Apostolis, hæc verba, *hoc est corpus meum*, nihil aliud sibi velle quàm *hoc est signum corporis mei, &c.*

Atque vtinam hi, qui scilicet repudiatis traditionibus scripturam solam recipiunt, totam saltem reciperent. sed non ita fit, nam Lutherus nec librum Iob recipit, nec Iacobi epistolam; Caluinus nec libros Iudith, Hester, Ecclesiasticum, & Danielis partem; nec libros Machabæorum, quos tamen æquè ac cæteros esse Dei verbum Catholica docet Ecclesia, cuius hac in parte authoritatem si velint contemnere, cæteros quoq; libros reiiciant necesse est, quippe quos sacros esse ab ea sola didicerunt. Nam dicere cum Caluino lib.1. Inst. cap. 7. §. 4. & 5. id se didicisse ab arcano spiritus testimonio; constituere est spiritum particularem regulam fidei, quod quam sit iniquum & periculosum ex ipsomet Caluino demonstrauimus §. 1.

Ad hæc iuxta sua principia fidem habere non possunt, qui iuxta eadem libero sunt arbitrio destituti, quod profectò arbitrium necessarium est, vt credamus, siue quantum ad exercitium *2.2. quæst. 5. art. 3.* actus, siue quantum ad specificationem, vt docet S. Thomas, & patet quia passim arguuntur, qui non credunt ergo potuerunt credere, & obiectum seu motiuum credendi non est euidens, esto sit

Digitized by Google

sit certissimum, itaque in nobis situm est inobedientiam credere vel non credere.

Item ne quidem omnia credunt contenta in scripturis quas recipiunt, sed quędam eo nomine reiiciunt, quod sensu non percipiantur. v. g. Caluinus transsubstantiationem cap. 4. Inst. cap. 17, num. 15. quia inquit *nullus in litera oculus testis est*, vt meritò eos tangat illud August. lib. 16. contra Faustum cap. 3. *in Euangelio creditis quod vultis, quod non vultis hoc non creditis.*

Item, loco veræ fidei habent stultissimam, quatenus certò præsumunt omnes se prædestinatos ad vitam æternam, quam præsumptionem euincimus §. 1. adeò non esse veram fidem, vt è contra diuinis literis, & rectæ rationi è diametro opponatur.

Item, cum formidine credere sacramentarios ex eo liquet, quòd sacramentis vtantur, eaque sibi data dicere soleant, ad fulciendam fidem, quid verò fulcris indigeret, si constans firmaque existeret?

Item, solidam nullam habent fidei regulam, talis siquidem alia esse nequit vt nos docuit §. 1. quàm vera Christi Ecclesia, cuius notam vnam certissimã inter alias esse ostendimus, si à Christi tempore hucusque continuam durationem habuit. Cum itaque sola Catholica siue Romana sit quæ talem nacta est, se autem credere nolint definienti, quæ de fide sunt, patet quod solida ac vera fidei regula destituuntur. Probatum quidem est inuies, Catholicam Ecclesiam hucusq; substitisse, sed non solam. Verum audi, sicut triticum & zizania paris durationis esse non possunt, sed solum triticum à principio sationis ad messem vsque durat, zizania autem posterius emergunt; ita Ecclesiæ duæ quarum vna vera, falsa altera simul non sunt, sed vna existente ab initio, necesse est ætate minorem esse alteram. Quare cum Catholica fuerit ab initio, sequitur posterius emersisse pseudoeuangelicam. Sed fingamus hanc quoque esse vetustissimam, ac veram Christi Ecclesiam; nihilominus cum eandem causentur errori esse obnoxiam, ne quidem illam audientes solida fidei regula dicentur vti. Dixi fingamus, quia reuera vetustissima non est, nec fuisse & ad nostra vsque tempora continuo durasse, potest ostendi. Nam inuisibilem quandam prætendere, constantem scilicet hominibus quibusdam superiorum sæculorum, qui cum in ar-

cano cordis eandem quam Lutherus v. g. vel Calninus doctrinam, fidem, ac religionem amplectebantur, exteriùs tamen non prodebant, nec internum illum affectum suum mundo & historicis patefecerunt. Talem inquam prætendere egregiè somniare est,& intolerabili cum impudentia id defendere,quod omni caret veri specie. Vnde obsecro probare possunt huiusmodi aliquos præextitisse? si nulli obseruati sunt ab historicis, & aliis qui tunc viuebant ,qua veritate gloriari possunt ac dicere hodierni Nouatores tanto tempore posteriores, se aliquos obseruare, & vnos potius quàm alios? omnes siquidem exterius eodem ritu viuebant, eandemque fidem profitebantur. Et quamuis aliqui inter Catholicos delituissent, aliam quàm impiam falsamq; Ecclesiam constituere non potuerunt, impiam quia Papisticis, vt vocant superstitionibus palàm & vltrò seruiebant; falsam verò, quia veraChristi Ecclesia non iacet in occulto,sed mons quidam est vt loquitur Isaias, imò ciuitas supra montem posita non valens abscondi, vt ad illam confugere possint fideles omnes, vt ad matrem filij.Itaque Tertullianus in libro de præscript.& August. aduersus Donatistas instanter petebant à sui temporis Hæreticis, continuam vt successionem Episcoporum suòrum ostenderent, vt cum id facere nequirent, non antiquissimæ sed recentis ac proinde falsæ Ecclesiæ membra esse conuincerentur. Qui Hæretici nunquam ad eam tergiuersationem recurrerunt (vtpotè nimis absurdam)vt prætexerent Episcopos & fideles aliquos suæ sortis in ætate quauis superiore delituisse.Tandem si antè Lutheri exortum extabant aliqui consimilis professionis ac fidei,quomodo ex tenebris, ex antris suis erumpentes non se exorienti coniunxerunt?simile namque vt est in prouerbio, Deus ducit ad simile,& pares cum paribus facilè congregantur. At ne vnus quidem se coniunxit, qui priùs idem quod ille crederet,sed tantùm postquam ab illo vel eius emissariis fuit institutus.

Item de externa fidei confessione parum aut nihil sunt solliciti, præsertim Caluinistæ, vtpotè quam volunt nec quicquam conferre ad Dei cultum, nec ad iustitiam, & salutem propriam. non ad Dei cultum,quia Deum coli externis rebus negant,ob id enim contendunt ceremonias huiusmodi cultus partē non constituere,& toties vsurpant illud Ioan.4. *pater tales quærit qui adorent*

eum

tum in spiritu. non ad iustitiam & salutem propriam, quia hanc integrè pendere ac peti volunt ab interno actu fidei, seu insanæ illius præsumptionis, qua prædestinatos se esse gloriantur. Ita fit vt credentes in tuto esse sua omnia. esto coram hominibus professionem suam dissimulent, vltrò ad hanc dissimulationem confugiant, præsertim si aliâs vitam & fortunas suas in discrimen adduci sentiant. Accedit Caluini doctrina in epist. 1. & 2. de Christiani hominis officio, vbi monet suos qui imbecillitate naturæ, & metu aliquo impulsi sacra nostra frequentare solent, atque ita fidei suæ confessionem externam prætermittere, non ob id despondere animum, aut se à Christi regno alienos arbitrari, modo ita in frequentatione illa perseuerent, vt tamen in mente fidem retineant, & de peccato illo veniam à Deo petant. Huc refer quod paulò ante dicebam de præterita illorum inuisibili Ecclesia, quomodo totis mille annis delitescendo, fidem illam suam & in ea Christum negauerit coram hominibus. Aequè parum valent spem veram sanctamq; concipere. Clarum est quod dico in Anabaptistis, quandoquidem docent peccata in Spiritum sanctum prorsus esse irremissibilia, cum ergo peccati cuiusque remissio partiale sit obiectum veræ spei, vtpotè medium necessarium ad Deum tenendum & possidendum, non potest apud illos integra veraque spes consistere. Sed & in aliis locum habere ostenditur hoc modo. Veram fidem non habent, vt proximè declarauimus, ergo nec spem veram. Probatur consequentia, quia fidem fundamentum esse spei agnoscit Caluinus ipse his verbis. *Fides fundamentum est cui spes incumbit, spes fidem alit ac sustinet. Vt enim expectare à Deo nemo quidquam potest, nisi qui prius eius promissis crediderit ita rursus fidei nostræ imbecillitatem, ne velut fessa concidat sustineri, ac foueri, patienter expectando, & sperando oportet.* Deinde spes vera ac debita cooperationem requirit liberi arbitrij, vt docuimus §. 1. illi autem liberum arbitrium negant, & quidquid boni in nobis vel à nobis fit, à solo Deo esse contendunt, ita vt passiuè potius quàm actiuè nos habeamus. *Lib. 3. Inst. cap. 2. n. 42.*

Eadem via ostendo nullum iis esse cum vera charitate commercium. Nam vera charitas supponit fidem veram, quâ illi destituuntur vt probauimus, & clarissimè patet, quia infinita negant, quæ sunt in scripturis manifestissima, verbi gratia, virtutem

reliquiarum, cum tamen ossa Helisæi contactu suo mortuum ad vitam reuocauerint 4. Reg. 13. & potestatem in Ecclesia remittendi peccata, cum interim dilucidè scriptum sit Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, & veram corporis Christi præsentiam in Eucharistia; cum nihilominus illum apud tertium Euangelistas & Apostolum vocauerit corpus suum dicens, *hoc est corpus meum, &c.* Et inter ea quæ scripturis diuinis contenta recipiunt, quædam nolunt fidei certitudine credere, vt antè paucos annos in Lutheranis Ratisbonensibus videre fuit, qui in publica cum Catholicis doctoribus disputatione ridebant, quod fide credendum dicerent Tobiæ fuisse canem, & in reditu cauda adblanditum, cum tamen id expreßè testentur diuina eloquia, quis eos credat talia, & tam multa negantes vera esse charitate præditos, de qua ait Apostolus 1. Cor. 13. *charitas omnia credit?*

Tob. 11.

Secundò, Deum summa bonitate exuunt (à qua vna habet, vt summè atque ex charitate sit diligibilis) eo ipso quo illum intendere docent perditionem reproborum, à qua profectò intentione procul abest summa bonitas. Itaq; esto verum esset quod minimè est, se ab illo præstinatos ad vitam æternam, adhuc tamen iuxta hoc suum nefandum pronuntiatum, nec illum deberent, nec possent summè diligere, sed magis odio prosequi, esto sibi ipsis vtilem. non secus ac Reges qui verè sapiunt, proditionem quidem amant sed non proditorem, & iudiciosi Tyrannorum parasyti sic illos sibi vtiles gratulantur, vt interim in abscondito cordis detestentur velut in populum innocentem iniquißimos & crudeles.

Tertiò, qui diligit, non solum dilecti leges ac petitiones exequitur sed etiam faciles putat, sectarij autem Dei legem impoßibilem vocant; qua opinione substante tam parum fieri potest, vt ad illam implendam se comparent, quàm vt impoßibilia alia sibi nota aggrediantur.

Quartò, qui verè diligit, præceptis non contentus, ad ea etiam sese accingit, quæ tametsi amicus non postulet, illi grata fore arbitratur. Cum ergo Nouantes reprobant, quæ à Deo præcepta non sunt, & supererogationis opera appellantur, satis vtiq; conuincuntur nihil aut parum amare Deum.

Quintò,

Quintò, vera charitas propter Deum amat proximum, & amando facilè portat illius infirmitates. *Charitas*, inquit Apostolus 1. Cor. 13. *omnia suffert, omnia sustinet*, idem de eiusdem lege verba faciens ait, *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Quare si aliquid virtutis huius in pectore habuissent Nouatores, nunquam Catholicorum defectus tam inuidiosè insectati fuissent, Clericorum præsertim quos oportebat propter sacram dignitatem ad quam assumpti erant, singulariter revereri, posito antè oculos quod scriptum est, *qui maledixerit Patri & matri morte moriatur.* Tantum verò abest vt in hac parte sibi frænum iniecerint, vt potius verbo scriptoque defectus illos in orbem vniuersum quantum per potestatem licuit, euulgauerint, facientis de paruis maxima, & vt in prouerbio est de muscis Elephantos, & quod quorundam erat proprium, ad ordinem totum Clericalem extendentes. ô iniquitatem! ô intestinum odium! Exod. 21. Leuit. 20.

Sextò, charitatis proprium est congregare, atque vnitate cõseruata in schismata & sectas non consentire, vnde Augustinus, *tu non habes charitatem, quia non modo non congregas, verumetiam quæ pretioso Christi sanguine congregata sunt ea dispergis, & pro honore diuidis vnitatem.* Et infrà: *Videte si ibi est charitas, tollis te ab vnitate orbis terrarum, diuidis Ecclesiam per schismata, dilanias corpus Christi, ille venit in carne vt colligat, tu ideo clamas vt spargas.* Quid autem magis fecit tam Lutherus, & Zvinglius, quàm Caluinus cum suis gregalibus, quàm prætextu errorum quorundam, & confictæ reformationis, ab Ecclesia nostra Catholica siue Romana se subtraxit, in qua baptizatus ac educatus fuerat, & post se conatus est abducere quotquot potuit discipulos? Haud dubiè sicut manus pro sua in corpus totum cuius membrum est, dilectione, si grauiter affectum pedem sentit vel oculum, nec se ab illo separat, nec illum à se, sed suauiter fomenta adhibet, quæ faciant medicinam: sic Caluinus si micam habuisset veræ dilectionis, nequaquam ad publicum schisma siue diuortium confugisset, quin potius retenta semper vnitate iugi oratione remedium à Deo corruptis moribus impetrare adlaborasset, hos mores suauibus monitis emendare accurasset, ad summum eosdem Satyris & aculeatis inuectiuis sanare tentasset, in genere potius quàm viritim, & curatis primùm propriis, quibus sic scatebat vndique, vt vstulatione publica apud Serm. 31. de Verb. Apost.

Nouiodunenses reprimi debuerint, propter quam non abs re vocatus est Doctor stigmaticus. Iam verò cum se neglecto Ecclesiasticorum quorundam vitia ad omnes extenderit, virulentis & maledicentissimis scriptis ad omnium aures detulerit, multis supra verum partibus amplificauerit, & quod mali est caput, iis offensus ab Ecclesia illa recesserit; charitate omni destitutus fuisse conuincitur; ac tanto magis eo nomine infamis & reprehensibilis, quanto distinctius negauit lib. 4. Inst. cap. 1. §. 12. 13. 14. 15. licere id facere, hoc est, Ecclesiam scindere siue ob mores quantumcunque deprauatos, siue etiam ob doctrinæ corruptelam: si quis id attentare præsumpserit, peccare eum in charitatem, Anabaptistam agere, multumque ab Apostolo discrepare, qui ab Ecclesia Corinthiorum non recessit, sed agnouit illam pro vera Christi Ecclesia, & in eodem Christo complecti perrexit, tametsi totum ferè corpus vrbis illius labes occupasset, nec vna esset peccati species sed plurimæ; neque leuia errata, sed horrenda quædam flagitia; nec sola morum corruptio sed doctrinæ. Ibi feruebant contentiones, sectę æmulationes, ibi lites vigebant & iurgia cum habendi cupiditate, ibi palàm approbabatur scelus, quod gentibus ipsis foret execrabile, ibi petulanter proscindebatur ipsius Pauli nomen, quem ceu Patrem colere debuerant, ibi quidam resurrectionem mortuorum ludibrio habebant, cum cuius ruina totum corruit Euangelium, ibi ambitioni non charitate seruiebatur, ibi permulta indecenter & inordinatè gerebantur. Hæc ille. Ita patet Nouantes meros esse Pharisæos, non solum quia Pharisæorum more certam sibi iustitiam arrogant, & præferunt se omnibus, sed etiam, quia segregarunt sese à Christi Ecclesia. Plures enim diuisionem significat.

Postremò qui sunt vera in Christum charitate præditi, nec illius doctrinam peruertunt, nec Euangelium in contemptum adducunt, nec quæ illius symbola sunt execrantur, sed ambiunt & colunt. Atqui idem Caluinus & Caluinistæ ista omnia faciunt, *quidquid in Christo est*, inquit, *eiusq; doctrina peruertimus, adeò sinistri sumus interpretes, deinde eo non contenti multa falsa arripimus, quæ Euangelij contemptum pariant.* (In cap. 6. Io.) Crucem Christi symbolum in ea quondam pendentis vbicunque repertam euertunt, confringunt, illudunt, nullo certè honore dignantur, in eadem latrones & homici-

micidas ſuſpendunt, vt ſcribit Guill. Roſſæus. lib. de iuſta Reip. Chriſt. authoritate cap. vlt. n. 9. Cum tamen ob reuerentiam Dominicæ illius, cautum ſit lege Conſtantini magni, vt patibula publica alterius formæ exiſterent.

De zelo actu ſecundo imperato & nota. 15. veræ Religionis.

CAPVT II.

§ *1. Zelus quid propriè ſit, & quæ eius munera.*
2. A Religionis virtute conuenientiſſimè imperatur.
3. Valde ſe prodit apud Catholicos.
4. Apud Alcoraniſtas non ſanctus ſed nequiſſimus eſt.
5. Sicut etiam apud Pſeudoeuangelicos.

QVANDOQVIDEM zelus effectus quidam amoris eſt, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. fit vt ſicut amari dupliciter res aliqua poteſt, primò amore amicitiæ, quando propter ſeipſam, vel ſi mauis, propter excellentiam propriam diligitur: Secundò amore concupiſcentiæ, quandò amans intendit per hunc amorem iucundè ſuauiterque frui re amata; ſic alius zelus eſt priori illi amori reſpondens, alius poſteriori. Zelus ex amore amicitiæ reſultans definitur: Vehemens animi motus, quo fortiter inſurgitur aduerſus id omne, quod amici bono repugnat. Atque ita zelare aliquis pro eo dicitur, quando, ſi qua dicuntur, vel fiunt eius vtilitati, famæ, vel honori contraria, repellere ea ſtudet: Qui verò ex amore concupiſcentiæ; Vehemens animi motus eſt, quo inſurgitur contra id omne, quod obſtat conſecutioni vel fruitioni quietæ ac perfectæ rei quæ diligitur. Et talis mirificè ſe prodit in maritis zelotypis, in ambitioſis, in corriualibus, in eiuſdem artis profeſſoribus: maritus ſiquidem & corriualis amant vxorem & fœminam propter quam zelant, amore concupiſcentiæ, ob idque adulterum vel conſortem

rem alium non ferunt, eo quod tali consortio impeditur perfecta quietaque illius possessio siue finitio. Idem de ambitiosis iudicibus; respectu communis eminentiæ quam ambiunt, deque artificibus, respectu communis & lucrosæ artis, quam profitentur. Vtroque amore prosequi Deum nobis licet, amore quidem amicitiæ vt patet, amore verò concupiscentiæ, quatenus præcisè diligitur propter æternam retributionem. Vnde & vtroque illo zelo incendi possumus. Illum tamen in præsentia missum faciemus, qui amorem hunc posteriorem consequitur, quia directè & formaliter honorem Dei non respicit, alius verò fertur totus ad illud promouendum, & iniurias contrarias propulsandas.

Huius munus primum est, Dei se seruum ingenuè constanterque profiteri, & paratũ ostendere, ad opponendum se cuilibet iniuriam in eum molienti, ac si opus sit, ad mortem eius causa subeundam. Cuius generis zelo succensus Iosaphat Rex Iuda, in causa Ioram Regis Israël dicebat, *ascendam, qui meus est tuus est, populus meus, populus tuus, & equi mei, equi tui.* 4. Reg. 3.

Alterum, iniuriæ Deo inferendæ actu sese opponere Machabæorum more fortiter propugnantium templum Domini, aduersus hostem eius capitalem Antiochum, more item Azariæ Pontificis ferre non valentis eiusdem Domini sacrificium à profano Rege offerri, cui ob id fidenter dixit, *non est tui officij Ozia vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium, egredere de sanctuario, ne contempseris.* Lib. 2. Par. cap. 26. Persimilis in suo genere fuit zelus fœminarum illarum Massiliensium, quæ cernentes charissimæ vrbis præsentissimum periculum, ad illud auertendum deficientibus funibus nauticis, sine quibus nec agi naues, nec resisti hostibus poterat, comas suas omni auro chariores ac pretiosiores demessuerunt, ex quibus necessarij funes contexerentur. Veget. lib. 4. Ille item S. Ambrosij, qui ratus quod erat in Dei cessurum iniuriam, si Theodosius immani Thessalonicensium cæde pollutus templum Domini antè actam publicam pœnitentiam ingrederetur, Mediolanum aduentanti, & ad sacram illam ædem contendenti extra illius vestibula obuiam processit, & intrepidè vetuit inferre pedem, his cum verbis affatus tametsi orbis Imperatorem, *quibus oculis intueberis* Theod. l. 5. cap. 17.

Digitized by Google

beris templum illius, qui eſt omnium Dominus? quibus pedibus ſanctum illud ſolum calcabis? qui quæſo manus iniuſta cæde & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiuſdem ſacroſanctum corpus Domini accipere? aut quomodo venerandum eius ſanguinem ori admouebis, qui furore iræ iubente tantum ſanguinis tam iniquè effudiſti? Recede igitur, & ne conare nouo ſcelere ſcelus antè editum augere, ſed capeſſe vinculum quo vt ligeris Dominus omnium cœlitus ſententiam dat. Ille denique præconum diuini verbi qui Apoſtolico more orbis extrema adeunt, vt iniuriam quæ ibi Deo fit auertant. Quæ enim iniuria maior quàm cum Satanas regnum ſuum ſtatuit, vbi olim regnauit CHRISTVS, & iure ſuo regnare debet? Vbi malignus ille Spiritus tot animas captiuas tenet, quas idem Dominus ſuo mercatus eſt ſanguine?

Tertium legitima vti poteſtate ad caſtigandos, qui reipſa Deum iniuria graui, aut ſanctos eius, aut res alias ad eum pertinentes afficiunt vel afferunt. Huius generis fuit zelus Chriſti flagello abigentis de templo nundinatores Ioan. 2. & Heliæ qui occidit in torrente Ciſon 400. Prophetas Baal, hocque zelo adſcripſit dicens, 3. Reg. 19. *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*, & Heliſæi qui 4. Reg. 2. maledixit inſultantibus atque illudentibus ſibi pueris, egreſsique ſunt duo Vrſi de ſaltu, & deuorauerunt eos. & Iehu qui cum Ioram peremiſſet ac Iezabelem vna cum 70. filiis impij Achab, dixit ad Ionadab 4. Reg. 10. *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.* Et denique S. Petri cuius iuſta indignatio interim accerſiuit ſupra Ananiam & Saphiram mentientes Spiritui ſancto, & fraudantes de pretio agri Actor. 5. & Mathathiæ qui 1. Machab. 2. iuſto furore incitatus inſiliit, & trucidauit ſuper aram in ciuitate Modin Iudæum Idolis ſacrificantem, & Phinees filij Eleazari qui ſimiliter pugione alium confodit ſcortantem cum Madianitide Num. 25. Quod ſi contingat defectu potentiæ, vel aliam ob cauſam non poſſe virum zelotem hanc vltionem exequi, dolet ei ſaltem iniuria illa Creatoris, aitque cum Propheta Pſal. 118. *Tabeſcere me fecit zelus meus quia obliti ſunt verba tua inimici mei*, & cum Apoſtolo 2. Corinth. 11., *Quis infirmatur & ego non infirmor, quis ſcandalizatur & ego non vror?*

Iam autem cùm zelus à charitate eaque intenſa proficiſcatur,

tur, charitas autem Religioni ſeruiat, ab eaque imperari poſsit, vt vidimus præced. c. quomodo non etiam zelus?

Secundò, zelotem ſe vocat Deus Exod. 20. quod magnam honoris ſibi debiti rationem habeat. Ad zelum ergo pertinet honoris illius tuendi augendique curam gerere, quod quidem maximè eſt à religionis partibus ſtare.

Tertiò, quare Phinees Numer. 25. ad exercenda Religionis munia, ſiue ad ſacerdotium aſſumptus eſt, niſi quia inſigni aliquo religioſo opere ea prærogatiua ſe dignum fecerat? Opus autem eius aliud non fuit vt proximè declarauimus, quàm zelus, ergo zelare vt par eſt, actus eſt religioſus.

Quartò, quorſum Ezech. 8. idolum vocatur zeli poſitum ad prouocandam æmulationem, niſi quia repugnans religioni, religioſi hominis zelum in ſe concitat? Religioni itaque ſeruit, & aduerſus contraria ſua defendit, qui zelat.

Quintò, nota ſunt illa Auguſtini verba in epiſt. ad Bonif. *quomodo Reges ſeruient Domino in timore, niſi ea quæ contra iuſſum Domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atq; plectendo?* Certum eſt hanc ſeueritatem zelo tribui, cum ergo vir tantus religioſam eam vocet, & ſeruituti Deo præſtandæ accommodatam, omninò ſeu ſit zeli actum à Religionis virtute ſi non elici, at ſaltem imperari. Cum item S. Gregor. in Pſal. 50. de zelo animarum ſcribat, nullum eſſe aliud tàm gratum Deo ſacrificium, ſatis innuit quãtum ad religionem pertineat, cuius præciquam quandam partem conſtat eſſe ſacrificium.

Hæc interim intelligenda ſunt de zelo diſcreto, & cum ratione conſentiente, alius namque pernicioſiſsimus ſolet eſſe, pluſque diuinum cultum remorari, quàm promouere. *Laudo*, inquit S. Chryſoſt. *quod fratrum doletis ignauiam, & admiror zelum; vellem autem nos zelum temperare miſericordia. Zelus enim veniam negans furor potius eſt, quàm zelus.* Addit Orig. in c. 10. epiſt. ad Rom. *Iudæi putantes ſe Dei zelum habere ſacrilegi extiterunt in filium Dei, quia non ſecundum ſcientiam zelati ſunt.* Aderit autem zelo modus, ſi vna ex parte legitima authoritate ſit præditus, qui eo vtens punit impios & ſacrilegos, vel actum alium exercet ſupponentem ſuapte natura iuriſdictionem. Vndè ipſimet Chriſto poſtquam zelo correptus eiecit de templo ementes & vendentes, dictum eſt, *in qua poteſtate hæc*

Homil. 4. in cap. 1. Matth.

Marc. 11.

Digitized by Google

hæc facis? & quis dedit tibi poteſtatem vt iſta facias? ex altera in ea caſtigatione intentionem ſibi rectam ſanctamque præſtituat, non priuatas iniurias eo facto Vlciſci quærens, ſed quibus affecta eſt diuina Maieſtas, & pœnam omnem dirigat in bonum ſacrilegi, vt ſcilicet plagis emendetur, & vel bonus euadat vel minus malus. Mira planè vis eſt intentionis in vtramque partem, ita vt ſi bona exiſtat, quandoque malum non ſit quod aliâs foret, vt cõcubitus Iacob bona fide agentis cum Lia nondum coniuge; è contra ſi mala bonum eſſe deſinat, & in malum tranſeat, quod alias bonum eſſet, vt eleemoſyna data pauperi fœminæ, vt per illam ad libidinem prolectetur.

Multis commendari zelum Catholicorũ facilè eſt oſtendere. §. 3.

Primò parati ſunt mortem ipſam pro auertendis Dei iniuriis oppetere, proque perrumpendis difficultatibus, quæ illius gloriam cultumque remorantur, nam cum has difficultates vltrò adeant, & per illas morti caput ſuum obiiciant vt mox dicetur, multò magis parati videri poſſunt ad ſtandum pro Chriſto fortiter, & vitam ipſam eius cauſa ſi opus eſſet, ſique inſtarent hoſtes profundendam. Mirificè illos in hoc caſu confirmat Eccleſia ne ruant, ſtimulat vt conualeſcant, hortatur vt fortes ſint in bello, certent bonum certamen, & contempto modico corruptibilis huius apprehendant vitam æternam; ſuggeritque illud S. Hieronymi, *iſtum zelum in nobis confirmet Chriſtus, vt pro fide eius ſanguinem voluntariè fundamus.* Dederunt certè illi plurima hoc noſtro ſæculo feruidæ huius charitatis & præparationis ſpecimina, vt inter alios Tomas Morus Angliæ Cancellarius, qui adeò imperterritus proceſsit ad mortem ſanguine ſuo Romanam obſignaturus fidem, vt quo alios eiuſdem aſſertores iniquitate iudicij conſternatos vtcumque animaret ac reficeret, aduerſarios verò confunderet, his verbis Ludens præmonuerit carnificem, *quandoquidem ita fert ſententia, præcide caput, ſed barbam caue, neq; enim vt hanc quoq; demetas, poteſtatem accepiſti; capitis ſolius facta eſt mentio.* Eidem cum in via blandiens filia, quam vnicam habebat, lenocinanter inſtaret Regis vt voluntati ſubſcriberet. *Recede Eua,* inquit, *ſiccine cui conſtantiæ gratulari debueras, hunc ab officij Chriſtiani ratione demouere tentas? recede, tanquam vna de ſtultis mulieribus locuta es.* Quo ſanè reſponſo probauit ſe de calice bibiſſe, cuius meminit Propheta dictus Pſal. 22. *Ca-*

In epiſt. ad Aprom.

lix meus inebrians quàm præclarus eſt, in quæ verba S. Auguſt. *hoc calice inebriati erant Martyres, quando ad paſsionem euntes ſuos non cognoſcebant. quid tàm ebrium quàm non agnoſcere vxorem flentem, non filios, non parentes, non eos agnoſcebant, & non eos ante oculos eſſe arbitrabantur. Nolite mirari quia erant ebrij; acceperant enim calices vnde inebriarentur.*

Secundò, manifeſtis Chriſti Domini hoſtibus, quem verum Deum eſſe probauimus lib. 1. c. 8. fortiter ſeſe opponũt, vt Iudęis, quos vix alij quàm Catholici profligaſſe leguntur, & Mahumetanis ad quorum vires retundendas, & recuperandã terram ſanctam, quã iniquè vt prouincias alias poſsident, nihil nõ egerunt Romani Pontifices, atq; ex recentioribus Pius V. Gregor. 14. Clemens. 8. Cæſarum noſtrorũ, & Equitem Melitenſium, ac Theutonicorum profeſsio, conſilium, manuſq; præcipuum eſt iis obluctari. Vt præterea Hæreticis Eccleſiæ Chriſti diſſectoribus, aduerſum quos verbis iſtis grauiſsimis eoſdem Cæſares impellit Moguntinum Concilium. *Ita enim Imperator eſt vas miſericordiæ præparatũ ad gloriã ſi vera cordis humilitate præditus culmẽ regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubiiciat, ſi magis in timore Dei ſeruire, quàm in tumore populo Dei dominari delectetur, ſi ornat benignitas poteſtatẽ, ſi iuſtitiam ſic teneat, vt miſericordiã non derelinquat; præ omnibus ſi ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ meminerit filiũ, vt eius paci atq; tranquillitati per vniuerſum mundũ prodeſſe ſuũ faciat principatũ.* Quid Reges ipſos cõmemorem? horum ſuprema ac generalibus regula nõ eſt illa Ehtnicorum, cuius meminit M. Tullius lib. 2. de legib. *Salus populi ſuprema lex eſto*, ſed iſta *Dei cultus ſuprema lex eſto*, ita vt ex variis titulis quos ex pręclariſsimis victoriis multos omneſq; glorioſos adeptus eſt Carolus ille Gallorũ Imperator nomine magnus, ſed re maximus, illuſtriorem nullũ fuerit ducere ſolitus, quã quod in promouendo Dei cultu, & tuenda eius Eccleſia, & debellandis Hæreticis adiutor diceretur, vt patet ex illius epiſt. ad Archiep. Tolet. Cæſares ſanè cum inaugurantur ꝓmittunt, & ſingulariter iurant oppoſituros ſe vires ſuas hoſtib. Reipublicæ Chriſtianæ, & Põtificis, & Eccleſiæ Romanæ, quales maximè ſunt Hæretici. Initiandus ſimiliter Franciæ Rex ab Archiepiſco Rhemenſi altari ſiſtitur, & poſtulatur, vt ea quæ boni & Chriſtiani Regis ſunt, ſe facturum recipiat. Tum ille. *In nomine Ieſu Chriſti populo Chriſtiano mihi ſubiecto ea quæ ſequuntur ſpondeo. Primùm quod Eccleſia Dei in pace meo præſidio perpetuò conſeruabitur*, & infra.

Deniq;

Deniq; bona fide laborabo pro virili meo, vt & omnibus terris iuriſdictioni meæ traditis expellam omnes quos Eccleſia Hæreticos declarauit, quæ omnia iureiurando mea rata facio. Hiſpaniarum quoque Regem ad regni admittendum gubernacula, vt aſſantur Metropolitani conſonam pronuntiamus Deoq; placituram ſententiam, & cum Reges ſuorumq; optimatum & illuſtrium virorum conſenſu ſancimus, vt quiſquis deinceps regni ſortitus fuerit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quàm inter reliquas conditiones Sacramento pollicitus fuerit, quod non ſinet in regno ſuo degere eum, qui nõ ſit Catholicus. Quod ſi Rex ipſe temerator huius fuerit promiſſi, ſit anathema, maranatha in conſpectu æterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni. Similiter & Chriſtiani qui cum eo conſenſerint. Rex olim Poloniæ cùm ab Archiepiſcopo Gneſnenſi gladio accingitur, audit quæ ſequuntur. *Accipe gladium deſuper ſumptum per noſtras manus licet indignas, vice tamen & authoritate ſanctorum Apoſtolorum conſecratas regaliter tibi conceſſum, noſtraq; benedictionis officio indefenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ diuinitùs ordinatum ad vindictã malefactorum, laudem verò bonorum, etc. per quem ſanctam Dei Eccleſiam eusque fideles propugnes atque protegas.* Similia dicebantur Angliæ Regi cum nondum ab auita & Catholica fide regnum illud diſceſſerat, ad ſummum altare Eccleſiæ VVeſtmonaſterienſis, vt teſtatur hiſtoria Anglic. in Richardo 1. & 2.

Concil. Tol. 6. can. 3.

Guagn. rerum Polon. tom. 1. pag. 276.

Tertiò ſemota omni acceptione perſonarum ſeuerè animaduertunt in eos, qui flagitiis & molitionibus ſuis Religionem lædunt. Non iſta laus eſt omnium, fateor. Haud ægrè agnoſco fuiſſe hac ipſa ætate noſtra nonnullos ex eis Principes, qui ſancto zelo vacui naſcentes hæreſes non extinxerunt cùm poſſent, quin potius tolerarunt; atque ita infinitis animabus hac ſua deſidia & conniuẽtia damnum attulerunt ſempiternum, palpitaturi haud dubiè cum Dominus ad iudicandum veniet reddere vnicuique ſecundum opera ſua. Si bipes aut quadrupes pauperiem fecerit, ſi beſtia damnum dederit, tenetur de damno qui eum non dico immiſerit, ſed etiã qui non arctius ne non effugeret infrænaret, & nõ impediuerit cũ poſſet; quanto grauius illos iudicium manet, qui Hæreſiarchæ eorumq; ſtolones ſeu Prædicantes tolerarunt, ad quos compeſcendos tenebantur? Scriptum eſt *quia dimiſiſti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua, pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Vix ſi adhuc viuerent, & per plures annos vſura lucis huius fruerentur, ſuarum eſſet virium tantum damnum reſarcire.

3. Reg. 20.

ſarcire. Ecquid aliud eiuſmodi conniuētia ſunt conſecuti, quàm vt perfidiæ erga Deum rei fierent (in cuius cultum tuendum augendumq́ue impendere oportebat quidquid virium, & poteſtatis ab illo acceperant) & periurij, non ſequentes aduerſus Nonantes illos veræ fidei hoſtes capitales ſe facturos iurauerant, & & immiſericordiæ, egenum & pauperem non liberantes de manu peccatoris, cuiuſmodi eſt præter quemuis Hæreticum Orthodoxos ſubigentem immanis ille Turcarum Imperator infinitos premens ſeruitute duriſsima, quos coactis copiis non eſt liberare difficile, vt præterea in ipſiuſmet hæreſeos ſuſpicionem incurrerent? Nam & Valentinianus Imperator initio Orthodoxus, poſtea malè audiuit, quòd Arianorum ſectam Catholicos infeſtam non cohiberet, quòd Auxentium Epiſcopum Arij labe aſperſum pacificè in Eccleſia Mediolanenſi ad obitum vſque tolerauerit, quòd conatus nullos adhibuerit, vt Valens frater & Iuſtina vxor ab errore illo reuocarentur. Non eſt inquam laus iſta omnium eſt tamen quamplurimorum. Accipiamus primùm à clericis exempla quædam zeli huius vindicis, deinde verò à ſecularibus.

Grauiter in matrimonij Sacramentum atque ita in Deum ipſum Sacramentorum authorem peccauerant Philippus I. Galliarum Rex, & Henricus VIII. Angliæ, eo quod repudiatis legitimis vxoribus pellices ſurrogauerant. Reuerita non eſt illorum purpuram ſedes Apoſtolica, ſed zelo ſe digno armata vtrumque anathemate percuſsit, illum quidem Vrbanus II. natione Gallus, hunc verò Leo X. Affligebat dirè ſacerdotes Anglos ac proindè totum Dei cultum cui dabant operam Ioannes Rex, mox ab Innocentio III. eodem percuſſus eſt fulmine, & regali in ſubditos iure ſpoliatus, cui tamen poſtea pœnitenti Romamq; profecto fuit reſtitutum. Florebat potentia Sanctius II. Portugalliæ Rex quem interim ob flagitia longè minora Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunenſi abdicandum cenſuit, vel ita ſaltem coërcendum, vt eo agente priuatam vitam penes curatorem maneret regni illius adminiſtratio, vt ſcribit Nonius in hiſt. Reg. Portug. In Germania autem, vt Ludouicum IV. Othonem III. & Henricum à ſui temporis Pontificibus Alexandro III. Ioanne XXII. Innocentio III. & Gregorio VII. exauthoratos breuita-

tis cauſa prętercam, vna Friderici I I. hiſtoria infractum eiuſdem ſedis zelum ſatis oſtendit. Excommunicauerat illum primò Honorius III. & deinde Gregorius I X. cum nihilominus Imperium vi retineret, ob idq́ue in Germania Italiaq́ue ſuppullularent tumultus in dies plurimi defuncto Gregorio Innocentius I V. in Concilio Lugdunenſi æquiſsimas quaſq; conditiones aſpernantem imperiali dignitate ſpoliauit. Si tempora noſtra lubet intueri, verſantur in media luce, quæ in hoc genere præſtiterunt Sixtus V. & Paulus V. & quia manifeſtiſsima ſunt ſilebuntur à me feſtinante ad alia.

Sub annum Chriſti M.X C V. furebant in Paleſtina Mahumetani, & Chriſtianos eundem Chriſtum eiurare, atque ad gentilitia ſe ſacra conuertere adigebant. Quid fecerunt Orthodoxi noſtri laici? illuc expeditionem tranſmiſerunt approbante Vrbano I I. fuitq́ue exercitus ſexcentorum millium, cuius Anteſignanus erat Godefridus Bullonius vna cum germanis fratribus Euſtatio & Balduino, quibus acceſsit Hugo Philippi Francorum Regis frater, Robertus Nortmandiæ comes, Raymondus comes Tholoſanus, Guillielmus Angliæ Regis filius. Hos minimè fefellit euentus. Coërcuerunt magna ex parte graſſantem hoſtem, ita vt metropolim ipſam hoc eſt Hieroſolymam intra dies 39. Eccleſiæ Chriſti reſtituerint. Anno M. C. L I I I. eiuſdem perfidæ gentis recrudeſcente audacia iterum Conradus Imperator, & Ludouicus Francorum Rex Eugenio I I I. authore coactis copiis in eam irruerunt, prorſusq́ue ad climata ſua Scytica ſe recipere compulerunt. Cumq́ue non ita multo poſt adhuc erumpens infeſtaret ſolito frequentius mediterraneam plagam, & Saladinus Aegypti Calipha Hieroſolymam occupaſſet, occaſionem ſumens à mutua diſcordia Guidonis Hieroſolymorum Regis & Raymondi Comitis Tripolitani, certior de his factus Clemens I I I. Chriſtianos principes ſeriò admonuit, vt otio valere iuſſo depoſitiſq́ue alternis ſimultatibus induſtriam ſuam in Muſulmannos illos conuerterent, quod & fecerunt. Præcipua Europæ nobilitas Fridericum Barbaruſſam Imperatorem ſecuta vna cum Philippo I I. Franciæ Rege, Guillielmo Siciliæ, Richardo Angliæ, Odone Duce Burgundiæ, Philippo Comite Flandriæ, Henrico Campaniæ, Theobaldo Comite Blæſenſi, itemq́ue cum Venetorum, Piſano-

Piſanorumq; copiis, in celeberrimum euaſit agmen, quod quid fecerit ne breuiter quidem dici à me poteſt. Illius zelum notare ſufficit, qui niſi fuiſſet maximus, nunquam tam arduam ac longinquam expeditionem animo deſtinaſſet minus adhuc reipſa obiuiſſet.

Quartò diuini cultus obſtaculum, ipſiusq; Dei offenſa longè adhuc grauior erat vita ipſa Ethnica plena Idololatriis, plena blaſphemiis & ſacrilegiis, quam abolendam quid non fecit Romana ſedes per ſe & ſacerdotes ſuos? Quam Ethnicorum conuerſionem, Idolorum ſubuerſionem, Euangelij in terras gentilitias introductionem mihi dabis non illius factam opera? Ne videar obſcura loqui, vnam Europam noſtram conſideremus, tam accuratè ab immunditiis illis repurgatam, vt iam non ſit idolum vnum reperire niſi vel altiſsima defoſſum humo, vel mēbris penè omnibus imminutum. Angliam ſuperſtitionibus illis paganis ſilueſcentem erudiuit S. Gregorius Papa & miſsis Melitone & Auguſtino Epiſcopis, Hibernos S. Patricius, Gandauenſes Armandus, Archarius, Landoaldus ſanctiſsimi item Epiſcopi, Atrebatēſes S. Chilenus, quem ad eos ligauerat S. Faro, Gallos S. Dionyſius cum ſociis, S. Rhemigius, S. Nicaſius, S. Irenæus, S. Exuperius. Hiſpanos Rex Alphonſus VI. verè ac ſolidè Catholicus abactis inde Saracenis. Danos ſub annū DCCCC.LXX. Angli iamdudum Catholici, tam proſperè vt etiam Frontonem ipſorum Regem ſacro baptiſmate initiauerint. Habuerunt & ſingulæ regiones vrbesq; Germaniæ ex eodem grege noſtro Apoſtolos, qui hanc ipſam idololatriæ colluuiem in eis eluendam aditis grauiſſimis vitæ periculis, immenſiſq; laboribus receperunt, vt VVormatia Victorem & Seruatium, Conſtātia Paternum, Rubeaquenſes Valentinum, Moguntia Creſcentem, Maximum, & Albanum, Alſatia Pirminium, Luneburgenſes Marcum, Curia Rhetiæ Lucium, Accolæ Mœni fluuij Amorem, Herbipolenſes Chilianum & Burchardum, Eichſtadienſes VVilibaldum, Rhatisbonenſes Paulinum & Emeranum, Argentina Fridolinum, Bauaria Seuerinum, Auguſta Vincterpum, Magnum, & Simpertum, Thuringi & Sueui Bonifacium quem propriè & præcipuè Germaniæ Apoſtolum dixeris, Magdeburgenſes Mauritium in cuius honorem Imperator Ottho iam vrbem metropolis dignitate, eiusq; & ſociorum

ciorum reliquiis ornauit, Saxones Berinum virum doctiſsimum, quem ad Cinigildum eorum Regem Honorius Papa legauerat. Reſtant Poloni & Moſchouitæ, ex quibus illos ab impio Idolorum cultu reuocarunt Adalbertus & Staniſlaus ab annis plus minus D C. X XI V. hos verò Gregorius I. eo miſſus ab anteceſſore ſuo Pelagio I I.

Et ne tempora noſtra omninò Sileamus nondum anni XC. numerantur, ex quo vtramque Indiam vni diabolo, aut Soli, Lunæ, truncis & creaturis aliis ſeruientem traducere ad veri cultum numinis varij Eccleſiæ Romanæ Religioſi, emenſo in hunc finem ſpatio leucarum quinque aut ſex millium. Soluerunt autem non benè nummati, ſed ſola Chriſti paupertate diuites, ſtipe enim aſſiduè collecta vitam ſuſtentarunt repudiata conſtanter pecunia quę munificè offerebatur; nec rurſus minacibus inſtructi gladiis, ſed vno Breuiario piisq; libellis, non parentes & amicos reuiſuri, ſed in locis illis Indicis, hoc eſt, in media barbarie vitam Deo ſuam reddituri, à quo illam acceperant, non ægro ac recalcitrante animo, ſed promptiſsimo ac lætabundo, vt teſtantur quæ de Xauerio ſcribit in eius vita Turſelinus lib. 4. cap. 7. *In Maacenſi itinere ſanè aſpero impeditóque cum iucundiſsimè diuina meditans animum in Deo defixum abduxiſſet à corpore, crura ac pedes ſtirpibus lapidibusq; offenſans ſine vllo lacerabat ſenſu, tantisq; incedebat lætitiis, vt beatorum gaudia percipere non ſolùm meditari videretur.* Ingreſsi loca illa fera didicerunt incredibili conatu & labore linguas barbaras, famem & ſitim, æſtum & frigus, efferatos item hominum mores patientiſsimè ferendo, per medias pluuias & tempeſtates alias huc atq; illuc diſcurrendo, errores confutando, idolorum ſimulacra fortiter ſubruendo, vt idem Xauerius de quo ibidem lib. 2. cap. 1. *Si quando ei tale quid enunciatum eſſet*, (hoc eſt, alicubi idola deliteſcere & coli) *properè contracta puerorum manu contendebat ad domum, quæ tantum admiſerat ſcelus, extemplò velut ſigno dato inuadebat lararium; tum pueri facto impetu pro ſe quiſq; deorum ſimulacra comminuere, conſputare, conculcare pedibus, omnibus contumeliis onerare, diaboli cultum in ludibrium vertente Xauerio.* In hoc genere ſingulari commendatione digni ſunt, & mirabilem profectò zelũ oſtenderunt Ioannes Azpilcueta. Antonius Pirtus, Leonardus Nugnez, Didacus Iacobæus, Vincentius Rodericus, & Emmanuel Nobrego, qui primi Braſiliam ipſam

adire ausi sunt circa annum M. D. XLIX. vbi vorare homines voluptuosissimum est & quotidianum, à qua ingluuie & laniena horribili, cum gentem illam abstrahere tentarunt, perparum abfuit quin ipsi quoq; mactarentur. Inaudiuerant inquit Io. Boterus p. 4. Relat. lib. 4. captiuum vnum ab incolis residentiæ suæ vicinis impinguatum vt deuoraretur, imò iam neci datum, confestim accurrunt, paratos ad anthropophagiam suauiter increpãt, cadauer auferunt, & in hortulo suo, qui sacello adiacebat sepeliunt. De quo certiores facti barbari intempesta nocte hortum ingrediuntur, & canum more odorantur sepulturæ locũ, tandemq; inuentum effodiunt. Iam cadaueris brachium eduxerãt, cum accurrunt iterum Patres, vel acciti clamore aliquo, vel diuina prouidentia, & prædam spe deuorantes abigunt, sed ita vt promittere coacti sint, se posthac similem eis nõ erepturos, petentes vicissim vt saltem ea prius baptizaretur, quàm ad esum publicum impinguaretur, quod etiam impetrare vix potuerunt causantibus multis crebro se experimento didicisse, minus sapere baptizatorum carnes quàm cæterorum, vt præterea iniuriam illam citò vlti sint, quam se ab iisdem Patribus eo facto accepisse prętendebant. Nam cum in Lusitanum incidissent, qui inter eos sine comite ac sibi fidens plus ęquo, iter agebat, vita eum spoliarunt mox deuorandum, quo audito Lusitani alij qui fortè eò cum aliquot nauibus appulerant, cadauer repetunt, & Deo votis fauente impetrant, quin etiam homicidam seu vi seu dato pretio secum abducunt, vt debitas pœnas lueret. Decreuerunt autem ad fręnandam in posterum barbarorum immanitatem, reum illum ad os bombardæ alligare, hacque exonerata in partes discerpere, vt ex insolito vindictæ genere cæteri posthac ab eo scelere auerterentur. Hoc referre libuit, vt constet quã ibi periclitẽtur pręcones Christi, & quanto zelo ardere illos oporteat, qui cum Apostolo nihil horum verentur, nec faciunt animã suam pretiosiorem quam se, dũmodo consumment cursum suum, & ministerium verbi, quod acceperunt à Domino Iesu testificari Euangelium gratiæ Dei.

Contra in zelo toto Mahumetanorum nihil esse laudabile, constare potest ex sequẽtibus. Primò inanissimam habent fidem, immò veræ fidei loco errores plurimos & crassissimos quemadmodum à me iam demonstratum est in §. 4. capitis præcedentis, ita

Ita fit vt si ob eam ruentem mœrore tabescant, vel ad tuendam morti se obiiciant, vel ad amplificãdam ingenium & vires omnes ardentissimè conferant; zelus sit tam improbus atque à vera religione alienus, quàm fides illa futilis & execranda.

Secundò qui ex diuino zelo vel pro fide ac religione mortem oppetunt, ab omni vi abstinere solent, ne aliâs ex necessitate potius quàm vltrò vitam pro illa ponere videantur. Mahumetani autem quasi induti talaribus mortem semper fugiunt, & ad extremum vsq; decertando repetunt, Martyribus nostris dissimillimi, de quibus cantat Ecclesia.

Cæduntur gladiis more bidentium Non murmur resonat nõ querimonia,
Sed corde tacito mens bene conscia Conseruat patientiam.

Tertiò, qui eodem incensi zelo in religionis hostes purè propter religionem insurgunt, à rapinis & perfidis abstinẽt; hoc vno contenti si sacrilegas illorum iniurias reprimant, & vnius Dei causam agant, remouentes quæcumque eius cultui valdè incommodant. sic enim adæquatum finem assequuntur, quo adepto agentia conquiescãt. Mahumetanorum autem mos perpetuus est semper & vbiq; prædas agere, vbi nulla earũ spes est arma suspendere, & quod rei est caput, illos quoq; populos infestos habere, à quib. nihil omninò sibi timẽt vel religioni; patet ergo videre volentibus, ferri eos ac moueri nõ religionis zelo sed lucri pecuniæ.

Quartò, sicut pro ciuitate vna fortiter stare, & magno conatu dimicare nõ curat nec solet, qui omnem sibi patere, & æquè profuturam arbitratur; ita nec pro religione illa quam pro tempore colit, qui omnem bonam esse, atq; sibi ad salutem sufficere credit. Mahumetani autem iuxta Alcorani sui Azoram primam persuasum habent fidem ac religionem omnem oportunam esse ad salutem viam, non ergo verisimile est illos teneri magno quodam suæ zelo ac desiderio, sed potius zelo effrænis illius licentiæ qua cum ferino more agunt quidquid lubet, alienaq; omnia diripiunt, interim autem ne impij planè appareant sed religiosi, lotionibus quibusdam ac precibus dantes operam.

Quintò describit Antonius Mænauinus lib. 1. de morib. Turc. plerosq; Religiosos Mahumetanos grauissimè peccare in religionem & Alcoranum suum apertè ridentes illum, & negantes ad salutem esse necessarium, propter quod tamẽ dispendium nullum sustinent, nec ad pœnam aliquam vocantur. Quis itaq; credat ze-

Digitized by Google

lum aliquem verum ac sanctum inesse Præpositis ipsius Religionis, hoc est, Mophtyis quales summis Pontificibus nostris, & Cadileskeris quales Patriarchis, & Cadyis quales Episcopis respondent? Eiusdem roboris argumentum confeceris petitum à manifestis & horrendis Imperatorum ipsorum flagitiis, in primis autem à paricidiis, ab Atheismis, à periuriis publicis, ab immani cæde complurium innocentium, &c. propter quę interim nullus eiusmodi Antistitum audet eos increpare, sed conniuent omnes, & sanctum putant ac pronuntiant quidquid Tyrannis illis collibuerit.

Sextò, si eos verus aliquis zelus incenderet, sanè cum illicitam esse idolorum venerationem eam à terris suis suauiter saltem depellere niterentur, maximè propter periculum quod perpetuò subest ne contagio suo Musulmannos ipsos inficiat. Appeterent rursus vt pleriq; omnes Musulmanni fierent, & quandoq; exteros populos adirēt nō ferro instructi sed veritate ac ratione, vt apud illos verum Dei cultum & religionem suam propagarent, si ex animo veram credunt, & dignam quæ orbem teneat vniuersum. Atqui contrarium prorsus euenit, quoties prouinciam aliquam subigunt, quibuscunq; ritibus suis etiam idololatriæ relinquunt indigenas, si vltrò se dedāt, nec de iis ad meliorem frugem reuocandis tantillum sunt solliciti, attendunt solùm, ne potentia præualeant, ne arma penes se habeant, ne indicta sibi tributa soluere prætermittant. Dolent prætereà si mancipia ad Mahumetismum transeant, eo quòd transeundo priuilegia quædam consequūtur, quæ minuendo seruitutem, eos dominis suis ac Turcico imperio tam vtiles, & ad vilissima quæq; ministeria tam obstrictos promptosq; quàm priùs non sinunt esse, vt testatur Bart. Georgeuisius. Deniq; exteras nullas terras adeunt, Alcorani sui rationibus persuadendi gratia, aut Christianam aliamúe rationē qua Deus colitur subruendi, quin potius propter ingens lucrum quod inde capiunt, libentissimè in suis tolerant tam Iudęos quàm Christianos præsertim Hierosolymis, vbi cum eos vident sacra facere, loca sancta obire ac venerari, ibidemq; Christum vt Deum adorare idololatras vocant, nec tamen loca illa demoliuntur, aut aditum ad ea præcludunt, quo nihil est magis in illorum potestate, sed sarta tecta custodiunt, & sibi gratulantur, velut occasiones ingentium tributorum, quę si fideliter pendere velint Christiani,

L. de mor. Tur. cap de Circumc.

quo-

quocunque penetrare impunè licet, vt obſeruat Thenetus lib.9. cap.9. & Brocardus in deſcript. terræ ſanctæ pag.334. & 336.

Nihil melius habent quod pro ſuo afferant Nouatores. §.5.

Primò, cum inanis falſaque ſit illorum fides, vt probatum inuenies in §.5. cap. præcedentis, ex conſequenti zelum quo cum illam tuentur & vrgent oportet eſſe deteſtabilem & indignum, qui religioſus appelletur.

Secundò, eandẽ nec profitentur exterius vt par eſt, nec iuxta doctrinam ſuam profiteri curant, vt ibidem oſtendimus, cum tamen verus fortiſq; zelus ſine hac profeſsione nõ poſsit conſiſtere.

Tertiò Chriſtianos ſe iactant, atque ita ignorare non poſſunt religioni ſuæ quàm iniurioſa ſemper fuerit gens Turcica, quot iuſtis nitatur cauſis in eam inſurgendi, & quæ iniquè vſurpauit at poſsidet, repetendi. Detinet vinges hæc barbara terras Chriſtianorum nobiliſsimas, Palęſtinam totam, AEgyptum, Aſiam minorem, Thraciam, Cyprum, Rhodum, Gręciam, vtramque Myſiam, Hungariæ partem, &c. quibus non contenta reliquis inhiat, ſperans fore vt Iordanis influat in os ſuum. In iiſdem Chriſtiana ſacra polluit, Chriſtum aſsiduè blaſphemat, infinitos eius ſeruos de medio ſuſtulit, & hodiè complures ea premit ſeruitute, cuius grauitas exprimi verbis non poteſt. Nunquid hæc digna non ſunt Nouatores, quæ acerrimè vindicentur, & zelum veſtrũ ſi quis vobis ſit, ſentiant? Omninò, & tamen vbi agmina veſtra? Vbi copiæ militares in Muſulmannos illos vel immiſſæ vel oppoſitæ? Quis veſtrûm Imperio non ſubiectus Imperatori noſtro in eos inſurgenti vel ſe coniunxit, vel opem tulit? Poſſum ego nominare qui è contra ſuppetias iuratis illis Chriſti hoſtibus nõ paruas tulerunt. Certè anno M. D C V. lues illa Mahumetica in India orientali armis Luſitanis attrita ac penè deleta auxiliares copias vndecim pyraticas naues accepit ab Hollandis, vt in literis indè miſsis ſcribit Petrus Eutitius. Ex ſubiectis autem Imperio ſi Dynaſtas paucisſimos excipias, id eſt, vnum vel alterum, quis iturus non muſitauit? quis non tergiuerſatus eſt, & quas potuit moras inuexuit? Cui gratum fuit victorias ab eodem Imperatore de Tyranno illo orientali reportatas audire? vbi apud vos preces publicæ aduerſus eiuſdem Tyranni conatus & conſilia inſtitutæ? Apud nos contrà, Callixtus ſummus Pontifex legem

tulit, vt belli tempore signo Campanæ post meridiem dato fideles omnes oratione breui diuinũ auxilium iis accerserent, qui in eo bello versantes Christianam rem sustinerent. Durat ea consuetudo adhuc hodie Viennę & alibi inquit Cuspin. in Mahumete 2. durat certè immò in quam plurimis Germaniæ partibus. Antesignani vestri, ô Lutherani, doctrina est, non licere vobis in Turcam insurgere; quodque est amplius, ne insurgenti quidem in vos resistere. O zelum Christianum!

Quartò, indicto Tridentino Concilio vulgare illorum dictũ erat, Antichristum colligere vires suas, vt veram Christi doctrinam euerteret, vt eiusdem gloriam extingueret quo statueret suam, non cessaturum procul dubio, quousque orbem totum pro virili, decretorum suorum sale infatuaret. *Minimè dubium erat*, verba sunt ipsius Caluini præfat. in Antidotum, *quicunq; sessum admitterentur ad sententiam dicendam, eos partim ambitione irretitos, partim excæcatos auaritia, partim rabie accensos totidem infestos sanæ doctrinæ hostes fore, qui ad stabiliendam tyrannidem Papatûs arcana inter se coniuratione obligati ad destruendum Christi regnum incumberent.* Nonne ergo par erat, vt in tanta zeli sui prodendi occasione Tridenti se sisterent, constanter & intrepidè pro veritate starent, exemplo Chusai nefaria consilia, & futura decreta illa quæ credebant perniciosissima præpedirent? Erat certe, & tamen quis vestrûm ô sectarij ibi comparuit oppositurus se in murum pro domo Dei? infirmitatis vestræ vobis conscij vt noctuæ solis præsentiam exhorruistis; domi interim gloriantes, (vt in sterquilinio suo galli gallinacei) vbi nullus vos Eutellus contereret, atq; inaniter ac ridiculè absente hoste gladium ventilantes. Prouocabatis ad Concilium, quod vt loquitur loco citato Caluinus vester, *communi quasi Christiani orbis voce flagitatum fuit*, sed vt quondam filij Ephrem intendentes & mittentes arcum conuersi estis in die belli. Omnes bullatis minis vestris terrere nitebamini, & quasi tauri pingues arena pedibus sparsa proludebatis. At quando clasicum insonuit, murium instar domi vos continuistis, & Moyse illo Romano vna cum Concilio Deum interrogante, intuebamini procul per ostia papilionum vestrorum, extra telorum iactum consistentes, & ignauis canibus similes, qui cum ad mensam multum audeant, in venatu nihil; Polycrati item tyranno & Periandro, quorum

Psal. 77.

ille

Digitized by Google

ille Sami tantum erat formidabilis, hic Corinthi, hoc est apud suos. Solidam nullam excusationem potestis frigidissimo huic zelo vestro prætendere.

Siquidem ibi erant Ecclesiæ nostræ Primipili, quibus erroris conuictis & disputatione superatis, mox subiecti iis populi dedissent manus, & Euangelio vestro prætento subscripsissent, atque ita in vniuersa Europa iacta fuissent à vobis fundamenta veræ Christi gloriæ, cuius acerrimi vindices videri vultis.

Item vrgebat vos rei benè gerendæ, hoc est, tuendæ veritatis necessitas, de qua idem Caluinus. *Satius est fateor cœlum terræ misceri, quàm deseri sanæ doctrinæ patrocinium.* Tanto prodigio ac infortunio nihil Caluine est opus. Tridentum tantum proficiscere, ibi zelum tuum si quo ardes, exere, ibi produc veritatem, quam constanter adeò tibi arrogas, nihil metue, perstringit illa omnes splendore suo, omnes compellit ad deditionem, est quippè omnibus fortior. Triumphabis eadem adminiculante, & sicut vetusti illi victores certaminum palma & corona donaberis, in patriam quadrigis reduceris, pretiosa indueris veste, atque etiam aleris publicis impendiis victu perpetuo. Sed & dabit tibi Deus os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij tui, nec minus tibi præstò erit, quàm olim Hieremiæ ad quem dicebat. *Tu ergo accinge Lumbos tuos & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciem vultum eorum. Ego quippè dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram Regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus & populo terræ, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt, quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.* Eò inquam proficiscere, quod nisi feceris, vide ne turpe tibi sit veritatis neglexisse patrocinium, neue pessimè audias, quasi fidem nullam habens diuinis promissionibus.

In consens. cum Tigur.

Item iactare soletis doctrinam vestram eiusque declarationem prorsus esse irrefutabilem. *Doctis & moderatis hominibus,* pono exempli loco eiusdem Caluini verba, *planè satisfactum esse nobis persuasimus. Neminem certè putauimus ita morosum, quin placatus acquiesceret. Nam dilucidè illis constat omnium rerum de quibus antehac certatum est, definitio, quæ nullum sinistræ suspicioni locum relinquit.* Cum tanta

Loco cit.

vis

Digitized by Google

vis sit demonstrationum vestrarum, vt tanquam ex media Mathesi deprompta etiam à doctis consensum extorqueant, multò magis sperandum erat fore, vt acquiescerent vobis Episcopi & patres illi Tridenti congregati reipsa doctissimi, sed iudicio vestro asinino asini. Cur itaque non eo confluxistis? nesciebatis quod scriptum est, *ne abscondas sapientiam tuam in decore suo*, & *qui abscondit frumenta maledicetur in populis?*

Eccl. 4. Prou. 11.

Item non modò inuitauerat vos omnes sacra illa Synodus plenissimam datura loquendi libertatem, sed etiam ea ratione securitati vestræ consuluit, vt nulla potuerit magis. namque ter vobis saluum conductum dedit, primò quidem sub Iulio 3. 11. Octobris M. D. L I. vt habetur Sess. 13. sub finem. Secundo sub eodem, anno M. D. L I I. 25. Ianuar. vt patet Sess. 15. Tertio, sub Pio IV. anno M. D. L X I I. 26. Febr. vt constat ex Sess. 18. & ita quidem vt expresse declarauerit se nullo modo vsuram exemplo & decreto Concilij Constantiensis in re eiusmodi, & haberi se velle infamem, & ream omnium pœnarum quas incurrunt diuino & humano iure, qui similem fidem violant si ei contraueniret. Illæsos rursus vbique esse iusserit tam veniendo ac ibi consistendo, quàm ad propria reuertendo, cuius reuersionis quouis tempore liberam vobis fecit potestatem, id duntaxat suo iure petens, eam vt faceretis de ambitione vestra certiorem, vt tutelæ vestræ consuleret, ne si aliàs in perniciem aliquam rueretis, ab illa profecta videretur. Haud dubiè vel superbi valdè fuistis volentes vt ad vos potius veniret tota illa Synodus, fastū imitantes M. Drusi Tribuni, ad quem cum misisset senatus vt veniret in curiam, *quare non potius*, inquit, *ipse ad me venit?* vel abiecti prorsus animi. At dicetis Hieronymo Pragæ publica quoque fides data fuerat, quam interim violauit Constantiense Concilium, & vitam misero nihil tale metuenti abstulit. Respondeo abstulit quidem, sed nullam à se datam fidem violauit. Stitit se Concilio Hieronymus, sed à quo inuitatus? quis dicere audeat nisi mendax & falsarius oblatum ei aliquando à Synodo illa saluum conductum, eiusmodi saltem quo ei etiam errores suos conuictos non reuocanti impunè abire liceret? Ab Imperatore quidem oblatum ac etiam datum fuisse legimus, sed quo per Imperium inter faciens apud omnes tutus esset, iniuriam à nullo pate-

patererur. Effectum certè alium habere non potuerunt Imperatoris literæ, qui neque Constantiæ est Dominus, ad Archiduces enim pertinet, neque in re fidei religionisque potuit Ecclesiastici Concilij iuribus præiudicare. Et tamen hoc Concilium hunc Hæresiarcham audacter sese obtrudentem admisit vt sententiam diceret, verùm cum in ea vnanimiter damnata ab omnibus qui aderant iudicibus pertinaciter ac proteruè hærentem cerneret, (proprium id est talium Apostatarum) ad ius suum recurrit, quo vtendi libertatem nulla promissione sua sibi ablatam intelligebat, auxilium implorauit brachij secularis, vt in hæreticum hominem supplicio quod talibus inferri solet animaduerteretur. Ecquid aliud faceret? abire sineret virum morte dignissimum? Lupum Christi caulas infestantem? aprum ferum eiusdem vineas deuastantem? omnia deniq; perturbantem? ex his liquet, quod ille quidem causam grauissimam habuerit iusti metus, & sciens ad flammam procurrerit; vos omnes è contra tali fueritis causa, tali iusto metu destituti, vt quibus ne minimum quidem instabat mortis periculum, & synodus vt dixi sanctè promiserat, non se vsuram exemplo, tametsi iusto dicti Concilii Constantiensis, hoc est nec se punituram, nec vi detenturam in suo errore pertinaces. Cur ergo non accessistis, nisi quia causæ vestræ diffidebatis? tu Caluine inter alios, cur te præsentem non exhibuisti cuius sunt verba illa ventosa præfat. in Ant. dotum *parati sumus vbicumq, data fuerit loquendi copia planum facere; ea enim est causa nostræ bonitas. vt lumen nullum reformidet.* Sed faciamus omninò constitutum fuisse patribus Tridenti congregatis vita vos spoliare, sperandum tamen erat vos à Deo liberandos de manibus eorum, sicut de manu Pharaonis liberauit Moysem, quem ad eum legauerat, & de manu Achab Heliam Prophetam. Immò faciamus omninò futurum fuisse, vt ibi mortem oppeteretis, non idcircò decuit zelosos homines periculum illud detrectare. Non hoc fuit Christi sequi vestigia, qui ad fidem quam prædicabat stabiliendam in apertum discrimen ruit, & Hierosolymam venit in diebus Azymorum, quando summa erat solennitas, & se neci traditum iri non ignorabat. Non item imitari Apostolum, qui nec vocatus nec vllo instructus saluo conductu Areopagum fidenter ingressus legitur, & tàm Augustum senatum superstitionis arguere non

dubitauit. Persæpè alias Sabbathinis diebus Iudæorum synagogas adiit.&tametsi assiduè ei protestaretur Spiritus sanctus, quod eum vincula & carceres manerent Hierosolymis, illuc nihilominus contendit non auscultans obsistentibus fratribus, sed dicens *quid facitis affligentes cor meum?* nempè sciebat Christi martyres Samsonis instar plus damni hostibus inferre, plus Christianam rem promouere moriendo quàm viuendo, quippè *sanguis Martyrum* vt eleganter scripsit Tertul. *Semen est Christianorum*, Imitati potius estis hac vecordia & zelo vestro frigido, Eusebianos illos capitales Athanasij hostes, de quibus sic loquuntur Patres, qui Sardim conuenerant. *Cognitum est vulgò non sine causa eos Concilium ne coràm conuincerentur, exhorruisse, dictumq; à plerisq; ideò eos fortasse ex oriente ad Concilium venisse quòd Athanasium minimè venturum arbitrarentur. Nunc quia illum cum suis prestò vident, causæ suæ diffisi iudicio se committere non audent*, & infrà, *diffisi suis fabulis & vanis rumoribus, ac coram intuentes quàm non possent de ijs rebus iusta documenta afferre, cum essent in vrbe Sardica, non ausi sunt in Concilio sanctorum Patrum apparere.* Terruit vos pyraulis quæ vltrò aduolans lucernis, adustis alis collabitur. Et vt ceruis magna sunt corda, animi autem nihil aut parum, ita vobis sat fuit sapientiæ ostentatio magnifica, in cuius interim defensione hastam clipeumq; abiecistis.

Act. 20.

Athanas. Apolog. 2.

Quintò peccata honori Dei ac Religioni valdè contraria, proindeq; seuerè admodum magnoq; zelo vindicanda reputant, à sectis suis discedere, Missæ sacrificio interesse, cum viris aut fœminis Catholicis matrimonium celebrare. Ecce interim nunquã auditũ est Dynastam aliquem ob eiusmodi præterita crimina nõ dico excommunicatione percussum (cuius interim vsum mirè commendat, & in Ecclesia prorsus esse necessarium docet Caluinus in Instruct. contra Anabaptistas toto art. 2.) sed ne quidem acrius à Prædicante aliquo obiurgatum, adeò quiuis cuti suæ metuit, frigidoq; zelo corripitur. Exemplum, posterioribus melioribus fecit ab illis diuortium Henricus 4. Rex Christianissimus, ex quo tempore vsus est prosperitate maxima, cum perpetuis priùs vndis iactaretur; nemo illi ob id anathema dixit, sed nec minatus est. Eiusdem sororem Catharinam Borboniam cui persuadere nequiuerunt vt à publicis choreis abstineret, multoq; magis à nuptiis quas celebrauit cum Principe quodam Catholico,

Digitized by Google

lico, nulla ſimiliter pœna affecerunt, ſed cum ab illa irata audiuiſſent, ſilete, nam ſi mihi vltrà moleſti eſſe perrexeritis, citò vos quo decet amandabo.

Conticuere omnes intentiq; ora tenebant.

Loquens idem Caluinus de iis qui Miſsis præſentiam ſuam exhibēt, hoc eſt, vt interpretatur, qui idololatris ſociantur, ingenuè fatetur ſe non audere illos ob id à fidelium communione ſeparare. *Hodiè ſub Papæ tyrannide diſperſi*, inquit, *vitioſis ſe multis ritibus contaminant, quos ego quidem grauiter peccare in hac parte dico, ſed eò vſq; progredi non audeo, vt excommunicandos cenſeam.* Maximus item abuſus eſt, magiſtratus ſeculares ſacris ſeſe immiſcere, cùm ob id Deo ipſo vltore puniti ſint Ozias Rex, & Chore Dathan &c. & magnus ille Hoſius Cordubenſis Epiſcopus Conſtantio Imperatori dixerit, *ne te immiſceas rebus Eccleſiaſticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, ſed potius à nobis diſce, tibi Deus imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Et S. Ambroſius Valentiniano, *noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt Imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotes Eccleſiæ.* Et tamen quis Prædicantium non conſentit & tacet, cum videt principes & magiſtratus ſuos iudicare de rebus fidei, cognoſcere de doctrina, diſputare, diffinire, veros Prophetas à falſis diſcernere, verbi miniſtros ac paſtores inſtituere, imò in Anglia in hunc illorum abuſum iurare, ac profiteri, non modò viros, ſed etiam infantes ſi in throno ſedent, caput eſſe ſupremum in cauſis omnibus etiam eccleſiaſticis?

In Cap. 5. 1. ad Cor.

Athan in epiſt. ad ſol. vitā agent.

Sextò cum in partibus ſitis extra orbem Chriſtianum triumphet diabolus, debitam Deo gloriam ſibi arroget, infinitas animas deteſtabili cultui ſuo mancipet, atque ita in exitium trahat; negari non poteſt vberem ac luculentam ibi eſſe materiam, circa quam verſetur zelus verè Chriſtianus, & propter quam expeditiones complures inſtitui debeant. Aliquas à nouatorum Prædicantibus ſuſceptas non abnuo, ſed paucisſimas, inanes, ac ridiculas fuiſſe affirmo, vt qualis eſſet eorum zelus, & quàm odioſus cœlitibus toti mundo innoteſceret. Caluiniſtarum duę circumferuntur in Indiam occidentalem. In prima vix à portu ſoluerāt, cum intercepti à Luſitanis, & dirisſimè cæſi inedia quoque penè conſumpti ad deſolata conſiſtoria ſua redierunt. In altera Petrus

Richerus Indiam quidem appulit,ſed occidentalem,hoc eſt non valde remotam , in qua ne vnum quidem barbarum Chriſto lucrifecit. Lutheranorum verò vnica id eſt Moſchouitica. Anno quippè 1554.eo contenderunt,ſed quàm multi?Centum forte aut quinquaginta?Non plures tribus , quibus infauſtiſsimè quoque res accidit.Vix ad aures Ioannis Moſchorum Ducis peruenit quo fine appuliſſent, cum capitalem in eos ſententiam tulit , de qua certiores facti, zelo ſtatim ſuo velut Africo impulſi ad Lituanos confugerunt,vt ſcribit Laſcius lib.deTheol.Moſchou.Videns antem Ioannes quod fugiſſent,&àLituano recepti eſſent confeſtim Lituaniæ varia ob id damna intulit, & 70. arces Lituanias occupauit teſte Machal. Lituano in lib. de emend. Theolog. Quamquam nihil mirum ſi tam rarò atque oſcitanter de his religioſis peregrinationibus cogitent.Omnes enim vxorati ſunt,zelus autem coniugalis cum illo parum conuenit quo de agimus, idemque talibus accidit. quòd Ageſilao, qui quodam die cum caſtra tumultuoſius mouenda eſſent , & egrè admodum relinqueret adoleſcentem,cuius amore tenebatur, verſus ad ſuos, *quàm difficilè eſt*,inquit,*Simul amare & ſapere*. Præter vxorem magno iſtiuſmodi expeditionibus impedimento ſunt filij, & temporalium bonorum proprietas. Vndè cum Chriſtus veniſſet diuini verbi circumferendi gratia iuxta illud Marc. 1. *Eamus in proximos vicos & ciuitates,vt & ibi prædicem,ad hoc enim veni*,atque ita præconibus aliis formam daturus, cœlibem ac pauperem vitam egit, & ſequacibus ſuis ait Matth.10. *Nolite poßidere aurum neq; argentum*. Prædicantes autem ne quidem cælibatus vocem ferre poſſunt, generare non ceſſant filios & filias, & id tantum dominio ſuo non ſubiiciunt,quod ſuum facere nequeunt.

Septimò ſufficit ad euincendum quod intendimus eos ſcilicet zeli veri vix habere micam ſufficit inquam Caluini ipſius teſtimonium ſic loquentis in Homil.2. de ferendis perſecut. *O rem miſeram planeq; indignam,quòd cum lux Dei nobis,ſi aliàs,his temporibus exorta tanta claritate luceat,tàm parum tamen zeli,ſtudij,amoriſq; reperiatur*.

Quantuluſcumq; autem hic eorum zelus fuerit, fuit profectò intemperatiſsimus ac proinde execrabilis.

Primò, quia vt liceat filio admonere officii ſui matrem manifeſtè peccantem; nó tamen in dubio, ſeu illa prætendente ſe rectè agere,

Digitized by Google

agere,& facti ſui rationes multas ac ſolidas præferẽte, tunc quippè præſumendum eſt eam iure niti, quo pacto modeſtè acquieuiſſe Iſaac matri ſuæ,& quod imperabat boni cõſuluiſſe legimus, *Geneſ.27.* at nouatores omnes velint nolint filij ſunt Romanæ Eccleſiæ tametſi ingratiſsimi,per Euangelium quippè & baptiſmum eos immediatè vel mediatè in Chriſto genuit. Neq; enim Lutherus Caluinus Zuinglius & alij eorũ Duces primã Chriſti notitiam aliundè acceperunt,aut ab alia ſacramento illo initiati ſunt. Hæc ipſa Eccleſia doctrinæ decretorum ſuorum adeò ſolidam confirmationem profert , vt & ſcripturarum manifeſta teſtimonia pro ſe habeat,& definitionem Conciliorum tàm generalium quã Prouincialium,& ſententias ſanctorum Patrũ,& vſum antiquiſsimũ, & miracula penè infinita , & rationes ſiue congruentias clariſsimas. Interim,ecce tibi,pudore omni depoſito adduci nõ poſſunt ei vt acquieſcant,ſed zelo quodã fanatico inflammati prętendere pergunt & clamare,eam in erroribus multis magniſq; verſari, atque aduerſus illam velut diſcipulam rigidiſsimorum cenſorum perſonam officiumq; vſurpant.

Secundò eſto peccantẽ admonere liceat , non tamen onerare conuitiis, dicente Domino Exod.21. *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri ſuæ morte moriatur*, minus adhuc, ab illa recedere, vt agnouit his *In Inſtruct. aduerſ. Anab.c.2.* verbis Caluinus ipſe. *Primum de nobis ac familia noſtra cogitemus, deinde habeamus cæterorum rationem, non vt in eorum odium , quod non ita vt decet ſe gerant nos ſubducamus ab Eccleſia, ſed vt corrigamus eos, ac ſi fieri poteſt reducamus in viam, aut eiici curemus, ſin minus commẽdemus Deo, vt in meliorẽ ſtatum redigat omnia.* Et adhuc minus, illam percutere, ait namque dominus in eodẽ ca.21. *Qui percuſſerit patrem ſuũ aut matrẽ ſuam morte moriatur.* Nouatores autem nullũ conuitij genus miſſum fecerũt quod in eam iacerent, parum fuit arrogantem appellare, auaram deſidioſam, lucri cupidã; ſed vocarunt quoq; inflatis buccis, ſpumante ore, atq; ardentib. furore præcordiis, ſuperſtitioſam, adulterã, meretricem diaboli, idolorũ ſeruam , veneficam; ſacerdotes eius occiderunt gladio , filias virgines conſtuprarunt filiorũ ſanguinem effuderũt velut aquã , ædes ſacras effregerũt, ſpoliarunt, incenderũt, templorũ vaſa prius polluta in ſuos vſus cõuerterũt, latifundia ipſa poſſeſsiũculis ſuis adiecerũt. Quo ſanè modo eſto furere licuiſſet ꝙ nunq̃ licuit, nõ tñ principio, ſed vt intelligerent omnes, quod fiebat, non præcipitante ira fieri, ſed dictãte ratione

vtq; vna cum vino misericordiæ oleum vulneri infunderetur, & suum zelo frenum minimè deesset, à mitioribus pœnis erat incipiendum. Nam & secundum iura quoties ob aliquod crimen à lege infligitur pœna amputationis manus & mortis, ab amputatione manus inchoanda executio est si fieri potest, vt rectè docet Couarruuias. tentanda itaque primum erant minus odiosa remedia, vt si deprehensa fuissent ad morbum depellendum satis haberet virium, supprimerentur grauiora. Ita sane responderet interrogatus Mar. Tullius, qui in oratione pro Quinctio Neuium quendam in odium Iudicum adducere nititur, quòd honestiore iudicio conflictari cùm posset, caput nihilominus Quintij & existimationem oppugnaret, quasi id turpe & inhonestum licet iure concessum fuerit. Idem in oratione pro Cæcinna huius dedecoris & turpitudinis crimen à se amolitur his verbis. *At si quis mihi hoc Iudex recuperatorue dicat, potuisti leuiore actione confligere, potuisti ad tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire, quare aut muta actionem, aut noli mihi instare vt iudicem.* Sectarij autem à grauissimis quibusque cædibus initium fecerunt, iugula omnium ipso in exordio petiuerunt, ad rabiem, ad furias, ad summam barbariem confugerunt, omnia ferro flammaque demetenda censuerunt, & vt paucis dicam publicam vbique pacem perturbarunt, non secus ac

Lib. 2. Var. resol. c. 10. num. 9.

Decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt
Quisq; suum populatus iter.

Sic insaniuerunt vt hortulanus fanaticus, qui arbores amputatione aliquorum duntaxat ramorum indigentes conatur magnis diræ securis ictibus à radice sua separare. Vel vt Ludimagister barbarus, baculo, fuste, flagellis, scuticis, plumbatis, scorpionibus enecans discipulum, cuius delicta virgulis coërcere satis erat. Vel vt Demetria illa Spartana, quæ filium de quo audierat, quod ita se gereret, vt tali matre indignus videretur, domum redeuntem interemit. Vel vt conuiua ille impudens, qui vt narrat Gerson ab amico ad cœnam inuitatus, non cœnauit modò, sed modestiæ ac temperantiæ fines multum excesit; quo nomine obiurgatus accusare ingluuiem cœpit, & dicere se ex charitate tàm profuse commedisse ac bibisse. Ad quem hospes redeas

In serm. Domin. 1. Quadrag.

Digitized by Google

deas aliàs, ſed noli ducere tecum hanc charitatem, quia eſt guloſa nimis. Vel denique vt emotæ mentis medicus, qui ægrotanti oculum eruit propter lippitudinem, cum ne quidem id facere debuerit, licet iſta fuiſſet incurabilis: aut qui aliis, quos curandos ſuſcepit, pugione arrepto exitium afferret. Malè medetur qui ſic eum iugulat, etiamſi de ſalute deſperet. Vndè experti, & qui huius artis periti ſunt, cum vident morbum inualuiſſe totaſque occupaſſe medullas, nihil tentare audent, ſed naturæ curandum relinquunt, timentes ne medela vires præbeat morbo, qui parum auctus infirmum perimat, & ita minus malum per aliud quoddam maius excludant.

Tertiò in confeſſo eſt apud omnes, quod punire aliquem actus ſit iuriſdictionis; nec alium deceat quàm magiſtratum, de quo Apoſtol. Roman. 13. Quocircà vt valeant nouantes zelum ſuum ab indiſcretionis ſuſpicione liberare, conſiderandus eſt Magiſtratus quo fungebantur, quem ſi non poſſunt oſtendere, rei profectò erunt apud Deum & homines, vſurpatæ publicæ poteſtatis ſiue tyrannidis. Iuriſdictio magiſtratum conſtituit, à quo verò illā acceperunt? Vel de ſpirituali ſermo eſt vel de temporali, ſpiritualis conferri eis ab aliis non potuit, quàm ab Epiſcopis qui tunc erant, hoc eſt ab Eccleſiæ Romanæ præſulibus, qui cum illos ſectarum duces, perpetuò rebelles hoſteſque capitales experti ſint, nulla ratione videri poſſunt aliquam eis contuliſſe (niſi fortè oues lupo authoritatem in ſe dediſſe cenſeantur) ſicut nec prius collatam confirmaſſe, ſed facto ipſo reuocaſſe. De poſteriore hic non agimus, quia ad immutanda quæ religionem ſpectant, ad peccata quæ in fidem committuntur caſtiganda, ad regendas Eccleſias, & fidei res definiendas, tàm parum ſe extendit, quàm parum iuris habet humanum corpus in animam rationalem.

Quartò, indiſcretio iniquitaſque eſt minimè ferenda, quorundam vitioſitatem ad omnes extendere, in omnes velut reos ſæuire, quam iniquitatem à Deo remouere volens ſanctus Abraham dicebat Geneſ. 18. *Abſit à te vt rem hanc facias, vt occidas iuſtum cum Impio, fiatq; iuſtus ſicut impius, non eſt hoc tuum qui iudicas terram, nequaquam facies iudicium hoc.* Et ſecundum iura ipſa humana, *ſatius eſt impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Vos *L. abſentē ff. de pæn.*

autem

Digitized by Google

autem sectarij promiscuè, cæco impetu & Andabatarum more in omnes exarsistis, cum tamen certo certius esset, testimonio etiam conscientiæ vestræ, complures è Catholicis immunes fuisse à corruptis moribus, qui tantopere vos Spiritussancti zelotas offenderunt. Exemplum obseruastis aliquos minus benè moratos, minus quàm par erat continentes, sed nunquid omnes? Nulli erant in clero exorientibus vobis qui pudicitiam colerent? erant certè plurimi, ac inter cæteros sancti illi Patres Carthusiani in Anglia sub Henrico 8. martyrio coronati, qui si voluissent decretis nefariis assentiri, nullam aliam pœnam pertulissent quàm matrimonij à quo abhorrebant.

Quintò, indiscretio detestabilis est si Prætor sic abominatur ciuium quorundam flagitia, vt non contentus ea castigare, discessionem à ciuitate faciat, in qua natus & educatus est, aliamq; conetur extruere, quæ priorem illam vt rebellis Carthago Romam assiduè vexet ac cruciet. Etsi itaque prætores essetis quotquot estis, hoc est, legitima authoritate præditi ad Ecclesiæ nostræ punienda delicta, quia tamẽ id facere aggressi estis per viam schismatis seu diuortij, peccatum peccastis quod nulla delebit obliuio, inconsultissimos vos esse probatis, atque à Beato Paulo Apostolo, & à sanctis Dei Prophetis valdè differentes. Namque Apostolus, vt scribit & fatetur Caluinus in Instruct. contra Anab. art. deprehendit in Ecclesia Corinthiorum errores contra fidem non paucos; peccata verò contra bonos mores tàm grauia, vt horrori essent etiam infidelibus, nec tamen sese ab ea segregauit. De Prophetis hæc habet Augustinus, *Clamauit Moyses, clamauit Isaias, clamauit Hieremias, videamus num dimiserunt populum Dei. Quàm vehementer increpauit Hieremias sceleratos populi sui, inter eos tamen erat, vna cum illis templum intrabat, eadem sacramenta frequentabat, in ea sceleratorum congregatione viuebat.*

Lib. 3. cont. epist. parm. cap. 4.

Sextò indiscretio turpissima est, & zelus ridiculus vitiosissimos homines se neglectis sananda ac castiganda suscipere aliorũ vitia: idque insinuat satis dominus cum ait, *qui sine peccato est vestrum primus in eam lapidem mittat*, & Matth. 7. *Hypocrita eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris tui,* nempè regula primùm recta sit oportet, deinde quæ applicantur,

tur, corrigat, vix ac ne vix quidem poteſt lapſus erigere lapſum, & iuxta leges humanas, *quando quis alium facientem prohibere ex officio neceſſe habuit, id ipſum committere non debuit.* At quid ſunt alij ſectarij & Prædicantes omnes ſectariorum ſua etiam confeſsione ac ſententia, quàm corruptiſsimi homines, concupiſcentiæ ſerui, ad nullum bonum vtiles; qua ergo fronte auſi ſunt ad curanda aliena mala proſilire?

L. altius ff. de ſer. vend.

Septimò indiſcretio eſt ab omnibus etiam Ethnicis reprobata, propter rei bonæ abuſum rem ipſam tollere. Quid dico ab Ethnicis? Immò etiam à Caluino, ait enim in eadem Inſtitut. art. 7. *Sed animaduertamus modum reprehendendæ & corrigendæ corruptelæ non eſſe eam cum legitimo vſu miſcere ac confundere, vt vtrumq; ſine diſcrimine damnemus. Hodiè in eſu ac potu, & præcipuè in conuiuiis nimius eſt apparatus ac profuſiſsima luxuries, ebrioſitas vitium turpiſsimum & inhoneſtiſsimum hodie viget apud plurimos. Si quis vt has corruptelas reprehenderet, omninò vini omniumq; bonorum ciborum vſum damnaret, nonne blaſphemaret Deum ſic vituperans ac improbans creaturas, quas ad vſum noſtrum deſtinauit?* Atque hoc ipſiſsimum eſt quod feciſtis ſectarij. Abutebatur paſsim clerus ſtatu ſuo, vt ſtatus hic totus aboleretur neruos omnes contendiſtis, abutebatur votis, in vota ipſa virulentas linguas velut in diabolica inuenta exacuiſtis. Abutebatur ſacramentis & ſacrificio, ſordidum ex eo lucrum nonnunquam captans, illa magna ex parte eleuaſtis, vt autem iſtud funditùs tolleretur intentatum nihil reliquiſtis. Abutebatur cæremoniis ineptas nonnunquam inſerens ſubmouere omnes voluiſtis. Hoccine fuit cenſorium Catonem agere, atque in omnibus ſeruare modum? Habuiſtis fateor reprehenſionis materiam, ſic abundabat malitia, vt impleretur illud Oſeæ 4. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit*, tamen vt rectè notat Alphonſus à Caſtro lib. 1. aduerſus hæreſitatis caput 12. huic morbo aliter medendum & obuiandum erat. Admonendus fuit clerus & corripiendus, ſed non tollendus, quia Dominus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat Ezech. 18. Laborandum erat pro Monachorum reformatione, non tamen Monachorum ordines abolendi. Edocendus populus vt non poneret

ſpem in cæremoniis, non tamen à cæremoniarum cultu omninò ſeparandus. Imitandi erant Guillielmus Normandiæ Dux, Ferdinandus, Elizabetha, Carolus V. Hiſpaniæ Reges, Emmanuel, Ioannes III. Luſitaniæ, & Henricus eiuſdem regni Cardinalis. Quorum primus cũ occupato regno Angliæ de eodem conſeruando rationes iniuiſſet, Vinctonæ ſynodum celebrari curauit, in eaque ſaluberrimis legibus ſacerdotum vitas populique mores profligatiſsimos corrigi, & religioni florem priſtinum, ac diuino cultui ſplendorem reſtitui. Reliqui ſimiliter cum cernerent Monachorum mores multis in locis ad mollitiem lapſos, viros religione præſtantes accerſiuerunt, quorum opera refrenata eſt cupiditas atque licentia, & fluxi mores ſeueriore diſciplina deuincti, & animi torpentes ad ſtudium ardentiſiſsimum pietatis excitati. Itaque exſtant apud eos modo Monachi religioſiſsimi qui S. Baſilium, & Benedictum, & Bernardum, & Dominicum, & Franciſcum religionis puriſsimæ caſtitate, diuini amoris ardore, egregiæ virtutis exemplis imitantur. Sic inquam agendum erat, vt ad ſanctam reformationem collapſæ veteris diſciplinæ quæ videbatur prætendi, perueniretur. Sed enim furor nihil moderabile ſuaſit, vt in lolium ſiue zizania, ſic in agrum ipſum ſæuitum eſt, ex quo non potuit non ſequi ſumma quædam rerum perturbatio atq; confuſio, nec hodie poteſt. Si namq; ob aliquorum Monachorum vt aiunt offenſionem funditus illorum ordo exterminandus fuit, & propter ſacerdotum flagitia ſacerdotalis dignitas & Pontificalis authoritas ſubruenda, conſequens eſt, vt ſimiliter propter magiſtratum qui officio ſuo functus non fuerit, Reipublicæ ordo & authoritas eliminetur: qua quidem ratione res ad chaos illud primum quod iuxta Poetas ordinatam naturæ conditionem anteceſsit, non ſine publica vaſtitate & exitio redibit. Quæ enim res tàm ſancta qua non interdum homines non ad ſummam fraudem & flagitium abutantur? Et ne longius abeamus. Ipſum matrimonium quod Nouantes omnes tanti faciunt, ſemper & caſtè & religioſè ſeruatur? Nunquam à maritis iniuriæ vxoribus inferuntur? Nunquam vxores viris inſidias moliuntur? Nunquam vlla adulteria committuntur? committuntur certè, multaq; ſæpenumero ab hominibus

Digitized by Google

nibus matrimonio deuinctis tetrè & impurè fiunt cum inſigni temeritate & impudentia. Placet igitur hoc viri & vxoris fœdus, & coniunctionis legitimę pactionem propter alicuius matrimonij flagitia dirimere? Non profectò; in promiſcuos enim concubitus homines ruerent, nec quidquam inter nos & quadrupedes intereſſet. inebriantur vino plurimi, non ob id incidendæ vites, vt fecit Lycurgus, ſed propius fontes admouendi. Quamuis igitur nihil ordine, nihil cum religione & honeſtate à noſtris fieret, non continuò erant ea, quæ ſanctiſsimè ſunt inſtituta euertenda, ſed opera danda, vt quæ non rectè fiebant legitimè fierent. Nec enim ea quæ ſanari poſſunt omninò reſecanda ſunt, nec ſi vitioſæ partes excidendæ neceſſariò videntur, eſt continuo corpori vniuerſo, quod facilè poteſt ad naturam reuerti, interitus afferendus. Neque Reipublicæ ſtatus cum primum tumultuari cœptum eſt, immutandus; ſed omnia quæ labuntur ad principia rectiſsimè conſtituta reuocari conuenit.

Tandem ſi ex fructu arbor dignoſcitur maledictum zelum veſtrum, Deoq; inuiſum fuiſſe facile eſt concludere. Quem enim ſucceſſum habuit, niſi vt omnia fierent deteriora? Nunquam Athei plures, nec maior peccandi licentia, nec perfidia crebrior. Nempè viri ingredientes duas vias non habebunt ſucceſſus. Vos ſi qui alij ingreſsi eſtis, Reformationis ſpeciem prætendiſtis, ſed exitus acta probauit, & fimbria de textu, cauda de vulpe teſtata eſt, vos ſcilicet ad nihil aliud quàm ad Eccleſiæ ruinam, religionis omnis extinctionem, & Epicuream viuendi licentiam collimare. Simulaſtis vos grauibus eiuſdem Eccleſiæ ſcandalis commoueri, ſed quaſi flentes ad Nouercarum tumulum. Videri voluiſtis Eccleſiaſticæ auaritiæ caſtigatores, ſed vt illorum opibus impinguaremini, quas vbique corraditis, vt verè ad vos pertineat illud, *profeſsio tua & deſiderium tuum inter ſe diſcrepant, nam cum Philoſophum te eſſe proponas, vinceris auaritia & rapacitate* L. profeſsio cap. de muner. Et quia fictè reformationi illi ſtuduiſtis, doctrina & moribus veſtris facta ſunt deteriora omnia. Quia item facto ab Eccleſia diuortio ineptiſsimam eiuſdem reformandæ viam iniuiſtis; veritate quæ ad collapſa reparanda ſumi ab ea debebat, ſpoliati eſtis, & eadem via errore circumuenti, quæ

reuocare alios ab errore voluiſtis, impletumque eſt in vobis illud Auguſt. *Vos iſta non intelligitis, quia in Eccleſia Chriſti vera Catholica eruditi non eſtis.* L.4. contra Fauſt. c.2.

De Humilitate actu 3. Imperato & nota 16. veræ Religionis.

CAPVT III.

§. 1. Humilitas quid ſit, & quid in humilibus operetur.
2. Quomodo illam imperet Religio, & actum ſuum faciat.
3. Excellunt ea Orthodoxi ſiue Catholici.
4. Tument contra incredibili faſtu Mahumetani.
5. Magis adhuc Pſeudo-euangelici.

§. 1. HVmilitatis natura quàm ſit recondita declarat S. Io. Climacus, proferens in gradu 25. varias Patrum de ea ſententias. *Alius*, inquit, *rectè factorum obliuionem eſſe dixit, alius extremum ſe omnium, magiſq; peccatis obnoxium exiſtimare. Alius mentis cognitionem qua imbecillitatem propriam cognoſcit. Alius gratiæ Dei & miſericordiæ agnitionem. Ego verò omnium minimus veluti canis cadentes micas de menſa probatiſſimorum Patrum colligens de hac ſingulari virtute diffiniens dixi. Humilitas eſt gratia ſine nomine, apud illos ſolos nomen habens, qui illius experimentum cœperunt.* Vt autem veram eius naturam perſpectam habeamus, indicanda primùm eſt varia vocis huius ſignificatio, ac primò ſignificat contemptum paſſiuum Deut. 26. *Reſpexit Dominus humilitatem noſtram.* Secundò, vilem conditionem Phil. 3. *Reformabit corpus humilitatis noſtræ.* Tertiò, afflictionem Pſalm. 24. *Vide humilitatem meam laborem meum*, atque in hoc ſenſu ταπείνωσις græcè dicitur. Quartò animi virtutem oppoſita elationi ac ſuperbiæ Iacob. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit. humilibus autem dat gratiam*, & tunc ταπεινοφροσύνη à Græcis appellatur, & aptiſsimè à S. Thoma deſcribitur virtus qua retinetur animus ne in excelſa tendat, & ſe plus æquo efferat, & meritis ſuis

2.2. q. 161. art. 1. & 2.

Digitized by Google

ſuis maiora quærat. Vnde infert art. 3. partem eſſe temperantiæ ac modeſtiæ latè ſumptæ, quod ſicut temperantia propriè moderatio quædam eſt voluptatum tactus & guſtus, modeſtia autem actionum externarum; ſic humilitas moderatio quædam eſt appetitus, ne excellentiam concupiſcat ſibi indebitam, aut aliquid ſupra vires & conditionem propriam facere præſumat, ſed imperfectum ſuum videat, ſuo ſe pede metiatur, atq; externis moribus hanc moderationem profiteatur. Iuxta quod.

Primum hominis verè humilis officium eſt, defectus ſuos diligenter conſiderare, vt ex iis qualis reuera ſit, & quorum meritorum magis magiſque intelligat, quod adeò curæ Ethnicis ipſis fuit, vt celeberrima apud eos ſententia viguerit γνῶθι σεαυτόν. & Prouer. 31. mulier illa fortis conſiderat ſemitas domus ſuæ, & ſanctus Dauid Pſal. 9. vnicè optat gentibus, vt ſciant quoniam homines ſunt.

Secundò, non ſeipſum commendare ſeu canere, quod & odioſiſsimum eſt & turpiſsimum, propter quod præcones ludorum gymnicorum qui cæteris coronas imponebant victoribus, eorumq; nomina magna voce pronuntiabant, cum ipſi antè ludorum miſsionem corona quoq; donarentur, alium preconem adhibebāt, ne ſeipſos prædicarent. ſed potius defectuum ſuorum ſincerè ac vitato faſtu accuſare Apoſtoli exemplo, qui ſe primum dixit peccatorum quem ſecutus S. Auguſtinus non dubitauit in libris Confeſsionum delicta iuuentutis ſuæ toti mundo inſpicienda proponere. 1. Tim. 1.

Tertium aſpernari neminem; ſed potius ſibi anteferre, quod facilè fit, quando quis proprios ſolum defectus conſiderat, & cum alienis comparat virtutibus, quando item parum attendit formam, opes, ſcientiam, & gratias alias quas gratis datas appellant, quæq; ſunt malis & bonis communes, qualibus alios non ægrè ſuperauerit; ſed magis intendit oculos in virtutes ſolidas, & gratiam gratum facientem, quæ ſæpè in iis eſt vberior, qui non adeò pollent prioribus illis, ita vt omnes ferè minores natu, quorum ſcriptura meminit vt Abel, Iſaac, Iacob, Dauid, probiores fuiſſe ſcribantur maioribus quoad temporalia præcellentibus. Cum autem indignum eſt ſi quis alicui ſe anteponat, tum maxi-

mè si multis iisq; natu maioribus, ac sibi superioribus. Cuius-
Iob.30. modi arrogantiam carpens S.Iob. dicebat. *derident me iuniores quorum non dignabar Patres ponere cum canibus gregis mei.*

Quartum, eminentias non ambire, nam licet fortè vir humilis ob multas animi dotes & egregia facinora reipsa dignus sit honore ac munere aliquo publico, nec humilitati repugnet, si admittat ipsum vel administret, vt notat S.Thom. supra artic.3. & insinuat Apostolus, 1. Corinth. 2. cum vult scire nos ea quæ donata sunt nobis; hoc tamen non facit humilitate media, sed gratitudine aut magnanimitate, ad quã pertinet in merita propria oculos prudenter intendere, itaque ab indebitorum prosecutione honorum abstinere, vt tamen eos non respuat, qui debentur illis. Humilitas autem cum non attendat bona quæ fecit, nec dotes quibus prædita est, sed mala quæ commisit bona quæ prætermisit, ac domesticas suas vitiositates, honores nullos sibi quærit, quia nullum iis deberi videt. Deiectioni potius studet non internæ solùm, sed multò magis externæ; memoria repetens,
In epist. ad Celant. quod scriptum est à S. Hieronymo. *Humilitatem sequere non quæ ostenditur aut simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro cordis affectu exprimitur: aliud enim est virtutem habere; aliud virtutis similitudinem.*

Quintò, subesse libentissimè legitimis suis Superioribus. sicut ex aduerso inobedientia ad superbiam spectat iuxta illud Deut.17. *Si quis superbierit obedire nolens sacerdotis imperio*, si superbo quia superbus est graue est subiici, restat vt contraria de causa id sit humili periucundum.

Sextò, in bonam partem interpretari mala seu castigationes à Deo immissas sibi, vel ab iisdem legitimis Præpositis, vt potè suis dignas erratis atq; defectibus, quin etiam grauiora iis deberi a-
Psal. 102. gnoscere Prophetæ exemplo dicentis. *Non secundum peccata fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*

Postremò Dei timendo iudicia operari in timore & tremore
Psal.48. salutem propriam, iuxta illud eiusdem Prophetæ. *Cur timebo in die mala iniquitas calcanei mei circumdabit me.* Ecce profitetur se formidaturum in die mala seu instante iudicij proprij die, causamque affert petitam ex consideratione propriorum defectuum, quæ consideratio nulli familiarior est quàm humili. Eodem pertinet quod

quod ait Pſalm.2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore,* quæ verba librans ſuo pondere S. Aug. dicebat. *Niſi gaudium ſpei noſtræ cum timore damnationis eſſet in nobis, negligens eſſet ipſa ſecuritas, & ſuperba præſumptio. Neq; in Pſalmo nobis diceretur, exultate ei cum tremore.* Pro ſua autem humilitate atque modeſtia addit lib. 10. Confeſſ. cap.32. *Me latet facultas mea, & animus meus de viribus ſuis ipſe ſe interrogans, non facile ſibi credendum exiſtimet. Nemo ſecurus eſſe debet in hac vita, quæ tota tentatio nominatur, vt qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.* Et in lib. de corrept. & gratia cap.13. *Quis ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Angelum Satanæ, ne extollatur, tantus colaphizetur Apoſtolus*, & infra, *ſimilia multa dicuntur propter huius vtilitatem ſecreti, ne fortè quis extollatur, ſed omnes etiam qui benè currunt, metuant, dum occultum eſt quò perueniant.* Lib. Annot. in Iob. c.42.

Tametſi humilitas in ſe conſiderata finem alium propoſitum habeat, vt diximus, quàm cultum Dei, reipſa tamen accommodatus eſt actus eius, qui cultui huic ſeruiat, ob idq; à religione aſſumatur & imperetur. §.2.

Primò quia teſtis eſt ſcriptura ab humilibus Deum coli, Eccl. 3. *Magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.*

Secundò, Daniel cum ſociis cap.3. inuitat ſingulariter humiles ſpiritu, ad benedicendum, laudandum, & ſuperexaltandum Deum in ſecula; quod non faceret, ſi humilitas ſingulariter non conduceret ad Dei Maieſtatem glorificandam.

Tertiò ſuperbia plurimum officit diuinæ ſeruituti, ita vt primus quodammodo eius effectus ſit Dei ipſius iugum excutere, atque vt ſcriptura loquitur ab illo apoſtatare, ergo humilitas ex aduerſo proderit ad eam plurimùm. Eccleſ.10.

Quartò, ſingulariter neceſſaria eſt oranti, quia par eſt ad hoc vt poſtulata impetret, vt ſuam agnoſcat indigentiam, quemadmodum rectè notauit S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. cum itaq; oratio actus ſit religionis, dignus eſt humilitatis actus qui inter religioſos computetur. Quintò, cum contraria iuxta ſe poſita illuſtrent ſe mutuo, haud dubiè vir humilis ſiſtens ſe diuino conſpectui, & in arcano cordis profundè ſe deiiciens, ſeu puſillitatem ſuam

Digitized by Google

ſuam agnoſcens ac confitens Deum quodammodo exaltat, quid ergo vetat quo minus ad honorem & gloriam illi hoc modo conciliandam religio imperet humili, ſeſe vt humiliet?

Accedunt poſtremò teſtimonia ſanctorum Patrum vt S. Cypr. ſerm. de natiu. Chriſti, *hic eſt primus religionis introitus, ſicut primus in mundum Chriſti ingreſſus, vt quicumq; vult piè viuere, ſimiliter de ſe ſentiat, neq; ſupra ſe in mirabilibus ambulare præſumat.* S. item Aug. lib. 14. de ciuit. c. 13. *Sicut Rhetor ille nobiliſſimus Demoſthenes, cum interrogaretur quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis, obſeruari oportere pronuntiationem dicitur reſpondiſſe, cum quæreretur quid ſecundò? eandem pronuntiationem: quid tertiò nihil aliud quam pronuntiationem reſpondiſſe. Ita ſi interroges & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ religionis, nihil aliud reſpondere niſi humilitatem liberet, etſi fortè alia dicere neceſſitas cogeret*, ac tandem Cyrillus Alexandr. in lib. de ſacerdotio. *qui ad cultum exhibendum ſanctificatus eſt humilia ſectetur non in ſublime conſcendat, caueat arrogantiam ne turpis videatur ac deformis, deformis namq; ſanè ac turpis eſt morbusq; periculoſiſſimus animi ſenſus ſupra modum elatus.*

Hic notandum, humiliationem ſeu deiectionem ſui prout ab humilitate imperatur, non eſſe eandem cum ea quæ ab eadem religione in actu adorationis elicitur: Hæc enim ex conſideratione diuinæ eminentiæ reſultat & concipitur, Illa verò ex conſideratione propriorum defectuum.

§. 3. Poſſum multiplici nomine Catholicos ab humilitate commendare.

Primò exactam notitiam habent peccatorum omnium, & quibus obnoxij ſint non ægrè cognoſcunt, quæ cognitio vnum ex præcipuis fundamentis eſt humilitatis. Theologiam moralem (conſcientiæ caſus vulgò appellant) accuratè explanant, in qua nullum peccati genus indiſcuſſum relinquitur, ſed quodlibet ad minutias vſq; expenditur. Ita fit vt ſicut Grammatici ſolæciſmos, barbariſmos & ſimilia ſtatim norunt, quia in his diſcendis impenſè verſantur, ſic Theologi Catholici peccata quælibet ſimili de cauſa. Applicant autem ſibi hanc notitiam, & quibus peccatis detineantur, diſcunt dupliciter; primò per examina diurna propriorum actuum iis familiaria (præſertim vbi magis viget pietas) adeo vt non deſint regulares quibus pro regula eſt id præſtare bisquotidie, hoc eſt, mores conuerſationemque ſuam ad calculos vocare, quin etiam pleriq; chariſmata æmu-

Digitized by Google

æmulantes meliora, in horas penè singulas colligunt sese, & se sibiipsis contemplandos obiiciunt. Sane sicut iunonis auis si, dum se magnificè circumspicit, & plumis superbit suis in orbem digestis, ad deformes pedes obtutum fortè conuertat, mox fastu illo abiecto ad modestiam componit sese; idem illis post tantam sui discussionem euenire putandum est. Secundò, per iuges meditationes vitæ Christi & Sanctorum, in qua velut in speculo sordes ac næuos suos deprehendunt, admonente illos conscientia, eos hic & nunc ea non facere, quæ illi fecerunt iisdem positis circumstantiis. Sic gregarij Poëtæ, Pictores, Oratores, Semidiuites, Semibelli nunquam inopiam, ruditatem, aut sui defectum corporis certius norunt, fortiusue apprehendunt, quàm dum hæc omnia cum eximiis Virgiliorum, Apellium, Tulliorum poëmatis, tabellis, declamationibus, cum elegantissimis item & præstanti forma Iuuenibus comparant. Tunc ad se redeunt rubore suffusi, tunc intelligunt quàm ij non sint, quos se esse amor sui suggerebat immodicus, & stulta præsumptio.

Ex hoc alterum sequitur modestè admodum de se sentiunt, cum fieri non possit, quin iugi illa defectuum propriorum libratione, ad sui despicientiam perueniant, sicut è contra facilè cristas attollunt, qui bona quæ faciunt, vel ab arte aut natura acceperunt, oculis suis studiosè repræsentant. Dixerat quispiam, *diues sum, & locupletatus, & nullius egeo,* mox autem à Spiritu sancto respõsum accepit, *& nescis quia miser es & miserabilis, & pauper, &c.* ac diceret, si scires nequaquam sic in superbiam erigereris, quin potius confunderereris, teque ad ima vsque deprimeres. Tametsi enim non repugnet eum, qui post longam ac seriam morum suorum cribrationem, se defectibus onustum deprehenderit, exterius induere mores superborum, vt tamen in recessu mentis magni se faciat, adduci non poterit. *Apoc. 3.*

Sed dicat aliquis fortè, quis eos credat sibi operibusque suis parum tribuere, cum ea dicant meritoria esse apud Deum, atque hunc eis debere mercedem? magni planè iudicio suo sint oportet, qui operando se posse credunt sibi Deum obligare. Cùm præterea Romani Pontifices sanctos se Patres appellẽt, immò ipsammet sanctitatem, & summos Pontifices, & Episcopos Episcoporum, & primos Episcopos, & Soli se comparent, vt liquet ex epist.

Innocentij III. ad Imperatorem Constantinopoleos, & arrogent sibi in iis quæ de fide sunt diffiniendis, nunquam errandi prærogatiuam; cum denique Ordinum Regularium à quibus maior quędam modestia sperabatur, quidam à S. Trinitate, à Spiritu sancto, à prædicatione Verbi Dei denominationem accipiant, quasi soli S. Trinitati seruirent, aut Spiritui sancto, aut Prædicatores in Ecclesia Dei agerent. Respondeo, non dicunt se operibus suis mereri posse quidlibet, v. g. perseuerantiam finalem aut primam gratiam. Hanc fatentur esse omninò gratuitam iuxta doctrinam Apostoli, Ephes. 2. *Gratia Dei saluati estis.* Et alibi: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit*, sed tantùm gratiam secundam, seu augmentum primæ, & quæ illam sequuntur, inter cætera autem vitam æternam. Voluit quippè Deus pro sua summa in nos charitate id fieri, quod erat nobis futurum melius, & dulcius, & honorificentius. Melius autem erat consequi præmium per meritum quàm sine merito, quia vt docet S. Thomas, præstat habere aliquod donum per se quàm per aliud, eo quod causa quæ est per se, potior semper est eâ quę per accidens, ex Aristotele lib. 8. *Phys.* textu 39. hoc autem dicitur aliquis habere per seipsum, cuius est aliquo modo causa. Et quidem prima causa omnium bonorum nostrorum per auctoritatem est Deus, atque ex hoc capite nulla creatura habet aliquod bonum per seipsam, iuxta illud 1. Cor. 4. *Quid habes quod non accepisti?* potest tamen secundo loco aliquis esse causa sibi alicuius boni habendi, quatenus in hoc ipso cooperatur Deo, & sic qui habet aliquid per meritum, habet illud quodammodo per seipsum, proindeq; & laudabilius & honorificentius. Quod autem ob id nihil detrahatur diuinæ gloriæ, ex eo patet, quod meritum seu vis illa obligandi Deum, quæ bonis operibus nostris inesse creditur, ab ipso Deo proficiscitur, qui & vltrò semetipsum obligare voluit, ad pendendam iis in gratia factis mercedem, & hanc gratiam dispositis nobis in prima iustificatione largitur gratis (per meritum Christi & ex sua promissione liberali) qua instructi opera bona æternæ gloriæ condigna seu proportionata facere possimus. Itaque vis illa nec inest, nec inesse creditur operibus nostris, vt simpliciter à nobis sunt, sed vt à nobis gratia illa diuina præditis, & supponunt liberalem Dei voluntatem obligandi sese iis positis.

3. p. q. 19. art. 3.

Hinc

Digitized by Google

Hinc illud Trid. Concil. *Neque propria nostra iustitia tanquam ex nobis propria statuitur, neq; ignoratur aut repudiatur Iustitia Dei. Quæ enim iustitia nostra dicitur, quia per iam nobis inhærentem iustificamur, illa eadem Dei est, quia à Deo nobis infunditur per Christi meritum.* Et infrà: *Absit vt Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur & non in Domino, cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorũ velit esse merita quæ sunt ipsius dona.* Cap. vlt. de Iustif.
Et apud S. August. longè vetustiorem legimus: *Vita æterna meritis sanè præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostrã sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa* (vita æterna) *gratia nuncupatur non ob aliud, nisi quia gratis datur, nec ideo gratis, quia meritis nõ datur, sed quia data sunt ipsa merita quibus datur.* In lib. de grat. & lib. arb. c. 8.
Et infrà: *Ideo Deus coronat nos in misericordia, non quia corona bonis operibus non redditur, sed quia ex eius miseratione bona operamur, quibus corona reddetur.* Cap. 9.
Ne quidem secundum Caluinum repugnat aliquid simul dari gratis, & ex merito diuersa ratione, sic enim loquitur, lib. 2 Iust. cap. 17. num 1. *Regula vulgaris est, quæ subalterna sunt non pugnare, ideoque nihil obstat quominus gratuita sit hominis iustificatio ex mera Dei misericordia, & tamen ex Christi merito.* Ita ergo patet Catholicos non iactare plus æquo opera sua. Taceo non iactare illos sua, sed in genere opera bona. Nam quod ad sua attinet, ita sperant vt tamen metuant semper, ne minus bona sint & perfecta, quàm meriti ratio postulat. Atq; hæc vna causa est, cur orantes sanctorum ipsorum interponant merita, quasi diffidentes.

Romanorum Pontificum nullus vnquam se sanctum vocauit aut sanctitatem, sed hoc epitheto illum prosequimur, partim vt mori insistamus sanctorum Patrum, qui sæpè se mutuò sic honoris gratia compellabant, immò primitùs fideles omnes sancti appellabantur, idq; indicatur verbis illis, Hebr. 13. *Vnde fratres sancti vocationis cælestis participes.* Partim vt qualis esse debeat admoneatur. Nam & scriptura passim exprimere volens aliquid fieri debere, ait illud fieri, vt Ioan. 2. *Omnis homo primùm vinum bonum ponit,* id est, ponere debet. Matth. 9. *Vinum nouum in vtres nouos mittunt,* id est, mittere debent. Hebr. 14. *Nemo assumit sibi honorem, id est,* nemo *debet assumere.* AEquè parùm vocant se primos aut summos Pontifices, aut Episcopos Episcoporum, sed ex aduerso seruos seruorum Dei. Quod si interdum sedem suam soli comparant, necessitate

ſitate adacti id faciunt, vt ſcilicet miniſterium ſuum honorificēt, acceptamque à Deo poteſtatem ignorari non ſinant, nam & ipſemet inter pannos honorari à Magis voluit, & Apoſtolus dignitatis aliquando ſuæ rationem habuit vt, Actor.16. dicens: *Cæſos nos publicè indemnatos homines Romanos miſerunt in carcerem, & nunc occultè nos eiiciunt, non ita, ſed veniant, & ipſi nos eiiciant.* Permittebat Imperator ille Conſtãtinopoleos vrbis ſuæ Patriarcham magnum & honorabile membrum Eccleſiæ ſedere in ſiniſtra parte iuxta ſcabellum pedum ſuorum: grauiter hoc tulit Innocentius, deque eo paternè ipſum admonuit, Pontificiam ſcilicet dignitatem cum ſeculari comparatam longè eſſe eminentiorem, ac ſolem quendam lunæ compoſitum. Et ita eſt ſanè. Nam ſi Hieremias deſcendens de ſimplici proſapia ſacerdotum qui erant in Anathot. (idque Moſaica lege) Regibus omnibus à Deo eſt propoſitus dicente: *Ecce conſtitui te ſuper gentes & regna,* quanto credibilius eſt tàm Apoſtolos quàm illorũ ſucceſſores legitimos iiſdem laicis à Chriſto præſtitutos? Si animos regunt, Reges autem corpora, vtique ſicut animi corporibus longè antecellunt, ſic illi Regibus. In ipſamet priſcorum gentilitate, Gallorum Druydæ Regibus iura dabant Cæſ. lib.6. de bello Gall. & ſacerdotes Germani in Comitiis ius dicebant Tacit. lib. de mor. Germ. n. & Tyberius Grachus Pontifex Scipionem Conſulem depoſuit Valer. Max. lib.3. cap.1. & in veteri lege Sacerdotes & Prophetæ Reges inungebant, 1. Reg. 10. 2. Reg.5. 2. Paral.23. Quod ad poteſtatem certò definiendi quæ de fide ſunt, non illam ſibi arrogant, ſed ſibi in perſona Petri à Chriſto datam agnoſcunt, & cum opus eſt exercent, ad confirmandos fratres, & tollenda ſchiſmata, ſicut etiam agnouit S. Hieronymus cum ſcriberet: *Si minus peritè aut parum cautè aliquid fortè poſitum eſt, emendari cupimus à te qui Petri fidem & ſedem tenes. Si autem hæc noſtra fides Apoſtolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, ſe imperitum, vel maleuolum, vel etiam non catholicum non me hæreticum comprobabit.* Et rurſus: *Cathedram Petri & ore Apoſtolico laudatam cenſui conſulendã, indè animæ meæ poſtulans cibum. Vbicumq; fuerit corpus illuc congregabuntur & aquilæ. Profligato à ſobole mala patrimonio apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur auctoritas.*

Hier. cap.1.

Expoſ. ſym. ad Damaſ.

Tandem

Tandem Regulares aliqui à Trinitate, à Spiritu sancto, à Saluatore, à Iesu, à S. Cruce congregationes suas denominant, non ex fastu aut superbia, quasi indicare velint, se solos aut præcipuè pertinere ad S. Trinitatem, ad Spiritum sanctum, &c. sicut neque Apostolus vocans se seruum Iesu Christi, negare voluit alios eidem seruire, nec Iacob vocans ædificium quod extruxerat in Bethel, Genes. 35. domum Dei, negare voluit alia quoque ædificia sacra vocari posse hoc nomine, nec dicens ibidem Deum fuisse socium itineris socium, æqualem idcircò se Deo fert, aut Deum aliis quoq; adesse negauit: nec torquati illi equites, quos in Gallia Spiritus sancti equites dicimus, se solos ei militare profitentur. Sed denominationes illas ab Apostolica sede approbatas vsurpant ac retinent, vel ob singularem deuotionem, erga res illas primitiuas, vel ob ardentissimum studium illas confitendi, inuocandi, aut imitandi, vel alias ob causas, quas longum esset recensere.

Tertiò, non aspernantur cæteros, sed multipliciter eos magnifaciunt, nisi fortè insolentes & arrogantes, vt iusto aliquo cõtemptu sese ad modestiam recipiant, & iusta vexatio det illis intellectum, impleaturque quod scriptum est, Isa. 33. *Væ qui spernis, nonne & ipse sperneris?* Sanè summi Pontifices maximè, & Doctores Ecclesiæ propter specialem eminentiam videri possent facti ad aspernandos cæteros, & tamen sunt ab hoc fastu alienissimi. Posset suo iure sedes Apostolica de rebus agendis subditos non interrogare, sed informatione aliunde accepta id definire, & definitum proponere, quod in Domino consultius videbitur; & tamen interrogat libenter eos, vt Christus Apostolos, dicens, *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Exemplum sint verba illa Fœlicis Papæ: *His itaq; ritè dispositis, & ad Ecclesiarum vestrarũ notitiam nostra deliberatione perlatis parere vos conuenit, quibus licet ad animarum reparationem nihil deesse videatur; tamen si cui noui aliquid quod præterire nos potuit, fuerit reuelatum, secundum B. Paulum Apostolum tacente priore fideliter insinuet, quia Spiritus sanctus vbi vult spirat, maximè cum sua causa tractatur, nec nos pigebit audire, & si quæ sint omissa non arroganter abnuere, sed rationabiliter ordinare.* Posset rursus secundum acceptã prærogatiuam non errandi in rebus fidei, de qua superius, tot alios Episcopos & Ecclesiæ Doctores non interrogare quot solet, vt exortam de

In epist. ad diuers. Episc.

dogmate aliquo controuersiam diffiniat: nihilominus quo securiora sint omnia, & ne humana media præteriens Deum tentare videatur, ne rursus præclaram exercendæ modestiæ occasionem prætermittat, & aliena iudicia, quasi nullius pretij missa faciat Cardinales, Episcopos, & Doctores maximo quo commodè potest numero in Concilium vocat, nè aliâs ipsorum etiam Ethnicorum censuræ fiat obnoxius, vt Sallustij Cassium redarguentis, quòd magnis in rebus quorũdam consilio nõ fuerit vsus cum posset, esto non teneretur. Verba eius sunt; *Etsi Cassius absolutam haberet à Senatu potestatem agendi cum Hernicianis, quia tamen in hoc negotio nullius Senatoris directionem accersiuit, male audiuit.* Ipsi verò Doctores, siue è superiore loco dicãt, siue in lucem libros edant, modestiam vbique magnam præseferunt, nec se multum efferentes nec sua, multo minus quæ à superiorum seculorum Patribus memoriam prodita sunt, aut carpentes, aut etiam contemnentes, sed potius magna reuerentia illorum dicta suscipiunt, iis velut gemmis exornant sua, & se cum iis vt cum limpidissimo fonte riuulos, & cum lucidissimo Sole stellas comparant, quodque amplius est quidquid dicunt & scribunt, castigationi, censurisq; eiusdem sedis subiiciunt.

Quartò, præesse non ambiunt, sed oblatas potius dignitates repudiant, memores aureæ illius apud S. Leonem sententiæ, *Principatus quem seditio extorsit, vel ambitio occupauit, quamuis moribus & actibus non offendat, ipsius tamen sui initio est perniciosus exemplo. & difficile est vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Hoc quantum consentiat disciplinæ, & praxi Ecclesiasticæ permulti canones perspicuè declarant. Extat inter alios caput *per vestras*, de iure Patronatûs, vbi statuit Innocentius Papa ne patronus etiamsi Clericus sit possit se præsentare, *quia valdè indignum est, in huiusmodi officiis institui non vocatos.* Similia inculcat canon *miratur*, dist. 61. Prætereà lex, *si quenquam*, C. de Cler. & Episc. *Quæratur*, inquit, *cogendus qui rogatus recedat, inuitatus fugiat: profectò indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus.* De facto non prius ordinantur Episcopi, quàm interrogati, velintne Episcopari? respondeant, Non. fieri potest, vt ita quis contra mentem suam respondeat, sed hoc est per accidens, profitetur saltem abnuẽdo nefas esse sibi hunc ambire apicem, & constat Ecclesiasticis legibus ambitioni præcludi viam.

Digitized by Google

viam. Similiter in Capitulis ferè omnibus Ecclesiarum Cathedralium optimè institutis, eligendique iure præditis, cum ad noui Antistitis electionem proceditur, tria iureiurando confirmare solent. Primum electuros se quem putant omnium aptissimum ad regendam Ecclesiam tam in spiritualibus, quàm in temporalibus. Alterum in ferendis suffragiis nullam omnino rationem se habituros consanguineorum & affinium. Tertium, nulli se suffragaturos quem subolfecerint ambire Episcopatum. Huc pertinerent multa quæ habentur in c *sicut* 1.q.6. quæ licet non seruent omnes, seruare tamen videri volunt, & profitētur. quod sufficit, vt in hac parte satis consultum videatur Religioni Catholicæ, cuius optimis institutis nec inuidiam conflare debet, nec præiudicare potest priuatorum quorundam ambitio: præterquam quod hanc tegit, & obscurat, & quasi excusat aliorum quamplurimorum singularis modestia. Regulares quorum vix iniri potest numerus, elegerunt illum vitæ statum, quem honorum fugā, modestiæ scholam, contemptum dignitatis omnis, non abs re dixeris. Ex his priuatim aliqui id vnicè curant, ne ad prælaturam aliquam assumantur, nisi ad hoc eos sedis Apostolicæ impellat, cogatque auctoritas. Ex iis quondam non pauci in seculo Principes erant, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles opulenti, viri famâ celebres, eruditione conspicui, & ne sim longior quidam velut Soles gradientes super terram; quam tamen tantam amplitudinem cum humili statu regularis vitæ commutarunt, in quo humili Christo in humilitate seruirent, seque vocatos intelligerent ad nomen sine titulis, ad victum parcissimum, ad lectum & vestitum, vt pauperibus accommodatum, ad exhibendum non admittendum famulatum, ad ministeria domestica, ad iter pedestre, ad vigilias & labores, ad contemptus & similia nullum habentia cum fastu commercium. Ac ne illos putes quasi pœnitentia ductos ambiuisse postmodum honoris apices, aut suauiatos mundi gloriam, quam prius contempserant, quamplurimi certè ex aduerso occurrentem rursus eam pari qua olim constantiâ, & animi magnitudine contempserunt. Silebo adhuc viuentes, ne illis videar assentari. Aliquot vita functos commemorabo. S. Thomas Aquinas oblatum sibi Archiepiscopatum Neapolitanum recusauit. S. Bernardus Geneuensem & Mediolanensem.

lanensem. S. Vincentius Cardinalatum. Claudius Iaius, Episcopatum Traiectensem. Si de ipsis Romanis Pontificibus agitur, numerantur inter eos nouem supra decem qui eundem supremum apicem à se diuertere summo studio contenderunt. videlicet Clemens I. Gregorius I. Gregorius II. Leo IV. Benedictus I. Nicolaus I. Adrianus II. Victor II. Leo IX. Stephanus IX. Victor II. Cyriacus, Marcellinus I. Victor III. Paschalis II. Callixtus II. Honorius II. Alexander III. Celestinus V. Nicolaus V. Ex quo intelligi potest, quanta cum modestia in eo munere versati sunt. Ad quam obscurandam obiicere solent Nouatores pedum oscula, ad quæ Romani Episcopi ipsos nonnunquam Principes admisisse leguntur, quod nunquam facturi fuisse videntur, si non fuissent honoris cupidissimi. Ad hanc querelam perfrequentem respõdere gestio, nimis enim vt ait Heliu ad Iob angustiat me spiritus ventris. Non est nouum accusare superbiæ Romanam sedem. *Apostolicam sedem*, inquiebat de Hæreticis sui temporis, Gelasius Primus, *sibi medicinalia suggerentem superbam vocare arrogantemq́ contendunt.* Illa certe à nemine genus illud honoris exigit, sed tantummodo admittit sibi oblatum, idque castissimis de causis, v.g. vt in persona sua Christus cuius vices gerit honoretur, vt fideles in humilitate adeò commendata sese exerceant, vt illorum deuotioni seruiatur, cuius S. Polycarpus tanta rationem habuisse legitur, vt calceos sibi solui à Christianis huiusmodi obsequium sibi mutuò inuidentibus pateretur: vt denique auctoritati suæ consulat, cuius tuendæ gratia, facere sæpè cogitur, quod præ modestia ac clementia nollet, ne aliâs teneatur coram Deo actione imminuti Magistratus, multò magis quàm Verres ille in quem agit M. Tullius, eo quod se statim non constituerat Philodami accusatorem. *Cur imminuisti ius legationis,* inquit, *cur causam populi Romani deseruisti, ac prodidisti? Cur iniurias tuas coniunctas cum publicis reliquisti? Nonne te ad Senatum causam deferre? non de tam atrocibus iniuriis conqueri? non eos homines qui populum concitarunt Consulum literis euocandos curare oportuit?* Et quia Principes illi Pontificum pedibus vltrò dant oscula, nulla fit illis iniuria, quandoquidem volentibus nulla fieri dicitur, atque vt verbis vtar Saluiani Massiliensis Episcopi; *Superfluum est vt eos quispiam eiusmodi rebus existimet miseros, quibus se illi confidunt fœlices esse. Nemo enim*

In epist. ad Anast. Aug.

Lib. 1. de prouid.

enim aliorum sensu miser est sed suo, & ideo non possunt esse miseri, qui sunt verè in sua conscientia beati. Nulli vt opinor beatiores sunt, quàm qui ex sententia sua atq; votis agunt. Non potest esse arrogantia in iisdem Pontificibus honorem hunc admittere, quin sit fatuitas in Principibus illum deferre, quare non in illos solùm, sed in hos criminatio vestra ô Nouantes dirigitur. Item si eo nomine sunt arrogantes, igitur tanto magis pauperes illi quibus & lauantur pedes, & ab iisdem osculo honorantur, quanto sunt dignitate inferiores, & tamen de his pauperibus nemo expostulat.

Hactenus laudata præcipuè est Clericorum modestia, in iis quæ humilitatis sunt consectandis. Habet ea nihilominus suum quoque locum in secularibus. Namque ipsi quoque Reges, ac Principes pauperum pedes eluunt, & osculantur, iisdem ministrant mensæ accumbentibus, & cum Exomologesim instituunt, non minus aperto capite ad Confessariorum suorum pedes aduoluuntur, quàm infimæ sortis homines. In supplicationibus publicis quas processiones vocant, antecedere non præsumunt, sed ponè sequuntur non dico Episcopos & Sacerdotes, sed eos etiam qui infimum Cleri gradum nondum excesserunt. In sacris Synodis si eos per se, vel per legatos suos adesse contigerit, ad locum se recipiunt non superiorem Episcoporum sedibus, immò nec eminentia parem, sed magni more Constantini infimum, seu pauimento cohærentem, nec intersunt vt Iudices, sed vt inclyti Ecclesiæ filij venerabilem cœtum præsentia sua cohonestantes, & ne quis ibi insolescat, aut tumultuetur obstantes. Sapiunt profectò hæc omnia non vulgarem humilitatem, sed præcipuè illud pedum osculum, & lotio pauperum, de qua S. August. *Faciamus inuicem quod humiliter fecit excelsus, magna est commendatio humilitatis, & faciunt hoc sibi inuicem fratres, etiam opere ipso visibili, cum se inuicem hospitio recipiunt.* Miseros in Xenodochiis decumbentes, vlceribus coopertos, sanie scatentes, halitu, macie, colore, putore, & vt verbo dicam toto corporis habitu horridos adire, versare, pascere, contrectare, curare, componere, tam frequens in Italia est ipsis quoque Nobilibus & matronis, vt vix crediturus sit qui non vidit. *In cap. 13. Ioan.*

Sextò, vltrò subsunt legitimis superioribus, eorum iudicio,

Digitized by Google

atque ordinationibus acquiescunt, non sapientes plusquam oportet, sed ad sobrietatem. Nam cum negari non possit, ex iis quamplurimos ingenio doctrinaque excellere, doctrina autem per se inflet, vt notat Apostolus, sic tamen illam moderantur omnes, vt audita Ecclesiæ definitione, sententias sibi suas gratulentur, non vt suas, sed vt ei consentientes, cui si fortè non congruât, retractant eas vt falsas, quãtúmuis fultas plausibilibus coniecturis, nec Præceptores aut Magistros agere præsumunt, sed se suaq; omnia censenda, corrigenda, mutanda sanctissimo huic Spiritus sancti oraculo, vt filios ac discipulos probè moratos decet, subiiciunt. Similiter si quid Pontifex imperat, si quid interdicit, si cuius opus censura perstringit sua, si quem excommunicat, si in aliquo dispensat, si quid instituit, omnes sine mora factum probant, & quamuis fortè causam facti nesciant, non mussitant tamen non altercantur, sed grauissimam subesse credunt, adeò norunt supremo Christi in terris Vicario summis etiam in rebus sententias suas substernere. Episcoporum Tridentini congregatorum tantus fuit numerus, vt sub exitum recensiti sint octo supra centum sexaginta. Poterant sanè si humilitate caruissent, si graue eis fuisset subesse Romano Episcopo, eiusdem primatui, & prætensæ in omnes iurisdictioni sese opponere. Sed enim consenserunt in eam contrà communibus votis, & Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem agnouerunt & confessi sunt, vt videre est sessione septima, canone tertio, de Baptismo, sessione decima quarta, capite 3. de extrema Vnctione, sessione 22. capite 8. sessione 25. in decreto de delectu ciborum, & denique in forma professionis fidei, & quod fortè aliquanto maius est in sessione 24. capite quinto de reformat. agnouerunt eundem summum Pontificem Iudicem esse legitimum à quo puniri debent. Venio ad Reges & Principes. Profitentur hi nullas se leges edere velle Ecclesiasticis canonibus contrarias, si quæ iis aduersentur, hoc ipso irritas nulliusque esse ponderis. Habent iidem Vasallos suos tam morigeros, vt in iis quandiu Catholici sunt & fuerunt, rebellionem vix vllam grauem, & manifestam sint experti, adeò illos subiectos facit legitimis Præpositis religionis suæ spiritus. Atque hæc vna causa fuit, cur

Digitized by Google

cur isto nostro seculo in varia regna Indica ingressus eidem religioni patuerit. Viderunt enim & experti sunt Dynastæ Indiarum conscientia mirè prohiberi Catholicos, ne aliquando in Dominos suos veros insurgant, sibi autem vtilissimum esse talibus abundare.

Timent denique Dei iudicia, & in timore operantur omnes salutem suam. Hactenus vidi neminem, qui se omninò tutum, & de salute illa securum credat. Nemini venit hic pes superbiæ. Nomine omnium sic loquitur Tridentina Synodus. *Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui iustificati sunt, absque vlla omnino dubitatione apud semetipsos statuere se esse iustificatos, neminemq́ à peccatis absolui ac iustificari, nisi eum qui certò credat se absolutum esse, atque hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici, quasi qui hoc non credit de Dei promissis deq́ mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, déque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet; sic quilibet dum seipsum suamq́ propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum se gratiam Dei esse consecutum.* Et rursus sess. 12. & 13. *Nemo quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsque adeò præsumere debet, vt certò statuat se omnino esse in numero prædestinatorum, quasi verum esset quod iustificatus aut amplius peccare non possit, aut si peccauerit certam sibi resipiscentiam promittere debeat. Similiter de perseuerantiæ munere. Nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant.* Plena insuper & Theologia nostra assertionibus, quæ nos supra modum Dei misericordia, & auxilio indigere admonent, imbecilliores nos esse, quàm vt aliquid etiam humanum sine generali eius concursu præstare possimus, D. Thomas 1. 2. quæst. 109. articulo 1. & 2. vel aliquid supernaturale, sine diuina gratia. Vsque eo pendere à Deo subsistentiam nostram, vt si vel vno momento conseruandi actionem suspenderit, mox omnes in nihilum non secus recideremus, quàm solet aëris lumen sole occidente, vt post S. Augustinum in lib. de Genes. ad literam, tradit idem sanctus Thomas 1. p. quæst. 9. articulo 2. & quæst. 104. articulo 3. eandem Christi gratiam ad aliquid merendum prorsus esse necessariam, ad hoc rursus vt à peccato mortali sem-

per abstineamus ex 1. 2. quæstione 109. articulo 8. & 9. immò præter gratiam habitualem requiri specialia Dei auxilia ad præstanda opera quædam admodum ardua, vel tentationes magnnas superandas, Concil. Trident. sesione sexta, canone 22.

§.4. At Mahumetani sicut Christum non colunt, ita nec humilitatem, quam Christi propriam esse docet Apostolus, 2. Cor. 12. dicens; *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Ad particularia descendamus.

Primò, nullus apud eos vsum scopendi spiritum suum, seu discutiendi sese, libri spirituales nulli ad hoc comparati, sed neque vlli Doctores aut Sacerdotes. Nam qui apud illos isto censentur nomine, nullam animarum curam gerunt, vt ex l. 2. Richerij de Turcarum moribus, scribit Reginald. lib. 2. Caluinoturc. cap. 3. ita fit, vt & vera sui notitia careant, quæ fundamentum est humilitatis atque modestiæ, & peccata multa grauia vix peccata esse intelligant, vt delectationes morosas, cupiditates, blasphemias, suspiciones, odia, iudicia temeraria, & alia cogitationis cordisque prauitates, quibus addo rapinas, grassationes publicas, periuria, fornicationes, stupra, gulam, falsum testimonium, &c.

Secundò, tument omnes typho existimationis propriæ. Ex quo circumcisionis signum acceperunt, Musulmannos se vocāt, & esse credunt, hoc est Orthodoxos, viros ac perfectos Dei cultores, & amicos singulares. Item persuasum habent, nullam aliam gentem secum in comparationem venire posse, aut sibi resistere, iuxtà Azo. 18. quæ sic habet, *Si centum fueritis eorum ducentos vincetis, & vos mille cæterorum duo millia profligabitis*, ac paulò pòst, *viginti ducentos alios superabunt, & centum ex vobis cæterorum mille.* Nisi opinione sui planè intumuisset Mahumetes, extremamque audaciam fouisset in pectore, nūquam tentasset Christianismum toto diffusum orbe, & Iudaismū subruere. Non poterat hæc præsumptio non esse in quouis portentosissima, etiam in iis quos commendabat, vel claritudo generis, vel doctrina singularis, vel opulentia, vel amicorum copia, & id genus alia: quantum itaq; videri potest habuisse prodigij, dum illius mentem occupauit, cui tale nihil suffragabatur? Nouus certè Arpinas fuit, vt referūt Guilielmus

mus Lateranensis Bibliothecaris, & Cuspinianus in eius vita, humili ac obscuro genere, nulla prosapia clarus, nullis opibus celebris, solus prorsus, nullarumque virium, cæterùm ingenio vafer & callidus. Paris audaciæ ac insolentiæ fuit, iactare se à Deo singulariter electum. Hoc initio non credidit satis sibi conscius merum esse figmentum: posita tamen rebus sibi ex voto succedentibus huius successus regula metiens omnia, ita esse visus est credere, ob id enim in Azo. 12. colligit à cõtrario exosos Deo esse Christianos ac Iudæos, eo quod illis res ex sententia non cadunt.

Qui ei successerunt Imperatores, magni Domini dici volunt & credi, quod quantum oleat superbiam nõ est obscurum. Deus solus est isto verè dignus epitheto iuxta Psal. 47. vbi dicitur: *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Adhæc pauperes indignos ducunt, à quibus aspiciantur. Vnde processuri in publicum certos præmittunt satellites, quorum munus est pannosos omnes abigere ne compareant. Quod magis adhuc mirere, alloquio suo indignos reputant Caduceatores externorum Regum ac Principum, quibuscum proinde immediatè agere & loqui nõ solent, sed Bassis mediis ac interpretibus. Audi lector aliud, tanti se faciunt, vt magni piaculi ducant loco dorsum sibi à quoquam obuerti. Vnde quicumque ab iiis recedunt, retrorsum incedendo id faciunt, quousque egresi sint aula siue cubiculo. Sed neque admittunt quempiam ad manuum oscula vel purpuræ, multùm si ad strati tapetis cui insident.

Transit hic fastus ad prætorianos omnes milites siue Ianizeros (scribunt alij Ianizaros non à ianua sic dictos, quasi Imperatoriæ ianuæ seu portæ custodes, nam Turcis porta Capy dicitur non ianua, hincque est cur is qui supremam Regiæ curam habet appellatur Capizi Bassa, sed à Turcico vocabulo Iegnizari, quod nouam militiam significat. Illorum quippè ordo militaris ab Osmanne Gazi, quem alij Ottomannum vocant institutus est, atq; ab Amurathe I. renouatus, & auctus teste Lazaro Soranzo) Quia enim præcipuum Imperij Ottomannici robur constituunt, & in re militari exercitati admodum sunt, & selecti ex immenso Christianorum grege, qui quarto aut quinto quoq; anno tributi nomine abducitur, quia Romanorum more militum Imperatorem creare possunt ac deponere, (hoc vno excepto quod iurẽt à prin- *In Ottomanno cap. 10.*

 cipio

cipio se non assumpturum, qui non sit de stirpe Ottomannica) quia vocari in ius ob malefacta nequeunt, & aliis multis magnisque priuilegiis gaudent, propter hæc inquam adeò insolescunt, vt omnibus potissimùm extraneis formidini sint, & alterius cuiusdam speciei homines esse videantur. Quæ fortè causa est, cur communi seu turbinato pileo vti nolint, sed præalto & quasi turrito, cui affigunt laminam auream sursum tendentem recta supra frontem, & diuersorum auium oblongas plumas easque pretiosissimas insertas habentem. Insolescunt in Imperatores ipsos sæpenumerò, minantes Imperij abrogationem, & filiorum substitutionem. Coëgerunt ante paucos annos Amurathem III. contradere sibi tres Dephterdaros, vna cum Mehemeto Bassa Armenio quem vnicè diligebat, quibus statim vitam eripuerunt, eo quod in solutionem stipendij prætoriani adulterinam monetam obtruserant.

Tertiò, nulla gens est quæ sua tanti faciat. Alcoranum suum Mahumetes eorum Pseudopropheta ventosè adeò prædicat ac commendat, vt in Azo.69. montem aliquem neget esse, supra quem si is collocaretur, non statim pręreuerentia colliquesceret, cum tamē nec nugacior conscribi liber potuerit, nec fabulosior. In Azo. autem 13. capitale voluerit esse, si quis eius dogmata, decreta, constitutiones in dubium disputationemque vocare præsumpserit. Vnus de potissimis Religiosorum Turcicorum cœtibus ille est teste Cuspiniano qui Czophilar dicitur. Hi autem Pelagianismum ab inferis reuocantes, operibus suis bonis tantùm tribuunt, vt iactare non vereantur se saluandos per meritū suum sine gratia Dei, & lege aliqua. Ipsi autem Imperatores cum victoriis suis nullas alias conferendas putant, has mirè extollunt ac deprædicant, ex iisdem quidquid possunt laudis aucupātur. Prostat exemplum in arrogantissimo hoc Selymi epitaphio.

In lib. de Rel. Turc.

Hic maximus adsum Selym qui orbem domui,
Non bella relinquo, sed pergo inquirere,
Nonnulla me fortuna potuit euertere,
Licet ossa iacent, animus bella quærit.

Imperij similiter ac potentiæ suæ iactatores sunt ambitiosissimi, vt coniectare licet ex literis quas ad Philippum Villerium magnum Rhodi Magistrum misisse dicitur Solymannus in hunc mo-

Digitized by Google

modum: *Solymannus Rex Regum, Dominus Dominantium, maximus Imperaor Bizantij & Trapezuntarum, Rex potentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, Ægypti, Dominus Asiæ & Europæ, dominator possessorque maris vniuersi, &c.* Item ex literis Morbizani ad Pium II. *Trahemus à finibus terræ armatorum acies copiosas, per quas non cruciferis modò vestris resistemus, sed etiam fauente Mercurio per mare Ponticum & Dalmatiam, cum innumerabili nostro nauigio Euri flatibus perducti intendimus pertransire & septemtrionalem plagam visitare.* AEmulantur hanc vanitatem ipsi quoque summi Præfecti seu *Beglerbeghi*, quod sanè epitheton arrogãtissimum est. Latinè quippe redditum significat, *Dominus Dominorum*.

Quartò, præ ambitione ad hoc præcipuè collimant, vt in terra dominentur soli. Vtuntur in hunc finem fraudibus, dolis, & quibuscumque periuriis, nulli parcunt furori nullis suppliciis & vastitatibus, omnia miscent, quæcumque iura peruertunt. Quid non est ausus Mahumetus ex ignobilissimis natus Parẽtibus Abdala & Emma ex pago item ignobilissimo, cui nomẽ Itrarip iuxta Mecham? vnde verò tanta hæc audacia, nisi vt immortalitati nomen suum consecraret? vt ab omnibus suspiceretur, quid non excogitauit? vt admirationi esset viris bellicosis, asperrimum se præbuit belli studiis, vt doctis & sapientibus, diuinam legem ad se missam commentus est, vt Religiosis, interpretatus est fortem illam Epilepsiam qua laborabat, vehementes illapsus esse diuini cuiusdam spiritus quos ferre nequiret, vt anubus & pueris quos delectant portentosæ fabulæ, scripsit in Azoara quæ inscribitur, *filij Israël,* se à Gabriele Angelo deductum in cœlum, eoq; vectum Alborach iumento, asino quidem maiore seu mulo minore, cui erat facies hominis, crines ex vnionibus, cauda ex smaragdis & pyropis, ephippium ex gemmis aliis pretiosissimis. Restitisse principio hoc iummentum ne ille conscenderet, tandem tamen persuasum verbis Gabrielis consensisse, & tunc Gabrielem subices seu staffam tenuisse. Sed & honori suo post mortem consulens, patriam in qua natus est religiosissimè adiri voluit, vna cum sepulchro quod eius ossa teneret condita. Imperatores ne se videantur aliqua ex parte demittere, sed perpetuò in veneratione sint, dedignantur supplicem alicuius libellum accipere, qualem proinde si quis offerre cupit, necesse habet arundini affixum vni armi-

armigerorum protendere. Ne missas quidem externorum Principum literas legunt, sed alicui legendas tradunt. Item adeò sunt venerationis cupidi, atq; ab omni contrario abhorrent, vt Sphahiglani & Soluphtari qui eorum latus cingunt iter agentium, discere prius debeant, vt dextram sic læuam habere mittendis sagittis expeditam, ne aliàs iaculando cogantur eis dorsum obuertere, quod quidem capitale esse non ignorant. Adhæc si quando aliquis Procerum cum iis loquitur, non nisi defixis humi oculis id facit, vt scribit Bartholomæus Georgius capite decimo sexto. Dicam amplius, vt ad Imperialem perueniant apicem, vel in eo adepto securè viuant, exuit illorum incomparabilis ambitio omnem prorsus humanitatem, insurgit ingratissimus in Patrem filius, & crudelis in filios Pater; multò magis frater in fratrem. Exemplum Selymus I. circa regni auspicia 7. nepotes suos iugulauit. Sed & Corcutum fratrem à quo nihil vnquam iniuriarum acceperat, misso spiculatore interemit: Postea verò ipsum quoque spiculatorem occidi iussit, ne fortè ab ipso pariter mutatis rebus perimeretur. Solymannus cum defuncto Patre venisset Constantinopolim regnum administraturus, non ita multò post Mustapham maiorem natu filium omnibus charum, & naturę donis instructissimum, bellica item laude clarissimum, & familiæ totius Ottomannicæ singulare decus & ornamentum strangulari à 7. mutis (quales semper habere solent paratos ad nefandum hoc ministerium) se vidente præcepit. Successit ei Selymus, qui filios suos omnes in Amasiam Asiæ vrbem deportari iussit, ne forte sibi ab iis insidiæ pararentur. Inter hos defuncto patre euocatus est ab Aga (nomen est generalis præfecti Ianizerorum) Amurathes III. qui vt regnaret solutus metu quinque fratribus suis vitam ademit. Successorem autem habuit Mahumetem III. non ita dudum extinctum, qui ne Maiorum suorum morem barbarum intermitteret fratres suos omnes, hoc est, numero nouendecim è medio sustulit. Quid multa? vulgus ipsum promiscuum sic honori studet, sic ignominiam refugit, vt ægerrimè ferat, vt notat Leonclauius in Onomasticho, si conuenientissimo sibi nomine, Turcarum scilicet appelletur, eo quod hoc

nomen

Digitized by Google

nomen deductum eſt à paſcuis, & ſignificat idem quod græcum νομάδες παρὰ τῶν νομῶν, id eſt, ruſticos.

Verùm inquies, ſi tanta eos tenet ſuperbia, quomodo Imperatoribus ſuis tàm ſunt ſubiecti & obſequentes? nunquam enim aut certè rariſsimè, leguntur illorum iugum excuſsiſſe. Varias huius rei cauſas afferre poſſumus. Prima, quod in gente illa pauciſsimæ ſint vrbes arceſque munitæ, de induſtria non ſinuntur muniri, ne inſurgentis populi poſsint eſſe refugia. Secunda, referta eſt ſtipendiariis colonis ac militibus, qui terras ab Imperatore ſibi aſsignatas colunt, & inde viuunt, ea conditione vt ſingulis momentis parati ſint ad bellum, & alia iuxta præſcriptum militarium Præfectorum; ita fit vt tàm citò nequeat populus attentare quippiam, quin minimo temporis interuallo accurrat, & illi ſeſe opponat ingens ſtipendiariorum illorum numerus, & conatus immaturaque conſilia elidat in ipſo ſemine. Imperator ad manum habet Agam cum ſuis Prætorianis ſeu Ianizeris, ad ſeditiones ſeu rebelliones Conſtantinopolitanas vicinaſque alias diſsipandas. Ad illas autem quæ remotiùs excitantur, præficiuntur Beglerbeghi duo, alter in Natolia, alter in Romania ſeu Thracia, quorum ille cum opus eſt ſtatim 36. Sangiacchos ſibi ſubiectos cum ſuis copiis adeſſe iubet; hic vero 25. alios ſibi ſubalternos (dicitur Sangiacchus Prouinciæ Præfectus) Sangiacchi adeſſe iuſsi ſtatim Timartinos, quos ſub ſe habent congregant: reſpondent autem Timartini equitibus noſtris, (inquit Cuſpinianus in tractatu de inſtituto militari Turcarum,) & ſtipendiarios illos ſecum ducunt quilibet quatuor, tanta fide ac celeritate, quã certa mors manet illos, ſi cunctentur.

Tertiò ſubiectio non eſt adeò grauis, quando ſuperbiæ ſoli aduerſatur, ſecus ſi inſuper auaritiæ, & guſtus tactuſque voluptatibus, vt fit quando qui præſunt ingentibus tributis ac ſeruitutibus populum premunt, eundem affligunt vt quondam Pharao filios Iſraël, genio indulgere non ſinunt, &c. Turcarum autem Imperator pauca à ſuis exigit reſpectu eorum quæ à Chriſtianis, à Iudæis, & meris paganis ſibi ſubditis aut circumſtantibus, quos ferè omnes cogit ſibi tributum pendere. Et certè opes quas inde

congregat, & ex vectigalibus Institorum, & ex præda bellica tot sunt tantæque, vt à propriis subditis exigere multa nihil sit necesse, hos insuper sinit genio indulgere pro arbitrio. Ita fit vt iis aliàs superbis, ex alio capite iucunda potius sit quàm molesta subiectio.

§. 5. Restant Nouatores ad quorum exprimendam & suis coloribus depingendam superbiam, penicillum mihi optarem Tullianæ eloquentiæ.

1. Primò, apud illos extra omnem consuetudinem est dicta factaque propria ad censuram vocare, eo fine vt qua in re delictum fuerit innotescat, cautiusque viuatur in posterum, ita fit vt ignoret se quilibet, infinitos defectus suos non videat, non videndo autem fundamento careat solidæ veræque humilitatis. Admonet ipsa eorum doctrina, ne censuræ huius rationem vllam habeant. Nam si, vt docent, Deus auertit oculos suos ne illorum errata videat illisque imputet, æquum profectò est ac consequens, vt ipsi quoque suos aliò dirigant, ne si secus faciant diuinis repugnare moribus, & plusquam Deus sapere velle videantur.

2. Secundò, inflantur supra modum opinione sui, præsertim Hæresiarchæ & Prædicantes. Parùm est illustribus quibusque viris exæquare sese, nisi etiam iactent se eos longo interuallo post se relinquere, & acroamate dignum quidquid eloquuntur. Breuiter, credunt se prorsus excultos, emaculatos, funiculis aureis de cœlo demissos, atque vt Varronis verbis vtar, *omnes videntur sibi saperdæ, festiui, belli, cum sint copreæ*, & Poëtas imitantur de quibus Cicero libro quinto Tusculan. q. *Adhuc neminem vidi Poëtam, qui sibi non optimus videretur*. Horum exempla, & coniecturas aliquot fortissimas proferamus.

S. Tho. 1. p. q. 102. a. 3. ad 4. Contendunt se immediatè à Deo illuminatos, cum interim quæ à Deo sunt, ordinata sint: & Apostolus ipse Paulus mediatè tantùm edoctus sit quid deberet agere: & Angelis solis primæ Hierarchiæ datum sit lumen à Deo nullis aliis interpositis accipere. Hanc prærogatiuam sibi arrogantes consequenter singularem sibi perfectionem arrogant, quandoquidem quæ immediatè à Deo sunt perfectiora solent esse cæteris vt primus parens, paradi-

Digitized by Google

radisus voluptatis, vinum in Cana Galilæa, scientia & sapientia infusa, &c.

Ad hæc iactant se pares fore in gloria quibuscumque Sanctis cum Christo regnantibus, qui ne quidem certò scire possunt vtrum ad illam peruenturi sint, immò pro certo non peruenient, nisi resipiscant. Lutheri verba sunt in cap. 1. epist. 1. Pet. *Pares sumus in honore & dignitate D. Petro, & Paulo, S. Deiparæ Virgini & Diuis omnibus, habemus enim eundem thesaurum à Deo, bonaque omnia tàm largiter quàm ipsi.* Et certè cum gloria detur per proportionem gratiæ siue iustitiæ: illi autem negent inhærentem iustitiam, in qua sola est inæqualitas, contenti vna Christi iustitia omnibus, vt aiunt, æqualiter communi & imputata, congruè huic errori colligunt, omnes æquè promotos iri ad beatitudinem. 3.

Rursus tanta est illorum impudentia, vt iactent se suosque esse doctrina, iudicio, perspicacitate omnibus sanctis Patribus superiores: *Non posset ex omnibus Patrum libris tantum colligi,* inquit Lutherus in Sympos. quantum per diuinam gratiam in *Catechismo paruo docetur.* De Caluino sic scribit Beza in libro de Icon. *Caluini monimentis nihil in sacris explicandis, neque iudiciosius, neque enucleatius, neque magnificentius à quoquam diuini verbi interprete adhuc scriptum fuit.* Ecquid superest Beza nisi, vt sicut iuxta figmenta poëtarum ante Herculem non erat mare mediterraneum, sed ab illo primo introductum est in orbem terrarum diuisis ab inuicem Abyla monte Mauritaniæ, & Calpe monte Hispaniæ; ita tu veritatem ab oraculo illo tuo stigmatico primò introductam pronunties? De seipso autem idem Caluinus in capite tertio Ioan. ab interpretatione recedens eorundem sanctorum Patrum hæc habet: *Ego multo meliorem sententiam mihi videor assecutus.* *Laudet te* Caluine *alienus, & non os tuum.* Pudeat iis te anteferre, quorum profectò dignus non es calceamenta portare, vide ne te calculo suo damnent superiorum seculorum Heroes omnes, nam cum certos sibi hostes proposuerint Achilles Hectorem, AEneas Turnum, Dauid Goliath, tu omnibus sanctis Patribus indicis bellum. Sed & tibi à sancto Bernardo dictum puta in epistola centesima nona: *Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blasphemiam an arrogantiam? quid damnabilius temeritatem an impietatem? An non istius os loquens talia in-* 4. Prou. 27.

stius tunderetur quàm rationibus refelleretur? Nonne omnium in se meritò prouocauit manus, cuius manus contra omnes? Omnes inquiunt sic, sed non ego quid ergo tu? quid melius afferis? quid subtilius inuenis? quid secretius tibi reuelatum iactas, quod tot sanctos prateriérit, effugeret sapientes? aquas furtiuas & panes absconditos apponet puto nobis iste. Ad te quoque tuosque pertinere ne dubita illud C. Plinij libro octauo, epistola vigesima nona: *Quotusquisque vel ætati alterius, vel authoritati vt minor cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, ipsi sibi exemplo sunt. Sed non Auitus cuius hæc præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitraretur, hæc præcipua erudito, quod discere volebat.* Multis profectò de causis credere te contrà oportuit, longè melius, verius, certius, ac solidius esse quod illi de thesauro suo, quàm quod tu de lacuna tua proferebas.

.Primò, quia semper in dubio cæterisque paribus pro antiquitate præsumitur, potiorque est illius quàm nouitatis conditio. nec mirum. nam sicut aqua limpidior est, atque ab omnī colluuie liberior, quæ per arenam longissima decurrit spatia, quàm quæ proximè foràs erumpit, nec ita excolatur: sic doctrina quæ successione longissima ad infinitos penè homines peruenit, quasi ad totidem Censores, ab omnibus interim suscepta, longè certior ea, quàm priuati vnius hominis cerebrum nuper effudit.

Secundò, quia fuerunt Christo & Apostolis viciniores, ob idque meritò videri possunt vberius participasse summam illam, quæ in Christo erat, scientiam & veritatem quàm posteri. Nam & docet Apostolus se ac socios eiusdem vicinitatis iure sortitos fuisse primitias spiritûs, id est, præcipua eius charismata. & experimento constat ignem, solem, cæteraque agentia fortius motus & qualitates suas ad materiam proximè subiectam, quàm ad remotiorem transfundere, & Patris lineamenta elucere magis in filiis quàm in nepotibus, & in his quàm in abnepotibus; sed & iure communi Primogeniti quilibet suas habent prærogatiuas aliis natu minoribus inconcessas.

Tertiò, quia dati sunt à Deo vt recentiorum Doctores essent & Magistri, Deut. 4. *Docebis ea filios ac nepotes tuos.* Cum ergo Magistrum discipulis eruditorem, iudiciosiorem; multoq; maiori lumine

Digitized by Google

mine præditum esse oporteat, quo videlicet ignorantiæ tenebras illorum animis insidentes discutiat, nulla videri potest in Deo prouidentia, si maius lumen non contulit antecessoribus quàm successoribus. Multum certè apud me valet inter cæteras ista consideratio, facitque vt iniquum nimis iudicem cœtum vniuersum Euangelicum venerandę illi vetustati sese præferentem, ac similiter indignari soleam & dicere,

Difficile est Satyram non scribere, nam quis iniqui — Iuuenal.
Tàm patiens cœtûs, tàm ferreus vt teneat se? — Sat. 1.

Quartò, quia vt Prædicantes vitia, sic illi virtutes omnes consectabantur, quarum singulis augebatur in iis scientia magnis incrementis. v.g. erant orationi deditissimi, de qua Iustin. Martyr in lib. de verit. Christ. relig. *Precibus ante omnia lucis portas aperiri opta, neque enim ab aliquibus scripturæ intelliguntur, nisi Deus concesserit intelligentiam.* Et Iacob. 1. scriptum est; *Si quis vestrum indiget sapientia postulet à Deo.* Ne quidem Salomoni data est, nisi postquam obnixè orauit; *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Testabatur S. Thomas Aquinas, se plus scientiæ fuisse precibus quàm studio & labore consecutum. At quis aliquando, vel vnum Prædicantem deprehendit solitariè orantem? Item sobrij erant, & ieiunio deditissimi, in cuius gratiam Daniel, & socij sapientiam à Deo acceperunt, & Poëtæ vt docerent quantum naturaliter ad studia literarum conducit sobrietas, Mineruam finxerunt ex Iouis capite, corporis scilicet parte minimè carnosa prodiisse. Notum est illud S. Hieronymi, *Venter pinguis tenues spiritus non gignit.* Erant item castissimi ac cœlibes, vt S. Ambrosius, de quo August. lib. 6. Confess. cap. 3. *Cœlibatus tantum eius mihi laboriosus videbatur.* Quin etiam magna ex parte virginitate conspicui, propter quam tãtum cœlestis luminis accepit S. Ioan. Euangelista, tantum S. Catharina, tantum Sybillæ Romanorum. Prædicantes autem nec ieiunio delectantur, nec vllo cœlibatu. Erant insuper literis addictissimi, & sicut non recedebat Apostolus à pedibus Gamalielis, sic nec illi à bonis authoribus; ita vt loco citato scribat Augustinus, vix sibi licuisse cõferre cum eodem S. Ambrosio, eo quod lectioni semper intendentem inueniret. Hac profectò ratione fiebat, vt magis vterentur mediis ad capessendam scientiam institutis, digniique essent, quibus hoc donum à Deo liberalius di-

Sap. 9.

spensaretur. Item cum essent modestissimi, non pudebat eos discere ab inuicem, & se mutuò interrogare. Quoties inter se contulerunt Basilius & Gregorius Nazianzenus? hic & Hieronymus? Ambrosius & Augustinus? Damasus & Hieronymus? Augustinus & Hieronymus? hic rursus cum doctissimis Hebræorum? quorum congressu adeò profecit, vt ad ipsum postea velut ad oraculum ex omnibus terræ partibus diuinæ scrpturæ quæstiones enubilandæ referrentur. Nempe plus vident oculi quàm oculus, & vt gladius gladium acuit, sic eruditi homines mutuis ratiocinationibus euadunt sapientiores, nemini omnia reuelat Spiritus sanctus, sed diuidit singulis, vultque à quouis velut ab ape adiri alios quasi flores varios, ex iisque necessaria melle colligi. At Prædicantibus grauissimum est ab aliis discere, & aliquid ignorasse videri, aut correctione dignum aliquid effutiuisse. Tandem cum intelligerent in maleuolam animam non introituram sapiẽtiam, nec habitaturam in corpore subdito peccatis, tam probis fuerunt moribus, vt non solùm crimine carerent, sed etiam suspicione criminis. quid tale in Prædicantibus reperias? Ecce interim non cessant maledicentiis suis Patres illos sanctissimos vera Ecclesiæ columina vellicare, illis se longè anteferre, illos aspernari. Quam quidem eos aspernandi licentiam hauserunt ab Antesignanis suis, vt à Luthero cuius hæc sunt verba in colloq. mens. *In Athanasio nihil singulare fuit,* (de quo interim scripsit Gregorius Nazianz. ταυτὸν γὰρ ἀθανάσιον εἰπεῖν καὶ ἀρετὴν ἐπαινέσαι, id est, idem esse Athanasium nominare, & virtutem prædicare) *Tertullianus valdè superstitiosus est, Chrysostomum nullo loco habeo, nihil est nisi loquaculus, libri autem eius nihil aliud quàm saccus plenus verborum, vbi nihil est in recessu. Basilius planè nihil valet, est totus Monachus, ne pili illum facio* (cum tamen olim dictus sit χαρίτων κῆπος, id est, hortus gratiarum; ab Eusebio autem στύλος ἀληθείας, id est, columna veritatis) *Cyprianus Martyr infirmus Theologus est. Hieronymus inter Ecclesiæ Doctores numerari non debet, fuit enim hæreticus, & homo nullius iudicij, nullius diligentiæ. Multa impiè scripsit, hebes fuit in scripturis intelligendis. Gregorij conciones non teruntium quidem valent.* At Caluinus nihilo inferioris procaciæ, sic scribit lib. 3. Instit. cap. 4. §. 38. *Omnes ferè veteres quorum libri extant, aut in hac parte lapsi sunt, vbi de satisfactione agitur, aut nimis asperè locuti sunt.* Et cap. 5. §. 10. *Veteres omnes*

Digitized by Google

nes fateor in errorem abrepti ſunt. Et cap.4. §.10. *Peccauit antiquitas immodica ſeueritate.* Et cap.12.§.8. *Excuſari nullo modo poteſt immodica veterum auſteritas, qua & prorſus à Domini praſcripto diſsidebat, & erat mirum in modum periculoſa.* Et §.23. *Quod ſacerdotibus interdictum fuerit coniugium, id factum eſt impia tyrannide.* Et cap.15.§.20. *Quod autem multis ab hinc ſeculis, adeoq́; ab ipſo ferè Eccleſiæ exordio vſu receptum fuit, vt in periculo mortis Laici baptizarent, ſi miniſter in tempore non adeſſet, non video qua ratione defendi queat.* Vides lector hominis faſtum & arrogantiam, quàm contemptim, & inuidioſè de iis loquatur, tàm temerè damnantis quod illi ratum ſumma conſenſione habuerunt, atque vt ſolus prudens cautusq́ue videatur, illos ac ſi fungi eſſent, & bardi, & ſtupidi, & trunci aſpernitur. Eat iam, & videat quo iure, quod ſæpè facit, ſanctos illos appellet, & Patres, & Magiſtros, & ex iis teſtimonia depromat. nam ſi ex animo ſanctos eſſe credit, quomodo ita obſtupuiſſe ſuſpicatur? an neſcit, *intellectum bonum eſſe omnibus facientibus eum*, Pſalm.110. cum item qui ſanctus fuerit voluntatẽ Patris cognoſcere de doctrina Chriſti. Ioan.7. & linguam iuſti meditari ſapientiam, & os eius loqui iudicium? Si Patres, quomodo non illos magis reueretur? nonne gloria filiorum Patres eorum, Prouerb.17. oſtendit planè tali contemptu ſtultitiam ſuam quippe ſtultus eſt qui irridet diſciplinam Patris ſui, Prouerb.15. Si Magiſtros; impudens nimis eſt, cum illos ſuggillat & reprehendit. Vrbanior multo Galenus doctiſsimus vbique admirans ac defendens Hypocratem, & ſolummodo ad Aphoriſmum 24. lib.6. notans eius ſuperfluitatẽ, quod eiuſmodi aphoriſmum iam antè poſitum denuò obtruderit. Si denique dignos ducit qui in teſtes adducantur, iniquus nimis, qui eos alibi vituperare non deſiſtit, & Polieno Sophiſtæ ſimilis, qui vt ſcribit Laërtius Ariſtippi reprehendebat conuiuia, libenter interim iis cum poterat vtebatur. ad quem proinde Ariſtippus, *cur meam incuſas cœnam, cuius optas eſſe particeps?* Similis item Bactris qui Patres ſuos, à quibus hæreditatem, & alia multa hauriebant commoda, obiiciebant canibus. *Lib.6.c.2.*

Longè adhuc maiore audacia coæuis ſibi Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus inſultant & conuitiantur. Lupos crederes ouibus dentes infigere. Norunt qui legerunt Caluini præfationẽ in Antidotũ, quot contumeliis oneret ac proſequatur illos omnes, qui

ſtiterunt

ſtiterunt ſeſe Tridentinæ Synodo, qui profectò & eruditiſsimi erant, vt Hoſius Cardinalis, vt Couarruuias, vt Alphonſus à Caſtro, vt Alphonſus Salmeron, &c. & niſi tales fuiſſent ab eo crediti, accurriſſet haud dubiè vectus Pegaſo vt eos confunderet, imitaturus luſciniam quæ in cauea minus benè, ſub dio autem cantum ſuum depromit. Sed cum non ignoraret iis fœnum eſſe in cornu, cùm ſatis odoraretur omnino fore, vt ſicut iuxta Poëtas AEgęon ille centimanus, qui vno ictu cẽtum ſcopulos in Iouem coniiciebat, etiã à Neptuno, id eſt inferiore Deo ſuperatus eſt, & alligatus ſcopulis AEgei maris; ſic ille non à vetuſtis ſolum Patribus, in quos ſæpè inſurgit, ſed etiam à recentioribus illis profligaretur, Geneuæ ſe continuit, velut edoctus ab Athenienſibus, qui repręſentabantur in tabula, quaſi fugantes Lacedæmonios, verùm cum ſeriò manus erant conſerendæ, terga vertebant; ranis item ſimilis, quæ intra paludes tantum ſuas coaxare didicerunt. Quid mirum, ſi argumenta dederunt tantæ in ſanctos inſolentiæ, tam ætatis huius quàm ſuperiorum, cum Chriſtum ipſum Sanctorum omnium Regem veriti non ſint blaſphemiis multis, iiſq; horrendis inſectari; inter cæteras autem ignorantiã ei multiplicem impingere, vt libro 1. eſt demonſtratum? nihil eo verius, *non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur.* Ioan. 15.

Quintum caput ex quo deprehenditur illorum ſuperbia, petitur ab auſu diſpenſandi in iis, quæ ſunt naturalis ac diuini iuris, cuiuſmodi ſanè eſt vinculum matrimonij præſertim conſummati, dicente Domino, *quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* & rurſus, *omnis qui dimittit vxorem ſuam, & aliam ducit mœchatur, & qui dimiſſam à viro ducit mœchatur.* Et Apoſtolo Rom. 7. *Mulier viuente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro.* Interim in hac parte diſpenſare nõ pudet Prædicantes Nouantium, fretos more Iudæorum vxoribus ſuis dantium libellos repudij. quaſi verò hæc non fuerit tolerantia potius quàm veri Dei licentia. iuxta id quod ſcriptum eſt in c. illo 19. *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dare libellum repudij.* quaſi item Chriſtus hunc abuſum non correxerit vt audiuimus; quaſi deniq; melius ſit Iudaizare, quàm Chriſtianum agere.

Matth. 19. Luc. 16.

Sextum ducitur à modo loquendi quo vtuntur, cum ſe excuſant, quod à ſanctorum Patrum decretis ac definitionibus recedant. Homines erant inquiunt, & ſic errare potuerunt, propter

quod

Digitized by Google

quod temeritatis potius est, quàm prudentiæ in eorum iurare sententias. Certè cum nullo modo errare se credant ac videri velint in eo, quod sic respondendo tuentur ac defendunt, non homines sed Deos se faciunt vel Angelos, quia si homines se facerent mox exciperetur ipsosmet esse homines, atque ita errori obnoxios, ob idq; non debere eos, nisi cum formidine dogmati suo adhærescere.

Septimum sumitur ab æstu ambitionis quo omnes corripiuntur. Offensus Lutherus quod negata sibi suisque esset prærogatiua promulgandi Indulgentias, quæ Christianis in Turcam insurrecturis offerebantur, classicum cecinit; & in apertã erumpens audaciam ostendit quantum ambitionis in sinu foueret, cuius repulsam tot tantisque tragœdiis vlcisci non dubitauit. Vsurpauerat Farellus Geneuæ Pontificatum, non tulit hanc præsidentiam Caluini philotimia, sed illum citò de possessione sua eiecit. Et quia verebantur, ne similiter Serueti, aut Bezæ molitionibus caudam quoque agitantium, & aurum ad populares auras arrigentium exauctoraretur, illum variis conquisitis accusationibus de medio sustulit, atque vt in flammis vitam poneret auctor fuit; hunc verò intra discipuli metas semper continuit, sollicitè cauẽs ne se viuente pennas nido maiores extenderet, ac formicarum more triticum arrodens ea parte qua germinare incipiebat, ne sibi redderetur inutile. Notum est in eadem vrbe Geneuæ, quanta semper fuerit contentio quanta æmulatio indigenas inter & alienigenas, qui primas tenerent, & penes quam partem esse debeat vis & norma regendi. In Scotia Prædicantes ipsi nihil non egerunt, vt in partem administrationis Regni cum hodierno Rege venirent, & Rex iis nesciis, vel inuitis nihil grauioris momenti figere posset vel refigere. Ipsa nouitas dogmatum, & disciplinę Ecclesiasticæ ambitiosissimos esse digito ipso demonstrat; rerum siquidem nouarum studium vel excogitãdarum, vel in vsum adducendarum ex superbia potissimum, & ambitione enascitur, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 133. art. 5. & ratio est, quia nouitas placet, satietati occurrit, & omnium oculos in se conuertit, ambitionis autem proprium est cõspici, & obseruari velle ab omnibus. Continget vobis ô Nouantes quod petitis, sed ad confusionem vestrã non secus ac helluonibus Israël appetitus carnium, loquentur dè

vobis futura secula, sed cum abominatione non secus ac de Pilato & Herostrato. Octauum deducitur à summa fuga subiectionis omnis, quam in Euro & Zephyro fiducia inflatis sui generis exprimere volens Poëta dicebat;

Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt.

Anabaptistas certum est odio Vatiniano prosequi quemuis Magistratum,& quamuis causam non proferant,quòd stare non posit Magistratus,quin ei subiiciantur,sibi autem superbus & libertatis amantissimis sit subiici grauissimum, potiusq; ex eo rationem petere soleant, quòd ille vtatur gladio, cuius vsum prætendunt Christiana religione prohiberi dicente Domino; *Omnes qui acceperint gladium gladio peribunt*; reuera tamen hoc faciũt solius horrore subiectionis ac supplicij. Nã cùm sit clarissimũ ibi Christum loqui de iis qui legitima iurisdictione destituti percutiunt gladio,cum Magistratu hæc verba non pugnant,quem ea iurisdictione donatum constat. ita ergo restat quod dicebam, vt solius horrore subiectionis,& pœnarũ quas Magistratui luunt qui male agunt,ab illo abhorreant. Quod ad Lutheranos, & Caluinistas,& Zuinglianos, siue ad prouincias te conuertas in quibus degunt, cuiusmodi sunt Hollandia & Zilandia: siue ad ciuitates florentissimas quas vi suas fecerunt,tam in Gallia, quàm in Heluetia, Germania,Polonia,Bohemia,Austria,& Hungaria, inuenies hoc seculo,vt plurimùm hæreticas solas rebellasse,vel si quæ prius Catholicæ rebellarunt,eas hæresi,seu Nouatorum dogmatis non ita multò post subscripsisse:quasi neq; hæresis sine rebellione & subiectionis fuga,neq; sine hæresi posit esse rebellio. In Gallia quomodò iam Synodos suas celebrent Prædicantes, mihi satis non constat incolenti Vallesiam, in qua altum ac mirum prorsus de exteris rebus etiam vicinis silentium; compertissimum tamẽ est fuisse primitùs circulariter celebrari solitas, hoc est,Prædicante vno præsidente hodie,cras altero,perendie tertio,& sic deinceps, vt nemo alteri planè, vel diu subiiceretur. Vt autem subiectionem omnem refugiunt,ita B.Petrum,& Romanos Pontifices eius successores quibus omnes subiectos Christus voluit insectari nõ desistunt,ita vt verè eiusmodi Pontifices monstra illa experiantur, quæ fictè prædixit Phœbus 2.Metamorph. occursura Phaëtonti, cum ei currum suum regendum dedit dicens;

Matth.26.

Rom.13.

Per

—per insidias iter est formasq; ferarum. Et infrà:

Per tamen aduersi gradieris cornua Tauri
Æmoniosq; arcus violentiq; ora Leonis
Sauaq; circuitu curuantem brachia longo Scorpion.

Nonum deducitur ab ausu & temeritate communi omnibus, interpretandi Scripturam sacram, cuius infinitas sententias cõstat esse Platonicis numeris obscuriores, & profundissimo natatore indigere, vixq; intelligi à summis posse doctoribus, & ingenio præstantissimis, & in lege Domini meditantibus die ac nocte, & ob singularẽ vitã integritatem diuina minimè gratia destitutis. Ecce interim apud Nouãtes, eam quilibet, etiã mulierculę, in manus accipiũt, nec dubitant genuinũ se sensum vbiq; assequi, vt verè impleatur quod eleganter scripsit Hieron. ad Paulinum. *Hanc artẽ sibi passim omnes vendicant, hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alij adducto supercilio grãdia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris literis philosophãtur. Alij discunt proh pudor à fœminis quod viros doceãt, & ne parũ hoc sit quidam facilitate verborum edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt.* Noui ego in Lotharingia nobilem fœminam, quã superbia tantũ ingenio iudicioq; proprio dare docuerat, vt Catholicos etjam Doctores lacesseret, palamq; fidei quæstiones agitãdo quid in quaq; statuendum esset definire ex scriptura profiteretur. Monuit eam de Christiana modestia Doctor quidã his verbis. Cum adeò peritã te iactes diuini eloquij, miror nõdum à te obseruatũ silentiũ, quod tibi tuiq; similibus indicit Apostolus: Tũ illa: Apostolũ nõ moror, ego certè si ei adfuissem ista scribẽti, correxissem alapa ipsius in scribendo imprudentiã, castigassem iniustitiã qua sexum nostrum nisus est priuare iure suo, & cautiorẽ in posterum reddidissem. Longius adhuc progressa Elizabetha Angliæ Regina Ecclesiæ Anglicanæ caput in spiritualibus, & omniũ de fide controuersiarum Iudex haberi voluit & dici.

Vndecimò, qua arrogantia atq; impudentia prædestinatos se esse credunt & gloriantur, eadem metum omnẽ abiiciunt diuini iudicij: *Si ægrotum horrore mortis perterritũ videat,* inquit Caluinus in tract. de visitandis ægrotis Prædicantẽ instruens, *doceat nihil esse in morte quod fidelibus sit pertimescendum, qui ducem habent suum Iesum Christum, à quo per mortem in eam vitam perducentur, quã ipse ingressus est, ac simili cohortatione adimat ei terrorem quem concepit iudicij diuini.* Et in

Confess. Christ. fidei, c. 4. Eum solum fidelem contendit esse qui siue viuens, siue moriens salutis suæ securitati innixus Diabolo confidenter insultat. Ego quidem in ea sum sententia, non sic eos id statuere, sibiq; securitatē polliceri, vt cum ad rem venitur, & ex hac vita migrandum est, non valde pertimescant, haud secus ac Stylites hæreticus iactans nō refugere se doctrinæ suæ probationem quæ igne fit, vbi ad rogum ventum est, intrare exhorruit & recesit teste Sophronio. Quia non metuere videri volunt, vti debui argumento ad hominem, vt ab omni Christiana humilitate alienos esse demonstrarem.

In prato spirit.

Postrema coniectura eaq; fortisima petitur à turpi miserandoq; metu infamiæ quā se adituros credunt si conuertantur. Vidi ego multos dicentes. Cerno iam satis præteritā religionem nostram nihil habere solidi, tantumq; esse Diaboli muscipulam speciosis obductam prætextibus, & magnificis plenam promisionibus carnisq; libertate ad illaqueandas animas. Sed heu quid propterea? Si conuerti velim, & fieri Catholicus errasse videbor, huius vnius notæ metus est qui me retinet. Hæc illi. Vnde verò hic metus nisi ex superbia?

De Obedientia actu 4. imperato, & nota 17. veræ Religionis.

CAPVT IV.

§. 1. *Explicatur vis & natura Obedientiæ.*
2. *Ostenditur actus: imperatus esse Religionis.*
3. *Et valdè insignis in Catholicis.*
4. *Modica contra in Mahumetanis.*
5. *Minor adhuc in Pseudoeuangelicis.*

OBedientiam non rarò vocant sancti Patres humilitatis filiam, vnde sicut matri adhæret filia, ita spero mirabitur nemo, nec reprehendet quod iis absolutis quæ de humilitate dicenda videbantur, de obedientia sermocinari proximè aggrediar. Est autem Obedientia virtus specialis, siue habitus quo exequimur aliquid præceptum, quia præceptum est, non inquam lucri, non diuertendi suplicij,

non

Digitized by Google

non gratitudinis ergo vel amicitiæ, sed præcisè quia præceptum est, seu à superiore profectum vtente iure suo, & inferiorem obligante, vt id faciat, quod sibi præcipitur, vt docet S. Thomas 2.2.q. 104. Quod verò ad conditiones veræ obedientiæ.

Postulat ea primò, vt id in quo iubenti paret, bonum sit ac licitum; aliàs illius executio actio bona esse non poterit nec proindè à vera obedientiæ, & religionis virtute elici & imperari, cum virtus bonarum duntaxat actionum sit principium. Haud dubiè cum omnis legitima potestas sit à Deo, Præpositus omnis Dei gerit vicem, cui proinde obedire nemo tenetur aut debet, nisi vt Dei Vicario. Iam verò quando illicita iubet, quando ea fieri, quæ Deus vetat & detestatur, nulla ratione videri potest Vicarius Dei, ideoque nec obligationem vllam iubendo inducere. Scitè proindè sanctus Bernardus cum dixisset vt Deo, sic homini parēdum propter Deum, adiecit, *vbi tamen Deo contraria non præcepit homo*, & laudantur obstetrices Exod. 1. quod impiæ legi Pharaonis de infantibus masculis Israëlitarum neci tradendis morem non gesserint, & Ionathas quod 1. Reg. 20. iubente Saul nec occiderit, nec prodiderit innocentem. & serui eiusdem Saul. cap. 22. quod noluerint mittere manus suas in sacerdotes Domini. Ioab contrà reum se fecit obtemperando Dauid Regi circa necem Vriæ. Ne quidem volunt humana iura impleri fatuas voluntates Testatorum, & Achilles apud Euripidem in Iphigenia profitetur obtemperaturum se Atridi, dummodò tamen recta iubeat. Interim substante dubio, præsumi semper debet in fauorem superioris, videlicet quod ab illo præcipitur æquitati esse rationique consentaneum. Nam cum ætate antecellat, & vt munere fungatur, ad quod illum assumpsit diuina prouidentia. peculiare lumen circa agibilia à Deo accipiat; verisimilius est id ab eo præceptum quod præcipi oportebat, quàm quod non oportebat, sicque sentire & interpretari præcipua est in inferiore prudentia teste Ecclesiastico cap. 6. vbi ait: *Si accommodaueris animum tuum sapiens eris*, sed & excusatur si fortè reipsa contingat ineptum esse quod præcipitur, tunc Prætoris iussus excusat. ff. l. 6. de iis qui infam. notantur.

ff. de Test. L. seruo. §. ineptæ.

Postulat secundò, vt is cui paretur, legitima sit authoritate præditus, nec præcipiendo illius excedat fines. Quo enim vt par

est.& sine impedimento parere possit legitimis Præpositis, nemo temerè debet subiicere se illegitimis, quales dicuntur non solum qui nihil omninò habent veræ auctoritatis, sed etiam qui fines excedunt suæ. vt contingeret si Dominus temporalis in hæresim prolapsus iuberet seruos suos errori suo credere; iniqua esset hæc iussio, non solum ex parte obiecti seu materiæ, sed etiam quia is potestatem suam plus æquo extenderet. ad spiritualia profectò non extendit sese, nec ad actus interiores directè & per se. *Errat*, inquit Seneca, *si quis existimat seruitutem in totum hominem descendere, pars enim melior excepta est; corpora obnoxia sunt & adscripta Dominis, mens est sui iuris.* Aliud exemplum esse potest, si id quod mandat fieri, abrogetur ab eminentiore Præposito, vel sit contrarium ei quod isto præcipitur, tunc mandatum nullarum est virium, vt docet sanctus Thomas 2.2. quæstione centesima quarta, articulo quinto. quia quæ à Deo sunt, ordinata sunt; & ita superior minor Deum non repræsentat, nec subditum suo potest iussu obligare nisi altiori consentiat, ac saltem non dissentiat. *Si quid iusserit Curator*, verba pono S. Augustin. in serm. quodam de verbis Domini, *nunquid est tibi faciendum, si contra Proconsulem iubeat? Rursus si quid Proconsul iubeat & aliud Imperator, nunquid dubitatur hoc contempto illi esse seruiendum? ergo si aliud Imperator, aliud Deus iubeat, contempto illo parendum est Deo.*

Lib. 3. de Benef. c. 20.

Postulat tertiò, vt Dei potius amore quàm gehennæ metu Deo pareamus. *Bonus obediendi gradus est*, inquit sanctus Bernardus in libro de præcepto & disp. *si iuxta Magistri nostri sententiam propter metum gehennæ seu propter professionem sanctam, quam professus est quispiam obedierit; melior tamen cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe obedientia necessitatis est, ista charitatis.*

Postulat quartò in obsequendo promptitudinem, qua excelluit Abraham, cum eodem die seipsum & domesticos suos circumcidit, quo arduam circumcisionis legem accepit Genes. 17. & iussus ire immolatum filium, de nocte surrexit, capite vigesimo secundo, & Ioseph cum dicenti Patri. *Fratres tui pascunt oues in Sichimis, veni mittam te ad eos, respondit præstò sum.* Genes. 37. Et Isaias qui audita illa Domini voce, *quem mittam, & quis ibit nobis*, confestim respondit, *ecce ego, mitte me.* & Apostolus qui Galat. 1. vocatus à Deo

Isa. 6.

per

per gratiam ad euangelizandum gentibus Christum Dominum, continuò non acquieuit carni & sanguini. Apud mortales ipsos bis dat qui citò dat, & qui Regibus famulantur, tunc se iis per obedientiam mirificè commendant, cum citissimè iussa exequuntur, Hebr. 3. *Festinabant cursores qui missi erant Regis imperium implere.* Et Daniel. 3. *Regis iussio vrgebat.* Quanto iustius est iubente aliquid Deo nullum cunctationi locum dare, sed gentem illam imitari de qua idem Dominus gloriatur, & ait Psalm. 17. *Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi?*

Postulat quinto, vt non mussitando sed æquo libentique animo præstetur obedientia. Coloss. 3. *Quodcumq; facitis ex animo operamini.* Hilarem sanè datorem diligit Deus, propter quod dicebat Dauid, *voluntariè sacrificabo tibi,* & post illum S. Bern. serm. 3. de Circumc. *Hæc si molestè cœperis sustinere, si diiudicare Prælatum, si murmurare in corde etiamsi exterius impleas quod iubetur, non est hæc virtus patientiam sed velamentum malitiæ.* Perarduum erat præceptũ illud de immolando Isaac, interim statim vltroque obsecutus est Abraham. Durius adhuc innocentem obiicere se morti pro salute reorum, hoc tamen fecit Christus dicens Deo Patri, *non mea sed tua voluntas fiat.* Quæ licet ita sint, nhilominus laudi vertitur, si quis in rebus sensui gratissimis vel honorificis aliquantulum resistat imperanti; modesti quippè animi est imparem se iudicare dignitati, quam iubetur accipere: & temperantis, cui conuenit delectationes illas frænare magis quàm prosequi. Sumitur hæc doctrina ex sancto Gregorio libro trigesimo quinto mor. capite decimo tertio, vbi ait: *Sciendum summoperè est, quod obedientia aliquando si de suo aliquid habuerit nulla est, aliquando si de suo aliquid non habuerit, minima est. Nam cum huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat si ad hæc ex proprio anhelat: neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad percipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit.* Aliquantulum dixi, quia multum refragari seu tergiuersari excessus est reprehensibilis, ob idque Exod. 4. iratus est Dominus Moysi eo quod legatione fungi ad Pharaonem toties refugeret.

Psal. 53.

Luc. 22.

Postulabat sextò, vt non expectato mandato expresso, id faciamus ad quod Superiorem propensum cernimus, neque enim obie-

obiectum obedientiæ, præceptum duntaxat est expressum, sed etiam tacitum, vt docet sanctus Thomas 2. 2. quæstione centesima quarta, articulo quarto. hinc milites illi tres fortissimi cùm tantum inaudiuissent Dominum suum ardere desiderio bibendi de cisterna, quæ erat in Bethleem, abrupti omni mora irruerunt in castra Philistinorum, ac per media pericula indè hauserunt aquã & attulerunt. Non facit quomodocumque Deus voluntatem timentium se, vt dicitur in Psalm. 144. sed ita vt non expectatis precibus eorum sæpeè contentus sit desiderio. optauit Iosue hostes persequens, ne sol solita festinatione ad occasum properaret, & *ecce stetit sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, obediente Deo voci hominis*, Ios. 10. optabat Eliezer Genes. 24. vt statim incideret in puellam, quàm Isaac destinauerat diuina prouidentia, & ecce necdum intra se verba compleuerat cum Rebecca egrediebatur. Tantum dixerat B. Virgo, *vinum non habent*, & breui post Christus ex aqua vinum fecit. Scripserant Martha & Magdalena, *Domine quem amas infirmatur.* Et venit Christus ad vitam reuocaturus Lazarum quatuor iam dies in monumento habentem. Quantò iustius est anteuertere nos ipsius Dei mandatum, & eorum qui nos eius loco regunt? Consul Romanus in bello secundo Punico ad Cannas gesto, vulnere graui saucius ex equo descenderat, tùm milites vulneris huius nescij factum id arbitrati, vt admonerentur sibi quoq; ex equis desiliendum, confestim desilierunt teste Liuio lib. 2. dec. 3. Tandem si laudabilis est amicitia, quæ petitiones anteuertit amicorum, cur non etiam obedientia quæ iussiones Prælatorum? *Hæc prima lex amicitiæ sanciatur*, ait Cicero, *vt ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus, nec expectemus quidem dum rogemur, sed studium semper adsit, cunctatio absit.*

Ioan. 2.

Ioan. 11.

Lib. de Amic.

Postulat septimò, vt mandata quæ apertè mala non sunt existimemus ac præsumamus esse rationi conformia, etsi ea nos lateat, & cæca veluti propensione feramur ad obediendum more Abraham & Pauli Apostoli; quorum ille cum promissionem accepisset fore, vt medio Isaac propagaretur semen suum sicut stellæ cœli, posteà autem iussus fuisset eundem immolare nondum vxoratum nulliusque parentem prolis, prima fronte secum cogitare poterat mandatum esse promissioni factæ contrarium, & vituperio potius quàm laude dignum; interim nihil tale opposuit

Digitized by Google

ſuit vir obedientiſsimus, ſed ſimpliciter quod ſibi vidit præcipi executioni tradidit. Hic verò cum Euangelium à Chriſto accepiſſet, iamque didiciſſet ſeruanda non eſſe legalia, poſtea tamen ſuperiorum acquieſcens conſilio, quibus ſciebat Spiritum ſanctum non minus quàm ſibi aſsiſtere, ad breue tempus ſeruauit illa purificans ſe more Iudaico, ſcilicet aſtinendo à vino aliquot dies, caput radendo, & finito ſpatio agnum vel ouem offerendo, & amputatos capillos cremando vna cum ſacrificio pacificorum iuxta ritum de quo Num. 6. Hanc iudicij proprij abnegationem circa ea quæ præcipiuntur, eximiam quandam partem eſſe obedientiæ declarat his verbis S. Greg. *Vera obedientia nec Præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit, quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi, quod ſibi præcipitur, operatur. Neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicerit obedire.* Forte ſi Deus homo tantum eſſet, externum duntaxat opus in obediente requireret, nunc autem cum merè ſpiritalis ſit ſubſtantia, & intueatur cor, internum potius eiuſdem affectum conſiderat, an libenti animo obſequatur, an boni conſulat quod præceptum eſt. Quanquam ipſi quoque homines maiorem nonnunquam rationem habent interioris mentis quàm operis, ita vt licet iſtud optimè ſe habuerit, tamen ſi mens prauè affecta fuerit, ſi ab Imperantis præſcripto receſſerit, ſi eius voluntatem iudiciumque contempſerit, reum faciat operantem. Vicerat hoſtes Manlij Romanorum Ducis filius, interim capite plexus eſt, quia pugnare prohibitus, pugnã iniit, & Patris iudicio ſuum antetulit. Vicerat Samnites Fabritius Rutilianus, ſed quia ſimiliter abnuente dictatore manus conſeruit, condemnatus à Papyrio fuit vt virgis cæderetur. *Actor. 21.*

Poſtulat denique, vt non vni tantùm parti præcepti pareatur, ſed toti etiam præcepto, quandoquidem malum reſultat ex defectu quolibet, & qui offendit in vno reus fit omnium. Quemadmodum vt quis ſanus ſit aut formoſus, non eſt ſatis ita ſe habere partem vnam vel alteram, ſed vniuerſim affectum bonum requirimus; ita non ſufficit ad obedientiam morem gerere præcepto vni vel alteri, ad omnia extendat ſeſe neceſſe eſt. Cum reluceat Deus in omnibus ſuis legibus, redundant in ipſum haud dubiè contemptus cuiſlibet. Porrò præcepta ſeu leges Dei in duplici ſunt differentia. Aliæ immediatè ab ipſo ſunt, v.g. quæ continentur

tur decalogo, & lex de ſumenda Euchariſtia, de Baptiſmo ſuſcipiendo, de benefaciendo iis qui oderunt nos; aliæ mediante Eccleſia, cui poteſtatem contulit ſanciendi, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam opportuna fore videretur, ſicut ſcriptum eſt Matth. 29. *Quæcumque dixerint vobis ſeruate & facite.* Et Actor. 16. *Tradebant eis cuſtodire dogmata quæ erant decreta ab Apoſtolis & ſenioribus.* Niſi enim hæ quoque aliquo modo Dei leges dici poſſent, qua veritate ſcriptum eſſet Luc. 10. *Qui vos audit me audit.* Quomodo præciperet Matth. 18. vt Eccleſiam audiremus, & Hebr. 13. vt Præpoſitis noſtris obediremus, & Rom. 13. diceretur qui eas contemnit, Dei ordinationi reſiſtere? Cum dicitur docere nos, & baptizare, & dirigere quando id facit per Eccleſiam, cur non etiam præcipere nobis, quando aliquod ab ea præceptum emanat & ſeruãdum proponitur? Vulgò fateor diuinæ leges non appellantur, quia per diuinas intelligi propriè ſolent, quæ à Deo immediatè profluxerunt; aliquo tamen modo tales dici queunt, & reuera ſunt, cum quis id per ſe facere, & præcipere videatur quod per alium facit & præcipit. Cum autem aliquo modo diuinæ ſint ſeu à Deo, nullo iure negari poſſunt obligare filios Eccleſiæ, nam procul dubio lex Dei vniuerſim obligat, tametſi magis vel minus prout ab illo eſt perfectiùs vel imperfectiùs, & materiam continet grauiorem aut leuiorem. Si non obligarent, ergo non peccaret, nec graui dignus eſſet pœna, nec conſcientiam ſuam læderet, nec damnationem ſuam operaretur, qui eas violaret: At damnationem ſibi acquirit qui hoc facit, & ſuam vulnerat conſcientiam Rom. 13. & habendus eſt Ethnici loco Matth. 18. & olim morte afficiebantur Deut. 17. & vocatur ab Apoſtolo 1. Tim. 6. ſuperbus, nihil ſciens, languens circa quæſtiones & pugnas verborum. Si quis Patriarchæ Ioſeph præpoſito terræ AEgypti obedire detrectaſſet, putas taciturum fuiſſe Pharaonem, quaſi nihil ad eum inobedientia, & contemptus iſte pertineret? immò exarſiſſet in iram, & ſeipſum deſpectum pronuntiaſſet, & pœnis minimè vulgaribus contemptorem illum ſubieciſſet. Quare hoc, niſi quia Patriarcham illum ſibi ſurrogauerat, & ſicut per ſeipſum facere videbatur quod per illum faciebat, ita in ſeipſo contemni, quando in illo contemnebatur?

Iam

Iam quod à Religione huius virtutis actus debeat rectéque poſsit imperari, ſic oſtendo. Apoſtolus Rom. 6. coniungit cum Dei ſeruitute obedientiam, alteramque infert ex altera: *Neſcitis, inquit, quoniam cui exhibetis vos ſeruos ad obediendum, ſeruietis ei cui obeditis?* Quid autem aliud eſt Dei ſeruitus, quam cultus? §. 2.

Secundò, tunc glorificamus Deum, quando nos eius diſcipulos exhibemus, ait námque Ioan. 15. *In hoc clarificatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli.* At diſcipulus eius fit qui præceptis eius paret Ioan. 8. *Si manſeritis in ſermone verè diſcipuli mei eritis.* Ergo tunc glorificamus Deum cum præceptis eius paremus.

Tertiò, ſcriptum eſt, 1. Reg. 15. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Sanè cum contrariorum contraria ſit ratio, inobedientia autem propter eam quam cum idololatria habet cognationem, manifeſtè irreligionem ſapiat, reſtat vt obedientia ex aduerſo pars quædam ſit religionis.

Quartò, per obedientiam reddimus Deo quæ illius ſunt, ait enim Auguſtinus: *Fratres eſtote cum Abraham obedientes, reddentes quæ ſunt Dei Deo.* Sed Deo debetur cultus, vnde ibi additur, *tunc reddimus quæ ſunt Dei Deo, cum in latria perſeueramus;* ergo per obedientiam Deum colimus quod erat probandum. *Serm. 7. ad fratres in Eremo.*

Quintò, obedientia præſtanda parentibus, eſt pars honoris illius, quo tenemur eos proſequi vi quarti præcepti Decalogi; ergo etiam obedientia quæ præſtatur Deo, pars eſt honoris Deo debiti. Conſequentia clara eſt. Probatur antecedens ex ipſo Caluino libro ſecundo Inſt. capite octauo, n. 36. vide de 4. illo præcepto hæc habet: *Ambiguum eſſe non debet, quin hic vniuerſalem regulam Dominus ſtatuat, nempe prout quemque nouimus eſſe nobis eius ordinatione præfectum, vt ipſum reuerentia, obedientia, gratitudine, & quibus poſſumus officiis proſequamur.*

Sexto, honorat Deum qui conatur eius aſſequi ſimilitudinem, indicat enim rem eſſe præſtantem, quandoquidem talibus duntaxat ſimiles euadere appetimus. At per obedientiam homo fit illi voluntate iudicioque perſimilis, ergo per obedientiam honorat ipſum. Probatur minor propoſitio verbis illis Clement.

Alexand. libro septimo strom. *Quemadmodum si quis Ischomacho operam dederit, eum faciet agricolam: si Lampidi, nautam: si Charidemo, Imperatorem: si Simoni, equitandi gnarum: si Perdici, Cauponem: si Crybolo, obsoniorum conditorem: si Archilao, Saltatorem; si Demostheni Oratorem, si Platoni Philosophum; ita qui paret Domino efficitur ad magistri similitudinem Deus, qui in carne versatur.*

Denique per obedientiam valdè præparatur animus ad excipiendos satus religionis, sicut & virtutum cæterarum, vt non immerito omnium parens quædam existimetur, tùm à sancto Augustino, tùm à sancto Gregorio. Illius verba lib. 4. de ciuitate, cap. 12. sic habent: *Obedientia in præcepto commendatur, & mater quodammodo est, & custos virtutum omnium.* Huius vero lib. 35. mor. c. 20. *Obedientia sola virtus est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasque custodit.*

§. 3. Ecclesiæ Catholicæ doctrina mirum quàm sit ad obedientiam perfectam Deo præstandam idonea & accommodata. In Concil. Trident. sess. 6. capite vndecimo, disertè profitentur Catholici omnia Dei præcepta non solum esse possibilia, & seruari posse à quouis diuina opitulante gratia, sed etiam esse facilia. Eorundem obseruationi, credunt magnam apud Deum mercedem repositam, nec aliquem esse ab obseruationis huius obligatione liberum: iis contra qui ea obseruare contempserint paratum ignem inextinguibilem. His sanè stimulis aptiores nulli & fortiores excogitari possunt ad acuendam obedientiam.

Secundò, memores verborum illorum Eccles. 4. *Ne subiicias te omni homini pro peccato,* credunt & profitentur non parere, nec parendum esse mandatis vllis mortalium illicitis, ad peccatum inducentibus, vel si mauis diuinæ legi contrariis. hoc discunt in probationis domibus Regulares omnes cum docentur ea quæ ad votum spectant obedientiæ. hoc legunt disertissimè omnes in causa 11. quæst. 3. can. 89. 90. & 98. vt vel ex hoc intelligas & coniectes, quàm sit à vero procul, quod sectarij Catholicæ imponunt Ecclesiæ, eam scilicet multas leges condere diuinæ repugnantes. quis enim prudenter credat ab ea tales aliquas emanare, à qua reprobantur? Iuri quidem ciuili contrarias interdum condit, & vult eo esse potiores, idque meritò, cum animam spectent, & religio-

gionem & conſcientiam, illud verò ſola corpora, vnde ex S. Gregor. Nazianz. ſcriptum eſt in can. 7. diſt. 10. *Lex Chriſti dedit nobis poteſtatem, dedit & principatum multum perfectiorem principatibus veſtris*, & Iuſtinianus Imperator. in Auth. tit. *quomodo oporteat Epiſcopos, &c.* profitetur ſequi per omnia ſacras regulas. At ne vnam quidem vnquam condidit, aut condere ſe poſſe ac debere credidit diuinis legibus aduerſantem, neque hoc de aliqua euincere hactenus potuerunt capitales illi aduerſarij, nihil ſolidi habentes præter calumniam ac maledicentiam, ſi ſolida dicenda eſt, quam breui diſsipat filia temporis.

Tertiò, delectum magnum habent perſonarum quibus obediunt, vt non niſi legitimis pareant, ac libertatem ſuam temerè non obſtringant. Exemplum: cum ſciant Principes ſeculares nihil habere iuris in res fidei ac religionis, rident interdicentes in hac parte aliquid aut præcipientes, nec proinde curant eorum decretis morem gerere. Viciſsim negligũt Eccleſiaſticas ſanctiones circa temporalia, niſi quando aut temporalis iuriſdictio directè in clericum cadit; aut indirectè, & præter morem vt ſic dicã, aſſumenda eſt à ſummo Pontifice B. Petri ſucceſſore, vt ſpirituale regimen animarum ſibi cõmiſſum ſortiatur effectum ſuum, aliâs non ſortiturum. Sicut enim non rectè ſequitur, corpus nõ habet ius in animam, ergo nec anima in corpus; ita nec valet iſta conſequẽtia, Laicis nulla vnquam competit iuriſdictio circa ſpiritualia & ſacra, ita nec Clericis circa temporalia. Immò cum iuxta receptam iuris regulam, *re vnæ conceſſa id omne ex conſequenti conceſſum videatur, ſine quo inutilis eſſet conceſſio*, interdum autem diſpoſitio recta ſpiritualium à diſpoſitione certa pendeat temporalium; haud dubiè hanc facere poteſt ſummus ille Antiſtes, vt priori illi ſuus ſit locus, v.g. Regem vnum deponere cum peſsimè ſe gerit in ſpirituale populi ſui detrimentum. ſed ad vitandum abuſum ac ſcãdalũ, manifeſta eſſe debet dependentia, & res momenti maximi. Quibuſcunque autem obediant ſæpè admonentur à publicis diuini verbi præconibus, Dei potius & virtutis amore obſequium præſtare legi debitum quàm alicuius lucri, aut metu ſupplicij; nec hominum intuitu facere quod faciunt, etiam cum humanæ leges ſunt quibus obtemperant, ſed Chriſti potius, à quo eſt omnis poteſtas, & vera legiſlatio ſicut ſcriptum eſt, *quodcunq; facitis*

ex animo operamini ſicut Deo & non hominibus. Coloſſ.3.& alibi. *Obedite Dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis veſtri ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui Chriſti, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate ſeruientes, ſicut Domino & non hominibus.* Inculcatur illis hoc ipſum ſæpè ab ipſiſmet Præpoſitis, ægrè ferentibus ſi ſibi vt hominibus, & non vt Chriſti vicariis, id eſt, ſi ſibi propter ſe, & non propter Chriſtum obtemperetur; tantoque pluris facientibus obſequentes ſibi poſteriore hoc intuitu, quàm priore illo, quanto amplius diligebat Alexander Magnus Craterum quàm Hepheſtionem, eò quòd Craterus eſſet φιλοβασιλεύς, Hepheſtion verò φιλαλέξανδρος, id eſt ille Alexandrum vt Regem diligeret publicis ſtudentem cõmodis; hic autem Alexandrum vt Alexandrum, eidemq; vt priuato amico gratificari, & priuatas delectationes afferre niteretur.

Quartò docentur omnes, & maximè Regulares eſſe ad obediendum promptiſsimi; ex quibus pleroſque videas, vel imperfecta litera relicta eo ſeſe conferre ad quod vocantur. Quo loco ſilere nullo modo poſſum B. Franciſci Xauerij, Indiarum recentis Apoſtoli egregiam in obtemperando alacritatem, à cuius ſuperiore cum Ioannis III. Luſitaniæ Rex interprete Petro Maſcarena legato ſuo ſocios aliquot in Indiam mittendos petiuiſſet, ab eodem Præpoſito ſuo vocatus, atq; ex eius ore verba iſta audiens, *Franciſce Indiam prouinciam tibi Deus deſtinauit, te ego ad alios vſus apud me retinere ſtatueram, ſed Deo aliter viſum, qui ſegregauit te in Euangelium ſuum: Age igitur macte virtute vir, ducem ſequere Deum, qui te haud dubiis ſignis in Indiam vocat*; mox reſpondit rubore ſuffus, *ſe Chriſti cauſa paratum eſſe ad omnia, ingentes illi ſecundum Deum gratias agere*, & vtcumq; reſarta paupere tunica die ſequẽti lætus Luſitaniã petiit inde perrecturus in Indiam, vbi pręter labores grauiſsimos propoſita ſibi eſſe quamplurima inſtantis mortis diſcrimina, non ignorabat.

Quintò veros Catholicos, & qui ſe hæreticis nondum affricuerunt, rariſsimè aut nunquam videas de præceptorum ſeu diuinorum, ſeu Eccleſiaſticorum grauitate quiritari; admittunt ea potius ſecundum totam obligationis ſuæ latitudinem, & quod magis mirere huic obligationi multum de ſuo adiiciunt. Operoſum haud dubie pręceptum ſi quod aliud eſt, abnegare iudicium ſuum circa arduiſsima fidei noſtræ myſteria, ſemel quotannis apud

pud Sacerdotem peccata propria confiteri ſecundum ſpeciem & numerum, inimicis odium ex animo remittere, à carnibus toto Quadrageſimæ tempore, ſextis item & ſeptimis feriis abſtinere, tot ſubire ieiunia, tot feſtis diebus à ſecularium rerum tractatione auerti, nuptias celebrare ſtatis ſolùm temporibus, idque non niſi extra quartum conſanguinitatis gradum & affinitatis. Immò quamcunq; ferè ex his legibus vocare ſolent Nouatores importabile Antichriſti iugum & immanem tyrannidem; & tamen negare non poſſunt niſi de fronte pudorem omnem abſterſerint, eos religioſè admodum ſeruari à noſtratibus infinitis. Firma fide aſſentiuntur omnes altiſſimis illis myſteriis, & cum Auguſtino dicunt, *qua ratione infidelis non credit, ego credo, ille non credit quia captum ſuperant, ego hoc nomine credo.* quamplurimi non ſemel tantùm, ſed quotannis pluries exomologeſim peccatorum ſuorum inſtituunt, certantes in hac pietate præuenire ſe mutuò. Compluribus parum eſt odia remittere, niſi etiam acceptas iniurias beneficiis vlciſcantur. Rari ſatis ſunt qui interdicto tempore veſcantur carnibus, immò in tota Hiſpania, in Italia, in magna parte Belgij vix vnum reperias. Rari item qui feſtorum legem aut nuptiarum infringant. permulti cōtrà qui aliis quoq; temporibus vltrò à carnibus abſtinent, vltrò ieiunant, votiua feſta celebrant, atque adeò præſcriptos coniugij gradus non excedunt, vt etiam cœlibatum perpetuò colant.

Sextò, quàm proprium ſit Catholici ſpiritus præuenire iuſſa Maiorum, ex vno Eccleſiæ Catholicæ membro, vno inquam regulari Ordine, qui cæterorum more ab eodem vegetatur intelligi non obſcurè poteſt. Huius regula vna ſic habet. *Omnes obedientiam plurimum obſeruare, & in ea excellere ſtudeant, nec in rebus ſolum obligatoriis, ſed etiam in aliis in quibus ſignum duntaxat voluntatis ſuperioris ſine vllo expreſſo præcepto videretur.* Extenditur eadem fortè ad alios quoque Ordines; & quamuis illius eſſet propria, id tamen non obſtaret, quo minus ſtatus totus Regularis præuenire diceretur Maiorum imperia; cùm ſola ſit propriè lingua, quæ vocem abire in verba cogit, totus tamen homo loqui dicitur, quia totius hominis anima eſt à qua mouetur ac regitur.

Septi-

Digitized by Google

Gen. 27. Septimò, memores verborum illorum, *in me ſit iſta maledictio fili mi, tantum audi vocem meam*, quæ dixit Rebecca fœmina ſanctiſſima ad Iacob filium ſuum poſtquam ex illo audiuit, *ſi attrectauerit Pater meus & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducat ſuper me maledictionem pro benedictione*, accuratè docentur non examinare curioſè iuſſa illa ſuperiorum, ſed communi potius apprehenſione atq; in ſimplicitate cordis, iuſta eſſe præſumere, ac credere ſuperiores illos pro ſua charitate & prudentia, nequaquam ſibi voluiſſe illudere, iniquum vel noxium aliquid præcipiendo: ſed neque diuinam prouidentiam facilè permiſſuram, vt qui propter Deum ſe aliis velut ſapientioribus regendos tradiderunt, ab illis circumueniantur. Hæc ſublimi doctrina imbutus S. Maurus monachus iubente S. Benedicto cui ſuberat, cucurrit ad medium fluminis, vt Monachum alium qui mergebatur eriperet; cucurrit inquam minimè ſecum deliberans eſſetne iuſta præceptio an non, ſed eam ſimpliciter boni conſulens. Quid factum eſt? iuit, fratrem ab interitu eripuit, præbente illi aqua, vt quondam B. Petro, iter ſolidum, Deoque inſigni hoc miraculo illuſtrante & approbante genus hoc obedientiæ.

Ioanni Monacho præceperat Paulus Abbas, vti legimus in Vitis Patrum. p. 2. lib. de Obed. monaſterio egredi, vt fimum bonum afferret certo operi neceſſarium: cui cùm dixiſſet. *Pater audiui quamplurimos renuntiantes quòd eo in loco Leæna ſit ſæuiſſima*. Reſponſum accepit, *ſi venerit ſuper te, tene & alliga eam, adducq; tecum*. Fecit Ioannes quod iubebatur. Vix autem ad locum peruenit, cum egreſſa bellua irruit ſuper eum. Ille comprehendens tenere eam voluit, ſed illa excutiens ſe de manibus eius aufugit. Sequebatur verò ille inclamans; *Abbas meus præcepit mihi, vt alligatam te perducerem ad eum*; Stetit illa continuò & tenens eam reuertebatur ad monaſterium, quam cum vidiſſet Abbas miratus valdè gratias agebit Deo. Dixit autem Ioannes; *Ecce Domine ſicut præcepiſti mihi adduxi ligatam Leænam*. An non hoc quoque inſigne exemplum eſt ſimplicis obedientiæ depromptum ex ordine ipſo Regularium noſtrorum? Obſecutus ſimpliciter eſt vir ſanctus, iuſsioni cenſuram non oppoſuit, nec muſsitando dixit: Quid ſibi vult Cœnobiarcha hic meus, tam ardua iubens & inſolita,

tamque

Digitized by Google

tamque manifesti plena periculi? vbi eius prudentia? an non satis indicat nihil sibi esse salis, ne micam quidem? has & alias ratiunculas valere iussit, quas subministrare prudentia carnis malè oculata poterat, & iussionem hoc ipso quod iussio esset, interpretatus in meliorem partem, accinxit sese operi arduo, quod sibi placuisse insigni prodigio testatus est Dominus.

Denique latissimè patet obedientia Catholicorum. Profitentur omnes parere se velle, ac etiam debere omnibus naturæ legibus tam positiuis seu affirmatiuis, quàm negatiuis; hoc est, tam præcipientibus bonum, quàm interdicentibus malum; omnibus item diuinis nulla excepta. Præter has extant leges tum seculares, seu ciuiles, tum Ecclesiasticæ. Secularibus debere se obedientiam agnoscunt omnes qui Iurisdictioni subsunt Principum seu Magistratuū, à quibus profectæ sunt, ac nisi iis paruerint, læsuros se propriam conscientiam iuxta doctrinam Apostoli, Roman. 13. Inculcatur illis hoc ipsum à Theologis Scholasticis, ex quibus sanctus Thomas cum quæsiuisset, *vtrum Christiani teneantur secularibus potestatibus obedire?* Respondet: *Cum per fidem Christi firmetur magis quàm tollatur Iustitiæ ordo, necessarium est vt Christi fideles secularibus potestatibus subiiciantur.* Addit tamen & rectè, quod non teneantur eis obedire si non habent iustum principatum (nisi fortè per accidens ad vitandum scandalum aut periculum) vel si iniusta præcipiant. Sed & summi Pontifices harum auctoritatem valdè tuentur, tantum abest vt (quod calumniatores quosdam dicere non puduit) auctores sint Laicis ne iis obediant. *De præceptis Imperialibus vestris*, verba sunt Leonis IV. in epist. ad Lotharium Augustum: *Custodiendis & conseruandis, quantum valuimus & valemus Christo propitio, & nunc & in æuum nos conseruaturos modis omnibus profitemur, & si fortaßè quis aliter vobis dixerit, sciatis eum pro certo mendacem.*

2.2.q.104. art.6.

dist.10. can.10. & 12.

Restant Ecclesiasticæ, quibus tanto magis agnoscunt omnes debere se obedientiam; quanto grauioris momenti sunt, & feruntur ab altiore Magistratu, ipsis videlicet animabus, & diuino cultui, & regendis mortalium conscientiis præposito; quem proinde quisquis contemnit, & seculari obtemperat, Iudæis similis est, qui Samuele neglecto Saul elegerūt, quos vt Deus

dd planè

Digitized by Google

planè præposteros esse ostenderet, maximam quæ tunc erat serenitatem in pluuiam vertit, 1.Regum 12. Prætermitto Religiosorum Ordinum regulas Regularium proprias, quæ haud dubiè numero multæ sunt, & totidem obiecta noua Obedientiæ. Immò inuenire est Ordines in quibus Superiores incircumscriptam potestatem habent imperandi suis subditis, quidquid ad maiorem Dei gloriam, & spirituale ipsorum bonum facere videbitur. Non latet hoc subditos, vltrò tamen propter Deum ceruices suas subiiciunt tam diffusæ obedientiæ.

§.4. Vide iam Lector quàm opposito modo apud Mahumetanos habent se omnia.

Primò abundant doctrinæ capitibus mentem stimulantibus non ad obseruationem diuinæ legis, sed ad contemptum & præuaricationem. Huiusmodi sunt Dei legem esse impossibilem, & destitutos homines libero arbitrio, quo absente non minus absurde iis lex proponitur, quàm surdo fabula narratur. Impossibilem ab iis dici probatum reperies supra libro primo, capite septimo, §. 3. Libero autem arbitrio destitui homines eo ipso docet Mahumetus, quo in Azo. 2. scribit non posse eos abstinere à coitu; at palam est quod abstinere possent, si illo essent arbitrio præditi.

Deinde si quas Dei leges crederet esse obligatorias, maximè quæ in Alcorano continentur. Atqui docet in Azo.1. sine his saluari posse tum Christianos tum Iudæos professioni suæ insistentes, nullas ergo videtur facere obligatorias, & sic manifestam occasionem præbet suis sequacibus ab omni obedientia recedendi, ad quam nullo magis hamo trahi solent homines, quàm apprehensione obligationis.

Secundò abundant legibus iniquissimis, quibus interim parent omnes iuxta eundem Alcoranum, & parere profitentur. Exemplum sit lex illa Azo.19. de interficiendis & persequendis, qui in eiusdem nefandi libri dogmata iurare detrectauerint. Sanè fatetur ipsemet in Azo.52. & 46. hunc morem cogendi eos, & illicitum esse, & à Deo interdictum. Verba eius sunt; *non misimus vt cogeres discedentes à lege, tuum tantum est rem commissam nun-*

nuntiare. Et rursus: *Nullus à te castigetur, nisi verborum tuorum imitator*, id est, nisi tibi subditus. Aliud exemplum sit lex illa eiusdem Azo.19. *Veniam petentibus & obsecrantibus minimè da.* Item hæc alia ibid. *Nemo Propheta nec vir bonus deprecetur pro incredulis.* Damnarent priorem illam Romani ipsi, quorum institutum erat.

Parcere subiectis & debellare superbos.

Damnarent & bruta animantia si loqui possent, vt Leones namque.

Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.

Tertiò cum vera charitas illos deficiat, vt iampridem patuit, nihil minus in animo habent quàm propter Deum obedire, se vnos suaque in omnibus quærunt, vno suo commodo mouentur vt flagello equi, & vecte lapis; ad hoc solum dirigitur omnis illorum obedientia, vt vel lucrum aliquod aucupentur, vel damnum à se auertant. Nulla apud eos institutio, quæ piam illam & religiosam intentionem, ex Dei scilicet amore profectam doceat scopum esse debere obsequentium.

Quartò promptè quidem aliquando Imperatoribus suis obtemperant, ita vt *iussi per æqua & iniqua vadant præcipites*, inquit Cuspinianus, *profunda & verticosa tranent flumina, abruptos superent montes non vitæ sed imperij memores*, sed non semper cum constet multis sæpè insultare Ianizeros, qui sunt numero minimum 40000. & minari eis deturbationem è throno, nisi accipiant postulatum congiarium, aut aliud fiat quod desiderant. Deinde obedientia hæc omnis à metu proficiscitur, cuius coniectura est quod eodem Cuspiniano teste minima delicta contra obseruationem imperij capite plectantur, & quod vna cum morte Imperantis, pereat simul omnis legum obseruatio. *Mortuo Mahumete II.* inquit ille in eius vita, *subitò omnis vt est mos gentis seditiosæ periit obedientia, publicum ærarium sublatum, commilitones veterani ac tyrones negotiatorum & Hebræorum fortunas diripuerunt, maiorq; in minorem nulla seruata honestate sæuiebat, intestina odia ac mutuas cædes exercebant.* Adhæc non quæuis promptitudo laudem habet, sed quæ prodit sese difficultate proposita, & boni alicu-

ius faciendi causa suscipitur; quæ autem præcipiuntur ab Imperatoribus, v. g. ire prædatum, bella gerere, delectabilia sunt, & ad malum tendunt, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* Atque hæc est causa cur adeò sint appetentes bellorum, quia videlicet grassari delectabile est, & quia grauantur multo magis pacis, quàm belli tempore ob agriorum culturam, & labores alios in quibus assiduè exercentur, & ex quibus vix possunt sibi victum quærere. Quod ad leges quæ Dei cultum spectant, cuiusmodi sunt Meschitas adire, in eis preces fundere, & Alcorani audire dogmata, accuratè quidem prompteque obseruantur, sed eodem impellente metu, quippè *Syndici quidam notant absentes*, inquit Cuspinianus in libro de Religione Turc. *& deprehensos pecunia mulctant, & per vicos circumducunt, & tabulam cum caudis vulpinis collo alligant.*

Psal. 13.

Quintò, nesciunt prorsus in rebus præceptis abnegare iudicium, vtpotè quibus nihil arduum præscribitur, quod eiusmodi abnegationem desideret. De arduitate hic loquor quam experitur intellectus, quando assentiri iubetur iis velut rectè imperatis, quæ non fulciuntur ratione manifesta, immò quæ multa continent ab ea, vt prima specie videtur, aliena. Sed fortè hallucinor, an non creditu perdifficiles sunt portentosæ illæ fabulæ ex quibus cõpactus est Alcoranus, vt quòd Salomon stipatus exercitu dæmonum, & hominum, & auium ad formicarum locum peruenerit, vt habet Azo. 37. quòd idem Salomon ceciderit in terram, postquam vermes corroserunt infimam baculi partem cui innitebatur, vt legimus in 44. quòd damnatus quiuis vinciendus sit cathena cubitorum 70. vt asserit Azo. 79. quòd Alborach bestia qua in cœlum euectus est Mahumetes, admitti petiuerit in paradisum, vt narrat 27. quòd quiuis eiusdem passus in tantam longitudinem exporrectus fuerit, in quantam extendere sese potest visus hominis, & quòd quando ventum est ad primum cœlum, vidit in eo Mahumetus 70000. Angelorum, quorum facies erat hominis, corpus vaccarum, aliæ autem aquilarum, habebat autem quilibet 70000. capita, quodlibet caput 70000. cornua, quodlibet cornu 70000. nodos, & erat inter nodum vnum,

&

Digitized by Google

& alterum iter 40. annorum. Quin etiam quodlibet caput constabat 70000. faciebus, quęlibet facies 70000. oribus, quodlibet os 7000. linguis, quæuis lingua 7000. idiomatibus, & omnes laudabant Deum 70000. horis diei. Respondeo, hæc & similia verè esse fabulosissima atque ridicula, ob idque meo iudicio vix credi a quoquam, sed potius in sinu rideri ab omnibus. si tamen credantur ab aliquo fatuo id non esse adeo mirum, quia licet mirè sint hyperbolica quoad materiam, tamen humano sunt mori accommodata.

Sextò, contracta valdè est illorum obedientia. Nam si mandata excipias quæ dantur ab Imperatoribus, sed tantum plus minus obseruant, vt scribit Antonius Mænauinus. videlicet inire matrimonium circa annũ 25. pascha celebrare. per dies 30. prius ieiunare. feriam sextam colere, post coitum corpus abluere, ad Meschitas orandi gratia se conferre, & à vino carneque porcina abstinere, de studio virtutum, de fuga vitiorum, de bonis operibus, exceptis eleemosynis nulla apud eos lex, nulla mentio. Mophtyis seu Muthyis summis eorum Pontificibus incumbit non aliqua iubere, sed Alcorani duntaxat legem interpretari, eiusque dubia elucidare, & ne quid ab Imperatoribus aduersus eam sanciatur, aduigilare.

Pauciora adhuc extant apud Sectarios obedientiæ veræ argumenta, quod quidem ex sequentibus facile me probaturum confido. §.5.

Primò, eiusmodi est illorum doctrina vt obediendi Deo studium restinguat magis quam aqua ignem. Dei legem prætendunt esse impossibilem: *Quis potest sermonem Domini seruare*, inquit Lutherus, *vt non videat mortem in æternum? quis hominum quæso hoc sibi arrogabit? imbecilliores certè sumus nos miseri, quàm vt hæc præstare queamus, vt vno verbo dicam impossibile nobis est præcepta Domini seruare.* Caluinum iam audiamus in cap. 22. Matth. *Ex hoc compendio apparet Deum in legis præceptis non respicere quid possint homines, sed quid debeant, nam in hac carnis infirmitate fieri non potest, vt perfectè Dei amor regnum obtineat.* Et Luc. 10. *Impossibile nobis est præstare quod iubet.* Et in Antid. sess. 6. Concil. Trident. negat inueniri posse aliquem, qui legi Dei satisfecerit. Hic taceo iniuriam qua Deum afficiunt cum iniqua seu impossibilia eum iubere asserunt, taceo ignoran-

In cap. de libertate Christ.

dd 3 tiam

Digitized by Google

tiam qua laborant, non considerantes quod propriis seu solis viribus non valemus, facilè à nobis præstari posse diuina opitulante gratia, ad quam respiciens Apostolus dicebat: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Non item attendentes dilectionem Dei ex toto corde ad quam obligamur, nõ exigere vt nullam sentiamus concupiscentiam diuinæ legi contrariam, sed vt nulli acquiescamus, nec vt continuò dilectionis actum eliciamus, sed vt nihil ei aduersum admittamus. vt docet S. August. in lib. de spir. & lit. c. vlt. & post illum S. Thom. 2. 2. quæst. 44 art. 4. Taceo apertam Caluini contradictionem negantis posse hominem ex omnibus suis viribus diligere Deum. Haud dubiè si duntaxat iubetur diligere Deum quantum potest, proportionatas habet vires amori ad quem obligatur. quid autem vetat quominus secundum eas totas amet, ob idque quantum tenetur? an non ignis comburit secundum totam suam actiuitatem, & lapis descendit secundum totam suam grauitatem? quid prohibet quominus etiam diligere posit homo secundum totam suam diligendi potentiam, præsertim cum velint duo illi Pseudoapostoli, voluntatem amare per modum agẽtis naturalis, hoc est, destitutam libertate more ignis & lapidis? Taceo denique hanc illorum doctrinam inducere ad desperationem. Sic enim concludit Caluinus in responsione Catharini loquens de confessione auriculari: *Affirmo præterea hanc legem esse prorsus impossibilem, vt homo semel in anno omnia peccata sua enumeret, nec alium fructum proferre, quàm vt in desperationis barathrum conscientias præcipitet.* Hæc inquam omnia missa facio, id solum expendo quod ad institutum pertinet, stante doctrina huiusmodi de imposibilitate mandatorum Dei, adduci non posse cuiusquam voluntatem, vt iis conetur obsequi, cum pergraue sit omnibus manum rei admouere, quam fieri non posse intelligunt. Quid verò fiet si accedat doctrina alia, quæ orbatum hominem asserit libero arbitrio, & salutem pendere à sola fide, non autem ab obseruatione mandatorum? quàm parum erit animus de obedientia sollicitus vna ex parte operosa, ex altera præmio nullo coronanda?

Philip. 4.

Secundò, parere solent in rebus iniquissimis. volo rei huius exemplum vnicum proferre, sed luculentissimum. In Germania quæ magnam illorum partem complectitur, in more habent religio-

ligionem amplecti, & profiteri sui Principis, ita vt si is qui succedit nouam secum afferat, huic dent nomen eiurata illa, quam prius vna cum antecessore tuebantur, & veram credebant. Idem obseruant si contingat vnum eundemque suum Principem prioris religionis affectum tædio, aliam quandam profiteri, hanc cum illo amplectuntur repudiata vetere, tametsi veterem veram ac sanctam fuisse crederent (ex consequenti alias omnes falsas, cum plures veras esse repugnet, sicut scriptum est, *vna est columba mea*) & adhuc credant. Detestabilis profectò est sapientum omnium iudicio ista obedientia, nullo modo in re tam iniqua parendum Principi, iubenti scilicet vt eiuretur à subditis antiqua religio quandiu ab his vera creditur, præsertim si prudenter credatur, vt contingit quando verè est antiqua & Catholica, mirumque est Nouantes illos Germanos, qui alias quasdam nationes ridere & accusare solent leuitatis & inconstantiæ, non ridere seipsos primùm, qui præ omnibus mortalibus in re grauissima fuerunt & sunt inconstantissimi. Nam & religionem Catholicam seu Romanam per tot sæcula in eadem Germania receptissimam, quasi in momento ad primum Lutheri classicum abiecerunt, vt nouam antea inauditam sequerentur, & hodie vt dixi, ei se accommodant quam Princeps profitetur. At fortè leuitas hæc stultaque obedientia triobolarium duntaxat hominum est, non Prædicantium, quos animi virtus atque fortitudo respicere non sinit personas hominum, nec damni alicuius temporalis metu ab eo quod verum, quod sanctum, quod è cœlo missum est, discedere. Immò nihil iis meticulosius, nihil ad mutationes quasuis recipiẽdas pronius, dummodo inde fortunas suas augeri videant magnis incrementis. Prostat exemplum in iis, qui ministerio illo fungebantur sub hodierno Comite Palatino Rheni priusquam Lutheranismum eiurasset. Nam quamprimum eum cum Caluinismo commutauit, hoc est, cum olla cacabum, & legem tulit, vt ij vel ditione sua excederent, vel se similiter ad Caluini castra conferrent, omnes ferè ei sunt tàm fœda in re obsecuti, grauiorem ducentes sui iacturam peculij, quàm religionis ac fidei. Cant. 6.

Tertiò, cum vera eos charitas deficiat, vt iam nos docuit paragraphus vltimus, capite primo libri huius, non est quod alicui obe-

obedire videantur purè propter Deum, & hominibus velut Deo, mouet eos potius aut respectus pœnæ temporalis, aut respectus hominum. Cum nemo Deum magis repræsentet, quàm Ecclesia eius sponsa, haud dubiè si alicuius præcepto parere intenderent, maximè Ecclesiæ. hæc autem est cuius in primis leges contemnunt & abominantur.

Quartò, eodem argumento confeceris nihil iis inesse ad obsequendum promptitudinis, de ea loquor quæ vera sanctaque est, & ad Dei gloriam tendit, & à charitate procedit qua, vt dixi destituuntur. Nam quod ad publicam pacem perturbandam, ad seditiones mouendas, ad rebelliones excitandas, ad legitimorum iugum Principum excutiendum, ad mutandum antiquum Reipublicæ statum, tàm prompti sunt quàm qui promptissimi. *Pedes eorum*, vt loquitur Isaias capite quinquagesimo nono, *ad malum currunt.*

Quintò, si quod mandatum vel asperum est, vel speciem aliquam habet asperitatis nullo modo ferre potest illorum mollities, vel si forte id exequitur perpetua cum murmuratione id facit. testatur quod dico Caluinus ipse vbi ait: *Omnes in cupiditatibus & libidinibus suis relanguescunt. Planè vanitas mundi ita in illis dominatur, vt obedientiam Dei ferre nullo modo possint.* Et certè quisquis ordine volet expendere, quæ apud illos obseruantur & fiunt, inueniet nihil esse quod sensui valdè displiceat, si ieiunant quod fit longè rarissimè vescuntur carnibus, si ad delubra sua conueniunt, ibi cantillant partim blandissima doctrina, partim iocosis in sacerdotes dicacitatibus pascunt aures suas curiosas. Inueniet prætereà, si quis Prædicantium operosius quippiam velit indicere, mox ei omnes velut tyranno & Christianæ vt vocant, libertatis inimico sese opponere. En præclaram illorum obedientiam; quidquid arduum est refugientem, atque ita fucatæ amicitiæ persimilem, quæ vbi nihil molestum postulaueris ostentat se quidem & iactat paratam ad omnia, vbi autem negotiosum aliquid flagitaueris, prætexit excusationem. Simpliciter loquendo ardua valde non est diuinæ legis obseruatio, neque enim mentiri possunt à quibus dictum est: *Iugum meum suaue est, & onus meum leue.*

In homil. de conu. in Eccles.

Et

Digitized by Google

& Psal. 18. *iudicia Domini dulciora super mel & fauum, etenim seruus tuus custodit ea, & mandata eius grauia non sunt.* Interim quia nonnihil dif- 1. Ioan. 5.
ficultatis permixtum habent, ne iugum eius supra se tollere cogerentur, finxerunt esse impoßibilem, nulliusque apud Deum meriti. Sunt item Ecclesiasticæ leges mirè faciles hominibus bonæ voluntatis, ita vt quod supra dicebamus, non eas modo infiniti Catholici obseruent magno cum gaudio, sed de suo etiam multa adiiciant; sed quia cæteris aliquid facessunt negotij, ac proindè ipsismet Sectariis, quorum voluntas ad vnam collimat carnis libertatem, eas velut iniquissimas, & supra modum graues accusare non desistunt. Cum autem ita recalcitrent, quoties molestum aliquid faciendum occurrit aut præscribitur, feruntur contrà toto impetu in imperata, si sensibus adblandiantur, non quia imperantur, sed quia sensum titillant, vt quando ad honores aliquos vocantur, eosque iubentur admittere. Neque enim vt apud nos, sic apud illos inuenire est qui oblatos repudient, aut iam adeptis renuntient.

Sextò, ne per somnium quidem simplicitatem norunt, in qua præcipua ferè laus est obedientiæ, sed pro singulari arrogantia iudicium vbique suum interponunt, superioris cuiuscumque humani tàm sæcularis quàm Ecclesiastici, tàm ciuilis quàm domestici præcepta seu leges ad censuram vocant, ac discutiunt, & sibi arrogant de iis iudicandi potestatem, sententia sua metiuntur quodlibet, nec aliquod credere volunt vt rationi congruens quod sibi secus videatur. Quid dico superioris? immò ipsius etiam Dei legibus obstrepunt, neque enim magis possunt, nec grauius in eas loqui, quàm cum impoßibiles vocant, cum hoc sit summè iniquas dicere, & ineptas, & detestabiles.

Septimò, contracta valdè est illorum obedientia. Nam quod ad diuina præcepta; recipiunt ea tantum quæ scripto verbo continentur, exclusis traditionibus. Deinde eorum quæ scripta sunt obligationem eleuant, tum quia dicunt esse impoßibilia, qualium nulla est obligatio; tum quia nec exerceri possunt, nec obligare nisi accedente determinatione loci, temporis, modi, & aliarum circumstantiarum quibuscum ad executionem perduci debent; hæc autem determinatio est ab Ecclesia vt constat: cum ergò censeant iis obligari non posse conscientiam quæ sunt ab

Ecclesia, nec profectò obligabitur illorum iudicio diuinis præceptis, quæ vt dicebamus determinatione illa indigent, vt à nobis fiant & exigantur. Sed sint iuxta illorum doctrinam obligatoria, ostendo leui momento præcipua quæque ab iis violari, eosque hac in parte Regi Saul esse persimiles, qui cum in primis fuisset inobediens, sibi tamen de obedientia blandiebatur dicens 1. Reg. 15. *Benedictus tu à Domino, impleui verbum Domini.* Accipiamus ea primum quæ decalogum constituunt deinde alia. Primum decalogi non obseruant, quia Christi & Sanctorum multas Catholicis faciunt picturas & sculptilia, quorum interim effectionem interdictam putant verbis illis Exod. 20. *Non facies tibi sculptile neq. omnem similitudinem.* Neque secundum quia votifragi sunt, & periuriis deditissimi sunt, vt superior nos liber docuit. Neque tertium, quia festa irreligiosissimè colunt, vt in eodem demonstrauimus. Neque quartum, quia ferè semper in parentes suos carnales sunt impij vt docet experientia; multo autem magis in spirituales, hoc est, in Episcopos & Sacerdotes, in quos modis omnibus sæuierunt, cum interim ab iis vnis & primitiuam Christi notitiam, & baptismum acceperint, itemque in temporales cuiusmodi sunt legitimi Reges ac Principes; quibus si Catholici fuerunt, dici non potest quoties & quanta cum petulantia insultauerint. Non quintum, quia præter innumeras strages quas ediderunt, lupi reuera sunt rapaces, tametsi veniant in vestimentis ouium prætexentes scripturam sacrã, & diuinum quendam zelum instaurandi quæ arte, vt aiunt, Diaboli in Ecclesia corruerunt. Prodemus magis hanc Lupinam eorum naturam in libris seq. Non sextum, quia sæpè dimissis prioribus coniugibus legitimis cum aliis contrahunt. Christi autem verba sunt Luc. 16. *Qui dimiserit vxorem suam & aliam duxerit mœchatur; & qui dimissam duxerit mœchatur.* Nõ septimum, quia vsuras exercent omnes cum possunt, immò semper licitas credunt modò non excedant præscriptum seu taxam principis. Non octauum, quia Ecclesiam Cathol. grauant infinitis calumniis, & apertis mendaciis, de quibus lib. 4. Non denique nonum & decimum, quia his prohiberi credunt motum omnem concupiscentiæ etiam primum, quem cõstat non esse in nostra potestate, & in quem fatentur se continuò labi. Quod ad consensum in concupiscentiam qui reuera solus

hisce

hiſce præceptis interdicitur, negant eum à quoquam cohiberi poſſe ob liberi defectum arbitrij. Quod ad alias Dei leges, quas videlicet non includit Decalogus, pari eas negligentia colunt. Exemplum: iubet Chriſtus, Apoſtolo ſuo intermedio, vt, ſi quis infirmatur accerſat Presbyteros Eccleſiæ, à quibus vngatur oleo. Dicent haud dubiè his verbis præceptum contineri, quandoquidem conſilia Euangelica inficiantur? quis interim eorū huic legi morem geſsit? nonne contrà cum Caluino in epiſt. 1. vnctionem hanc totam abominantur? Reſtant leges Magiſtratus tàm ciuilis quam Eccleſiaſtici, quas cum credant obſtringere nō poſſe conſcientiam, alia ex parte ſint libertatis amantiſsimi, facile eſt coniectare quàm eas infringant, quoties impunè id ſe facere confidunt. Deindè fatentur ſaltem ſe teneri ad pœnam illam æquanimiter ferendam, quam proponunt illæ quæ pœnales appellantur, & tamen docuit vnum Caluini exemplum quàm impatienter eam ferant. Nefando ſe peccato polluerat apud Nouiodunenſes; propter quod cum ſe vidit publica authoritate vſtulatum, mox in rabiem verſus excuſsit Catholicæ iugum Eccleſiæ, & pernicioſiſsimam in ea ſciſſuram fecit.

Tempus eſt vt hic mihi fines præſtituam, ne ſi omnia depromere velim quç de illorum ſuperbia & inobedientia dicenda occurrunt, cogant me anguſtiæ temporis inaccuratius quàm par ſit tractare operis reliquum. Ergo vt paucis concludam quemadmodum humilitas mater eſt obedientiæ: ſic ſuperbia inobedientiæ, & ſicut Catholicos humilitate excellere demonſtrauimus, quod vnum per ſe ſufficit ad coniectandam eorum obedientiam, ſic Nouatores euicimus præcedenti capite totos factos eſſe ad ſuperbiam, ad faſtum, & arrogantiam (cuius argumentum nouum eſt, quòd millies conuicti erroris ac mendacij, non acquieſcant, nec dicta retractent, ne aliquando erraſſe videantur vel inconſtantes appareant, vel à peſtilentibus ſociis ſuis illudantur,) quod viciſsim ſatis eſt, vt eos à ſtudio parendi quibuſque legibus procul abeſſe ſentiamus.

Digitized by Google

De Ieiunio actu 5. imperato & nota 18. veræ Religionis.

CAPVT V.

§. 1. *Ostenditur quid sit ieiunium & quo sensu hoc loco accipiatur.*
2. *Probatur esse actus Religionis imperatus.*
3. *Eiusdem vsum vigere apud Catholicos.*
4. *Apud Mahumetanos autem ineptum esse ac ridiculum.*
5. *Nec minus apud Pseudoeuangelicos.*

§. 1. IEIVNII voci variæ significationes respondent, nam primò transfertur ad iudicandam abstinentiam ab omnibus illicitis voluptatibus & vitiis de qua Isa. 58. *Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi dissolue colligationes impietatis, &c.* Accipitur secundò pro recto ac moderato vsu cibi & potus iuxta leges partis illius temperantiæ, quæ propriè abstinentia nominatur. Tertiò, pro exclusione cuiuscumque cibi & potus facta computatione à diei principio. Horum trium ieiuniorum primum vocatur generale, alterum morale, tertium naturale, quia tale est in homine à natura, seu cum nascitur; nondum enim cibum potumque aliquem ore vsurpauit. Computatur autem vt dixi à diei principio, quia cum semper abstinere non possimus, statuendus necessario fuit aliquis tantæ abstinentiæ terminus, à quo sumeret exordium: Aptior verò esse non potuit quàm diei principium, hoc est, punctum mediæ noctis diem præcedentem à sequente dirimens iuxta communem hominum ritum, quem à Romanis quoque ipsis obseruatum testis est Alexander ab Alexand. l. 4. cap. 20. Potius quàm punctum meridianum iuxta Astronomorum consuetudinem, vel ortiuum iuxta Persas & Babylonios, vel occiduum iuxta Athenienses & Iudæos. De his ipsis

ipsis tribus ieiunij speciebus hic non disputamus. Non de prima, quia metaphorica est. Neque de secunda, quia intermitti nunquam debet, eo ipso quo peccare nunquam licet. Ieiunium autem de quo in præsentia, & in scripturis frequens est mentio, tale est quod neque ab omnibus assumitur, nec quouis tempore, vt insinuat Apostolus dicens: *nolite fraudare inuicem, nisi forte & consensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi*, & antè illum Christus Dominus Luc. 5. *Veniet dies cum ablatus fuerit ab eis sponsus & tunc ieiunabunt in illis diebus.* Rursus morale illud abstinentiam à cibis quibusdam delicatioribus non includit; hoc autem nostrum includit iuxta illud Dan. 10. *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Nec denique tertia eadem de caussa, quia sciret idem ieiunium nostrum toties in sacris eloquiis decantatum, aliquem cibi potusque vsum complectitur, naturale autem nullum.

Restat itaque quarta species siue ieiunium propriè sumptum pro diurna parsimonia victûs, diuturnior & grauior quàm præscribit communis regula temperantiæ. Diurna dicitur, quia pars aliqua totius temporis abscindenda fuit, & ieiunio deputanda; nulla autem opportunior die potuit occurrere. Nam sicut aureus inter nummos, sic dies inter partes temporis primas tenet, longitudinem habet mediocrem, & mensura est integræ reuolutionis cœlestis. Dicitur præterea grauior quàm exigit communis lex temperantiæ, quia in iisdem sacris paginis describitur, quasi afflictionem & molestiam carni afferens, vt Num. 30. *Si vouerit & iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam.* At moderatio illa quam præscribit virtus temperantiæ, vsque eò non affligit carnem, vt etiam valdè recreet. Confert enim in primis ad valetudinem de qua Prou. 16. *Dulcedo animæ sanitas ossium*, & Thales interrogatus quisnam fœlix esset, respondit *qui corpore sanus est, animo autem eruditus.* Nimirum cùm crapula & ebrietas corpori valdè incommodent, vt testatum inuenies Prouer. 23. & Eccles. 37. restat vt temperantia ex aduerso non paruo sit solatio, atque ita oportet ieiunium aliquanto esse moderatione illa operosius, idq; clarè insinuat illa S. Augustini sententia, *si ieiunare non potestis, saltem cum sobrietate prandete.* Erit autem tripliciter

cap. 1. Laët. lib. 1.

Serm. in festo Circ.

Primò ſi ieiunantes tardius ſolito, quàm temperantes ſolent, ad cibum procedamus; vnde, cum prandere ſoleant circa decimam, erit hora quædam poſterior ieiunij tempore ad eſum vſurpanda.

Secundò ſi eodem veſcamur rarius, & ita quandoquidem ij qui temperantia pollent bis tantum veſcuntur quotidie, videlicet in cœna & prandio, ſequitur non ieiunare eos, qui ſeſe bis in die cibo reficiunt. Pluries inquam non ſolent temperantes quàm bis cibo in die veſci, quia ientacula & merendas in vſu non habent, ſicut nec olim Iudæi, vt ratiocinari licet ex verbis illis Act. 2. *non enim vt exiſtimatis hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia*, id eſt, nona circiter matutina vel ſeſquioctaua. Quę ſanè beati Petri defenſio, nullius futura erat roboris, niſi communi vſu receptum fuiſſet à ientaculo abſtinere, aliàs Iudæi ſtatim cauſari & excipere poterant, nō imminere ſolùm, ſed etiam effluxiſſe tempus in quo ipſi cum ſociis accepiſſe ientaculum, iuxta receptum morem, & comeſſari & pergræcari licuerat. Indicatur illud idem Eccleſ. 10. his verbis, *væ tibi terra cuius Principes manè comedunt*, id eſt, tempus non obſeruant, quod requirit temperantia. Et Martialis ientaculum pueris proponit tanquam illorum proprium.

Lib. 14. ep.

Surgite iam pueri vendit ientacula Piſtor
Criſtatæq; ſonant vndique lucis aues

& Plautus in Curcul. non adultum aliquem ſed Phædromum adoleſcentulum inducit vouentem Veneri ientaculum. Nec tamen idcirco intemperantes dixerim Agricolas terque quaterq; quotidie ſe cibo reficientes, tum quia ingentibus & continuis eorum laboribus amplius aliquid debetur quàm aliis; tum quia eorum prandia & cœnæ adeò tenues ac frigidæ ſunt, vt vix, ac ne vix quidem pares ſint opulentorum ientaculis. Non etiam hæc obſtant, quominus ieiunanti ſub noctem liceat præter meridianum prandium refectiunculam accipere. Nam cum ſit & ſupponatur eſſe perexigua, comeſtionis vnius notabilis rationem non habet, nec attenditur, quia ſecundum iura *de minimis non eſt curandum*.

l. ſcio ff. de reſt. in integ.

Tertiò, ſi lautiores eſcas quæ plus habent deliciarum, & calorem ſiue ſanguinem magis inflammant, fouent, & amplificant,

vt carnes, oua, lacticinia ſupprimantur, vt olim à Daniele & ſociis quemadmodum proximè annotauimus, & narrat ſuo tempore obſeruari ſolitum in ſynopſi ſua Dorotheus Tyri Epiſcopus, qui ſub Conſtantino vixit his verbis: *Plurimum luxit populi gratia, & propter ciuitatem Hieruſalem, ieiunioq́; ſe & abſtinentia ab omni delicato cibo imbecillem reddidit terræ fructibus veſcens.*

Eſto autem ieiunium abſolutè & ſimpliciter actus ſit pœnitentiæ, vt conſtabit ex dicendis ſequenti capite, imperari tamen à Religione poteſt, atque in Dei cultum ordinari.

Primò, quia Anna illa Prophetiſſa, quam tot laudibus tollit S. Lucas cap. 2. ieiunando Deum colebat, *de templo non diſcedebat*, inquit, *ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens*, græcè habetur λατρεύουσα, id eſt, Deum colens cultu proprio, cultu ſummo, cultu tantæ debito maieſtati. Neque enim eſt quod quis nomina illa *ieiuniis & obſecrationibus* datiui caſus putet eſſe, quaſi tantum ſignificare velit Annam ieiunio & orationi dediſſe operam; ſiquidem verbum λατρεύειν in ſcripturis ſacris non datiuum rei ſed perſonæ tantum admittit.

Secundò, cœlibatus cæremonia eſt religioſa, vt iamdudum patuit in c. de voto §. 2. multo ergo magis ieiunium, ad quod inſtitutio vitæ cœlibis ex parte ordinatur iuxta ſententiam Apoſtoli 1. Cor. 7. paulò antè citatam.

Tertiò palam eſt & concedit Caluinus lib. 4. Inſtitut. cap. 12. à §. 14. vſque ad 20. ieiunium conferre plurimum ad orationem, & inſignes partes alias religionis. Vnde §. 16. loquens de Antiochenorum ieiunio cuius fit mentio Act. 13. ait: *In genere hoc ieiunij non aliud ſpectarunt, niſi vt redderentur alacriores magiſq́; expediti ad precandum. Hoc certè experimur ventre pleno mentem non ita eſſe in Deum erectam, vt & ſeriò ardentiq́; affectu ferri in orationem, & in ea perſeuerare poſſit.* Eodem alludens S. Auguſtinus dicebat: *Cum anima ab eſu & potu nimio fuerit liberata tunc ſe melius recognoſcit.* Et infrà: *Si temperatum fuerit corpus interpoſito ieiunio cognitione ſui recepta anima intelligit, qua deuotione debeat obſequi Redemptori.* Cum itaque ea quæ ad finem conducunt, ad eandem virtutem pertineant ad quam finis, oratio autem pars quædam ſit religionis, vbique & ieiunium ad eam pertinebit, & meritò ab illa imperabitur, tanquam apta diſpoſitio

q. 120. Veter. & noui Teſtam.

lætitiæ, propter quod ait Dominus: *Nunquid possunt filij sponsi lugere quamdiu cum iis est sponsus?* Et lib. 2. Esd. cap. 8. scriptum est: *dies sancti- ctificatus est Domino, nolite lugere.* Et infrà: *Ite comedite pinguia, & bibite mulsum.* At causa vna institutionis Dominicæ seu festi cadentis in septimum diem est, vt parumper respirarent, corpora, & requiescerent à laboribus suis; altera autem vt lætissima Domini resurrectio ad memoriam reuocaretur.

Elucent manifestè in ieiuniis Catholicorum partes omnes, quas §. 1. ad veri ieiunij compositionem concurrere debere demonstrauimus. §. 3.

Extenduntur primò in diem totum naturalem complectentem horas 24. siquidem inchoantur à puncto vno mediæ noctis, & desinunt in aliud proximè sequens.

Austeriora secundò sunt communi abstinentia, quam nempe exigit lex temperantiæ. In iis initium nō datur refectioni corporis ante horam plus minus meridianam, qualem multo anteuerti constat à temperantibus & sobriis. Ita est dicat aliquis, sed hic austeritatis excessus valdè est exiguus, eiq; impar, qui in primitiua seruabatur Ecclesia, quando ad vesperam vel serò duntaxat ieiunium soluebatur, vt in vita S. Hilarionis scribit S. Hieronymus, & in vita S. Ambrosij Paulinus. Hinc Tertullianus ieiunantium escas *seras* appellat lib. de cultu fœm. cap. 9. & S. Augustinus epist. 86. & in lib. de mor. Eccles. cap. 33. prandium opponit ieiunio, & Concilio Chalcedonense serotinas tantum horas escis deputari voluit à ieiunantibus, vt refertur in c. solent. de consecr. dist. 1. Respondeo ita quidem olim ieiunabatur, & adhuc hodie interdum ieiunatur à senioribus antiquam illam pietatem cuius exempla multa viderunt, cum adhuc parui essent, æmulantibus; sed quia longo vsu deprehensum est naturam humanam sensim ruentem in interitum, & cum mundo consenescentem, ægrè admodum sustinere tantam abstinentiam, remissum est aliquid de feruore & longanimitate veteris illius disciplinæ, hanc remissionem tolerante Ecclesia, vt sit rationabile obsequium filiorum suorum iuxta præscriptum Apostoli Roman. 12. & non onus importabile, Matth. 23. sed plus habens leuitatis, quam ponderis Matth. 11. vt sic illud cum gaudio supra se tollant, & non gementes: Species alia maioris austeritatis petitur ab vsurpatione vi-

ctus parcioris, quia semel duntaxat in die ieiunij corpora reficiunt, vt præscribitur in c. Quadragesima de cons. dist. 5. nec obstat cibus ille modicus, quem serò super addunt, non modo quia modicus est, minimeque notabilis, sicut nec esse debet, sed etiam ac præcipuè propter communem illam senescentis naturæ imbecillitatem, cuius indicium potest esse ipsa vitæ breuitas, & ægritudo multiplex, & statura breuis. Adiicitur itaque cœnula illa non per modum cibi vt alat, sed per modum medicamenti, vt naturam sustentet ac foueat ne succumbat. Nec quenquam mouere debet censura illa Caluini mendacissima. *Nunquam maior ciborum vel copia, vel varietas vel suauitas. In tali ac tam splendido apparatu putant se rectè seruire Deo. Taceo quod nunquam fœdius se ingurgitant, qui volunt haberi sanctissimi.* O impudentem canem, quid latras? nunquam maior ciborum copia, vel varietas, vel apparatus. nunquã? non maior in nuptiis? in receptione virorum Principum? in natali primogenitorum? in electione Magistratus? in creatione Doctorum? in admissione amicorum, aut parentum peregrè redeuntium? quis Catholicorum se credidit in apparatu illo qualicunque sic seruire Deo, quasi vt insinuas, summam diuini cultus in eo constitueret? Equidem ab Apostolo commoniti siue comedunt siue bibunt, id totum ad Dei gloriam facere adlaborant; multum tamen absunt ab eo, vt in eo ponant sui caput obsequij. Deum vescendo colunt, quia vitæ cuius nos curam gerere voluit, nutrimenta dant necessaria, vt postea alacriores ad eius seruitutem redeant. Verùm non desunt alia quæ expressiorem diuini illius obsequij formam continent, ipsa inquam abstinentia, quę & esum antecedit & sequitur. Ad dis *nunquam fœdius se ingurgitant, qui videri volunt sanctissimi.* quàm fœdè verbis paucissimis tecum ipse pugnas & præuaricaris. si tales videri volunt & dici, vtique media illa arripiunt, quæ hanc illis famam pariant, qualis haud dubiè non est ingurgitatio. Sed quos mihi dabis qui ieiunando, tam effusè sese cibo potuq; proluant? paucissimos certè vel potius nullos. sycophanta ergo es nequissimus, & impudens, vt dixi canis, eructans pro veritate mendacia ad inuidiam iis conflãdam quos te iure vincere posse diffidis. Est fateor nimius quorundam luxus in prandiis, & quandoque liberalior, quàm par sit cœnula. Verùm duplicem ad hoc responsionem accipe. Alteram non conti-

Lib. 4. Instit. cap. 12. §. 21.

continuo debere videri ieiunantium prandia excessum habere vitiosum, si aliquanto diuturniora sint reliquis, eaque superent numero ferculorum. sicut enim excessus moderatus non præcipitur, ita nec vituperatur, vtpotè quo suppletur succi bonitas, quæ inest carnibus, deest autem cibis quadragesimalibus, & ita prandium quadantenus prandio exæquatur. Alteram, reprobari semper ab Ecclesia immoderatum, ac iudicari eorum morem graui profectò censura dignissimum, qui semel comedendo tantum cibi accipiunt, tot cibariis, confectionibus, electuariis, placentis, bellariis, ficubus, pomis & condimentis vtuntur ad ingluuiem, vt nullam postea carnis afflictionem sentiant, immò gulam impensè irritent, & libidinem inflamment. Ad hoc quippe tendunt ieiunia, vt per abstinentiam certis constantem legibus, & illiciti carnis motus reprimantur, & aptior mens euadat ad sublimia diuinaque meditanda, & ad obsequium solito accuratius Deo præstandum; cumque reprobetur, iniquè agis Caluine, qui odium in eam deriuare studes, velut huius authorem causamque nequitiæ. Est & tertia species amplioris austeritatis, videlicet quoad qualitatem ciborum quibus tunc vescuntur, hoc est, leguminum vel piscium non carnium, vt constat ex decreto S. Thelesphori can. *statuimus* dist 14. & ex 6. syn. gen. can. 56. Immò Quadragesimæ tempore interdicitur statuto Ecclesiæ Catholicæ vsus casei, butyri & ouorum, sicut te docebit can. *denique.* distinct. 4. in quo sic loquitur sanctus Gregorius: *Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnum ordinem sequens ieiunium perficiat, & abstineat sicut ab omni mactabili, sic & ab ouis & caseo, quæ quidem sunt fructus & fetus eorum à quibus abstinemus.*

De numero ieiuniorum Catholicorum quid dicam? sunt sanè plurima. Nam vt quadragesimale prætercam, quod totos 40. dies complectitur, extant ieiunia 12. quæ 4. temporum appellantur eo spectātia, vt per ea & preces quæ tunc offeruntur, dignetur Dominus adesse ordinationibus sacris quæ tunc fiunt, & operarios idoneos mittere in messem suam. Et rursus alia plus minus 24. concurrentia cum vigiliis sanctorum & insigniorum solennitatum, eo relata vt præparentur fideles ad illorum memorias in festo piè recolendas S. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 5. rursus, vt

qui cum eis volunt in cœlis festum agere & lætari, prius illorum exemplo carnem suam subigant & macerent per abstinentiam, vt spiritus saluus fiat. Quid iam fiet, si votiua quoque adiungamus, ad quæ scilicet capessenda nunc istum nunc illum stimulat priuata deuotio? quàm multi abstinent feriis sextis & septimis? Quid item si accedant priuata illa, quæ à tot Regularibus suscipiuntur iuxta instituti sui rationem? aut quæ helluonibus in pœnitentię Sacramento à spirituali medico contrariis curante contraria imponuntur? Atque hæc de perfectis ieiuniis quorum videlicet lege & semel tantum in die vescendum est, & à carnibus abstinendum. Nam si de imperfectis, hoc est, ipsa sola à carnibus abstinentia sermo sit, multò adhuc patent latius: quippe addendæ etiam erunt omnes feriæ sextæ, & Sabbata, & vigiliæ aliquot expertes ieiunij propriè sumpti. Et videre est integros aliquot ordines Regularium hoc se ieiunio affligentes toto vitæ tempore, verbi gratia, Carthusianos, Celestinos, & S. Francisci de Paula. Cumque ad prius illud colendum quod perfectum appellauimus non teneantur pueri ante annum 21. completum, nec senes ferè septuagenarij, nec infirmi, nec pregnantes, nec rustici, nec opifices quorum ars siue professio labore non paruo corpus exercet; colunt tamen illud quamplurimi sponte propria festis præsertim solennioribus; omnes autem imperfectum obseruant, abstinentque à carnibus vniuersi, etiam pueri post septennium. Quippe dispensatio talibus concessa vt pluries comedant, dari non intelligitur vt carne vescantur, tum quia priuilegia quæ legi derogant odiosa sunt, & restringi debent; tum quia expedit vt saltem subeant partem illam austeritatis ieiunij, qua non multum grauantur.

Priusquam à §. isto recedamus diluendæ sunt obiectiones 3. Aduersariorum.

Prima Catholicorum, sacerdotes etiam cum ieiunant Missas celebrant, cum ergo in iis Eucharistiam comedant in qua Christi carnem verè ac substantialiter contineri credunt ieiunium vtique suum soluunt vescentes carnibus. Format hanc obiectionem sacramentarius ille anonymus, qui scripsit contra Machiauelum, & titulum hunc suo præfixit operi: *Commentariorum de regno aut quouis principatu rectè & tranquillè administrando libri 4.*

Secun-

Secundò, abstinere à carnibus nihil est aliud, quam Dei creaturas per se bonas, & ad humanum vsum conditas damnare vt malas. Neque enim ab alio quàm à malo abstineri solet. Hæc querela Caluini est lib. 4. Inst. c. 12. §. 21. *Latæ sunt impiæ leges*, inquit, *quæ conscientias exitialibus vinculis stringunt, interdictus carnium vsus quasi hominem contaminet*. Et infrà: *Hæc vltima est impietas, & vix morte expiabilis, si quis minimum laridi aut rancidæ carnis cum pane cibario gustauerit*.

Tertia est eiusdem ibid. §. 20. & magnæ esse insipientiæ & magnæ audaciæ imitari velle quadragesimali ieiunio ieiuniũ Christi: insipientiæ quidem, quia eo fine non ieiunauit, vt nos haberet suæ imitatores abstinentiæ, audaciæ verò quia præsumit nimis, qui se eum credit posse imitari.

Ad primam respondeo, illius tantum carnis esum nostro aduersari ieiunio, quæ exhibetur sub forma carnis; talis autem non est caro Christi in Eucharistia, exhibetur enim sub specie panis & per modum rei indiuisibilis, quæ tota est in toto & tota sub quauis parte.

Ad secundam calumniatur suo more Caluinus cum pro caussis abstinentiæ nostræ à carnibus, eas profert, de quibus nec per somnium quidem cogitauimus videlicet quod contaminandi vim, vel aliquid aliud mali carni inesse arbitremur, vel vt alibi insinuat, vt curioso esu piscium lautius epulemur. Sic enim scribit lib. 4. Inst. cap. 12. §. 21. *Hodiè vulgare est inter omnes diuites, vt nõ alio fine ieiunent, nisi vt lautius nitidiusq; epulentur.* Tàm peregrini in Philosophia non sumus, vt nesciamus carnem cum materialis sit per se vim non habere labefaciendi conscientiam seu animã quæ substantia est spiritalis, sed totam hanc labem ab inobedientia proficisci, in quam incidit quisquis interdicti tempore carne vescitur. Sed & sanctius edocti sumus, quàm vt cum Manichæis creaturas aliquas vel ex se malas, vel à Deo vero minimè conditas suspicemur. Bonæ sunt omnes nulla prorsus excepta, & bonæ valdè. Ex quo tamen si quis conficere velit iis semper vtendum, & à nolente vti malas reputari, inferre debebit, debuisse primos parentes vesci fructu vetito in paradiso voluptatis, superstitiosum fuisse Deum qui illius vsum inhibuit, debuisse filios Ionadab vinum bibere posthabito interdicto patris, similiter laborantes

acuta febri neglecto contrario præscripto Medicorum. Quas ergo ob causas inter ieiunandum carnem non gustamus? vtique propter quatuor.

Prima, vt sic reprimatur concupiscentia ne insolescat ac dominetur, sed seruiat, tunc maximè cum sibi ipsi prurit, multumque incalescit vt in vere, & ad cœnam Dominicam deuotissimè celebrandam preparandus est animus. Ponit hanc causam S. August. l. 30. contra Faustum c. 5. & 6. cum ait ieiunium suscipi *edomandi causa corporis*. Probat eandem Caluinus ipse dicens l. 4. Inst. c. 12. §. 18. *Est præterea ieiunium aliud temporale, cum aliquid ex consueta viuendi ratione retrahitur, vel ad diem vnum, vel ad certum tempus, & nobis continentiam indicimus in victu, ordinaria illa arctiorem & seueriorem*: Vrget autem illam præcipuè S. Thom. 2. 2. q. 147. a. 1. 5 & 8. vbi etiam ostendit, cur melius dometur concupiscentia subtractis carnibus, quàm cibis aliis. Concupiscentia inquit, *rerum delectabilium est secundum tactum, consistentium in cibis & venereis. Ex cibis porrò carnes maximam solent delectationem comedentibus afferre, & hominem ad venerea prouocare. Quia enim plus conformantur humano corpori plus delectant & magis conferunt ad eius nutrimentum, & sic ex illorum comestione plus superfluit, vt vertatur in naturam seminis, cuius multiplicatio incitamentum præcipuum est luxuriæ.*

Altera, ne à ritu sanctorum Patrum & consuetudine recedamus, quos ieiunando à carnibus sibi temperasse, quin etiã alios qui in malo statu ieiunabant testis est August. serm. 157. dum ait, *Vasa in quibus cocta sunt carnes tanquam immunda formidant, & in carne sua ventris & gutturis luxuriam non reformidant.* Quod amplius est à vino quoque abstinebant, ob idque addit idem ibidem, *sunt etiam qui vinum ita non bibunt, vt aliorum expreßione pomorum alios sibi liquores non salutis gratia, sed iucunditatis exquirant.* Videntur etiam multi abstinuisse à piscibus, vt insinuat S. Chrys. dicens, *quæ vtilitas cum auibus & piscibus abstineamus, fratres mordeamus?*

Homil. 3. ad pop.

Tertia, ad amplificanda nostra apud Deum merita, & veteres culpas expiandas. *Duobus modis*, inquit S. Gregor. *sancti viri etiam à licitis solent abstinere, aliquando vt meritum sibi apud omnipotentem Deum augeant; aliquando verò vt anteacta vitæ maculas detergant.*

In epist. ad Theosistã.

Quarta, vt si non semper quod optandum esset, aliquo saltem anni tempore paucis nos contentos esse demóstremus. Esus carni-

carnium ad delicias & viuendi curiositatē pertinet magis quàm ad necessitatem; plantarum autem esus & aliorum è terra nascentium ad vitæ simplicitatem, siquidem sponte germinantur & prodeunt: Oportet autem magno cum studio animalia nutrire & capere. Atque hæc est causa cur antè diluuium, hoc est, quando homines nondum ab excellenti statu suo multum recesserant solis terræ fructibus vitam sustentauerint, post diluuium autem degeneres effecti acceperint in subsidium carnes. Cur item Dominus in lege scripta volens populum suum aliquo modo reducere ad primæuum illum simplicemque victum multa in genere animalium ei prohibuerit, nihil autem in genere è terra nascentium vt notat S. Thom. 1. 2. q. 102. a. 6. ad 2.

Ad tertiam, nego non ieiunasse Christum vt exemplum nobis daret ieiunij, cum illum scribat B. Petrus exemplum nobis reliquisse vt sequamur vestigia eius, & qui dicit se in eo manere debeat sicut ipse ambulauit & ipse ambulare. Non possumus fateor illum sequi passibus æquis, vndè toto quadragenario tempore ab omni cibo potuque non abstinemus, cum id naturæ nostræ conditione sit superius; sequimur tamen vt possumus, & Caluinum recogitare cupimus, quod si ideò 40. dies cum Christo ieiunare non debemus, quia humano more non ieiunauit, nec ipsum exæquare possumus, fateri consequenter debet nihil illum fecisse boni, vt à nobis in exemplum traheretur, seu quod imitari nos oporteat. Nihil quippè fecit humano modo, quandoquidem nihil faciunt homines, quod infiniti sit meriti, & ab omni labe liberum, si Nouatores audiendos credimus: è contra omnis Christi actio meritum habet infinitum, nihil sordium: Dicam quod est, Christi imitationem impugnandam ac dissuadendam censuit, tum quia strenuum requirit hominem, ipse autem desidiosissimus fuit; tum quia vidit eius obligatione posita incumbere sibi aliisque Prædicantibus emissariis suis legem cœlibatus quem perpetuò Christus vltroque professus est.

1. Ioan. 2.
1. Pet. 2.

§. 4. Contra in Mahumetanorum ieiuniis nihil augustum reperire licet. Equidem cum ieiunant in cœna duntaxat cibo se reficiunt, sed ea dissolutissima crapula est, vel interrupta & repetita aliquoties, vel in totam extensa noctē, idq; iuxta Alcorani leges.

Nam-

Digitized by Google

pareant. Illud autem interdixit Mahumetus iuxta Cuspin. supra partim vt epilepsiam contegeret quam ex nimio potu contraxerat, cui se minimè deditum esse non improbabiliter ostensurus videbatur, quidquid in contrarium spargeretur, & epilepsiam illam non veram epilepsiam esse, sed illapsum Spiritus sancti, si vini vsum prohiberet; partim etiam vt milites suos semper haberet sibi præsentes & expeditos, ad quod multum facit vini abstinentia.

Tertiò, rara sunt eorum ieiunia nec mensem excedunt, vt referunt Postel. in lib. de Relig. Turc. Cuspin. in tract. eiusdem argumenti, & ex Christ. Richerio Guil. Regin. lib. 2. Caluino Turcismi cap. 3. De mense loquor non solari, sed lunari qui minor est, & quo solo vtuntur. Nec his obstat, quòd apud Authores multos legimus ieiunari à Turcis Quadragesimam, ita enim loquuntur quia ieiunium menstruum ad quadragesimale accedit. Hinc illud Guil. Regin. loco citato, *Ieiunium simile quadragesimali habent in anno semel per mensem.*

Cum sectariis deterius adhuc agitur quoad ieiunium. §. 5.

Primò quia secundum præclaræ doctrinæ suæ capita nunquam illud debent colere. quod vt demonstrem suppono quod in confesso est apud omnes, id à nemine vsurpandum quod vanum est, nec ratione vlla certa nititur propter quod fiat. notum est illud Psalmographi, *Odisti obseruantes vanitates superuacuè.* At iuxta sua principia nullam certam ac legitimam rationem afferre possunt cur ieiunare debeant, non ad gloriam Dei seu vt Deum colant, tum quia ieiunium & alia opera sua etiam quæ videntur optima reputant peccata mortalia; Iam verò non ita delirant, vt ex peccatis eiusmodi arbitrentur posse aliquid diuinæ gloriæ accedere: tum quia proferri possunt expressa Caluini verba, quibus negat ieiunio hoc fine incumbendum, sic enim loquitur l. 4. Inst. c. 12. n. 19. *Alterum malum magnoperè cauendum est, ne pro opere meritorio, aut specie diuini cultus censeatur.* Non vt carnem macerent ac subigant ne lasciuiat, quia tam carnem quàm animam carnis sociam censent nullo modo esse sui iuris, sed omnis liberi expertem arbitrij ferri in malum, ex quo planè sequitur frustra conari eum, qui ieiunio vel aliter illi velit frænum iniicere. Non vt liberè & sine eiusdem carnis impedimento orationi dent operam; Psal. 30.

à carnibus abſtinendum, iuxta primæuæ totius Eccleſiæ conſuetudinem, quæ earum loco halecibus veſcebatur, ſalſamentis, fabis, piſis, aut lupinis, lentibus, polentis, ficubus aridis, aut vuis paſsis, iuglandibus aliiſque eſurialium dierum obſoniis, Caluinus contra cum ſuis diſpenſat, vt eo tempore ſe reficiant nõ minus carne quàm cibis reliquis, ac prætendit ſi ſecus fiat, iniuria Deum affici. *Iniuria fit Deo*, inquit, *cum ſimpliciter etiam ad certos dies eſus carnium interdicitur. Carnes enim non minus quàm olera & piſces, & poma Deus in vſum noſtrum deſtinauit*, & rurſus, *hæc creauit omnia nobis, liberum omnium vſum modo ſobrius ſit & frugalis promiſcuè nobis permiſit*. Iniuriam quidem pateretur Deus, ſi à carnibus abſtineremus, quia immundæ ſunt & pollutæ vt prætexebant Manichæi. At non eſt iſta noſtræ cauſa abſtinentiæ, cum ipſomet ieiunij tempore illarum vſum iis omnibus permittamus, immò ſi opus ſit præcipiamus, quos grauis morbus oppreſſos tenet cenſentque Medici foueri ſatis non poſſe cibis reliquis: ac præterea iis quibus nihil aliud ſuppetit quod comedant, ſed inter alias auſteritatis ſectandæ ſtudium, cui dum minimè Caluinus conſulit, naturam peruertit ieiunij, ſicut illam etiam ea alia via deſtruit, quod ieiunium à communi ſobrietate non diſcernat: ſcribit namque vt audiuimus, *Liberum omnium vſum, modò ſobrius ſit & frugalis, promiſcuè nobis permiſit*, ex quo ſequitur nihil referre, quid vel quoties ieiunando comedamus, modo non feramur extrà metas ſobrietatis. Se denique circumuentum oſtendit ſpiritu erroris & doctrinis Dęmoniorum & cauteriatam habere conſcientiam. quippe ſic circumueniri ſcribit Apoſtolus eos qui prohibent abſtinere à cibis, quos Deus creauit. *1. Tim. 4.*

In l. de vera Eccleſ. reformatione.

Tertiò, cum rata fixaque eſſe debeant quæ ad religionẽ ſpectant, ac proindè quæ ad ieiunium, aliquod certè eius præceptũ extare oportet & par eſt credere. adeò vt ſcribat S. Aug. in epiſt. ad Caſulanum. *Ego in Euangelicis & Apoſtolicis literis totoq; inſtrumento quod appellatur teſtamentum nouum, animo id reuoluens video præceptum eſſe ieiunium*. Caluinus oppoſita gradiens via, & ſui planè immemor alibi conſilia reprobantis, non in præcepto vult eſſe ieiuniũ, ſed duntaxat in conſilio, vult Paſtores non præcipere ſed tantum hortari populum vt in ieiunio ſe exerceat. *Paſtores*, inquit, *ad publicũ ieiunium & extraordinarias preces plebes hortentur*. & *Paſtorum tunc quoq; officium eſt hortari ad ieiunium Eccleſiam.* *l. 4. Inſt. c. 12. n. 14. & 17.*

Quartò ieiunant rarissimè, videlicet tempore pestilentiæ, famis, & aliorum grauissimorum duntaxat casuum (vt habetur in eodem n. 14. & 17.) quos constat esse rarissimos, & cum id faciunt, semel solummodo vel bis ad summum faciunt. Interdum autem ne semel quidem. Exemplum nunquid non maximi momenti res est, & magnum quoddam argumentum iræ Dei bellum Hungaricum, furor item Turcicus proserpens vt cancer, atque extremum Europæ nostræ exitium moliens? Et tamen quis eorum vidit aliquem tantæ cladis auertendæ gratia sibi etiam imminentis, & honori diuino contrariæ, & in omnium tendentis iniuriam ieiunio vti vel motu proprio, vel ex suæ præscripto Ecclesiæ? Hoc sanè indicio est, quòd si honestè possent, ieiunia prorsus omnia vltra Tanaim relegarent.

Postremò cum ostensum sit ieiunare die Dominico, esse præter ne dicam contra præscriptum, ac consuetudinem Ecclesiæ & Sanctorum Patrum, illi tunc potius quàm alias ieiunant, vt vel sic nihil prætermisisse videantur, quo nouitatis amatores appareant, & noua facere omnia, & spiritu agi non religioso sed Diabolico, seu facto ad omnem cōtradictionem, illud ipsum facientes quod in Eunucho Parasitus suadebat militi, *vbi nominabit Phædriam tu Pamphilam continuò: si quando illa dicet Phædriam intromittamus comessatum, tu Pamphilam cantatum prouocemus; si laudabit hæc illius formam, tu huius contra. Deniq. par pari referto quod illam mordeat.* Atque vt verbo dicam vbique præposteros illius more carbunculi, qui iactatus in ignem velut inter mortuus extinguitur, contra aquis perfusus exardescit: more itaque quorundam fanaticorum, quos si exhorteris magis languescunt, si dehorteris magis accenduntur, si bene merearis redduntur inimici, sin malè pluris te faciunt.

Digitized by Google

De Pœnitentia actu 6. imperato & nota 19. veræ Religionis.

CAPVT VII.

§. 1. *Explicatur quid Pænitentia nomen hic sibi velit.*
2. *Probatur actus esse Religionis imperatus.*
3. *Et maximè in vsu Catholicis.*
4. *Non Mahumetanis.*
5. *Neque Sectariis.*

DE Pœnitentia vt Sacramentum est sermonem hoc loco non instituimus, sed vt virtus moralis Religioni subalterna, nec adhuc secundum omnia quæ illi, vt virtuti conueniunt, sed tantum vt veteris vitæ odium detestationemq; complectitur. Nam quod ad aliam eius partem quæ futurum respicit, & vitæ nouæ inchoatio siue propositum appellatur, posterior est atque ex hoc capite minus præcipua. Prius quippe naturæ ordine & vsu Scripturæ sacræ destruuntur peccata olim commissa, quàm virtutum actus peccatis illis contrarij exerceantur: ordine quidem naturæ, quia priùs à subiecto expungi oportet formam veterem, quàm noua introducatur: vsu verò scripturarum, quia cum de vtraque loquuntur prius facere solent detestationis illius mentionem, vt Ezech. 18. *Proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum.* Dauid quoque prius obsecrat Psal. 50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele*, posterius *cor mundum crea in me Deus.* In eo porrò consistit hæc detestatio, vt peccata quæ olim commisimus pro nostra virili reuocemus, odio habeamus, abominemur, ægrè feramus, & commissa non esse velimus, ab iis si adhuc committenda essent, seu nondum commissa omninò recessuri.

Indicatur perspicuè, quod dico, tot suspiriis, gemitibus, & lachrymis Dauidis, & aliorum verè pœnitentium, quæ profectò magnum peccatorum odium detestationemque supponebant; quandoquidem ea tantum in nobis nata sunt ciere lachrymas,

quæ diſplicent valde, & apprehenduntur, vt odio deteſtationeque digniſsima. Nec obſtat quod in iiſdem veris pœnitentibus eiuſmodi quoque propoſitum vitæ melioris locum habuerit, & habere debuerit, non enim inde probatur prius eſſe aut potius. Non etiam me mouet quod vox græca μετάνοια non præteritum ſed futurum reſpiciat (μετανοεῖν namque poſt ſapere ſignificat) ita vt ob id videatur iſtud idem propoſitum, pars eſſe prior potiorque pœnitentiæ. Hoc inquam nihil moror, quia nec nouum eſt nec inſolitum, rem aliquem denominari ab eo quod eſt poſterius, vt animal ab anima, quam materia procul dubio antecedit. Deinde eſto contingere poſsit aliquando, vt propoſitum non peccandi prius concipiatur, quàm odium ſeu actus deteſtationis peccatorum, vt docet Suar. 3. p. ad art. 1. quæſt. 85. ſect. 3. aſſert. 2. regulariter tamen ſecus euenit, immò nonnunquam ſolum odium expreſsè formaliterque elicitur, propoſitum autem implicitè tantum, vnde Dauid expoſito ſibi peccato per Natham Prophetam 2. Regum 12. verba duntaxat illa protuliſſe legitur *peccaui Domino*, & ſtatim iuſtificatus eſt, vbi nulla facta eſt mentio futuræ vitæ, & quantum colligi poteſt ex circumſtantiis, quæ ibi referuntur, pro eo tempore ſolum habuit vehementem deteſtationem diuinæ offenſæ à ſe commiſſæ, vt declarat S. Chryſoſtomus hom. 6. de pœnitentia. Et certè in ordine ad iuſtificationē magis
ſeſſ. 6. c. 6. conſentaneum eſt, vt notat Concilium Tridentinum, & communiter contingit, vt homo incipiat à deteſtatione peccati. Namque ad impetrandam veniam de iniuria perpetrata, nulla moraliter loquendo accommodatior eſt via, magiſque immediata diſpoſitio, quàm diſplicentia de eadem iniuria facta, ad quam ſtatim ſequitur voluntas & propoſitum, nunquam iterum iniuriam faciendi. Et ſi quis interrogaretur cur illam deteſtaretur & odiſſet, nunquam reſponderet, quia illam vltrà inferre nolo. Contra autem interrogatus cur illam vltra nollet inferre, aptè reſponderet, quia mihi vehementer diſplicet tanquam ingens malum antea non ſatis cognitum, nunc autem exploratum, à quo proinde in poſterum ſaltem reſilire mei eſt conſilij. Potius itaque odium ducit ad propoſitum quàm contra, ideoque prius eſt non poſterius. In hoc interim vim non facio, cum mihi ſufficiat quod pœnitentiæ virtus odium illud complectatur, vt ſeparatim

rim

Digitized by Google

rum à me considerari possit, tanquam conducens ad Dei gloriam.

Quod autem sic vsurpata pœnitentia, hoc est, pro tali odio & peccati detestatione religioni sit coniunctissima, certum adeò est vt Caietanus 3. part. quæst. 83. art. 3. illam asserat virtutem esse à religione minimè differentem, sed ipsissimam religionem, quatenus sub ratione cultus reddit debitum Deo, in quocunque genere. *Sicut enim pro beneficiis debetur Deo gratia*, inquit, *ita pro offensis recompensatio; vt sicut gratiæ illius actione Deus colitur, ita & recompensationis istius exhibitione.* Hanc quidem sententiam vsquequaque veram esse adduci non possum vt credam, ea scilicet ex parte, qua asserit pœnitentiæ nullam aliam quàm religionis inesse rationem, cum constet alias quasdam illi esse propositas, secundum quas nunc in partem abit Iustitiæ, nunc virtutem constituit, & à Iustitia & à Religione separatam, vt accuratè docet Gregorius à Valentia 3. p. q. 85. ad art. 1. 2. 3. & 6. Quatenus enim satisfactio quædam est Deo debita, & facta pro offensa ex parte stat Iustitiæ, quæ in iniuriis & offensis compensandis & ablatis restituendis propriè versatur; quatenus autem abolitio peccati est, eo præcisè fine comparata, non vt compensatio illa fiat, nec vt colatur Deus, sed vt Deus peccato exacerbatus, nobis reconcilietur, specialis virtutis rationem induit: Iustitia siquidem nō id spectat, vt is cui satis fit in gratiam recipiat eum qui læsit, sed tantum vt detur æquiualens offensæ quantum fieri potest, siue demum vnio sequatur animorum siue non. Religio similiter solum Dei cultum sibi proponit, qui profectò non videtur formaliter in satisfactione contineri, sed materialiter tantum, quod interim satis fuit Concilio Tridentino, vt in sess. 14. can. 14. decretum hoc poneret. *Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Iesum peccata redimunt, non esse cultus Dei sed traditiones hominum doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes anathema sit.* Admittitur tamen dictum Caietani nec repudiari potest, quatenus pœnitentiæ quiddam inesse significat, quo à parte religionis stare merito possit. Rem sic explico. Religioni diuinoque cultui nihil magis aduersatur quàm peccatum, quippe quod ipsissimus Dei contemptus est, & iniuria, & læsio, & vt ita loquar inhonoratio. Quapropter actus ille qui erit abolitio eo fine suscepta, vt talis Dei

con-

contemptus tollatur plurimum sanè ad eius cultum conferet, tum quia remouendo id quod tali est cultui contrarium, videbitur cultum ipsum in suo esse quodammodo constituere; tum quia sequuturi diuini obsequij magnum excludet impedimentum, & hoc est quod sibi voluit Baruch. dicens cap. 2. *Anima quæ tristis est reddit tibi gloriam.* Atqui pœnitentia hæc nostra seu peccati detestatio, quædam eiusdem abolitio est, nihilque obstat, quominus à religione referri & imperari possit ad contemptum illum auferendum, & gloriam Dei illustrandam, reipsa ergo imperabitur. Quia sicut solertes negotiatores nullam lucri, sic Religio seria nullam diuinæ gloriæ amplificandæ occasionem negligit, sed oblatam quamcunque arripit.

Hoc solum explicandum occurrit, qui fieri queat vt peccatum olim commissum aboleatur? siquidem aboleri non posse videtur, nisi quod est actu & præsens, peccatum autem cum in actione transeunte consistat, quàm citò commissum fuit tam citò esse desiit, non ergo potest per pœnitentiam & detestationem aliquam aboleri. Respondeo peccatum posse considerari dupliciter secundum actum, & secundum culpam seu reatum quem in anima relinquit. Si hoc posteriore modo consideretur non est difficultas, quia hic reatus aliquid præsens ac permanens est, & per detestationem illam tollitur tanquam per dispositionem quam in pœnitente prærequirit diuina gratia: si priore modo spectetur, nempe vt actio iniqua est, diuinæ legi contraria, nunquam propriè aboletur neque per pœnitentiam neque per aliquid aliud, sed suapte natura abolita est hoc ipso quo fuit actio transiens, & ita esse desiit. Et cum aliquando fuerit, iam propriè fieri non potest, vt non fuerit, potest tamen moraliter & secundum diuinam æstimationem adminiculo pœnitentiæ.

Primò, quia Deus intuetur cor, & vbi facultas deest operis, habet eius loco voluntatem, at quisquis detestatur oditq; peccatum præteritum, sic affectus est, vt si fieri posset illud omnino reuocaret, faceretq; ne fuisset, vera igitur peccati detestatio, tacita quædam illius est apud Deum abolitio ac reuocatio.

Secundò, positio vnius contrarij exclusio est remotioq; alterius, sed amori dilectioniq; peccati contrarium est odium eiusdem,

Digitized by Google

dem, & ex conſequenti dolor indiuiduus huius odij comes; cum ergo peccatum ex amore & dilectione illa reſultauerit reliquum eſt, vt odio & dolore ſuccedentibus quodammodo aboleatur.

Tertiò tametſi peccatum ſic conſideratum ſit præteritum, manet tamen vt dixi quoad culpam & reatum pœnæ, & vberius dicturus ſum in Codicillo cap. de ſatisfactione, quare quo actu culpa & reatus ille tollitur, peccatum ipſum deleri nō incongruè poteſt, cum ergo vera peccati deteſtatio tollat ſuo modo culpam, vt dictum eſt, & pœna partem non modicam, eſt ex conſequenti quædam peccati ipſius præteriti abolitio, per quam à Deo tam parum attenditur, ac ſi nunquam fuiſſet.

Vnico hactenus argumento euici quod probandum ſuſceperam, hoc eſt, pœnitentiam actum eſſe religionis ſaltem imperatum, aliud iam accipe, tam ſacrificium quàm oratio & humiliatio actus quidam religionis ſunt, vt ex ſuperioribus liquet; ſed peccati deteſtatio quoddam eſt ſacrificium Pſalm. 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus*, & tacita quædam oratio Pſalm. 6. *Exaudiuit Dominus vocem fletus mei*, & humiliatio Pſalm. 50. cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, ergo peccati deteſtatio actus eſt religionis, ſeu aliquid in ſe habet propter quod poteſt gloria Deo conciliari, ſicut per ſacrificium orationem & humilitatem.

Huius ipſius Pœnitentiæ ſtudioſiſſimos eſſe Catholicos duabus facilè viis me demonſtraturum confido. Nam in primis illius commendatione & inculcatione plenum eſt apud eos ius §. 3.
Eccleſiaſticum; nihil ſcribitur inſtantius, nihil à concionatoribus è ſuperiore loco vrgetur fortius, quàm vt vbique omnes pœnitentiam agant. Cuius nomine ſicut ſæpè intelligunt reſipiſcentiam ſeu illaudabilis commutationem vitæ cum laudabili, ita ſæpe deteſtationem de qua ſuperius, ſæpius autem vtramque complectuntur, vt Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. vbi ſic loquitur: *Contritio animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero, fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus neceſſarius.* Et infrà: *Declarat ſancta Synodus hanc contritionem non ſolum ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere iuxta illud E-*

zech.18. proiicite à vobis omnes iniquitates vestras, in quibus præuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Ex quo obiter intelligi potest quàm facta sit Caluino frons meretricis. Siquidem in libris Institutionum, quos scripsit post Antidotum in Concilium Tridentinum, hoc est, post adeptam perfectam notitiam eorum, quæ in tali Synodo continebantur (neq; enim aliquis commentari opus solet, quod non prius accuratissimè voluerit ac reuoluerit, præsertim si illius more solo carpendi animo ad commentandum accesserit) non eum puduit scribere de resipiscentia altum esse apud Catholicos silentium. Dixerat prius *nunc venio ad excutienda ea quæ de pœnitentia Scholastici Sophistæ tradiderunt.* addit autem breui post. *De interiori mentis renouatione quæ veram vitæ correctionem secum trahit, mirum silentium.* Sed in viam redeamus, cum tam seriò, tam continuò, & instanter admoneantur omnes de doloris ac detestationis illius necessitate, fieri profectò non potest, quin si non omnes pars saltem longè maxima serio illam cordi habeat, ac frequenter mente concipiat, nisi fortè eos credere iubeat nulla tangi sollicitudine rerum, quas docentur ad æternam salutem suam prorsus esse necessarias, & quarum tot tamq; illustria exempla in superioribus seculis sibi data non sunt nescij.

Lib.3. Inst. c.4.n.1.

Secundò sicut ratiocinantur omnes, tunc herum serui sui factum ægerrimè ferre ac detestari, quando propter illud diutissimè variisque modis cædit illum, vexat [illegible] cruciat: ita par est argumentari Catholicis abominationi es[illegible] cata propria, cum in illorum odium, quidquid fermè fieri potest faciant, vt infrà dicam, & in se velut vnos eorum authores seuerissimè animaduertant. Vidit hoc Caluinus, nec negare potuit adeò est in media luce positum, sed suo more risit velut exercitationem corporis inutilem. *Sic sunt in externis exercitiis mordicus affixi,* inquit loco citato, *vt nihil aliud ex immensis voluminibus colligas, quàm pœnitentiam esse disciplinam & austeritatem, quæ partim domandæ carni, partim puniendis castigandisq; vitiis seruiat.* At profectò grauior materia est quàm vt rideri iure possit ac debeat, suspicienda potius est & religiosè frequentanda tanquam veræ fructus pœnitentiæ, vt manifestè docent tum verba Christi Matthæi 11. tum exempla Sanctorum. Verba illa sic habẽt: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone*

Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Planè indicant debuisse Corozaim & Bethsaidam perspectis tot Christi miraculis, quibus dignissimum se esse probabat cui crederetur, denuntianti iis æternas pœnas nisi resipiscerent, debuisse inquam agere pœnitentiam, & quidem seriam illam quam egissent Tyrus & Sidon, si eadem prodigia in eundem finem conspexissent. Atqui pœnitentiam egissent in cilicio & cinere, hoc est, accersiuissent multas ac varias afflictiones corporis; sunt ergo huiusmodi afflictiones fructus veræ Deoque probatæ pœnitentiæ, quas proinde quisquis ridendas putat, impium se esse demonstrat Deoque repugnare. Laudat idem Dominus pœnitentiam Niniuitarum, ad quam induxit illos prædicatio Ionæ: illi autem vestiti sunt saccis, & cinere caput asperserunt. Nouerant haud dubiè primi parentes, & Dauid Rex, & Paulus Apostolus, & sancta Magdalena, sanctus item Augustinus, quod munus esset verè pœnitentium, quid agere deberent, vt tales dicerentur & essent: omnes autem exercuerunt se strenuè in huiusmodi carnis afflictationibus. Primi illi satores humani generis statim post præuaricationem consuerunt sibi folia ficus sane aspera Genes. 3. de quibus S. Irenæus: *Per succinctorium in facto ostendit* Adam *suam pœnitentiam foliis semetipsum contegens existentibus & aliis foliis, quæ minus eius corpus vexare potuissent.* Lauabat lectum, rigabat stratum suum lachrymis Rex Dauid per noctes singulas, exitus aquarum deducebant oculi eius, quia non custodierant legem Domini. *Psal. 118.* Non aërem flagris verberabat Apostolus, vt ioco solent pueri flagellum excutientes, sed seriò carnē suam ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, inquit, id est, contundo validis ictibus corpus meum. *1. Cor. 9.* De sancta Magdalena, sic loquitur B. Gregorius: *Cogitanti mihi de Maria Magdalenæ pœnitentia flere magis libet quàm aliquid dicere. Cuius enim vel saxeum pectus illæ huius peccatricis lachrymæ ad exemplum pœnitentiæ non emolliant? Considerauit namque quid fecit, & noluit moderari quid faceret, super conuiuantes ingressa est, non iussa venit, inter epulas lachrymas obtulit, discite quo dolore ardet, quæ flere inter epulas non erubescit.* *Hom. 33. in Euang.* Et ante illum sanctus Chrysostomus: *Quia perfectè incaluerat pœnitentia percita est furore ceu Bacchico in posterum amore erga Christum, siquidem & continuo crines resoluit, & sanctos pedes vberius diluens lachrymis, ac propriis extergens capillis vnguentum exhausit. Et hæc quidem extrinsecus cun-* *Homil. 6. in Euang.*

Ita fiebant ea vero quae in secreto cordis agitabat, multo his feruentiora erant, quae tantummodo Deus ipse cernebat. Sanctus Augustinus morti proximus, vt in eius vita scribit Posidonius, Psalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent in conspectu positos profusis lachrymis legebat.

Eligat tandem Caluinus opera ista pœnalia ridens è duobus alterutrum, aut internam peccatorum admissorum detestationem ac dolorem reprehendat, quod facere non potest quin scripturam sugillet à qua hic dolor sæpenumero laudatur & consulitur, vt cùm ait: *Scindite corda vestra, cor contritum Deus non despicies.* Et Dauid: *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Et Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: aut si eam probat, non mali consulat externa opera, quibus sese prodit & aperit, quandoquidem scribit ipsemet lib. 4. Institutionum, cap. 12. num. 15. *vbi animus afficitur vt debet, fieri vix potest quin erumpat in externam testificationem.*

Psalm. 50, & 37. Isa. 38.

Nunc istas carnis afflictiones Catholicis pœnitentibus, vt dixi familiares penitiùs paulò consideremus, idque adducto exemplo vno de multis quod quia prostat oculis ipsorum Nouantium negari ab iis nullo modo potest. Ex his aliquos nominare in promptu est, qui visis Augustæ Vindelicorum, quæ in hoc genere ab illis fiunt, quàm seriò in terga sua sæuiant, quantas afflictiones corporibus suis sæpè tenellis afferant in deliquium inciderunt. Et certè nulla castigationis species ab illis prætermittitur. Alij in rigore vestium sunt vt ciliciorum, alij in disciplinis seu flagellatione carnis, alij in capitis pedumque nuditate, alij in æstu & frigore, alij in diuturnis vigiliis, alij in neglectissimo cultu corporis, alij in expansione brachiorum, alij in genuflexione vel incubatione, alij in fœtoris graueolentia qualis est Xenodochiorum, alij in tollendis in humeros portandisque ingentibus crucibus, alij in peregrinationibus, alij immò penè omnes in ieiuniis multis, alij in eleemosynis, alij in 40. horarum precationibus, quibus omnibus fit, vt non solum castigent carnem suam, quæ olim assentiente anima deliciis vacauit illicitis, sed etiam discant in posterum pugnare cum vitiis, & corpus subigant ne vltrà sit contumax, nec peccato seruiat. Ac ne putes Lector, sic solum exerceri eos quibus virilis ætas, vel sexus magnum robur

Digitized by Google

robur & indolentiam quandam attulit, faciunt id quoque pro ſua conditione & ſeruata vbique decentia fœminæ plurimæ cõplures item pueri præſertim in Academiis & Collegiis tanta ſæpè contentione, vt prępoſitis facilè non ſit eorum feruorem tęmperare. Ne rurſus paucorum ſuſpiceris eſſe exercitium, Integras Congregationes videas toto fermè Quadrageſimæ tempore, & in grauibus quibuſque Eccleſiæ, patriæ, aut ciuitatis calumitatibus & periculis ad eiuſmodi cruciamenta carnis, velut ad ſacram quandam anchoram ab irato Deo propoſitam feſtinare. Atque hæc de pœnitentiis merè ſpontaneis, quid iam fiet ſi iis annumeremus quas vel pœnitentibus priuatim imponunt Confeſſarij? vel grauioribus delictis iura decernunt? vel Ordines Regulares vſurpare partim ex inſtituto, partim ex pia conſuetudine ſolent? Hos profecto Ordines non aliud quàm publica quædam gymnaſia eſſe pœnitentiæ, docet S. Thom. in eo libello quem ſcripſit contra impugnantes religionem; idque indè patet, quod hic ſtatus ſi benè obſeruetur, abdicatio ſit omnium huius mundi voluptatum: Durum autem, graue, & amarum ſit carni iucundis rebus priuari, quarum appetentiſsima eſt, coniugio inquam, epulis, compotationibus, venationibus, ludis, iocoſis ſpectaculis, & id genus aliis, ob quorum excluſionem, & contrariorum vſum non dubitauit S. Ioan. Chryſoſtomus Religioſos dignos iudicare qui Crucifixi dicerentur, vt qui in perpetua cruce viuant. At ſtudiis incumbunt multi tum ſacris, tùm aliis ſuſceptis ſacrorum gratia, ex quibus voluptas tanta percipitur, vt alia omnis faſtidiatur, vnde Hieronymus, *ama ſcripturas & carnis vitia non amabis*, & Archimedes ea velut abſorptus cum Marcellus Syracuſas inuaderet, hoſtium impetum nõ ſenſit irruentium. Incumbunt multi fateor, & perdulces ex iis fructus capiunt, ſed ex adeo amaris radicibus, vt iis ſpectatis ſcribat Eccleſiaſtes cap. 1. *Dedi cor meum vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & ſtultitiam, & agnoui quod in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio* (quo enim plura quis nouit, eo plura videt ſupereſſe quæ neſcit, & quæ iam magna contentione didicit, citò obliuione deleri) *& qui adiicit ſcientiam, addit & laborem.* Paulo antè dixerat, *Propoſui in animo quærere & inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. Hanc occupationem peſſimam*, id eſt laborioſiſsimam

Homil. 58 ad pop.

Digitized by Google

mam, *dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea.* Capite autem 12. vt apertè doceret seria & longa studia ipsius etiam carnis esse afflictiones & vredines quasdam, limasque tacitas ait, *frequens meditatio carnis afflictio est.*

§. 4. Apud Mahumetanos nihil horum inueneris, nullibi Alcorani intrinsecus ille dolor de peccatis præscribitur, nec lachrymæ, vigilia, cilicia & huiusmodi alij eius fructus commendantur, vtcumque secundæ partis pœnitentiæ quæ resipiscendi propositum appellatur, mentio fit in Azo. 15. *Quisquis post malum ignoranter gestum à malo declinauerit & benefecerit veniam consequetur*, idque vt patet valdè ridicule, tum quia malum materialiter tantum malum est, quando per ignorantiam committitur saltem inuincibilem, nec resipiscentiam propriè requirit; tum quia quod ex certa scientia perpetratur, indiget multo magis emendatione, tacetur interim à præclaro illo legislatore qui Alcoranum edidit. Nec mirum cum impiè multa doceat, quæ tam dolori illi de peccatis pristinis in quo vno consistit pœnitentia de qua hic loquimur, quàm resipiscentiæ cuiuis veræ aduersantur. Exempli gratia licitum esse genus omne voluptatis (de qua licentia dicam non pauca lib. seq.) quod quisquis audit, auertitur dicto citius à studio quarumque rerum tristium proindeque pœnitentiæ. Item necessitate adigi ad peccandum, quotquot in peccatum proruunt, vti aliquoties iam audiuimus. At neminem sapientem pœnitere solet præterquam malorum, quæ cum posset vitare, contempsit. Item armorum vi proterendos quoscunque populos quantumuis innocentes; quis vero credat spiritum hunc procellosissimum affine aliquid habere cum pœnitentia, & non potius ferociendo ferocire magis? Deos & Deas aliquas finxerunt Poëtæ vel pœnitentia ductos, vel lachrymabiles; at Bellonam & Martem nunquam, vt admonerent quod experientia satis superque comprobat, militares illos homines qui cædibus delectantur & vastitate, nihil aut parum pietati, religioni, misericordiæ, fletibus ac pœnitentiæ tribuere. Item sufficere lotionem aquæ ad eluenda peccata omnia, esto nec dolor vllus interueniat anteactæ vitæ, nec melioris propositum. Non est humani moris apud eos maximè, qui voluptatibus ex instituto dant operam, quando expeditiores occur-

occurrunt viæ impeditiores quærere. Atqui profana hæc lotio expeditiſsima via eſt illorum iudicio, ad beatitudinem, remiſſionemque peccatorum: Vacat ergo veri ſpecie gentem illam deliciis quoad poteſt indulgentem, de ſpinoſa pœnitentia, deque rebus ad eam pertinentibus curam ſuſcipere. Item non remitti à Deo peccata grauiſsima. *Deus maiora peccata nequaquam condonat.* Azo.91 Nemo qui hoc ſecum reputat induci poſſe videtur ad Deum ſibi pœnitentia placandum, ne contra mortalium omnium conſuetudinem vltrò ſcienterque ludat operam. Item iubere Deum ne qui iniuriam acceperunt, remittant illam ſupplicibus, *veniam obſecrantibus & petentibus minimè da veniam*, ac proindè Ibid. nec ipſum parcere iis quos delictorum pœnitet, quique ea ſibi ignoſci deprecantur, cum veriſimile ſit eodem modo affici legiſlatorem, quo alios affici cupit ac mandat. Porrò ſi factus non eſt ad parcendum, quis conabitur per pœnitentiam in illius redire gratiam?

Sed erit qui obiiciat orationem, & eleemoſynam, & ieiuniũ fructus ſignaque eſſe veræ pœnitentiæ, vt docet S. Thom. 3. p. in Addit. q. 16. art. 3. vndè cum valdè in iis exerceant ſeſe Mahumetani, non eſt quod videantur pœnitentia vera deſtituti. Taceo frequenter eos diuinam implorare miſericordiam (quod pœnitentium proprium eſt) & dicere, *Deus miſericors eſto & propitius nobis miſeris peccatoribus*, & lachrymas multas fundere, vt ex Septemc. cap. 13. recitat Regin. l. 2. Caluinoturc. c. 3. & longas peregrinationes inſtituere. Reſpondeo, ne his quidem omnibus in vnum cõgeſtis aliquid apud eos eſſe veræ ſolidæque pœnitentiæ. Namque illorum ieiunium vt nos docuit præcedens caput, turpe prorſus ac ridiculum eſt, nec tam dicendum ieiunium afflictiuum corporis, quàm ſuauem nocturnæ crapulæ intermiſsionem, ſeu diurnam reſpirationẽ neceſſariam, vt ingens illa cibi potuſq; digeratur, qua calorẽ naturalem tantũ non oppreſſerunt. Habent & multũ vitij illorũ orationes, vt intelliges ex dictis li. 1. c. 10. vt prętereà orationem eatenus tantũ partem ſeu fructũ eſſe pœnitẽtiæ, quatenus vnum ex operib. pœnalibus eſt, ad caſtigandã peccati delectationẽ idoneis. In Mahumethiſmo autẽ iucundam potius cenſendã, q̃ pœnalẽ & arduã. Neq; enim orant aperto cap. vt alibi oſtẽdimus, nec flexis genib. nec ſuper nudo pauimẽto, vndè callũ con-

contrahant; sed storeis strato & tapetibus. Lacrymas quarum meminit Septemcastrensis non eo referunt, vt mala castigent quæ admiserunt, sed quæ defuncti quorum in funere lamentantur. tam absurdè profectò quàm ridiculum est propriis neglectis deflere aliena. Hinc illud.

Mart.l.7. Epigr.10.

Illud dissimulas ad te quod pertinet Olle
Quodq; magis curæ conuenit esse tuæ.

Longinquas illas peregrinationes pauci instituunt, idque non tam religionis causa vel pœnitentiæ, quàm vanæ gloriæ, vel magnæ illius vtilitatis quam indè referunt. Namque reduces magnis vtuntur priuilegiis, vt attestatur Cuspin. in lib. de Turc. relig. magno in honore sunt, insignia quædam gestant honorifica & inconcessa cæteris, in dignitates quas ambiunt, irrepunt facilius, si vitam viuere malint religiosam sine difficultate stipem colligunt, atque omnium in se beneficentiam non ægrè conuertunt, denique illorum testimoniis plus multò inest authoritatis quàm cæteris.

§.5. Restant sectarij, quibus vel pœnitentiam nominare stomachum est euertere, vt non sit dubium quin multò magis rem abominentur ea voce significatam. Pœnitentia vt demonstrauimus solam resipiscentiam non complectitur, sed etiam internum animi dolorem de peccatis præteritis, idque luculenter insinuat Apostolus dicens 2. Corinth. 7. *Gaudeo quia contristati estis ad pænitentiam.* At Lutherus in serm. de Pœnit. & art. 6. apud Roffensem, hunc dolorem interdicit & damnat. Caluinus autem illum quidem probat ac recipit, ait namque l. 3. Inst. cap. 3. §. 15. *Fieri non potest quin anima diuini iudicij horrore perculsa partes vltionis in exigenda de se pœna occupet. Sentiunt sanè pij quales pœnæ sint pudor, confusio, gemitus, displicentia sui, & reliqui affectus qui ex seria delictorum cognitione nascuntur,* & §. 16. *hæc afflicti animi sunt propria in squalore, gemitu, lachrymis esse, fugere splendorem & quemlibet apparatum, omnibus deliciis se abdicare. Deinde is qui sentit quantum malum sit carnis rebellio, remedia omnia quærit quibus eam coerceat. Prætereà qui benè cogitat, quàm graue sit violasse Dei iustitiam, quiescere non potest donec in sua humilitate gloriam dederit Deo.* Verum partem negat esse pœnitentiæ, siquidem §. 9. pœnitentiæ definitionem

nem

nem ex instituto proferens, in qua procul dubio complexus sibi videtur partes illius omnes, resipiscentiæ solius meminit. Verba illius sic habent, *vno ergo verbo pœnitentiam interpretor regenerationem, cuius non est alius scopus, nisi vt imago Dei quæ per Adæ transgreßionem fœdata, & tantum non obliterata fuerat, in nobis reformetur.*

Nondum hæc sufficiunt dicat aliquis, vt vel hi Hæresiarchæ vel eorum gregales hac in parte irreligiosi esse conuincantur. Nam quod ad Lutherum non damnauit dolorem omnem de peccatis commissis, sed illum duntaxat qui resultat ex consideratione turpitudinis eorum, & damni spiritualis quod authori suo afferunt. Quod ad illum qui ex vera charitate oritur, hoc est, qui præcisè concipitur ob Dei offensam siue ob iniuriam ei per peccatum illatum, illum non reprobauit quem proindè approbasse videtur. Is autem cum sit priore illo longè dignior sufficit ad gloriam Deo conciliandam, quantum id fieri potest per pœnitentiam. Quod ad Caluinum, quid refert quod dolorem de peccatis non censuerit partem esse pœnitentię dummodo bonum ac licitum esse docuerit, & suis etiam commendauerit, tanquam conducentem ad Dei gloriam. Respondeo planè sufficere. Nam vt de Luthero primum loquar, esto forte priorem tantum dolorem interdixerit, quia tamen nisi per illum peruenire non solent homines ad posteriorem, progredientes scilicet ab imperfectis ad perfectiora, vt insinuat satis Apostolus cum ait 1. Cor. 15. *Non prius quod spirituale est, sed quod animale deinde quod spirituale.* Et Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*, & 1. Ioan. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*, haud dubiè nec dolor ille posterior nec timor filialis, qui ei semper cohæret initium est sapientiæ, sed comes fidissimus, nec à charitate foras mittitur, sed cum ea perseuerat. Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*, ita restat vt dicamus priorem dolorem, & timorem seruilem ei adiunctum esse initium illud de quo Psaltes loquitur, quodque succedente perfecta charitate foras mittitur, vt fusè quoque docet S. Augustin. tract. 9. in 1. Canonicam Ioan. quia inquam ad posteriorem dolorem nec perueniri, nec transiri solet, nisi per priorem, fit vt Lutherus hunc interdicendo & damnando, illum ex consequenti interdicat & damnet.

Digitized by Google

Quod ad Caluinum, esto priorem commendet ac recipiat, sicut & posteriorem, quippè vniuersim agnoscit bonum esse dolere de peccatis eaque detestari, quia nihilominus per neutrum seu neutrius intuitu peccatum vult aboleri, neutrum item concipi eo fine vt talis abolitio sequatur, in qua interim sola consistit vt vidimus ratio colendi Deum, quę pœnitentiæ inesse dicitur. Actus autem non operentur nisi iuxta intentionem agentium, sequitur quod nec in Caluino, nec in Caluinistis praua illa doctrina imbutis posit dolor ille rationem habere actus religiosi.

Sed faciamus quod vtcumque posit, quis eorum aliquem huic dolori dare sese, vidit vel audiuit? Quis eundem lachrymis rigare genas, cilicio vestire carnem, macerare se ieiuniis, incedere nudis pedibus, pugno pectus tundere, flagris dorsum exarare, multum fortunarum suarum dare pauperibus, & alia id genus amplecti, quæ omnium iudicio externi fructus, effectus, signaque sunt doloris illius intrinseci? Haud dubiè cum horum studium in nullo prorsus appareat, tanto iure argumentari possumus dolorem illum internum deesse omnibus, quanto inferimus inde abesse ignem, vndè fumus nullus egreditur. Vt autem in aliquo nec sit nec appareat, specialiter causa est idem Caluinus admonens lib. 3. Inst. cap. 3. n 16. Deum intueri cor, & non externas illas afflictiones, scriptum esse vt scindamus corda non vestimenta, magnos carnis cruciatus contrarios esse Ecclesiasticæ mansuetudini, &c.

At fortè pœnitentia sumpta pro resipiscentia ad Dei gloriam conducere, & ob id à Religione potest imperari, atque ita cum in hoc admittatur, vt vsurpetur à sectariis, non omninò destitutos esse religione, quæ à pœnitentia proficiscitur. Ad hoc respondeo, resipiscentiam esse duplicem, negatiuam vnam quæ consistit in cessatione à prauis operibus, positiuam seu affirmatiuam alteram, quæ nihil aliud est quam exercitium bonorum operum prioribus illis aduersantium, vt fit v. g. quando is qui antea iniuriis & damno alios afficiebat, prosequitur nunc beneficiis. Prior illa cum actus non sit sed priuatio non est huius instituti, in quo de religionis actibus disputauimus. Posterior subdiuiditur, aut enim est exercitium actuum qui

Digitized by Google

qui propriè & elicitè ad religionem pertinent, & aduersantur prioribus directè cum religione pugnantibus, vt contingit exempli causa quando qui blasphemus erat nunc Deum laudat, &c. aut actuum qui vel nullo modo religionem attingunt, vt actus Eutrapeliæ, vel imperatiuè tantum vt actus charitatis, humilitatis, obedientiæ, &c. de quibus superiùs. Si sit exercitium actuum nullo modo religionem attingentium, extra propositum nostrum sunt; sin verò actuum propriè seu elicitiuè, vel impropriè seu imperatiuè duntaxat ad eam pertinentium, conducit quidem ad religionem, verùm eatenus apud sectarios non inueniri demonstratur, quatenus probatum est hactenus eos nullum eiusmodi actibus locum dare, nec quoad illos resipiscere. Vt vniuersalius dicam nego vllam apud eos esse veram resipiscentiam, seu transitum à malo ad bonum, nec aliud assertionis huius meæ testimonium conquiro, quàm quod sponte offert nobis Caluinus ipse. *Cum tot hominum millia*, inquit ille, *cupidè vt videbatur nomen dedissent Euangelio, quam pauci obsecro à suis vitiis resipuerunt? Immò quid præ se maior pars tulit, nisi vt excusso superstitionum iugo solutius in omnem lasciuiam diffluerent homines Luciani & Epicuræi?* Et Schmidelinus conc. 4. in cap. 21. Luc. *Nulla sentitur in illis morum emendatio, sed horrenda, Epicurea, animalis eorum vita cernitur.* Si tàm parum facti erant ad resipiscentiam quo tempore feruebant omnia, quid de isto sentiendum? In lib. de scand.

De vitiis Religioni oppositis ac primum de iis quæ superstitiones appellantur & in excessu consistunt, & quorum exclusio nota 20. dici potest veræ Religionis.

CAPVT VII.

§. 1. *Superstitio quid sit docetur, & quas sub se species complectatur.*
2. *Immunis à qualibet probatur esse Religio Catholica.*
3. *Cum ex aduerso referta sit iis Mahumetana.*
4. *Multis similiter resperssa sit Pseudoeuangelica.*

§. 1. PERFECTA disputatione de Religionis actibus tum elicitis tum imperatis, quantum per ingenij mei imbecillitatem licuit (quę enim de sepulturis, deq; prędicatione verbi Dei addi possent, quia pauca sunt, reiicientur in librum 4. vbi de recta dispositione rerum omnium quam religio vera postulat, deque modo quo propagari debet sermo erit.) Lubet more S. Thomæ 2.2.q.92.93. & seq. ad vitia illa contraria descendere.

Superstitio vitium est Religioni oppositum per excessum, videturque ob id olim dicta religiositas vt notat Lipsius lib. 1. Polit. & qui superstitiosi sunt, religiosi, eo quod nomina quæ sic desinunt, abundantiam quandam excessumq; significant, vt ebriosi, mulierculosi, Hinc tritum illud sermone prouerbium, *religentem oportet esse, religiosum nefas.* Sed iam vox ista *religiosus* vsu longo obtinuit, vt supponat pro vero numinis cultore seruante modum. Definitur autem superstitio propriè, vana & inanis seu falsa religio, q̃ Deo veneratione͂ & cultum indebitũ defert, aut debitũ negat seu alio transfert. Si indebitũ defert, id est, si Deũ colit vel mendaciis (ad quæ reuocantur res falsum significantes, cuiusmodi iam sunt veteris legis sacrificia, non enim amplius futura

est

eſt Chriſti mors quam portendebant) vel futilibus additamentis ac cæremoniis nihil prorſus ad Dei gloriam facientibus ne remotè ac indirectè quidem, nec rationi aut Eccleſiæ, piorumque hominum iudicio ac mori conſentaneis, reſultat ſpecies prima ſuperſtitionis, quæ vulgò dici ſolet ſuperſtitio indebiti cultus, eo quod vero Dei cultui addat inane aliquid ac ridiculum, & ſic illi quaſi ſuperſtat, ideoque vitio vertitur. Quemadmodum enim quod bonum eſt, ei temerè addi non poteſt, quia vt docet ſanctus Thomas articulo primo, nihil poteſt eſſe ſecundum ſe nimium in materia Religionis, nec coli vnquam Deus poteſt plus quàm meretur: ita perperam adiicitur quidquid vanum eſt, & abſque ratione vlla probabili geritur. Debet ſiquidem eſſe rationabile obſequium noſtrum Roman. 12. & ſcriptum eſt Pſalm. 30. *Odiſti obſeruantes vanitates ſuperuacuè.* Et Eccleſ. 8. *Diſplicet Deo ſtulta promiſſio.* Non eſt autem maior ratio, cur promiſsio quæ diuini cultus particula quædam eſt, illi diſpliceat cum ſtulta eſt, inanis, & vana quàm alia quæpiam. Quod ſi cultum debitum defert alteri quàm Deo, id eſt, creaturæ, reſultat ſecunda ſpecies quam idololatriam vocant, propterea quod cultus eſt Idoli ſeu vani ſimulacri fictitium numen repræſentantis. Hæc ſpecies inter partes alias, duas complectitur, per quarum alteram cognitio, quæ à ſolo Deo quærenda erat, vt puta futurorum contingentium, ab iiſdem creaturis diuinando quæritur, & vocatur diuinatio: per alteram ab iiſdem quis petit actionum ſuarum directionem, quæ à ſolo Deo dari poteſt. Quippe non ſolum creaturas impiè colit, qui ad illarum gloriam, & honorem & exiſtimationem illis conciliandam thus adolet, ſacrificia offert, altaria erigit, templa ædificat, aut alia quædam obit religionis munia, ſed etiam qui notitiam & directionem eiuſmodi ab iis requirit. Aliud eſt ſi interrogetur diabolus ea, quæ naturalem ipſius intelligendi facultatem non ſuperant; ſiquidem hoc per ſe peccatum non eſt ſuperſtitionis ſed inobedientiæ, contrarium legi quæ vetat cum tali hoſte communicare vbique nobis inſidiante: Per accidens tamen ſolet eſſe ſuperſtitio, quia vix vnquam aduerſarius hic noſter aliquem docet, quin partem quampiam diuini cultus ab eo ſibi delatam iri paciſcatur, ita vt Matth. 4. cum dixiſſet ipſimet Chriſto, *hæc omnia tibi dabo,* mox adiecit, *ſi cadens adoraueris me.*

Atque ex his perspicuum relinquitur, quanto iure asseruerimus, etiam posteriores istas species, in quibus scilicet honor vni Deo debitus alio transfertur, in excessu versari; quia scilicet hoc nihil est aliud, quàm huiusmodi honorem siue cultum ęquo longius extendere, atque ita excessu ac superfluitate laborare.

Magnum atque illustrem hic sibi de nobis triumphum pollicentur aduersarij, hic Hylam inclamant, & se posse putant res nostras ad restim reducere, & tamen nihil est in quo minus triumphare, & Religionis nostræ sacrosanctę obscurare posſint decus & maiestatem, quod quidem luculenter succinctéq; conabor ostendere, tametsi argumentum posſit esse iusti voluminis.

§. 2. Contendunt primò incurrere nos in primam superstitionis speciem, hoc est, inanibus multis superfluè, frustraq; additis colere Deum, quia cæremoniis multis quas nec scriptura exigit, nec primæui Ecclesiæ Patres adhibuisse leguntur, vtimur in confectione administrationeque Sacramentorum, & aliis diuini cultus partibus, quas consultius esset purè sincereque obire, vt principio fiebat, quàm tot peregrinis inuectis ritibus, eas ita si loqui licet, adulterare. Neque enim vt dicebat quidam meliores sumus Patribus nostris, nec solertiores, vt aliquid suspicari liceat ab iis prætermissum, quod à nobis quasi defectum illorum supplentibus ac perspicacioribus adderetur. Hæc ratiocinatio Caluini est lib. 4. Instit. cap. 15. num. 19. de Baptismi cęremoniis ita scribentis: *Respuere tamen mihi & piis omnibus fas est, quidquid ad Christi institutionem addere ausi sunt homines.* Et inferius: *Quanto igitur satius erat omissis theatricis pompis, quæ simplicium oculos perstringunt, & mentes hebetant quoties baptizandus aliquis esset, etc.* Item quia addunt plurima verbo Dei videlicet traditiones, quas idem Caluinus diuino cultui prætendit officere, quippe de iis scribere aggrediens lib. 4. c. 10. n. 1. in verba ista prorumpit: *Taceo quod adulterant verbum Dei, & Deum ipsum qui est vnicus legislator, suo iure spoliant.* Item quia Dominica præcepta quorum obseruatio eiusdem diuini cultus pars sine dubio est, votorum adiectione cumulamus, & opera bona imperata multis supererogatoriis: *Hic*, inquit cap. 13. n. 1. *mirum in modum omnibus seculis grassata est superstitio.* Ad hæc omnia iam responsum est lib. 1. quantum est opus; quia tamen ad hoc me cogit vitiligatorum istorum importunitas, dabis veniam lector, si obiter serram hanc reci-

procem. Diſponere ſeu præſcribere quid circa res ſacras à Chriſto inſtitutas fieri & obſeruari debeat, vt decenter, honeſtè, atque vt par eſt tractentur & adminiſtrentur, iuris eſt Eccleſiaſtici, ait quippe Apoſtolus 1. Cor. 11. *Cætera cum venero diſponam*. Et c. 14. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis*, ſed cæremoniæ huic decentiæ honeſtatiq; ſeruiunt, ergo cæremonias inſtituere ac præſcribere iuris eſt Eccleſiaſtici. Probatur minor propoſitio, quia profectò ſubſtantialis Sacramentorum actio (vt exemplum indè accipiamus) ſeu confectio, & adminiſtratio cum ſit breuiſsima, & à rudioribus ægrè æſtimetur ſuo pretio, frigida valdè appareret citoque contemneretur, niſi variis adornaretur cæremoniis. Aliud fuit cum Chriſtus ſine iis Euchariſtiam, confecit, cum in cœna ſacroſancti corporis ſui myſticũ obtulit ſacrificium, nam & exercitati ſpiritualeſq; viri erant Apoſtoli, & ſumma de Chriſto præſente opinio eas cumulatè ſupplebat, vt quidquid ab illo fieret, quantumuis in ſpeciem tenue ac momentaneum, auguſtiſſimum quiddã eſſe videretur. Verùm eo viſibiliter abſente, & deinceps per imbecilles miniſtros operaturo quod aliâs per ſe fecit, ſucceſſuræ plebis infirmitati conſulendum fuit, quod quidem introductis cæremoniis eſt factum, quarum inducendarum ſi poteſtatem ſuæ non contulit ac reliquit Eccleſiæ, quamnam contulit? Reſpondit Caluinus ſupra §. 1. collatam poteſtatem condendi ſanctas & vtiles conſtitutiones, quæ vel ad diſciplinam, vel honeſtatem, vel pacem conſeruandam faciunt. Sed reſpondeat, amabo, quomodo hæc diſciplina, hæc honeſtas, hæc pax cõſeruabitur circa res ſacras (qualibus proculdubio in primis Chriſtus conſultum voluit) ſine certa lege cęremoniarum. Omnes cęremoniis natura duce vtimur, nec ab iis abſtinere poſſumus. Ipſimet Nouatores à quibus tam hoſtiliter impetuntur, habent multas ac varias, vt in eodem lib. 1. ſub finem demonſtrauimus. Itaq; niſi ſit in Eccleſia authoritas definiendi & ſanciendi quaſnã in rebus tanti adhibere conuenit, abundabit quilibet in ſuo ſenſu, & breui apparebit fœdiſsima cõfuſio, atq; etiam difformitas, quam matrem conſtat eſſe non pacis ſed diſcordiæ. Deinde nonne Chriſtus pręcepta ſeu conſtitutiones edidit, quę ſeruari deberẽt ab omnibus? quid ergô neceſſe fuit Caluine, vt Eccleſiæ ſuæ poteſtatem daret alias quaſdã ſanciendi? dices præcepta ac leges immediatè ab eo profectas rerum eſſe grauiorũ; decuiſſe autem vt Eccleſiam ſuam pote-

potestate aliqua circa leuiores afficeret, cuiusmodi sunt quæ ad religiosam fidelium inter se conuersationem pertinent. At, hoc ipsum est quod respõdemus, sacrificij & sacramentorum substantias solus per se Christus instituit, earum autem appendices, seu modum & apparatum quocum fieri & tractari debent, eiusdem Ecclesiæ suæ iudicio definitioniq; commisit. Vt sic illam honoraret, & quodammodo actionum suarum consortem pro suo more faceret. Dico pro suo more, tum quia illã honoribus aliis multis, & quidem amplioribus affecit, exempli gratia authoritate designandi Scripturam sacram Deut. 17. *Accipiens exemplar à sacerdotibus Leuiticæ tribus.* Et veram eius interpretationem ibid. & Mal. 2. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Et peccata remittendi Io. 20. *Quorum remiseritis peccata remittũtur eis.* Vt minorem hunc ei concessum nullo modo sit incredibile, tum quia delectat eum vti vbiq; ferè instrumentis & cooperatoribus esto non indigeat, vt constat ex omnibus causis secundis, iustificat peccatorem sed in eo concursum requirit liberi arbitrij dicente Augustino, *qui fecit te sine te, non iustificabit te sine te.* Lazarum resuscitat, sed ita vt dicat discipulis suis, *soluite eum & sinite abire,* Ioan. 11. benedixit panes Luc. 9. sed turbę dispensandos iisdem committit, Paulum immutat spirantem minas Actor. 9. sed Ananiam discipulum sibi surrogat à quo ille doceatur.

Quod ad traditiones, sicut nullæ recipiendæ sunt Dei verbo scripto contrariæ; ita quæ huic contrarię non sunt, & alia ex parte ab Apostolis descenderunt, nec posterius vllum inueniuntur habere principium, constanti studio retinendæ sunt; quod quisquis negat cum eodem scripto Dei verbo perspicuè pugnat dicente 2. Thess. 2. *Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* Et superbum Ismaëlem se esse probat, cuius manus contra omnes, & omnium contra ipsum. (Mira quippe consensione omnes sancti Patres agnoscunt & docent, aliqua fidei morumq; dogmata in diuinis scripturis non expressa, fuisse ab iisdẽ Apostolis viua voce transmissa ad posteros) & malæ fidei virum. Ideo enim tantum hæc dogmata seu traditiones repudiat quidquid aliud prętexat, ne fateri cogatur Ecclesiã infallibilis esse veritatis, vtpotè cui vni Dñs fidei dogmata concredidit, ad quam proinde in dubiis omnibus quasi ad certissimã regulã recurrere oporteat: ne item cogatur eiusmodi traditionibus sensui interdũ mole-

Digitized by Google

moleſtiſsimis v. g. traditioni de quadrageſimali ieiunio, à tanta interim authoritate propoſitis ceruices ſuas ſubiicere. Sed & pugnat ſecum ipſe turpiſsimè. Nullus quippè eſt ſectarius, qui dum eas inſectatur, multas, nihil tale cogitans, non recipiat. Nam hæc ipſa propoſitio: nihil recipiendum quod ſcriptum non ſit: dogma ſeu traditio eſt Archinoxantium nullo modo contenta diuinis literis. Namque Apoſtolus quem vrgere ſolent non dicit, 2. Tim. 3. *Omnis & ſola ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum &c.* Sed tantum ait, omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, &c. Ex quo ſi inferre volunt ſolam ſcripturam recipiendam, colligam & ego ſolam aduerſitatem admittendam, ſi quidem hæc quoq; dat intellectū, vtilisq; eſt ad docendū, ad arguēdum, ad corrigēdum. Illa alia verba Deut. 12. *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nec auferetis ab eo*, ſi valeret ad traditiones expungēdas, valeret profectò non minus ad eleuandos libros omnes ſacros Deuteronomio poſteriores, atque adeo Euangelium ipſum; omnes enim Deuteronomio acceſſerunt, quos ſi dicas non à Moyſe, ſed à Spirituſancto additos, tantum autem prohibitum fuiſſe Moyſi & aliis eiuſmodi hominibus, ne quid Deuteronomio adderent, reſpondebo & ego, traditiones Apoſtolicas, de quibus loquimur, & quas recipiendas affirmamus, non eſſe ab hominibus, ſed ab eodem Spiritu ſancto intermediis Apoſtolis, ſicut etiam ab illo eodem fuerunt libri illi poſteriores, interpoſitis ſcriptoribus canonicis.

De votis cum illa toties, tamque luculenter approbet, laudet, ac commendet ſcriptura ſacra, & Caluinus ipſe lib. 4. Inſtit. c. 13. num. 1. & ſeq. eorum vſum diſſuadere ſimpliciter non audeat; nullo iure ex eo quod voueamus, argui ſuperſtitionis poſſumus. Vouere quidem non iubet Deus, ſed enim ſatis eſt quod factum probet vouentium. Similiter cum eadem ſcriptura toties rata habeat ſupererogationis opera, vt cum ait Luc. 10. *Quidquid ſupererogaueris ego cum rediero reddam tibi*, & Eccl. 9. *Quidquid poteſt manus tua inſtanter operare*, & Prou. 31. mulier illa fortis non operatur ſolum præcepta ſibi data, ſed etiam conſilia manuum ſuarum, id eſt opera bona ſpontanea præceptis ſuperaddita, & laudentur orationes omnes religioſæ, & ieiunia: & eleemoſynæ quarum maxima pars in præcepto non eſt, eo quod nec extremè, nec grauiter indigent,

qui illas petunt vel accipiunt, non est profectò cur superstitioni adscribatur talium vsus operum.

Contendunt secundò idololatras nos esse, & cultum soli Deo debitum ad creaturas transferre, quia & Eucharistiam colimus, & sanctos, & imagines sacras, & reliquias sanctorum. Verùm quàm procul ab omni idololatria totus iste cultus sit, declaratum iã est satis lib.1.c.11.§.3. Ibi primò didicimus ex manifestis Christi verbis verum ipsius corpus verè exhiberi in Eucharistia legitimè cõsecrata, ob idq; Caluinum pueriliter principium petere, quoties pro fundamento suæ in nos criminationis sumit, in ea duntaxat contineri huius signũ corporis. Iuret, periuret, cœlum & terrã inuocet, nunquã à nobis impetrabit, vt à manifesta veritate, atq; ab interpretatione verborũ Christi recedamus, quam ad nostra vsq; tempora sancti Patres, vniuersaq; amplexata est Ecclesia. Ibi secũdò didicimus, posito ꝙ in ea sit verum Christi corpus summũ ei cultũ exhibendũ, tùm quia ipsa lege naturæ iubemur Dominum vbicumq; fuerit honore afficere, tùm quia etsi lex nulla specialis interueniret de hoc cultu illi vbiq; præstãdo, adhuc sufficeret lex illa generalis iustitiæ secundũ quã iubet Apostolus, vt reddamus vnicuiq; debitũ, cui tributũ tributũ, cui honorẽ honorẽ. Et quãuis nec ista nos ad id obligaret, sufficere tñ deberet decentia, quæ hic in primis locũ habet: nam sicut res detestabilis, vbiq; execratione digna est, nec vituperatur, qui abominationi habet illam, esto nemine id iubẽte id faciat, ita res sanctissima vt Christus Dominus, eiusq; corpus vbiq; adoratione dignũ est, eamq; iure minimum decentiæ ab vniuersis exigit. Quis tot regulos & ægrotos qui procidisse leguntur antè Christum, iussit procidere? quis itẽ magos illos ab oriente venientes illum procidendo adorare? nemo sanè, ad hoc permouit eos cõis duntaxat religionis spiritus. Dicã amplius, quamuis nõ solũ nulla extaret lex huiusmodi, sed ne quidẽ in Eucharistia verè & substantialiter Christus existeret; quia tñ piè ac prudenter ibi esse creditur (vi scilicet verborũ perspicuorũ & irrefutabiliũ quæ protulit dicens *hoc est corpus meũ*) & nõ nisi hoc supposito ibi adoratur, adhuc gratissima illi esset hęc adoratio, tantum abest vt ingrata ac sacrilega. Sicut si quis regi addictissimus, sed deceptus à domesticis illius dicentibus illum esse intra lectum cortinis obductum, prætereundo caput aperiret, nequaquam profectò rex offenderetur, factus de hoc errore & hono-

nora-

Digitized by Google

noratione certior, ſed honorē ſibi ipſi verè exhibitum interpretaretur, quanto magis Chriſtus appendens multo magis corda hominū? Iterum dicā amplius. licet Chriſtus prohibuiſſe videretur, ne ſe in eadē Euchariſtia exiſtentē adoraremus, non idcircò adorando eſſemus immorigeri, quia meritò cenſeri poſſet ac deberet, nō reuera ſimpliciterq; prohibuiſſe ne ibi adoraretur, qn̄quidē in hac prohibitione nulla eſſe potuit boni ratio, ſed duntaxat docere voluiſſe, quid nos in ſimilibus agere oporteret, ſicut eodem fine dixit leproſo Matth. 8. *Vade nemini dixeris, &c. 9. Videte ne quis ſciat, illi autem exeuntes diffamauerunt illū in tota terra illa.* Ibi tertiò edocti ſumus honorē qui ſanctis à nobis exhibetur, nullo modo eundem eſſe qui Deo debetur, vt falſo ſemper ſupponunt aduerſarij ſed longè aliū. Itē imagines propter ſe non coli, ſed propter prototypa quę repręſentant, quarum proindè cultus formaliter cōſideratus inferior eſt cultu prototyporū, vndè ſi ſint Chriſti imagines nihil illius cultui derogat, ſicut nec imagines Chriſti; ſin autem ſanctorum, haud dubiè cum horum cultus nihil diuino detrahat, multò ille minus, quo hæ ipſorum imagines afficiuntur. Quomodo autē imagines eodem actu coli poſsint quo prototypa, & ex eo quod propter ſe non colantur ſed propter iſta, conſequens ſit earum cultum præciſè ſumptum eſſe horum cultu inferiorē, diſce lector ex eo ꝙ eodem actu obediamus hominib. nobis ab illo præpoſitis & iuſta iubentib. Luc. 10. *Qui vos audit me audit*, eodem rurſus credamus veritatis diuinæ præconibus & Deo cuius ſunt interpretes Io. 5. *Si crederetis Moyſi crederetis forſitan & mihi* ꝙ licet ita ſit, hæc nihilominus obedientia, hæc fides longè aliter præpoſitū illum mortalē ac præconē reſpicit quàm Deum, quia huic propter ſe obeditur & creditur, illis autē non propter ſe, ſed propter Deum cuius ſunt Organa, atq; ita dum illis obedientia præſtatur & creditur, nihil idcircò huius honori derogatur. Nec contra Dei voluntatē agitur, imò ageretur ſi non fieret. Ibi quartò audiuimus idem eſſe de reliquiis quod de imaginibus iudicium; Imò in cultu ſanctarum reliquiarum, tanto minor eſt eſſeq; debet vanitatis, idololatriæ ac ſuperſtitionis ſuſpicio, quātò penitiores cenſentur perſonis ſacris, ob quas iuſto honore afficiūtur, quàm imagines. Hæ certè extrinſecæ ſunt; illæ verò cum alias poſſeſſæ fuerint à talibus perſonis, & ſortitæ peculiarem cum eis coniunctionem magis mouent, magis ad eas pertinent, efficacius

illas repræsentant, nostram deniq; erga eas voluntatem magis inclinant, vnde Helias sollicitus non fuit, vt imaginem suã Helisæo relinqueret sed pallium: & Procorum annuli cæteraque pignora amasiis longè sunt chariora, plusque valent ad sponsaliorum firmitudinem quàm quæcumq; imagines.

Aequè alieni sumus tùm à diuinatione, tum à vana obseruatione. Iudiciarios omnes siue Genethliacos & Planetarios damnat Ecclesia nostra, idq; grauibus pœnis propositis 26. q. 3. c. *igitur* & c. nõ liceat, & q. 5. c. *illud*, & 26. q. 2. c. 1. sed & illud, hoc est illos qui ex syderum horoscopis, oppositionibus, coniunctionibus & aliis eiusmodi aspectibus audent certò prædicere particularium hominum exitus, conditiones, mores, flagitia, & similia merè contingentia, & simpliciter vel magna ex parte pendentia ab arbitrio voluntatis. Detestatur secundò diuinationem omnem & vitæ directionem, quæ ex elementorum obseruatione ducitur, vt Geomantiam, Hydromantiam, Aëromantiam, Pyromantiã, & Oenomantiam, quæ descriptis quibusdam figuris in terra, in aqua, in aëre, in igne, in puluere futura prænuntiant, vel occulta manifestant, 26. q. 2. c. *illud*, & q. 3. c. *igitur*, & 24. q. 3. c. *nec mirum*. Item illam quæ infertur ex annotatione certaque inspectione volucrum, vt augurium, auspicium, aruspicium d. c. *igitur*. Item illam quæ ex membris humani corporis, vt Cheiromantiam, Pedomantiam, Metoposcopiam, & Onychomantiam, vt liquet ex Conc. Mileuit. cap. 8. vbi temeritatis arguuntur inter cæteros qui vanitati huic præsidium quærunt ex verbis illis Iob. 37. malè intellectis, *qui in manu omnium signat, vt nouerint singuli opera sua*, quorum magis sensus est, Deum cum vult immisso frigore hominum manus inhabiles ad operandum reddere, vt quam parum ex se possint intelligant, vel facere vt illis præstò seu ad manum sint signa externa ex quibus coniiciant quæ ad agriculturam pertinent, quando spargendum sit semen, quando vites amputandæ, &c. Item illam quæ ex somniis, ex quibus temerarij quidam colligere audent non corporis affectiones, humores, temperamenta, vel ipsius animi perturbationes, vt Medici; sed euentus quosdam fortuitos aduersos vel prosperos. contra quam vanitatem multa Caiet. in summa V. somniorum obseruatio, & Nauar. in Mon. c. 11. Item illam quæ fit per omnia v. g. per oscitationes, sternutationes, offensiones pe-

dum

Digitized by Google

dum, per primos rerum occurſus, vt leporis, muris, equi albi, &c. 26.q.2.c.*illud quod.* Item illam quæ vocatur Necromantia, ſeu quæ ducitur à cadaueribus vmbrisq; mortuorum 26.q.3.c.*igitur.* Item illam quæ fit per ſortes ibidem quæſt.1.cap. 2.3. 4.5. & toto titulo *de ſortilegiis.*

Nullum deniq; nobis eſt cum Magia & maleficio cõmercium. Nã quod ad Magiam in c. *ſi quis etiã* 26ſ. anathematis cenſura feriuntur, quicumq; Magos conſulunt, ſiq; clerici ſint, de gradu ſuo deiiciuntur c.*non oportet*, & cap.*auguriis* ibid. ſcimus Magos ad hoc ſcelus moueri ambitione, & inordinata quadam cupiditate clareſcendi per magna opera communes vires exuperãtia, eoſdemque vt opera iſta edunt, adminiculo induſtriaque vti dæmonis, quorum in hunc finem paciſcuntur, vel expreſſè cum eo priuatim loquendo, vel publicè præſentibus aliis dæmonum mancipiis, vel tacitè vtendo ſcilicet mediis, quibus Magi vti dignoſcuntur, ſeu quæ ſat, ſciri poſſunt ad opera & effectus illos admirabiles nullam habere vim à natura, nec ex Dei promiſsione ſeu inſtitutione, nec ex precibus Eccleſiæ; propter quod reſtat vt illam habeant ex occulta operatione dæmonis, cuius cõuerſatio ſemper eſt illicita, & vulgò coniuncta cum negatione aut pollutione ſacramentorum, aut blaſphemia aut irreligioſitate alia. Hoc inquam illorum ingenium ſcimus, quod proindè, ſicut & artem ipſam ex animo deteſtamur. Sed inquit Herbrandus Lutheranus lib.1. de ſacrif. Miſſæ, nonne ſignum crucis quo paſsim vtimini omnes, Magica geſticulatio eſt? Nihil minus, tùm quia vſi ſunt omnes ſancti Patres à Magiæ ſcelerum alieniſsimi, vt S. Martinus, S. Antonius, &c. tùm quia crux magica omnia incantamenta diſſoluit, vt teſtatur S. Athanaſ. in l. de Humanitate, & fatentur veneficæ, & experirentur in dies qui eo vterentur, ſi magna concepta fide id facerent, ſicut ſcriptum eſt Matth.9. *Secundum fidem veſtram fiat vobis.* Probat hoc ſanè non eſſe geſtum ſatanicum, aut certè infirma, nullaq; eſt Chriſti probatio, indè arguentis prodigia, quæ edebat, non niti poteſtate Beelzebub, quòd illius opera diſſoluerent: abſit autem vt de illius argumentationibus ita ſentiamus. Ergo vt concludamus, cum veriſimile non ſit Eccleſiam noſtram Catholicam, tot conſtantem viris doctiſsimis, tot celebribus Academiis, tot doctoribus Theologis, in ſcholaſtica palæſtra ſeſe

asſiduè exercentibus,& ſacri humaniq; iuris apices omnes accuratiſsimè explorantibus ignorare, in quo poſita ſit vera ſuperſtitionis ratio; hanc autem quo poteſt ſtudio deteſtetur ac prohibeat vt iam iam vidimus, ſpecialiter in ſacrificio altaris de quo Concil.Trid.in decret.de obſeruat. in celebr. Miſſ. *quarundam verò Miſſarum & candelarum certum numerum, qui magis à ſuperſtitioſo cultu, quàm à vera religione inuentus eſt, omninò ab Eccleſia remoueant*, ex conſequenti veriſimile non eſt ſignum crucis,& alia id genus quibus vtitur ſpectare ad ſuperſtitionem, ſeu illam ſuperſtitioni operam dare, & ſuperſtitioſam eſſe niſi fortè canes velis lupos appellare eſto illos inſequantur, & lupos capras, & lucios ſalpas, & ciconias ſerpentes, & accipitres columbas. Non quod abnuam potuiſſe priuatorum quorundam vitio ſuperſtitioſum aliquid introduci, nam & cantharides maximè læto tritico innaſcuntur, ſed nego id qualecumque debere idcircò adſcribi toti Catholico cœtui, vt potè à quo non recipitur.

§.3. Longè alij mores Mahumetanorum ſunt. Abundant primò ſuperſtitionibus indebiti cultus, hoc eſt actibus ſuis tum religioſis tùm profanis ritus & circumſtantias multas addere ſolent inanes, ſuperuacaneas, nihil prorſus ad rem facientes. Exemplum ſit, quod orantes conuertant ſeſe ad meridiem, vt præſcribitur in Azo. 2. cur non potius ad orientem omnium mundi cardinum primum ac nobiliſsimum iudicio Aſtronomorum, Phyſicorum, & Medicorum? Neſcio enim quo modo in oriente efficaciora ſint omnia maximè aromata, & fontium aquæ eo conuerſæ vt leuiſsimæ & ſaporis omnis expertes ita ſaluberrimæ, quod idem de domibus eodem reſpicientibus ſcribit Vitruuius; inſalubres contra & peſtilentiis obnoxiæ ſunt, quibus à fronte Auſter eſt. Dicunt Abraham fundaſſe Mecham vt ibi vel eo verſus oraretur, ſicut Iudæos ad Hieroſolymam ſeſe orando conuertere ſolitos legimus, 3. Reg. 8. & Daniel 6. Sed quid hoc de Mecha teſtatur præter Mahumetum ſomnia ſua in Azo. illa proferentem? quomodo Iudæi qui maximè videri volunt Abrahæ filij, non eo ſeſe conuerterent? Hoc autem non faciunt nec fecit Daniel, quia cum eſſet in captiuitate Babylonica profectò conuertens ſeſe ad Hieroſolymam, conuertebat ſeſe ad occidentem, idque diuino

afflatu

afflatu quia ſub Moſaica lege Hieroſolymis erant ſancta ſanctorum, ob quorum reuerentiam eo fiebat conuerſio. Deindè quid facient Mahumete gregales tui, qui Arabiæ fines verſus Auſtrum incolunt, ſi orantes conuertant ſeſe iuxta præſcriptum tuum ad meridiem? Nonne Mechæ tuæ dorſum obuertent? Aliud exemplum petitur ex toto Alcorano eiuſdemque ritibus, fatetur Mahumetus in Azo. 1. & 12. legi Chriſti firmam fidem adhibendam, eandem eſſe rectam viam timentium Deum. Cum ergo Deus pro ſua ſapientia nec velit nec velle debeat, vt ei quod iam perfectum eſt, optimeque conſtitutum, aliquid aliud accedat momenti præſertim grauis; haud dubiè Alcorani totius additio ſuperuacanea eſſe conuincitur, ac proindè ſuperſtitioſa, nec Deum habere authorem, ſed inimicum hominem zizania ſuperſeminantem. Fatetur idem Mahumetus & rectè, legem Chriſtianam exauthoratæ veteri authore Deo ſurrogatam, velut vmbræ veritatem; quod ſi ita eſt, nullo ergo iam loco eſſe debet, lex vetus, nec ſine mendacio poteſt vſurpari, eo quod per illius vſum ſignificatur aliquid futurum, quod amplius futurum non eſt, cum ergo illam ipſe cum ſuis retineat mendaciter & ſuperſtitiosè Deum colit. Aliud ſumitur à quaterno iuramento quod edere iubentur in Azo. 34. vt exiſtimentur bona fide accuſare vxores ſuas adulterij, & viciſſim vxores vt cenſeantur bona fide negare illius ſe reas eſſe, quid obſecro totuplici iuratione eſt opus? profectò qui peierat ſemel, non exhorrebit terque quaterque id facere. Aliud ducitur à more inſtruendi conuiuia auibus, & formicis, & muſcis in gratiam & leuamen defunctorum, vt atteſtatur Barthol. Georgeuiſius in ſua peregrin. Equidem laudi tribuo & religioni adſcribo, quod defunctis conentur refrigerium afferre pietatis operibus, ſed quod inter hæc pietatis opera refectionem ponant brutarũ animantium, tàm parum mihi perſuaſuri ſunt vanitate ineptiaq; vacare, quàm defunctos ſi adhuc viuerent, & iiſdem brutis nobiles dapes offerrent, facturos opus miſericordiæ. Non facerent profectò, quia radix miſericordiæ eſt amor amicitiæ, quo eos proſequi tenemur, quorũ miſeriam hoc amore impulſi potu ſi ſitiunt, cibo porrecto ſi eſuriunt, ſubleuare nitimur. Iã verò talis amor non eſt erga creaturas rationis exper-

expertes, ſed erga eas ſolùm, quæ ratione pollent, vt pauperes nobiſcum peregrinantes; quibus dum propter amicos extra mortalem vitam poſitos benefacimus, Deus morali æſtimatione beneficium hoc quaſi à defunctis ipſis profectum remunerare piè creditur, mitigatione pœnarum, quibus fortè adhuc obſtricti tenentur. Ius quippè habent iuuandi ſe mutuò eiuſdem membra corporis; facileq; pro vno imbecillo acceptatur, quod à valente altero in illius fit gratiam. Aliud proſtat in more præparandi animas ad orationem per lotiones aquæ, quibus eas non minus quàm corpora emaculari ſentiunt. Hoc per ſe tam ridiculum ſuperfluumq; eſt, vt nihil magis; vide ſi lubet, quæ de hac re iam ſcripſimus lib.1.c.3.§.3. Aliud rurſus in modo quo terræ committunt defunctorum corpora, de quo agemus lib.4.c.3. Aliud deniq; in ratione conuiuandi: *ſemper enim comedunt diſcalceati*, inquit Cuſpinianus in tract. de domeſt. Turc. morib. *Nec carne veſcuntur præterquam animalium, quorum gulam prius viderint ferro ſecari.* Diſcalceationem illam non adeò improbo, nam cum commedant ſedentes humi & decuſſatis ſartorum more pedibus ſub veſte occultatis, mundius ac commodius nudos abſcondunt, & complicãt, quàm calceatos; ſed quod carne veſci refugiant, niſi prius animantem viderint incidi ferro, quaſi hic aſpectus conferret aliquid; aut piſcem adhibere ſit nefas retibus non hamo captum; aut auiculam non telo traiectam, ſed captam laqueo; manifeſtè redolet ſuperſtitionem.

Venio ad illorum idololatrias, quibus initium dedit Mahumetus, quando in honorem Damaſcenæ vrbis quam primam occupauit, poſtquam aduerſus Heraclium Imperatorem rebellare cœpit, templũ in ea extruxit, vt ſcribit Cuſpinianus in vita illius. Quid obſecro impium magis quàm templum quod ſoli Deo extruendum eſt, ſicut & ſacrificium offerendum, vrbi dedicare? Adhæc creſcentem lunam venerari docuit, quod quidam hodiè ſeruatur in vniuerſa Turcia, & corniculata eius figura pro inſigni geritur. Quidquid per ſe colitur & non propter aliud vel Deus eſſe creditur, vel homo, vel Angelus; cum itaque lunam per ſe colant, idque non vt creaturam rationalem, cuiuſmodi ſunt homo & Angelus, reſtat vt colatur velut diuinitate prædita. Adhæc eius ſequaces ſtulta illa opinione circumuenti, ipſum quidem Mahu-

Ant. Maginus in deſcript. Imp. Turc.

metem

Digitized by Google

metem in magno iudicij die assumpturum speciem formamque arietis: se autem omnes muscarum, muscas admodum venerantur & suspiciunt, teste Villamont. lib. 2. peregr. c. 17. Rursus de quibusdam illorum sanctulis sic scribit idem Cuspin. *Honorantur & quidam qui pecorum & caeterorum animalium curam habent. His butyro litant, & calido pane, quem Passama vocant.* Nota postrema haec verba, *his butyro litant & calido pane*, manifestam quippè idololatriam arguunt. quippè nefas est sacrificium alteri quàm Deo offerre. Sed quod omnem vincit impietatem, cum insignis aliquis eorum amicus ex hac vita discesserit, ad cohonestandum eius tumulum iugulant super illum mancipiũ vnum vel alterum bello captum vel emptum pecunia, vt pleriq; authores referunt. Certè cum eorum cohonestandorum gratia id faciant, conuincuntur ex hoc capite iis vnis offerre nefandum istud sacrificium, proindeq; meros esse idololatras. *In tract. de Relig. Tur.*

Restant diuinationes & obseruationes vanae, à quibus superstitiosi homines actionum suarum directionem petunt, Magiae item & maleficia. De illorum diuinationib. obseruationibusq; vanis sic scribit Antonius Maginus supra, *sunt creduli, valdè superstitiosi, ac fidem ex tota somniis, propheticis, & diuinationibus adhibent.* Addit Menauinus cap. 23. de rebus Turc. *Torlacheri* species quaedam est Turcicorum religiosorum *villas & pagos circumeundo chiromanticos & fatidicos se profitentur, atq; ex manuum inspectione nescio qua futura comminiscentes magnum indè quaestum faciunt.* Exercent autem Chiromantiam hanc suam liquando ceram quasi è digitis defluentem, & aquae guttatim instillando, & figuras indè ortas obseruando vt notat Delrius l. 4. disquis. 1. 2. qu. 7. Sect. 1. Ominibus maximè omnium addicti sunt, brutum à lupo tactum credunt exitij alicuius esse indicium, vndè iuxta Azo. 12. ab illius esu abstinent. Rursus sibi aliquid aduersi imminere credunt, seq; labefieri inquit Villamontius lib. 3. c. 14. si vrinae vel spermatis gutta in crura inciderit, quocirca lotium reddunt in genua procumbentes, vel foeminarum more ac situ diductis valdè cruribus, statimq; glandem lapillis duobus premunt ne quid distillet vltrà. Si Mosqueam adeundo in crepitum erumpant vel ructum, id quoq; sinistrum interpretantur, & indè se pollui putant. Itaq; domum repetunt ablutionem aquae iteraturi, idq; secundò, tertiò, quartò, si toties

Digitized by Google

ominosus ille flatus acciderit. Conceptum infantis cadentem in primum diem mensis, in decimum quintum, vel vltimum infaustum arbitrantur, ex eo quippe resultare prolem energumenam. In Azo. 4. scribit Mahumetus Turcam qui Turcæ pecuniam dederit ad vsuram energumenum fore in die iudicij. Quod quidem ideo ad omen refero, quia in vsura qualicumque, nihil est vndè portendi talis effectus debeat.

Artem magicam non semel damnat in Alcorano, vt cum ait in Azo. 20. *artem magicam Deus odit, & abominatur*, ipsum tamen hoc flagitio laborasse scribunt Zonaras & Paulus Diaconus lib. 18. quam ipsam de se opinionem in vulgus sibi coætaneum abiuisse, non obscurè significat in Azo. 31. his verbis, *quidam dicunt iste non alius quàm homo est sicut & nos, cum arte sua magica ad vos venit, eius liber figmentum est merumq; somnium*. Propter quod in 78. Deum introducit loquentem, & se hac suspicione & infamiæ nota liberantem, *per calamos & lineas magus non es, nec arreptitius, sed verus Dei nuntius*. Imitantur Magistrum discipuli, inscribunt illorum sacerdotes varios characteres præliantibus, vt neque gladio interimi possint neque iaculis, vt affirmat Septem. cap. 20. peregrin. Affine est quod scribit Cuspinianus. *Habent religiosos multos habitu exteriori differentes, & arte diabolica cuius filij sunt, miranda facientes, quibus rebus miseram plebem Dæmone malo suffragante decipiunt*.

De maleficiis apud eundē Septem castrensem authorem probatissimum ista legimus ibidem, *sortilegiis, incantationibus, & diuinationibus ita corrupti sunt, vt vix sit vetula, quæ non habeat earum aliquam artem & scientiam*, præsertim vt iis erga nos Christianos vtantur nolentes stultissimæ eorum superstitioni nomen dare. Ob id ait Mahumetus in Azo. 19. *Conuerti nolentes vbicumq; repertos sumite, & interficite omnibus viis insidiantes eis*. Datur certè inter vias alias maleficium. De Tartaris qui Mahumetismi partem constituunt sic

Lib. 8. hist. Polon. scribit Cromerus. *Incantationibus, ariolationibus, diuinationibusq; cæteris in bello plurimum vtuntur. Ex humanis etiam extis de futuris euentibus coniectare solent*. Describit ibidem insignem victoriam quam aduersus Polonos adepti sunt arte ista nefanda adminiculante.

§. 4. Non est quod à Pseudo Euangelicis superstitiones multas indebiti cultus expectemus, vt potè quæ cæremoniæ quædam

inanes

inanes ac superfluæ esse solent: Illi autem ceremonias penè omnes insectantur: Nihilominus ne carere viderentur specie aliqua stultitiæ inter paucas illas quas admittunt, ineptæ & superfluæ ob idque superstitiosæ non desunt. Exemplum, vna huiusmodi superstitio est cum Deus mendacio colitur. At nonne hoc faciunt sacramentarij, cum oratione volentes Deum colere sic eum alloquuntur. *Domine Deus Pater æterne & omnipotens agnoscimus & ingenuè profitemur apud sanctam maiestatem tuam nos miseros peccatores esse conceptos & natos in iniquitate & prauitate*, quis vos sic conceptos natosque credat, si vt tanta constantia docetis, ex vtero materno sanctificati estis? Aliud exemplum. Omnes paruulis Baptismum conferunt exceptis Anabaptistis. Cum autem iuxta illorum principia nullus sit alius lauacri huius effectus quàm obsignatio promissionum Christi, seu confirmatio fidei nostræ circa assensum talium promissionum, non infantis sanctificatio, non characteris alicuius impressio; infantes autem fidei sint incapaces, vt præter sacramentarios hodie quoq; admittunt Lutherani, planè sequitur hoc sacramentum illis collatum, ritum esse inutilem ac superfluum, obidq; superstitiosum. Aliud concludunt his verbis orationem dominicam, quæ sine dubio ad Dei cultũ pertinet, *quia tuum est regnum, & potentia & gloria in secula*, de quibus interrogo, velint ne sacra esse seu à Spiritusancto dictata an non, sacra esse non audebunt dicere, si quidem non inueniuntur vulgò apud Patres primorum quinque seculorum, puta apud Cyprianum, Tertullianum, &c. Nec in textu antiquissimo S. Matthæi, nec in versione antiqua fidelissimè traducta ex Græco, nec apud Lucam & Marcum, sed ex deuotione adiecta sunt à nonnullis Græcis, non secus ac hymnus, *Gloria Patri, &c.* singulis penè Psalmis, & pars ista salutationi Angelicæ, *quia tu peperisti Saluatorem nostrum.* Iam si sacra non sunt, ergo ipsorum iudicio impiè ac temerè proindeq; superstitiose adiiciuntur; damnare siquidem solent quasi impium & superstitiosum, quidquid verbo Dei adiicitur, ob idq; obtrudere non cessant verba illa Deuter. 12. male intellecta, *nec addas quidquam nec minuas.* Aliud, superstitiosa item appellant quæcumque circa sacramenta excogitauit & admiscuit humana sapientia, quia inquiunt non

ſolum inutilia ſunt, nec quidquam ad Dei cultum conferunt, ſed etiam Chriſtum Sacramentorum authorem inſipientiæ arguunt, quaſi aliquid inſtituendum prætermiſerit. At quàm multa excogitarunt? ex quo Dei verbo ſcripto didicerunt præmittendum baptiſmo, *adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram*? adhibendos patrinos, imponendum puero nomen, hæc verba proferenda, *ego te baptizo in nomine*, &c. ad conferendum baptiſmum expectandum diem in quo habetur concio, illumque non domi, ſed in templo duntaxat adminiſtrandum? Et vt de Euchariſtia quoq; dicamus aliquid, quater in anno communicandum, idque in pane fermentato, & ſtando vel flexis genibus, & manè non ſerò, & ieiuno corpore, & de manu Diaconi calicē accipiendum? Ne ab idololatriæ quidem ſuſpicione grauiſsima immunes ſe eſſe poſſunt gloriari. Aiunt Sacramentarij Euchariſtiam nudum ſignum eſſe corporis Chriſti, ſi ita eſt quam capitis apertionem meretur? quam animi præparationem? quàm reuerentiam? Hæc imagini Chriſti quæ non minus, imò multo magis ſignum eſt huiuſmodi corporis, dum à nobis exhibentur horrendā idololatriam vocant, ergo & ipſi in eadem damnatione ſunt, quandoquidem erga illam hæc omnia præſtant, iuxta Caluini conſilium in tract. de ratione celebrandæ cœnæ Dominicæ, *quiſq; ſe ad eam dignè recipiendam comparet, eaq; reuerentia quam ratio poſtulat.* Deteſtabilis cuiuſdam idololatriæ ſpecies eſt ſpretis alienis ac etiam ſuperiorum iudiciis, vni ſuo immobiliter adhæreſcere, quia eſt illud habere loco ſummæ ſapientiæ, vltrà vel præter quam nihil ſit requirendum, vndè ſcriptum eſt 1. Reg. *quaſi peccatum ariolandi eſt reſiſtere, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*, & apud S. Aug. lib. de vera relig. ca. 38. *nullus eſt deterior cultus ſimulacrorum, quàm dum phantaſmata ſua colunt homines, & quidquid animo errante cum ſuperbia & tumore cogitando imaginati fuerint, religionis nomine obſeruant*, quæ verba diligenter notandum eſt laudari, & approbari ab ipſomet Caluino in gratulatione ad Præcent. Lugdunenſem. At profectò vos eſtis ô ſectarii, ſi qui alij quos hæc cenſura tangit. Clarius demonſtrare non poteſtis adorare vos opiniones veſtras, & interpretationes ſcripturarum, & definitiones dogmatum, quàm cum totius Eccleſiæ iudicium, & tot Conciliorum generalium, tot item ſanctorum Patrum contemnitis, & erroris accuſatis, vt ve-

ſtrum

strum verè fatuum statuatis, & quasi nouum quoddam numen de cœlo descendens toti mundo colendum proponatis. Adhæc nostis quoties ex ore vestro audiatur interesse Missæ sacrificio horrendam esse Idololatriam, interfuit autem vniuersa Ecclesia vestra per annos mille, si verum est quod dicitis, eiusmodi aliquam inuisibilem in terris toto illo tempore extitisse. Quotquot inquam antè Lutherum vestræ farinæ fuisse prætenditis, sacris nostris se præsentes exhibebant, eosdem ritus obseruabant, iisdem Sacramentis initiabantur ac per omnia Romanæ Ecclesiæ consentiebant, quæ proindè si idololatriæ alicuius rea est, illi omnes fuerunt. Rursus quis nescit à Caluino approbari prætentam illam idololatriam in lib. de vitand. superst. sub finem, cum ibi dispenset cum gregalibus suis, vt Missas frequentare possint, dummodo illos postea facti sui pœniteat, & errati huius veniam à Deo petant?

His addo omnes ferè nouarum sectarum parentes, vel magnam habuisse cum dæmone consuetudinem, quæ sine cultu aliquo nefario non solet esse, vel Dei loco creaturam aliquam. Lutherus perspicuum sibipsi prębet nequitię huius testimonium in lib. de abroganda Missa, & in colloq. mens. ait, *benè noui Diabolum, mecum in dormitorio nonnunquam deambulat, & propius mihi condormit, quàm mea Catharina* (ex hoc vno lector quàm bonus vir fuerit, & fide dignus tibi cogitãdum relinquo, nihil verbis meis est opus, quædam melius relinquuntur aliis iudicanda, sicut & Timanthes cum Iphigeniam pinxit, cæterorum affectus expressit, ipsius autem Patris hoc est Agamẽnonis vultum velo obtexit.) de se quoque idem testatur Zuinglius in lib. cui titulum fecit *subsidium Eucharistiæ.* Candidam meretricem illam à Beza pro Deo habitam docet ipse Eleg. 6. sic scribens.

Et tamen hanc audes maculare & dicere nigram?
Desine habet certè numen & ista suum.
Quæ nisi sit precibus nostris lenita, veremur
Ne discas ipse quàm grauis ira dea & infra.
Parce ergo quæcumq; Dea es.

Inter diabolum & Carlostadium tanta intercessit necessitudo, vt hic illum variis pretio venderet, floreno certè Ioanni Hesso vendidit, inquit Conradus Riss in libro contra eundem Hessum.

Osiander, inquit, Hosius lib.1. de hæref. *ibat comitatus duobus diabolis in specie duorum canum, quos tamen non cuiuis videre licebat.* De Berengario scribit Vincent Bellon. L. 5. hist. ca. 20. sæpè dæmonem visum fuisse interiacere ipsum & Auditores, apud quos aduersus Eucharistiam declamabat. Idem cum sanctum Fulbertum Carnutensem Episcopum grauissimè decumbentem adiuisset dixit Antistes domesticis suis, *sceleratum hunc virum cuius latus dæmone horrido stipatum video procul abigite.* Meminit Hosius loco citato quorundam Nouantium, quia decies per diem Diabolum adorabant, ob idq; dæmoniaci dicti sunt. Addit in lib. de censura Tigur. Centuriatores aliquot propter idololatriam ablegatos. Notandum etiam quod sequitur. In more habent omnes interioris status coniecturam capere ex iis quæ videntur exterius, & quos externis moribus consentire animaduertunt, eodem modo interius affectos esse, & venire facilè in mutuam familiaritatem, ratiocinari. Porrò magna quædam est Nouatorum cum dæmonolatris consensio, refugiunt ambo genera signum crucis, reliquias sanctorum abominantur, lustralis aquæ aspersionem exhorrent, Catholicorum Eucharistiam quibus possunt contumeliis afficiunt, confessionem sacramentalem vehementer oderunt, Missæ renuntiant, aut si ei adsint, ab eleuatione Dominici corporis oculos auertunt, &c.

Dicamus iam de illicitis eorum diuinationibus, de vanis obseruationibus, tùm de Magia & maleficio. Ad diuinationes illas pertinet notitia omnis, quæ à Diabolo curiose petitur & accipitur, siue sit futurorum contingentium, quorum certa cognitio solius Dei est propria, & ab eodem solo reuelatur; siue rerum præteritarum quidem aut præsentium sed occultissimarum, cuiusmodi illud est quod quis cogitat, adhuc autem magis ipsum Dei consilium atque decretum de quo Rom. 12. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Arcana valdè est, & quæ à solo Deo peti debet intelligentia vera sanctarum scripturarum, vt tamen illam consequerentur, & dogmatum de Missa & Eucharistia certam definitionem haberent Diabolum interrogarunt, non dico ex Nouantibus triobolares aliqui, sed ipsi eorum duces vt Lutherus, Zuinglius & alij de quibus supra. Arcana item electi cuiuscunq; prædestinatio ita vt

scribat

ſcribat S. Aug. *Quis ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate viuitur in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? Id occultari opus eſt in hoc loco, vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per Angelum Satanæ ne extolleretur tantus colaphizatus ſit Apoſtolus.* Ecce interim illos omnes adeo certò illam ſibi arrogantes, vt totam fidem ſuam iuſtificantem in hac vna eius perſuaſione firma ſitam eſſe arbitrentur. Vndè obſecro niſi à diaboli afflatu illam haurire potuerunt? Neq; enim à Deo qui ex aduerſo vult omnes ſibi ſeruire in timore & exultare cum tremore. ſed ex alio quodam principio. *In lib. de corrept. & grat. c. 13.*

Inter obſeruationes vanas computamus, quæcumque aſſumuntur ad directionem aliquam, cum tamen ſingulare nihil habeant, quod eſſe poſsit directionis huius principium. Directio omnium maxima eſt quoad fidẽ ſeu Chriſtianam inſtitutionem, quoad vſum ſacramentorum, & quoad religionem. Quid verò faciunt Nouatores vt in his omnib. quæ planè momenti maximi ſunt rectum modum teneant, nulloq; errore circumueniantur? ô rem luctuoſam imò etiã ridiculam cæcos adhibent vt videãt, ſurdos vt audiant, ęgrotos vt ſanentur, debiles vt conualeſcãt, cadẽtes vt ſubſiſtant, mori bundos vt viuificẽtur. Nihil profectò aliud ſunt eorũ prædicantes quàm profaniſsimi homines, nec ad ſacrũ vllum miniſterium conſecrati, nec diuina vlla vocatione ſubnixi (quod quare fidenter nõ dixerimus, cum eiuſmodi nullã poſsint oſtendere) nec proindè debita virtute ac ſolertia verſandi circa ſacra ad vtilitatẽ ſaluteq; fidelium. Prius quippè eſt vocari à Deo ad aliquod miniſterium, poſterius virtutẽ ab eo accipere faciẽdi quod eſt faciendum. Quocircà Chriſtus Ioan. 20. non prius dixit Apoſtolis ſuis, *accipite Spiritumſanctũ quorum remiſeritis peccata,* quàm dixiſſet, *ſicut miſit me viuens Pater & ego mitto vos.* Aliæ multæ ſunt obſeruationes vanæ, quib. nõ priuatos ſolum, ſed integros etiã cœtus, ac inter eos Magiſtratus deditos eſſe poſſum oſtendere. Exemplum, notum eſt vbi gentium Balthaſar Geraertz anno 1584. Auriacum Principem è medio ſuſtulit. Ibi ob tales auſus grauiſsima quæque tormenta authore Magiſtratu ſuſtinuit. Primò ſuſpenſo corpore quinquies crudeliſsimè cæditur. Secundò adducitur hircus, vt lingendo vulnera linguæ aſperitate vndique cruentatum nouo doloris genere afficeret. Tertiò appenditur pedum articulis pondus librarum 250. Quarto pedes canino incluſi corio adhuc madẽte admouentur rogo, cuius cali-

caliditate & siccitate contractum pedes quoq; velut in globum contrahebat. Quinto axillæ tædis aduruntur. Sexto amicitur indusio, quod quia totum forti aqua imbutũ fuerat, cõcipiens admotam flammam, vniuersum adolescentis corpus simul inflammauit. Septimo acus & claui digitis infiguntur. Quæ omnia cum tàm constanter perferret, vt sensu omni orbatus videretur, & quasi nihil ad se pertinerent, perpetuoque secum esset, visus est vti fascino, ad quod depellendum, eius primo raserunt crines, posthæc illum perfuderunt lotio, rursus veste mendici ex proximo sumpta Xenodochio induerunt, quod his omnibus vim inesse ad dissoluenda incantamenta boni illi Iudices arbitrarentur. An non hic vanissima obseruatio eaq; minimùm duplex? An excusationem prætendere poterunt, quod tollendum fuerit fascinum seu opus magicum? legitimè non possunt, quia obseruatio illa est intrinsecè mala, cum sit vsus artis nefariæ, & tacita vel expressa dæmonis inuocatio, ad aliquem effectum obtinendum, ac proindè nullo prætextu benè possit fieri. Dixi minimum duplex, vt excipiatur amputatio capillorum, quæ licet superstitiosa sit, si referatur vt sæpè contingit, ad frangendas vires animi vel corporis quod torquetur, vt docet his verbis Martinus Delrius lib. 5. disquis. Mag. Sect. 9. *Sed si tonsio fieret ex opinione quod per eam robur corporis & animi fortitudo pereat exemplo Samsonis, in quo totum id diuina virtute contingebat, & etiam documento Apollonij Tyanei, putarim seriò hoc esse magicum & superstitiosum.* Idem sentiendum si referatur ad abigendum Dæmonem, vt censuit Victoria relect. de Magia n. 16. dicens, *si ad expulsionem Dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta*, potest tamen non esse superstitiosa si alium finem propositum habeat v.g. destructionem instrumenti, vel signi taciturnitatis & indolentiæ, quæ crinibus aliquando inesse solet.

Dum de magia loquimur, in promptu est illius eos proprio ex ore conuincere. Magiam interpretatur Caluinus, cum Sacramentorum formas in eorum confectione & administratione recitamus, *hoc est*, inquit, *quod vulgò dicunt constare sacramentum verbo & externo signo. verbum enim intelligere debemus, non quod sine sensu & fide insusuratum solo strepitu velut magica incantatione consecrandi elementi vim habeat, &c.* Cum ergo easdem ipsi quoq; pronuntient in Baptismo &

mo & Euchariſtia, elementoq; adiiciant, ex ore proprio conuin-
cuntur vti arti magica. Item magos nos appellant, cum crucem,
ſanctum Chriſma, & res alias inanimatas ſenſuſq; expertes allo-
quimur, ad quod reſpondemus ſi hoc non poſsit non eſſe magi-
cum, huius reatu criminis reum ipſum teneri, qui mare & ventis
locutus legitur. Item ſicut Deus Gen. 3. in ſerpente allocutus eſt
diabolum, qui eo vſus fuerat, & qui exorciſmos adhibent non
tàm ad erucas, nubes, grandines, verba dirigunt quàm ad eũdem
immundum Spiritum creaturas illas excitantem in perniciem
humani generis; ita in cruce & Chriſmate Chriſtum crucifixum
& omnibus inſtructũ gratiis, cuius proinde oportuniſsima ſym-
bola ſunt, quaſi præſentem alloquimur, non ſecus ac ſtrenuiſsi-
mi enſem Ducis tenentes manu dicere ſolemus, ô enſis quantum
ſalutis reipublicæ attuliſti, quot hoſtes cæcidiſti, quot victorias
reportaſti, cum tamen horum effectuum inſtrumentalis tantum
cauſa fuerit. Sed hac duplici reſponſione prætermiſſa lubet obie-
ctum argumentum in eos regerere. Quid aliud faciunt cum ba-
ptizant paruulos quàm res alloquuntur non magis apprehen-
dentes quæ dicuntur quàm ſi ſaxa eſſent meriſsima? quid item
aliud cum cadauera ſepelientes fratrum ſuorum ſermonem ad
ea dirigunt, iubentque ipſa quieſcere quouſque ad vitam reuo-
centur? Præter hæc argumenta quæ ad hominem tantum eſſe fa-
teor, palàm eſt eo ipſo quo ſuperbiſsimi & gloriæ cupidiſsimi
ſunt, vt ſupra cap. 3. §. vltimo palàm fecimus, eos totos ad magiam
propendere ſuopte pondere. Nam & magi gloriæ appetentiſ-
ſimi ſunt, qua vt perfruantur nihil non tentant, ad magica etiam
recurrentes opera quibus poſsint clareſcere, & patratores videri
rerum mirabilium. hinc Simon ille Actor. 8. vt ſe aliquem eſſe
dicebat, ita Magus erat. Item palàm eſt eo ipſo quo neglectis
Eccleſiæ definitionibus opiniones proprias in rebus fidei ſibi
eligunt quas pertinaciter propugnent, meros eſſe hæreticos
(dicitur namque hæreſis ἀπὸ τοῦ αἱρεῖν, vel potius ab αἱρεῖσθαι, quod
eſt eligere vt notat Tertull. in lib. de præſcript.) & cum ſint hære-
tici huic eſſe impietati finitimos, *nota ſunt commercia hæreticorum
cum Magis quamplurimis*, inquit Tertull. ibid. cap. 43. *cum circula-
toribus, cum Aſtrologis, cum Philoſophis*, & certè vt hæretici ſic Magi

 fuerunt

fuerunt Gnoſtici,& Marcus,& Menander, & Baſilides, & Carpocratiani,vt ſcribunt Epiphanius,Irenęus,& Theodoretus.

Deniq; à maleficij ſuſpicione immunes non ſunt, eo ipſo quo ab illorum exortu mirandum in modum per Europam ſeſe maleficia diffuderunt. Nunquam plura philtra amatoria, incantationes, ſortilegia, veneficia vt conſtat ex iuridicis eorum proceſsibus. Haud dubiè quemadmodum Oceani fluxũ & refluxũ à luna alternatim aſcendente & deſcendente, creſcente & decreſcente eſſe autumant ſapientes, quia hoc aſtro efferente ſeſe ſupra Horizontem inchoatur fluxus & augetur quouſque ad circulum peruenerit meridianum, deſcendente contra ſenſim minuitur, maior quoque eſt reciprocatio æſtusque maris pleni lunij tempore, quàm noui lunij, ſic cum ex oriente Pſeudoeuangelio maleficia illa quaſi prius ſepulta in lucem prodire ac vigere cœperint, & ire cum illo per proportionem vt ſic loquar, æquiſque paſsibus, ius habent omnes prudenter cogitandi non alium eorum fontem requirendum; præſertim cum non æqualiter hactenus vbique viguerint, ſed iis maximè in locis, quæ vel hæretica ſunt, vel vicina hæreticorum, vt in Germania, Anglia, Scotia, Belgio, in Gallia, Subaudia, Lotharingia, &c. Accedit quod ſeuerisſimè prohibeantur decretis Catholicis, quibus proindè affinia videri nequeunt: Pſeudoeuangelicis autem eatenus ſunt, quatenus in nulla eorum ſynodo quod ſciam (legi ſanè plurimas) interdicuntur. Nota porrò eſt iuris regula, *intelligitur conceſſum quod non inuenitur prohibitum.* Inſignis noſtro ſeculo veneficus, magusq; fuit Noſtradamus. Huic autẽ cum Delphinatu ſuo relicto veniſſet Lutetiam, & iuxta Luparam (nomen eſt regię) ſibi elegiſſet, quamplurimi ſeſe Nouatores ſupra modum curioſi & nouarum ſemper rerum cupidi, ſeſe adiunxerunt, & hauſto ex officina illa nefandæ artis veneno, aulam Gallicanam magna ex parte infecerunt, quæ contagio vtinam ex eo tempore in nobiliſsimo regno illo aucta fuiſſet minoribus incrementis. Tandem Diabolus pro implacabili ſuo in mortales odio, omnes perquirit nocendi vias, & quia per ſe pauciſsima præſtare ſinitur, interponit quoad poteſt homines nequam, videlicet quos principio videt parum à ſe abhorrere, & in quorum familiaritatem aureos montes promitten-

mittendo ſeſe inſinuat. Cum itaq; Nouantes ſatis hucuſq; indicauerint propenſam ſuam erga illum voluntatem, nunc cum illo conferendo, vt de Luthero & Zuinglio ſupra dictum eſt, nunc illius formas alioqui horribiles intactas relinquendo (videre ſiquidem eſt quamplurimis in locis eos ſanctorum quidem imagines diſieciſſe, mutilaſſe, confixiſſe, dæmonis autem imaginibus peperciſſe) nunc denique illius ſpeciem in vexillis ſuis militaribus præſeferendo, vt Lugduni Batauorum cum excurrerent ſuburbanum Franciſcanorum monaſterium euerſuri, quaſi indè gloriantes, & profitentes cuius milites eſſent ac ſtipendiarij, factos ſe eſſe probant ad maleficium. *Lind. l. 1. cap. 15.*

De vitiis Religioni oppoſitis quoad defectum quorum excluſionem appellare poſſumus notam 21. veræ Religionis.

CAPVT VLT.

§. 1. Quid ſit tentatio Dei, quid ſacrilegium, quid ſimonia, & quomodo virtuti Religionis aduerſentur idq; per defectum.

2. A quibus omnibus vitiis Catholica profeſsio aliena eſſe oſtenditur.

3. Magnam contra cum iis cognationem habet Mahumetana.

4. Maiorem adhuc Pſeudoeuangelica.

QVæ de periurio hic dici poſſent, miſſa facio, nõ quod non ſit Religioni oppoſitum per defectum, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 98. ſed quod iam copioſè ſatis de eo diſputauerimus lib. 1.

Tentatio Dei vt docet idem ſanctus Doctor ibid. quæſt. 97. articulo 1. Eſt irreligioſitas per quam non ex iuſta cauſa, ſed ex impia dubitatione de aliqua perfectione diuina aliquid agitur vel dicitur experiendi cauſa, vtrum Deus habeat talem perfectio-

dixiſſet Matth.4. *mitte te deorſum*, hoc eſt, præcipita te omiſſo communi & naturali deſcendendi modo, videlicet per gradus.

Secundò, quando à Deo petuntur miracula abſq; neceſsitate vt Luc.11. hac quippè non ſubſtante videtur tantum reſtare animus explorandi per ea diuinam potentiam. Ita interpretatus eſt Achab Iſa.7. cum ad verba illa, *pete tibi ſignum à Domino Deo tuo*, reſpondit *non petam, & non tentabo Dominum*. Peccauit quidem hac ſua detrectatione & inobedientia, indicauit tamen quod ſic tentare Deum ſaltem citra neceſsitatem ſit illicitum.

Tertiò, quando impedimenta non tollimus effectus illius, quem à Deo & mediis ab illo ordinatis expectamus, vt ſi caſti eſſe volumus, & fortè donum hoc à Deo flagitamus ſed crapulam, ebrietatem, impudicarum perſonarum contubernium non deuitamus, quo modo intelligi poteſt quod ait Eccleſiaſticus cap.18. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.*

Quartò quando aliquis mentitur Deo vel vicariis Dei, ac ſi probare vellet, ſitne Deus dolum vel fraudem agniturus, vt Ananias ad quem B. Petrus Act.5. *Anania cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spirituiſancto, & fraudare de pretio agri?* id eſt cur impulit te vt Spiritum ſanctum tentares mentiendo?

Notandum in allata definitione tentationis Dei, non abs re appoſitam fuiſſe hanc particulam, *non ex iuſta cauſa*, quia ſi iuſta ſubſit, cuiuſmodi eſt diuina inſpiratio, illicita tentatio experientiaq; videri non poterit. Sic excuſatur à peccato Abraham, quia afflante Spiritus ſancto petiit à Deo ſignum, vndè ſciret ſemen ſuum poſſeſſurum terram Chanaam, quæ ſibi promittebatur. Non etiam peccati reus eſſet infidelis, ſi nulla alia occurrente via cognoſcendæ veritatis poſtularet miraculum, vt ſciret, vtrum hæc doctrina à Deo emanaſſet, præſertim ſi diuinum accedat imperium, vt acceſsiſſe narrat Epiph. hæreſi 30. ſed & de ſancto Brixio legimus, quod vt ſe adulterij purum oſtenderet, cuius falsò accuſabatur, obtulerit diuino afflatus Spiritu ardentes prunas intra lineum ſuper pellicium prorſus illæſum geſtare in innocentiæ ſuæ argumentum, quod & præſtitit.

Sacrilegium in præſenti propriè contractequè non accipitur pro furto rerum ſacratum, vel depoſitarum in loco ſacro; & eius

creditarũ custodiæ, sed latius pro peccato quo res sacra violatur: id est, quando indignè, seu contra reuerentiã Deo in rebus ipsis dicatis debitam, tractatur. Quod quidem scelus tanquam religioni contrarium seuerè vltus est Christus, quando è templo vendentes ementesq; flagello expulit dicens. *Domus mea, domus orationũ vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Rectè autẽ monet Azor lib.9. Inst. mor. c.27. nomine rei sacræ intelligi eam, quæ aliquam habet sanctitatẽ, vel ex Christi institutione vt Sacramentum, verbũ Dei, &c. vel ex Ecclesiæ consecratione aut benedictione, per quas eius minister certis precibus cæremoniisq; adhibitis dicat eam diuino cultui, siue res sic dicata persona aliqua sit vt sacerdos, siue aliud quiddam vt templũ, altare, calix, vel locus ipse vt templum. Pium autem ac laudabilem esse vsum consecrationis huius ac benedictionis, perspicuè liquet ex verbis illis Apostoli 1. Tim. 4 *Omnis creatura Dei bona est,* & infra, *sanctificatur per verbum Dei & orationem.*

Sacrilegi ratione personæ sunt, qui personam Deo dicatam & initiatam verberant, cum enim ideò initietur, vt diuino cultui profanis occupationibus valere iussis, mãcipetur; digna est propter Deum speciali respectu siue reuerentia saltẽ negatiua, ne videlicet ingenti aliqua iniuria cuiusmodi est verberatio facta per aggressionis viam, afficiatur. Hinc illud Ps. 104. *Nolite tangere Christos meos,* & Exo. 21. *Qui percusserit patrem suum aut matrem morte moriatur.* Sanè qui præficiuntur sacris, Patres esse respectu populi testatur Apostolus 1. Cor. 4. Patrem se vocans Corinthiorũ, à quo fuerant in Christo geniti. Item qui carnaliter commiscentur cum eiusmodi aut aliis obstrictis voto castitatis. Quippè ratione huius initiationis & voti, singulariter ad Deum pertinent, ita vt virgines Deo dicatę appellentur sponsæ Christi 2. Cor. 11. *Despondi vos vni viro virginem castam exhibere Christo,* atq; ex eo capite moralẽ sanctitatem acquirunt, quæ profectò magis violari non potest, quàm per copulam illam carnalem, esto coniugalis sit quæ prætenditur. Nam neq; apud Ethnicos verum ac licitum coniugium dicitur, quod cum matre propria aut alterius sponsa celebratur, sed impuritas execranda. Ecclesiastici autem vt Patres sic matres dici possunt secularium; Christi autem sponsæ, quicumq; ei vouẽt castitatem. Nefaria itaq; est omnis cum talib. commixtio, etiam cui obtenditur species coniugij. Scimus quid scriptũ sit 1. Tim. 5. *Cum luxuriatæ*

Digitized by Google

riata fuerint in Chriſto, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quia porrò acceſſorium principalis ſui naturam ſequitur, extendi credendum eſt ſacrilegiũ quod in indigna perſonæ ſacræ contrectatione conſiſtit, ad res temporales quas poſsidet, quæ proindè aliquibus tributis grauari non debent aut poſſunt, nec vaſtari aut ſurripi, quin in eiuſmodi furto peculiaris quædam deformitas appareat.

Sacrilegi ratione rerum ſacrarũ dicuntur. Primò qui perperã vel ſcatentes animi corporiſue ſordibus contrectant, conficiunt, adminiſtrant, vel ſuſcipiunt ſacramẽta, item qui ſacra vaſa transferunt ad profanos vſus, vt impius ille Baltazar. Item qui diuinam ſcripturam ad ſuperſtitiones, ad facetias, ad amatoria & mendacia conuertunt: hoc ſiquidem eſt Deum ipſum ſcripturæ authorem, facere ſtipulatorem nequitiarum huiuſmodi. Item qui dies ſacros operibus ſeruilibus vel aliis prohibitis violant. Item qui ſacras imagines confringunt, & illudunt in contemptum Eccleſiæ, quæ ſanctos in iis rectè coli poſſe pronuntiat. Haud dubiè ſacræ ſunt, & illudi nequeunt, quin in ſanctos ipſos redũdet illuſio, quos ſi colere nolumus contumelia ſaltem afficere nõ debemus. Sacræ inquam ſunt quia perſonas ſacras repræſentant, ſicut impudicæ quæ res vel actiones impudicas, tragicæ quæ tragicas. Illuduntur in iis ſancti, quia ſi Mardochæus v.g. repertam Amani imaginem, quẽ nec colere cupit, nec coli ab aliis, ſibi vt ſcopum obiiceret, obiectamque telis variis configeret, non alia de cauſa quàm quia Amani figura eſt, cuius cultum odit, nemo eſt qui contumeliam hanc non exiſtimaret in ipſummet refundi, quiq; ea ſi Aman eſſet non offenderetur. De violatione ſanctarum reliquiarum idem tanto magis dicere conuenit, quãto eoſdem ſanctos attingunt penitius ratione ſingularis poſſeſsionis, & priſtinæ coniunctionis. *Dan. 5.*

Sacrilegi deniq; ratione loci, qui locum ſacrum vt templum expilant, effringunt, incendunt, ſubruunt; qui eundem humani ſanguinis vel ſeminis effuſione polluunt, ſicut Cain Geneſis 4. terram parricidio polluiſſe legitur, cruore fuſo Abelis fratris ſui. Idem de ſemine ſentiendum; habet quippè reſpectũ ad coitum, qui omninò dedecet locum ſacrum. Vndè 1. Reg. 2. Filiis Hely dormientibus cum mulieribus nõ dico in templo, ſed in templi atrio

atrio ait Pater, *quare facitis res huiuſmodi quas audio res peſſimas ab omni populo*. Huc etiam referendi ſunt qui Aſyla violant, indeque perſonas vi abſtrahunt, quæ eo vitandæ mortis repentinæ cauſa, ſe receperunt, niſi ſint latrones publici, vel nocturni agrorum populatores.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas (id eſt ex electione & deliberatione) emendi vel vendendi aliquid ſpirituale, aut ſpirituali annexum, vt docet S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. Videtur hic poſſe obiici, rem ſacram ſeu ſpiritualem indignè tractari, quando emitur aut venditur, atq; ita Simoniam non differe à ſacrilegio, quod indignam rei ſacræ tractationem eſſe diximus. Reſpondeo hoc non obſtante interuenire diſcrimen duplex. Alterum quòd ſacrilegium latius pateat; alterum quod dicat irreligioſam tractationem rei ſacræ, quatenus ea deſtinatur ad vſum ſacrum, vt notat Greg. à Valentia ad primum illum art. Per ſimoniam verò eadem res ſacra in ſe violetur, quatenus minoris fit, quàm par ſit, cum rei admodum vili hoc eſt pecuniæ comparetur, & cum eo commutetur velut cum æquipollente.

Ex his liquet hæc vitia rectè dici Religioni contraria idq; per defectum, ex propria ſi quidem ratione illi detrahunt. Tentatio Dei dubitare primum facit de illius perfectione expreſſe vel tacitè, atque ita tentatorem retrahit ne honorem ei tribuat quaſi perfectiſsimo. Per ſacrilegium & ſimoniam non tractantur res ſacræ vt par eſt.

§. 1. Eadem à Catholica profeſsione eſſe alieniſsima ſic demonſtro. Nullum verum ſpiritualis ſalutis mediũ reſpuunt Catholici, non fidem propriè ſumptam, non vſum ſacramentorũ, Baptiſmi præſertim, Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ; non obſeruationẽ mandatorum, tàm Dei quàm Eccleſiæ, non exercitium bonorũ operum non virtutum ſtudium, non deniq; Chriſtum Dominum, cuius ſolius gratia & virtute reconciliari ſe poſſe credunt Deo Patri, & bona facere quæ faciunt & mereri aliquid apud eandem Maieſtatem. Vtuntur & ſanctis fateor velut mediatoribus, ſed longè inferioris diuerſiq; ordinis, vt fusè dictũ eſt li. 1. c. 10. §. 4. Adhæc miracula à Deo nulla petunt in fidei ſuę cõfirmationẽ, ꝗ conſtat quoad omnes partes ꝗ plurimis fuiſſe hactenus illuſtratã; ſed tantum aliqua ſuo iure flagitant à ſectariis ſatorib. nouorũ dogmatũ, quę igno-

Ignorarunt Patres nostri, sicut & Isaias à Pseudoprophetis sui temporis dicens, cap. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos.* Cum enim fateantur iidem Sectarij Lutherum, Caluinum, & alios à quibus descenderunt ordinaria missione seu vocatione fuisse destitutos, Deus autem quos extraordinariè mittit instruere soleat ac debeat potestate miraculorum veluti sigillo Spiritus sancti, præsertim si dogmata secum noua ferant, meritò vrgentur à Catholicis, vt si fidem sibi haberi velint, missionem suam miraculo certam faciant. Seriò prætereà docentur abiicere impedimenta finium, ad quos peruenire student, ne secus videantur tentare Deum. Exemplum percupiunt omnes remitti sibi peccata sua à Sacerdotibus Christi ministris, quibus dictum est Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Verùm non prius admittuntur, nec admitti debent ad reconciliationis huius sacramentum, quàm vel actu abiecerint proximas occasiones peccatorũ mortalium quæ confessi fuerint, (si fortè aliquibus sint obnoxij) v.g. domesticas concubinas, vel si id in præsentia fieri non possit, interim autem remissione illa valdè indigeant, & alia quædam nõ obscura dent veri doloris signa, seriò saltem promiserint se primo quoq; tempore abiecturos, interim autem vim sibi illaturos, ne ad volutabrum luti vomitumq; reuertantur. Insuper quia tentarẽt Deum, sicut olim Ananias & Saphira, si eius vicariis seu spiritualibus seu temporalibus mendacio fucum facere niterentur, admonentur omnes nefas sibi esse in hac parte vel transuersum vnguem à sinceritate discedere, in exomologesi nihil silentio premendũ quod memoriæ occurrat, & sit lethale peccatum, aut illius circumstantia mutans speciem, vel etiam grauis; cuilibet iuridicè interroganti verè & categoricè respondendum, siue sit reus qui interrogatur siue actor, siue damnum immineat vitæ siue pecuniæ. Quod amplius est, docentur omnia omninò mendacia fugienda etiam minima, esto ex iis per hypothesim secutura esset totius mundi salus.

A sacrilegio ita abhorrent, vt extra casum necessariæ tutelæ personas sacras non degradatas realiter, vetentur percutere sub pœna excommunicationis 17. quæst. 4. cap. *Si quis suadente.* Nempè secum ratiocinantur si tanta immunitate gaudebant Romani, vt

Actio.10. in Verrem. Cicero scriptum reliquerit, *Facinus est vincire ciuem Romanum, scelus verberare, propè parricidium enecare, quid dicam in crucem tollere,* multo magis æquum videri, vt ab iniiciendis in Christos Domini manibus abstineant; Qui interim ne hac prærogatiua insolescant, proprios sui ordinis Iudices habent, à quibus sunt coercendi. Et quoniam ad primam hanc sacrilegij speciem accedit Antistites sacros contemnere, magna illos reuerentia prosequuntur, maximè Romanos Pontifices, etiam viri Principes, vt Iustinianus Imperator, cuius illa sunt verba: *Reddentes honorem Apostolicæ sedi, & vestræ sanctitati quod nobis semper in voto fuit & est, & vt decet Patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinamus ad notitiam deferre vestræ Sanctitatis.* Et Franciscus I. Galliarum Rex sic loquens apud Rebuffum: *Cum Bononiam cum omni comitatu nostro venissemus exhibendæ gratia reuerentiæ sanctissimo Patri nostro Leoni X. Pontifici summo, quam ei Franciæ Reges maiores nostros, vt primos ac maximos sacrosanctæ Ecclesiæ filios exhibuisse nouimus, obnixis precibus ab eo contendimus, &c.* Nota quod ait, *quam ei Franciæ Reges maiores nostros exhibuisse nouimus.* Vel si aliqui minus vrbani gratique debitum eis honorem non deferunt, per horrescunt saltem illos dicto factoue lædere, partim religione prohibiti, partim infortuniis illis grauibus perterrefacti, in quæ tandem eorum osores constat incidisse.

In princip. Concord.

Sequuntur sacrilegia quibus per libidinem personæ Deo consecratæ polluuntur. Quantum illa auersetur Ecclesia Catholica ex vna Tridentina synodo inferre possumus sic loquente in sess.25. cap.14. de reformatione: *Quam turpe ac Clericorum nomine, qui se diuino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitiæ sordibus immundoq; concubinatu versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoq; Clericalis militiæ dedecore testatur. Vt igitur ad eam quam decet continentiam, ac vitæ integritatem Ministri Ecclesiæ reuocentur.* Et infrà: *Prohibet sancta synodus quibuscumque Clericis ne concubinas aut alias mulieres, de quibus haberi possit suspicio in domo vel extra detinere, aut cum iis vllam consuetudinem habere audeant, alioqui pœnis à sacris Canonibus, vel statutis Ecclesiarum impositis puniantur.*

Restant bona Clericorum, quibus etiam parcitur ad reuerentiam status, nec tributum vllum imponitur. Excipit Couarruuias in practicis quæst. cap.31. Clericos primæ tonsuræ, & eos qui post

Digitized by Google

post susceptos minores Ordines matrimonium iniuerunt. Communis autem sententia nec istos excipit, dummodo ferentes habitum alicui Ecclesiæ inseruiant de mandato Episcopi.

Quod ad sacrilegia quæ circa res alias sacras committi possunt (cuiusmodi sunt sacramenta, vasa sacra, scriptura item sacra, imagines, & reliquiæ sacræ, templum & alius quicumque locus diuino cultui consecratus) à Catholicorum quoque moribus alienissima sunt.

Primò religiosè, admodumque honorificè sacramenta tractare docentur, vt dictum est lib. 1.

Secundò, vasis sacris suus quoque habetur honor, iubent canones plurimi, vt munda seruentur, & neque manibus profanis pateant nec vsibus.

Tertiò, scripturam sacram ostendere nemo potest à nobis alicubi additione, detractione, transpositione, vel alio quopiam modo deprauatam, retinemus integram vt Patres nostri, eandem iuxta vnanimem illorum sensum interpretamur. Equidem præter eam suum Apostolicis traditionibus locum damus, sed tanquam verbo Dei non scripto quidem, sed tamen viua voce tradito, & paris cum illo auctoritatis, nullaque ex parte illi contrario.

Quartò, imagines & reliquias sacras, nobis cordi ac venerationi esse, vltrò fatentur aduersarij, quin etiam causantur à nobis in hac parte modum penè nullum adhiberi.

Quintò, immunis abiret nemo qui templa effringeret, vel aliquid indè surriperet, siue per se sacrũ, siue eius commissum custodiæ, sed grauibus pœnis subiaceret iuxta cap. quisquis 17. q. 1. idem iudicium si venereos ibi actus etiam coniugales exerceret, si asylum violaret, id est, si reos qui eo confugissent indè vi abstraheret (nisi publici latrones sint, vel nocturni agrorum depopulatores, vel raptores Virginum, vel iuxta Couarruuiam Hæretici) tùm ne Dei domum contempsisse videantur, tùm ne iusto eiusdem iudicio in grauem aliquam calamitatem propter hunc contemptum incurrant cum Eutropio illo viro consulari, qui cum edictum ab Imperatore impetrasset, ne pro reis vlla templi ratio haberetur, sed vt inde auelli possent, Deo permittẽte in perduellionem incidit, & tunc ad templum confugit, sed ex quo abstractus est iuxta impij edicti tenorem quod impetrauerat; paulò post autem eiusdem Imperatoris iussu factus est toto capite breuior.

c. immunitatem. tit. de Immun. Eccles. Couar. lib. 1. Var. resol. cap. 20. num. 11.

uior. In iisdem sacris locis nulli fas est mandante etiam Iudice reum quantumuis damnatum perimere. cum etiam Hierosolymitani templi sanctitas religionem Iudæis iniiceret, ne in eo Paulum auderent occidere Actor. 21. Sicut & Ioiadæ Pontifici, qui ob id educi Athaliam extra septa, vt interficeretur foris gladio, imperauit. Ibidem seuerè interdici iurgia, clamores, inambulationes, nundinationes, cantiones profanas. & alia quæ ad eiusdem loci violationem attinent, testis est cap *dolentes*, de celebr. Miss. Et perrarus est qui post Bedam in Homilia Quadragesimæ secum non reputet, quod si Dominus nec ea volebat venundari in templo, quæ in templo volebat offerri, videlicet propter studium auaritiæ siue fraudis, quod proprium solet esse negotiatorum facinus, quãta putas animaduersione puniret, si inuenisset aliquos ibi risui, vel vaniloquio vacantes, aut alio cuilibet vitio mancipatos. Si enim ea quæ alibi liberè geri poterant, Dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur, quanto magis ea quæ nusquam fieri licet, plus cœlestis iræ merentur, si in ædibus Deo sacratis gerantur?

In Simoniam ita insurgunt iura nostra, vt præsidium ei nullum relinquant. Expiatur ea sanè pœnis grauissimis. Nam præter grande peccatum quo etiam mentalis afficere mẽtem creditur, si sit conuentionalis vt loquũtur, & completa ex altera parte, obligat statim ipso iure antè sententiam Iudicis, ad restituendũ quod est acceptum 1. q. 1. c. Si quis Episcopi, & c. *de his*, & c. *audiuimus*, extra de Simon. & in Extrauag. *cum detestabile* eodem titulo. Sin autem realis est, siue completa vtraq; ex parte inducit ipso iure excommunicationem sedi Apostolicæ reseruatam, & suspensionem tàm quoad se quàm quoad alios, vt patet ex eadem Extrauagante, extenditurque hęc pœna ad ipsos proxenetas, seu mediatores, vt notat Syluest. V. Simonia, q. 19. & Gregor. à Valent. ad artic. 6. S. Thom. 2. 2. q. 100.

§. 3. Mahumetanorũ mores planè oppositi. Tentatores Dei sunt, & sacrilegi, & qualiumcumque sacrarum rerum nundinatores. Simoniacis nostris respondentes.

Tentatores sunt, primò, quia in Azo. 2. fatentur Euangelicam legem esse rectam viam quam ingrediuntur, qui timent Deum, & spiritualem salutem suam operantur, cum ergo hanc omnes negli-

Digitized by Google

negligant, & alia esse non posit quæ eo deducat, (neque enim duæ aut plures eundem exitum effectumque habere possunt, vt in Codicillo demonstrabimus, præsertim merè oppositæ, vt Christianismus & Mahumetismus) negligere conuincuntur medium ad finem necessarium, atq; ita tentare Deum.

Secundò, quia noua quærunt miracula iuxta Azo.16. quæ sic habet, *Scio quod nihil nisi miraculorum effectorem expectatis.* Et infrà: *Si vos expectatis & ego,* cum tamen quæ Mahumetis aduentum præcesserunt, illi & sequacibus eius fuerint abunde satis ad intelligendum fidem Christianam sanctissimam, ob idq; aliam nullam requirendam.

Tertiò, quia petentes à Deo veniam suorum scelerum vt luxuriæ, qua maximè se inquinari agnoscunt, nullum emendationis propositum concipiunt, aut docentur in Alcorano, vel à sacrificulis concipere, nullum ex consequenti studium vitandi occasiones proximas flagitiorum huiusmodi, quod quid aliud est quàm tentare Deum, & conari experimentum de eo capere possitne aut velit, etiam occasionibus illis non abiectis, quas prius abiiciẽdas natura ipsa docet, peccatoribus reconciliari, aut continere sese in posterum?

Sacrilegi sunt, quia sacrificulos suos quos sacros reputant, indignissimè tractant, cum nulla habita ratione muneris præcellentis, quod ab iis obiri creditur trahunt eos ad tribunalia secularia, perinde ac si cerdones essent aut fabri. Etsi namque à tributis immunes sint, vt scribit Guill. Regin. lib. 2. Caluin. cap. 16. non tamen à necessitate sistendi se ciuili Magistratui, quando eos in ius vocari contingit. In numero rerum sacrarum ponuntur scripturæ sacræ, quarum nomine & Pentatheucum, & Euangelium ipsum comprehendi consensit Mahumetus, interim vtrumq; partim polluit insertis fabulis quamplurimis ipsa absurditate absurdioribus, partim corrupit audacissimè, vt se apud Iudæos & Christianos in pretio poneret. Exemplum, non aliud legitur Moyses, Exod. 32. dixisse aut fecisse Aaroni, quàm, *quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?* Mahumetus autem in Azo.17. sic scribit, *Moyses reuersus multa permotus iracundia tabulas proiecit, fratremq; capillis arripuit.* Vnde obsecro nisi ex insano suo capite omnia pro arbitrio comminiscente hoc hausit? & cum me-

rum figmentum esse intelligeret, quanta audacia pari cum impietate coniuncta illud sacris inserere? In Euangelio Ioannis capite 14. & 16. scriptum est. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, & Paracletus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia.* Quid fecit Mahumetus, vt se post Christum diuino consilio prodiisse, ac Christi etiam testimonio seu vaticinio proditurum fuisse doceret? Posuit pro Paracleto Mahumetum hoc modo, *Ego rogabo Patrem, & Mahumetum dabit vobis,* &c. Vnde in Azo. 71. Christum inducit his verbis affantem filios Israël; *Ego vobis affirmo & nuntium affero, de praecone post me venturo cui nomen Mahumetus.* Sed ô Mahumete quis præter mente captos tibi credat? teipsum canis; testimonium tibi solus perhibes, & ideo testimonium tuum verum non est. Quomodo locus ille Ioannis pro te facit, vel etiam à te recipitur cum Deus dicatur in eo Christi Pater, Deo autẽ filium esse, si quid aliud inficieris? Si hoc Euangelio suo inseruit Christus, quomodo nullus de tota Christianorũ turba, quæ te præcessit annos plus minus sexcẽtos ita legisse perhibetur? Quibusnam aliis interpositis ad te peruenit Euangelium Christi? Si nullis vt profectò nullis, nimis audax falsarius & impostor es, qui tuis aliter legendum proponis & suggeris, quàm in acceptis exemplaribus legeretur? Quomodo denique Christus, qui discipulis suis à quibus recedebat, & quibus tam seriò, totiesq; inculcauerat vt verba, vt dogmata, vt decreta sua inuiolabiliter custodirent, effecturum se dixit, vt tu vnus ei surrogareris, qui scilicet illis omnibus ac cultoribus eius valere iussis noua faceres omnia, & quidquid ille impendiis maximis, atque adeò morte crudeli ædificauerat, tu vnus vbiq; per te tuosq; armis fraudiq; subrueres.

Meschitas suas, de quibus interrogati loca procul dubio sacra esse responderent, profanare non cessant. Semper enim acinacem (qui Turcicè *Pusdogan* dicitur, Arabicè *Seife*, Germanicè *Sabel*, à voce Hungaria & Sclauonica *Sabla*, vt scribit Lazarus Soranzus in suo Ottomanno, c. 40.) stringit inter concionandum sacrificulus, quod vbique non decet domum Dei à bello, à truculentia, à cæde abhorrentis. Vnde quia Reges ipsi temporales clementia pollent, & ab iniuriis inferendis alienissimi sunt, esse certè videri volunt, cauent ne quis in Basilicis vbi habitant exoluat ensem.

ensem. Suos quidem educunt inter Missarum solennia Rhodienses equites, sed quasi auitam propugnaturi fidem, non vi nouam, & per summam vastitatem propagaturi. Sacrificulus autem ille eo solum fine educit suum, vt infœliciũ auditorum suorum pedes iam satis veloces ad effundendum sanguinem recenti velut aculeo ad direptionem instiget nationum externarum, nec vnquam memoria gentis illius excidere sinat præceptum illud de iis inuadendis toties, tamque impensè Alcorano inculcatum, vt meritò caput Mahumetismi totius videri possit & dici.

Improba quælibet lucra parit auaritia, atque inter cætera sacrorum nundinationem seu verorum seu apparentium; cum itaque Mahumetanis ac præcipuè Turcis & Tartaris insatiabilis insit habendi cupiditas, cuius argumenta sat magna possunt esse vsuræ continuæ, & immanes alienarum fortunarum direptiones, obscurum non est quàm facti sint ad sacra ipsa pretio transferenda. Sanctam ac venerabilem reputant Turcæ omnes dignitatem Patriarchæ Constantinopolitani non solùm quia insigne quoddam membrum est Christianorum, quorum legem tanti faciunt, vt Euangelium capitibus aliquando suis reuerentiæ causa superponant, sed etiam quia fulgere solet multis virtutibus (sicut & Caloieri Monachi, S. Basilij qui cum in eo habitant in monte Athos) & maxima in veneratione est apud Christianos Orientis; propter hæc omnia sanctus creditur, sicut & montem ipsum appellant Turcæ montem sanctum, nec infestant illum vt loca cætera, nec tributis vllis subiicunt. Audi interim ex Villamontio quid fiat. Quoties Patriarcha ille eligitur, toties tenetur Turcarum Imperatori magnam pecuniæ summam ob adeptum Patriarchatum numerare, quod nihil est aliud quàm ab Antistite illo pro re sacra exigere.

Censent item omnes Christum Dominum suum esse Prophetarum Mahumete ipso longè eminentiorem, cuius proinde sepulcrum sanctum esse fatentur, nec possunt abnuere. Interim quis dicat quantum pecuniarum à Christianis illud pietatis ergô adeuntibus emungant?

Magni quoque Dei tentatores sunt Sectarij, & Sacrilegi, & Simoniaci, Probanda sunt singula, ne se exclament calumniam pati. §. 4.

Tenta-

Tentatores Dei sunt, primò, quia necessaria ad salutem media à Christo Domino proposita negant, vel saltem negligunt iuxta doctrinam suam Pseudoeuangelicam; quædam autem alia prorsus inepta consectantur. Clarius dicere aut docere Christus non potuit, baptismum & diuinorum obseruationem mandatorum (in quibus Ecclesiastica implicitè continentur) & exercitium bonorum operum, esse huiusmodi media, quàm cum de baptismo dixit, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & de obseruatione illa mandatorum, Matth. 19. Si *vis ad vitam ingredi serua mandata*, de exercitio bonorũ operum, Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur*. Ac speciatim de operibus misericordiæ, Matth. 25. *Ite maledicti in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*. Et de Pœnitentia, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis*. Et sanè cum idem Christus semper intenderit in maius bonum electorum suorum, sit autem illis melius & statui naturæ lapsæ cõformius, si benè operantes in cœlum admittantur, quam quiescentes à bonis operibus (nam nec Iacob gratis habere voluit Rachaelem, sed pro ea seruire annis VII. & Alexander Magnus inuidens Patri suo Philippo tot res præclarè gestas dicere solebat, *quid proderit si multa possidens nihil agam?* Et par est in pœnam peccati cum labore & industria id consequi quod gratis aliâs obligisset sicut scriptum est, Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Omnino verisimile est decretum ab eo positum, vt adulti per bona opera graderentur in cœlum. Negant autem Sectarij baptismi necessitatem inani spe freti parentum fidelium, vnde infanti quantumuis moribundo ipsum non conferũt extra templum & concionis diem. Negant item necessitatem obseruationis mandatorum, quippe quam vocant impossibilem. Negant deniq; necessitatem bonorum operum, quorum proinde nulla tanguntur cura, blandientes sibi de fide sua vanissima, quæ non aliud quam arrogantissima præscriptio est, clarissimè, sæpeque damnata in sacris eloquiis.

Secundò tentant Deum tacitè ab eo petentes miracula quod sic ostendo. mysteria fidei cum naturalem mortalium captum superent miraculis præsentibus, aut præteritis indigent quibus prudenter admittantur vt vera, esto prima fronte impossibilia videan-

Digitized by Google

videantur rationique contraria, vt docet Augustinus lib.22.de ciuit.cap.8.& liquet ex verbis illis, Eccles.19. *Qui citò credit, leuis est corde.* Ita fit vt si ostendero Nouantes miracula hucusque patrata non recipere, velle interim mysteria illa complecti, consequens sit eos vt prudenter id faciant miracula tacitè postulare, simulq; diuinam accusare prouidentiam quod ea hucusque distulerit. Non recipiunt sanè quæ hactenus sunt edita, sed cum à nobis proferuntur, conficta esse pronuntiant. Verum est inquient, si de iis sermo sit, quæ à nobis in confirmationem propriorum dogmatum vestrorum adducuntur, vt ad patefaciendam virtutem sanctæ Crucis, & aquæ lustralis, &c. secus si de iis quæ in Euangelio & Actis Apostolorum commemorantur. *Illis ipsis miraculis freti sumus*, inquit Caluinus, *quæ Apostoli ediderunt, quandoquidem non nisi illam ipsam doctrinam proponimus, quæ ab ipsis Apostolis est explicata.* *In epist. ad Francis.I.* Sed contra, si Ecclesia nostra, à qua vna & sola scripturas sacras acceperunt, tam fuit perfida, vt quo errores suos constabiliret, non eam puduit in illorum stabilimentum miracula illa confingere, quis non etiam dubitet de illius fide circa easdem scripturas quarum custos erat, ne illas quoque adulterauerit, & contenta in iis prodigia excogitauerit ipsa primum, deinde ad reuincendos Iudæos in easdem intulerit, haud dubie erit horum quoque portentorum suspecta fides? aut si diuina prouidentia obstitisse creditur in fauorem fidelium, ne ad tantum abusum fieret progressio, cur non etiam credatur abusui illi consimili, nec minus detrimentoso quouis tempore occurrisse?

Tertiò tentant Deum volentes immediatè à Deo doceri, quis indubiè sit verus ac genuinus sensus scripturarum sacrarum, non autem ab Ecclesia sanctisque Patribus, quos superiora tulerunt secula, cum nihilominus eadem diuina sapientia ad horum iudicium velut ad certissimam sensus illius regulam confugere nos voluerit, vt fusè demonstratum est supra capite primo, & cõiici satis potest ex eo quod de Ecclesia in persona mulieris fortis scriptum sit, Prouerb.31. *Confidit in ea cor viri sui.* Ac si dicat Salomon, sicut viri vxoribus suis quas prudentissimas norunt esse, committunt omnia etiam arcas quæ thesauros capiunt, & claues ad aperiendum, sic Deus Ecclesiæ sponsæ suæ verbum

suum vna cum claue, hoc est, facultate illud certò interpretandi. Certum est quod ei vni verbum illud suum commiserit. Deut. 17. *Describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus.* At quid prodesset illud accepisse, illiusque custodem constitui, si deesset facultas illud infallibiliter enucleandi? nonne secundum iura vno concesso reliqua concessa intelliguntur, sine quibus inutilis esset concessio? Item ex eo quod perpetuò in more fuerit sanctis Patribus in assignandis, & exponendis scripturis diuinis Ecclesiæ, & Maiorum iudio stare, hinc illud Augustini, *Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ commoueret auctoritas,* simulque illud Hieronymi, *fateor mi Domnion & Rogatione, me in diuinis voluminibus nunquam propriis viribus credidisse, nec habuisse opinionem meam, sed ea etiam de quibus me scire arbitrabar, interrogare me solitum, quanto magis de iis super quibus anceps eram?* Sed quid sanctos Patres nomino? etiam Ethnicis magno in honore consueuit esse Maiorum interpretatio, audi Galenum in commentario ad Aphorismum 13. lib. 7. qui sic habet, *Propter ardores vehementes conuulsio aut Tetanus malum. Marinus autem propter vulnera legit. Verum quidem est propter magna etiam vulnera inflammationes fieri & conuulsiones, sed cum omnes ferè enarratores, tum verò maximè vetustissimi quinque hanc agnoscant dictionem propter ardores vehementes, nos quoque eam laudare & exponere præstat.* Item ex eo quod sicut paruum parua sic magnum magna decent, & maximum maxima, præsertim apud Deum qui proportione in primis vtitur sicut scriptum est, Sapient. 11. *Omnia in sapientia, & numero & pondere disposuisti.* Iam verò ius certo interpretandi scripturam sacram maximi momenti est, altera ex parte antecellit totum partibus suis, ob idque Ecclesia priuatis membris suis. est itaque cur illi multo magis quàm istis attributam credamus auctoritatem indubie definiendi, quisnam genuinus scripturæ sensus sit.

Lib. contra epist. fund. c. 5.

In epist. ad Domnionẽ.

Et tamen Sectarij in speciem tantum aliquid tribuentes definitioni huic Ecclesiæ, ad vnam priuatam sententiam suam velut ad amussim reipsa scripturas reuocant, persuasum habentes id vnum quod sibi visum fuerit in his contineri, ac vocem panis non significare panem sed vinum, vel aliquid aliud si à panis apprehensione fideque abhorreant. *Hoc autem perpetuum esse nego,* verba sunt Caluini lib. 4. Instit. cap. 9. §. 13. *Vt vera sit & certa scriptura*

Digitized by Google

ptura interpretatio quæ Concilij suffragiis fuerit recepta, paulò antè dixerat, *definitionē ex scriptura sumptam proferant*. Ecce quomodo Ecclesiæ definitionem à Concilio repræsentatæ errori facit obnoxiam, vultque non aliam suscipi, quàm quæ à scriptura petitur. Sed quid Caluine si cum hanc contendat Ecclesia scripturis congruere tu abnuas? Vtique tibi vni voles haberi fidem, atque ita quod iam dicebamus, te vnū priuatum hominem censes in suffragando, in exponēdo Dei verbum vniuersa Ecclesia potiorem, non illius sed tuum ductum sequens.

Sacrilegi sunt quoad personas, quia cōplures sacerdotes occiderunt, in carcerem compegerunt, & quibuscunque licuit probris affecerunt. At fortè sacrilegium non fuit, sed opus Deo gratum, tales non sacros sed profanos, non religiosissimos sed superstitiosissimos neci dare. Hoc quidem prætexitur, sed respondeant quæso, an non sanctæ sacræq; personæ fuerint Clerici, qui in quinque prima secula inciderunt? Annuent procul dubio. At nonne nostri ab iis successiuè ordinati sunt, eorum doctrinam fidéq; sequūtur parati adhærescere omnibus, qui reperiūtur apud illos communi consensione definita? maiusne argumenti experiri quęriq; potest, quo eiusdē cum illis prędicamenti esse videantur?

Sacrilegi sunt quoad scripturam sacram, cuius esto patroni videri velint, illam tamen reuera si quid aliud indignissimè tractant, non secus ac fœdissimæ scrofæ nobilissimos flores proterunt, & stercore rostroque conspurcant, vt iam illud Tertulliani probetur esse verissimum, *Ista hæresis quasdam scripturas nō recipit, & si quas recipit adiectionibus, & detractionibus ad dispositionem instituti sui peruertit, & si recipit non recipit integras, & si aliquatenus integras præstat, nihilominus diuersas expositiones commentata peruertit.* Demonstremus primum exemplis aliquot, quàm eas mutilent illorum more, qui vt Homeri versus proposito suo accōmodent, modò capite modò cauda diminuunt. Schvvenckfeldiani nihil prorsus iis tribuunt, nec magna ex parte Anabaptistæ. Lutherus ex illa Apostoli sententia, 1. Thess. 4. *Hæc est enim voluntas Dei sanctificatio vestra vt abstineatis vos à fornicatione.* Posteriora hæc verba sustulit. Ex hac alia, Ephes. 10. *Accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare*, expunxit vocem *perfecti*. In illa S. Petri epist. 2. cap. 1. *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electio-*

In lib. de præscript.

nem faciatis, obliterauit hoc totum *per bona opera*. Totam beati Iacobi epiſtolam (in qua multa de iiſdem bonis operibus) repudiat, & ſtramineam vocat, ſeu dignam quæ in rogum mox abſumenda proiiciatur. Libros Machabæorum qui orationi pro defunctis valde ſuffragantur, detraxit Caluinus Catalogo librorum ſacrorum, vt meritò illi cæteriſque huius temporis Pſeudoprophetis dicere cum Auguſt. liceat, *quid vobis faciam, quos contra teſtimonia ſcripturarum ita obſurdefecit iniquitas, vt quidquid aduerſum vos inde prolatum fuerit, non eſſe dictum ab Apoſtolo, ſed à neſcio quo ſub eius nomine ſcriptum eſſe dicere audeatis.* quo pertinet illud Hieronymi in epiſt. ad Tit. *Omnium hæreticorum iſte mos eſt quidquid contrarium ſuo dogmati videtur, vel eradere, vel etiã integra repudiare.* Indecorum viſum eſt Bezæ, hoc eſt viro ſententia ſua iudicioſiſsimo, quòd Chriſtus in templo ſolus cum muliere adultera remanſiſſe dicatur, Ioan. 8. Itaq; hiſtoriam hanc cõcluſit eſſe apocrypham, errorem ſecutus Armenorum. Scriptum eſt, Exod. 20. *Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem.* Quid faciunt Prædicantes peſsimæ fidei homines? reticent quod ſequitur, *Non adorabis neq; coles ea*, videlicet tanquam Deos more gentium, quos exhorret Dominus coram ſe, vident enim his verbis exprimi finem malum ob quem ſolum ſimilitudines illæ prohibentur, & quo locum non habente apud nos per ſe concideret calumnia, quam ſtruunt de repugnantia inter vſum imaginum noſtrarum & verbum Dei.

Lib. 3. cont. Fauſt.

Iam ſi audire libet, quomodo etiam improbis additionibus verbum illud adulterent, atq; ita ſacrilegi ſint. Apoſtoli verba ſunt, Rom. 3. *Per legem cognitio peccati*, Lutherus dictionem *ſolum* inſeruit hoc modo, *Per legem ſolum cognitio peccati.* Addit Paulus, *arbitramur hominem per fidem iuſtificari*, ſuperaddit Lutherus particulam, *ſolam* hoc pacto *arbitramur hominem per ſolam fidem iuſtificari.* Ac ne omnino nos prætereant exempla corruptelæ illius, quæ poſita eſt in ſubſtitutione vocis vnius loco alterius. ait S. Iacob. cap. 2. *Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus*, Lutherus (antequam epiſtolam hanc omnino refigeret) hunc illius locum deprauauit hoc modo, *Oſtende mihi fidem cum tuis operibus.* Scribit Apoſtolus, Rom. 3. *Omnes peccauerunt*, at legit Lutherus, *Omnes ſunt peccatores*, quæ duo valdè differunt. Ait S. Iuda, *Qui poteſt vos conſeruare ſine peccato*, legit Lutherus, *Qui poteſt vos conſeruare ſine oppugnatione.* Ait

S. Ioan-

Digitized by Google

S. Ioanes Apocal. 1. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*, at secundum Lutherum sic nos oportet legere, *non intrabit in eam aliquid commune*.

Quod ad manifestas germani sensus deprauationes, à Caluino potissimum illarum exempla petenda sunt. De Christo ait S. Petrus Actor. 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus mortis*, vult Caluinus *solutis* poni pro *persolutis* ac totius sententiæ hunc esse sensum, vocatus est Christus ad soluendum Deo Patri, quod debebat humanum genus, atque ita non mortem solum corporis, sed etiam animi angustias damnatorum proprias sustinuit, vt desperationem, & amaram opinionem de maledictione sibi ab illo inflicta. Cum potius vox *solutis* ponatur pro *dissolutis*, & sensum faciat non potuisse inferni doloribus Christum constringi, ne ad minimum quidem spatium iuxta illud Psal. 27. *Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber*. Et iuxta August. expositionem epist. 99. dicentis solutos à Christo inferni dolores, *quo modo solui possunt laquei venantium, vt non teneant non quia tenuerunt*. Et certè nihil opus fuit ad humani generis redemptionem etiam cumulatissimam, ad indignas istas pœnas peccatorum proprias descendere, cum etiam minima sanguinis effusio, aut flagellatio pretij fuerit infiniti ob dignitatẽ suppositi pariter infinitam. Ait Christus Matth. 19. *Et sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat*. Hisque verbis perspicuè laudat & commendat cœlibatum, iudicio omnium Patrum, vt eiusdem Augustini qui ait: *Vos qui virginitatem nondum vouistis, qui potestis capere capite perseuerranter currite vt comprehendatis, tollite hostias quisque suas, introite in atria Domini, non ex necessitate, sed potestatem habentes vestra voluntatis*. Et sancti Hieronymi cuius ista est sententia lib. 1. contra Iouin. *Proponit* Ἀγωνοθέτης *præmium inuitat ad cursum, tenet in manu Virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamat qui sitit veniat ad me & bibat, qui potest capere capiat*. Et tamen Caluinus sensum affert huic prorsus contrarium, & commendari vult à Christo matrimonium: *Hac clausula*, inquit, *admonet Christus minimè spernendum esse coniugij vsum, nisi cæca temeritate nos in exitium præcipites dare velimus*. Ipse vt opinor diabolus si commentarios scripsisset, non potuisset peiore spiritu & sensu, Christi sensui magis contrario verba eius interpretari. Ait Apostolus 1. Cor. 7. de vidua: *Beatior erit si sic permanserit*

In lib. de sanct. Virg. cap. 30.

secundum meum consilium. Caluini glossa est Paulum non serio sed iocosè & ironicè loqui. Verba illa: *Caiphas cum esset Pontifex anni illius prophetauit.* Semper intellexit antiquitas, quasi continentia causam cur ei datum sit prophetare, ac si dixisset Euangelista: *Caiphas quia erat Pontifex, &c.* Et certè nisi sensum hunc habeant, perperam adiecta meritò videri possunt: Biblia autem Caluiniana sic illa reddunt: *Caiphas existens Pontifex, &c.* Apostoli verba sunt Galat. 1. *Licet nos aut Angelus de cœlo euangelizet, præter quam euangelizauimus vobis anathema sit.* Haud dubiè intendebat tantum confirmare quod docuerat de abolitione legalium, & monere Galatas ne doctrinam vllo modo reciperent huic contrariam, vnde cum illa quæ continetur Apostolicis traditionibus nequaquam sit eiusmodi, nihil minus cogitauit eo in loco Paulus, quàm hasce traditiones damnare, & tamen quasi eas damnaret, ex ponitur nequiter hic locus à Philippo Mornæo Caluinista lib. 3. de Missa cap. 9.

Sacrilegi sunt ob sacrorum locorum violationem, talia voco templa nostra quæ spoliarunt, subruerunt, incenderunt. Quomodo enim sacra non erant quorum aliquibus vsi sunt Patres quinque primorum seculorum, quando sancta omnia fuisse conceditis? quomodo sacra non erant, quæ Christo solenni ritu consecrata fuerant, quæ eius vexillo radiabant, verbum & laudes resonabant, sacra effigie decorabantur, sacramenta continebant, fideles ei adscriptos recipiebant, & templum ipsum æthereum cuius lucerna agnus est, imitabantur? Respondere solent iocantes sacra illorum vasa diripuimus, ne iis corruptus Clerus abuteretur, ne vltrà seruirent superstitionibus, introducenda fuerunt in domos nostras, vt sicut Obededom ex arca, sic ex illis benedictionem consequeremur. Sed quod erat periculum ne iis Clerus abuteretur, seu illa sibi vendicaret, cum iis referta essent sacraria, nec aliquod à quoquam ablatum audiretur? in qua potestate ô Nouatores Clerum sic castigandum suscepistis? ecquis dedit vobis hanc potestatem? nulline extabant proprij eorum Iudices, à quibus si opus fuisset in eos animaduerteretur? Cum sacra nostra superstitionem appellatis, nonne pueriliter principium petitis, seu quasi certum sumitis, quod & pernegatur à nobis, & præcedenti capite ostensum est esse falsissimum? quid fiet orbi terrarum, si ad diripiendas eorum fortunas qui accusantur actoribus,

sit satis, clamores in cœlum tollere, plurima opponere, nihil probare, ad illorum responsa malignè obsurdescere? At inferenda fuerunt in ædes vestras sacra illa donaria, vt vobis sicut arca testamenti benedictionem afferrent. Sic iocabatur olim Dionysius postquam mensas argenteas de omnibus delubris abstulit, quibus inscriptum erat *bonorum Deorum*. Et AEsculapio Epidauri barbam auream demi iussit, & Ioui Olympio aureum detraxit amiculum. Iocabatur inquam dicens vti se velle bonitate illorum Deorum, & non decere barbatum esse filium, cum in omnibus fanis Pater imberbis viseretur; æstate denique graue esse aureum amiculum, hyeme frigidum. Huius quidem Athei exemplo scelera illa vestra ioco eludere, ac etiam expiare vos posse creditis. sed Deus non irridetur, parat vobis supplicia quæ esto nondum appareant, non idcircò negliguntur, compensabunt ne dubitetis grauitate tarditatem, patiens redditor Deus, omnia tandem reddet vobis. Interim execrabitur vos idem orbis terrarum, sicut olim Optatus prædones consimiles dicens. *Quid tàm sacrilegum quàm Altaria Dei frangere, radere, remouere, in quibus vota populi, & membra Christi portata sunt?* Et Victor Vticensis Proculum Arianum, qui cuncta depopulatus de pallis altaris femoralia sibi & camisias faciebat, qui tamen posteà sibi concidens linguam turpissima morte consumptus est. *In lib. cont. Parm.* *Lib. de persecut. VVand.*

Sacrilegi sunt propter contemerata effossaq; sepulchra mortuorum nostrorum, qui & Christo per baptismum consignati fuerant, & sacrosanctæ Triadis fidem perpetuo coluerant, & sanctorum Patrum vestigiis institerant, à quibus denique iniuriam nullam acceperant. Quanquam si accepissent, non idcircò ad eos pertinuisset illam vindicare, sed ad legitimam duntaxat publicamque potestatem, quæ profectò tentasset alia omnia pœnarum genera, priusquam de hoc ab omni humanitate religioneque alieno cogitasset. Propter hoc facinus abominaretur profectò vos si viueret, immò damnaret capitis Senatus ille Romanus, qui teste Cicerone pœnam grauissimam propositam esse voluit ei, *Qui bustum, monumentum, aut columnam violasset, deiecisset, aut fregisset.* Abominarentur & Turcæ si vt Iudices accerserentur, apud eos siquidem seruatur lex ista accuratissimè, *Ne quis demoliatur, effringat, aut aperiat sepulchrum alicuius Turcæ, Mauri, Iudæi, Arabis, Persæ, Gentilis, Christiani,* *Theuet. P. 6. Cosm. cap. 7.*

stiani, aut alterius cuius quam, qui secus fecerit, pœna esto mors & indignatio Principis. Vndè cum Selymus eorum Imperator expeditionem in AEgyptũ faciens Iudæam transiret, & eius milites propè vrbem Gazarensem medici cuiusdam monumentum effregissent, suspicantes thesaurum illic absconditum, eiusque vrbis factum illud ad Selymum detulissent, is statim iussit reos comprehendi, & ex illis 14. laqueo suspendi, tres alios palis suffigi, omnes sacrilegij participes magna seueritate interfici. Qui etiam Hierosolymis ingressus sacellum Christianorum, in quo monumentum extat Godefridi Bullonij cum hac inscriptione: *Hic iacet inclytus Dux Godefroy de Buillon, qui totam istam terram acquisiuit cultui Christiano, cuius anima regnat cum Christo, Amen.* Nullum lapidem suo loco mouit, quin potius & sacellum hoc & alterum multo celebrius, quod Christi sepulchrum dicitur, magna beneficentia prosecutus in eo & ipse orauit, & veterem Maiorum suorum consuetudinem renouans cauit, ne vel Christianis sacerdotibus illa custodientibus, vel monumentis Regum & Principum Christianorum, quorum illic circum circa magnus est numerus, vlla à quoquam iniuria inferretur.

Sed quia fortè impiorum more in circuitu ambulantium, ad consuetam cantilenam vestram recurretis, dicentes Catholicos illos quorum infestatis ossa fuisse dum viuerent superstitioni deditos, atque ita indignos quorum sepulchris parceretur, quo vos proripietis, si etiam sæuiisse vos ostendero in eorum corpora suis inclusa loculis, quos sanctos fuisse annuitis? Tales haud dubie habentur vestra quoque sententia S. Hilarius, S. Martinus, S. Irenæus, S. Bonauentura, S. Anianus, & S. Iulianus, quorum sanctimoniam multis ac præclaris miraculis testatam relinquere dignatus est Dominus; eorum interim sepulchra ossaque stupendo prorsus ausu illusistis, vt S. Hilarij Pictauis, S. Martini Turonis, Sanctorum Irenæi & Bonauenturæ Lugduni, S. Aniani Aureliis, S. Iuliani Cœnomanis; & alia quidem in vicinum flumen proiecistis, alia in rogum, alia in sterquilinium.

De crucifixi imagine omnium quæ fingi possunt nobilissima, & ab omnibus qui spiritu aguntur Christi, in primis veneranda quid dicam? nonne ad eam quoque sacrilegia vestra extendistis? planè, vt Basilææ quando eam ad equi caudam alligatam per

Digitized by Google

per vicos traxiſtis, & cœnoſa vrbis loca, vt ſic publicum impietatis veſtræ recentis ſpecimen ederetis, vt item Nemauſi anno 1561. vbi eandem excepiſtis verberibus, adhibitis ad barbaram hanc flagellationem quatuor fortiſsimis nebulonibus. Nempe quia ipſimet Chriſto damnum inferre non valetis, in illius ſymbola ſaltem inſurgendum creditis. Sic proci cum Penelope potiri non poſſent, conſtuprarunt illius ancillas. Sed quoniam ſacrilegia iſta veſtra ſimplicia ſunt, volo etiam duplicium exempla ponere. Noſtis niſi fortè vos ipſos ignoretis, quoties omnia depopulando, ſacras ac Deo dicatas virgines in templis ipſis ad quæ tanquam ad Aſyla confugerant, conſtupraueritis. Sacrilegium fuit eas polluere, ſacrilegium Dei domo vti vt proſtibulo, ſic vno eodemque ſcelere duplici vos contra religionem ſcelere obſtrinxiſtis.

Simoniæ nomine minus malè auditis, quia rem ſacram ſupponit, quæ pretio commutetur & transferatur. Apud vos autem nulla eiuſmodi vel rariſsima eſt, vt Baptiſmi ſubſtantia. Quotacumque porrò inueniatur, peccatum quod in ea pecuniis conferenda, vel obtinenda committitur, nihili prorſus facitis, Nullus in hoc religioni locus, nemo alteri ſcrupulũ mouet, feruet apud omnes illa Chriſti ſententia malè intellecta, *qui poteſt capere capiat.* & veritati redditur quod ſcriptum eſt, 3. Reg. 13. *Quicumque volebat implebat manum ſuam,* id eſt, implebat nũmis Ieroboami dexteram, *& fiebat ſacerdos excelſorum.* Apud vos lex nulla auditur, quæ nefarium hoc negotiationis genus amoliatur, & cum non audiatur, alia autem ex parte ad captandum quodcumque lucrum omnes inclinet cupiditas, nemo non arripit oblatas quaſlibet eius occaſiones, etiam pretio vendendi ſacra, videlicet nullius fræno legis coercitus ne feratur præceps in hoc flagitium. Nam & Lacedæmonij priuſquam à Lycurgo, & Athenienſes, priuſquam à Solone, & Thebani, priuſquam ab Epaminonda ſuas accepiſſent, in ſcelera omnia poſterius per illas interdicta prona mente ruebant.

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS,

LIBER III.

De vnitate & proprietate prima vera Religionis, & nota eiusdem 22.

CAPVT PRIMVM.

§. 1. *Declaratur in quo sita sit hac vnitas.*
2. *Et demonstratur proprietas esse vera Religionis.*
3. *Atq; in Catholica nostra manifestè se prodere.*
4. *In Mahumetana imperfectißimè.*
5. *Nullo modo in Pseudoeuangelica.*

§. 1. PRAEVIA disputatione de actibus omnibus religionis, tàm elicitis quàm præcipuis imperatis, & rursum de vitiis ei oppositis, siue quoad excessum, siue quoad defectum, sequitur vt ad illa eius accidentia gradum faciamus, quæ aut veræ illius proprietates sunt, aut habent se per modum proprietatum. Ordiemur autem ab vnitate, quæ in multiplici est differentia. Primò namque religionem possumus vnam esse dicere, quia obiectum eius remotum videlicet Deus vnum est, quæ sanè vnitatis ratio extrinseca est, valdèque impropria, sicut Deus improprium eius obiectum. Secundò, quia obiectum eius proximum

mum nempè Dei cultus, vnum eſt formaliter, cum id ſolùm ſpectet, vt in animis hominum magna de Deo exiſtimatio generetur; qui ſimiliter vnitatis modus parùm hoc loco attẽditur, cum ſit communis virtutibus ſcientiiſque omnibus. Tertiò, quia vniuſmodi eſt in omnibus qui eam profitentur, idem iuxtà Apoſtolũ ſapientibus ac dicentibus, & vno orẽ honorificantibus Deum, & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quæ vnitas cum non ſit aliud quam talium profeſſorum conſenſio, religioni quidem extrinſeca eſt, ſicut & ipſi profeſſores, meritò tamen illi adſcribitur, meritò illam vnam denominat, velut huiuſce conſenſionis materiam, in qua profectò conſentire non poſſent, & conſentiendo vni iidemque eſſe inter ſe, niſi ipſa vnum quiddam exiſteret. Accedit quod vera religio ſumma ſit ſapientia, & ſui cultores faciat ſapientes, nulla autem ſit ſapientia, vbi locum habet contradictio. Quocirca Cicero in libro de Amicitia Socratem eo nomine laudat, ſcribitque Apollinis iudicio ſapientiſsimum iudicatum, quod non tùm hoc, tùm illud, ſicut in pleriſq; vſuuenit, ſed idem dicebat ſemper. Eodem pertinet quod grauiſsimè ſcripſit S. Athanaſius: *Eſt ibi vt Patres tradiderunt veræ diſciplinæ & magiſterij argumentum, vbi eadem confitentur, nec à ſe inuicem, nec à ſenioribus diſſentiunt.* Quartò, quod præſtò ſit ei modus quidam, & præſentiſsima ratio tuendi conſenſionem eiuſmodi. Quemadmodum enim Rex, non tam dicitur Rex, quòd actu regat, quàm quod regendi ius habeat, eſto forte veterno graui correptus vitam agat deſidioſam, & Paraſitos ſuos quiduis audere ſinat pro arbitrio; ita quoque Religio non vna tantum dicitur, quod eadem ſit in mentibus omnium, idem q; omnes circa Dei cultum ſapiant & dicant, ſed etiam ac multo magis, quod hanc conformitatem in iiſdem fouere norit ac poſsit. Quintò, quod vnus aliq[illegible] in terris ſit illi præpoſitus, qui ſcilicet in omnibus ei proſpiciat, quo ſenſu familiam vocamus vnam, quod de ea tota vnus Paterfamilias curam gerat.

Rom. 15. Phil. 3.

In decret. contra Arian.

§. 2. Non tertio tantum modo vt demonſtrauimus, ſed his quoque duobus poſtremis religio vera vna ſit oportet; quarto quidem quia parum profuerit vnanimes ac vniformes ad tempus eſſe eos à quibus colitur, niſi præſto ſit ratio tuendi hanc conſen-

sionem, siue conformitatem. Qua in re stipulatore Caluino vtor cuius hæc sunt verba: *Concionetur ergo quàm prolixe volet de vnitate, vbi totus sermo profluxerit rogabo quorsum? deinde excipiam nugatorium esse quicquid de vnitate loquitur, nisi teneatur eius vinculum.* Quinto verò.

In gratul. ad prae.

Primò, quia difformitas ac dissensio circa religionem inde oritur, quod quisque arbitrio suo relinquatur, cum ergo relictus, & sui amore occæcatus, cæteris omnibus se credat antecellere (non minus quàm Athenienses, quando deuictis barbaris conuenerunt, vt viderent quis fortius depugnasset, ac præ reliquis gloria dignus videretur, & ne vnus quidem fuit inquit Plutarchus in quæst. Platonicis, qui sibi primas non arrogaret) eoque non contentus priuati iudicij sui ductum vbique sequatur, alienum despiciat, quod extruit vnus alter destruat, ita vt sibi mutuo insanire videantur, vt quondam Sylla, Pompeius, & Cæsar Augustus, quorum primus auctoritatem Tribunorum plebis abrogauit, secundus restituit, tertius iterum abrogauit: Religio autem vt procedat bene, animos requirat in eandem conspirantes sententiam, vt ex dictis liquet, hoc porrò fieri nequeat, nisi omnibus præficiatur vnus, qui ambigua ac controuersa cum auctoritate definiat, & definitione sua dissidentes adducat in concordiam, talem vnum aliquem diuino cultui, sacrisq; præpositum habeat, necesse est. Hanc ob causam apud Romanos ipsos olim penes Pontifices præcipua cura sacrorum erat, iidem sacerdotibus omnibus præerant, Auguribus, Flaminibus, Curionibus, Fecialibus, Vestalibus, Saliis, Ducibus Celerum, teste M. Tullio, & inter ipsos Pontifices vnus erat supremus, & maximus à Numa Pompilio constitutus, de quo T. Liuius libro primo: *Omnia publica priuataque sacra Pontificis scitis subiecit, vt esset quo consultum plebs veniret, ne quid diuini iuris,* negligendo scilicet patrios ritus, peregrinosq; asciscendo *turbaretur, nec cælestes modo ceremonias, sed iusta quoque funebria, placandosq; Manes vt idem Pontifex edoceret.*

In orat. pro domo sua, & lib. 2. de legib.

Secundò, quia Spiritus sanctus in scripturis sanctis compellat Ecclesiam nominibus diuersorum aggregatorum, caput vnũ sui generis habẽtium, vt regni Luc. 2. Matth. 24. & familiæ Matth. 13. & gregis Ioan. 21. & exercitus, Cant. 6. quod nunquam faceret nisi

Digitized by Google

nisi in Ecclesia consurgente ex mortalibus vnum quoque mortalem hominem cæteris omnibus præponi debere intelligeret. quod cum nõ fiat nisi religionis gratia, vt videlicet sub vno eiusmodi capite (cuius vt Moysis præcipuum ac proprium munus est intendere iis quæ sunt ad Deum) rectè se habeat per omnia, concludendum est religionem vt bellè procedat hanc sibi capitis vnitatem suo iure vendicare.

Tertiò, quia si homo vnus nobis similis non esset religioni præficiendus maximè id contingeret, vel quod non posit ei in omnem diffusæ locum sufficienter attendere ac prouidere, vel quod legibus quas tulit, satis eam Christus dirigat, nec Collega vllo indigeat, vel quod Apostolorum omnium par ius fuisse videatur disponendi de iis quæ ad religionem pertinent. At nihil horum necessariò id concludit. Non primum, quia præpositum illum vniuersalẽ nolumus per se statuere & exequi omnia, quod fatemur illi esse impossibile, cum vbiq; non sit, Magistratum autem præsentem esse oporteat, vt minuta multa constituat, & tam hæc quàm illa quæ grauioris momenti sunt executioni mandari curet: sed surrogatos habere plurimos, qui suis in Prouinciis in opus deduci & obseruari curent, quæ ipse in specula constitutus ad maiorem Dei gloriam, & priuatarum Ecclesiarum conformitatem seruanda præscripserit. Quomodo Religioni toti consulere quisquis impossibile dixerit, neget pariter necesse est, posse principatum vnum etiam angustum à Principe vno gubernari. Non item secundum, tum quia simili argumento conficerem, neminem toti Ecclesiæ sub Christo præfici seu religionis, seu fidei, seu disciplinæ Ecclesiasticæ, seu alterrius cuiuscunq; rei gratia; & tamen idem Christus in ea vniuersim vnum aliquem sibi surrogari voluit, aliâs nec dixisset, Matth. 13. seruum vnum fidelem ac prudentem à Domino constitutum super eius familiam, vt det filiis, seu domesticis in tempore tritici mensuram, nec indefinitè ad Petrum, Ioan. 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Immò sequeretur neminem prorsus ne in exiguo quidem populo debere præter eum, & sub eo præfecturam vllam gerere, sed posse satis priuatum quemuis in religionis negotio ab illo dirigi, vel si sub eo præfici debuerunt Ministri plures discretis cœtibus fidelium, cur non etiam Ministris ipsis immediatè circa populum

versantibus eminentiores aliqui, & his adhuc alij quousq; ad primum vnum veniatur? Nonne Ministri illi directione indigent, sicut & populus, & grauissimè inter se iurgari possunt, & discrepare moribus, ac ratione colendi Deum abundante quolibet in sensu suo? Legas non paucas tulit Christus Dominus, sed præcipua tantum continentes capita diuini cultus, quæ minora sunt dispositioni reliquit Ecclesiæ. hinc illud Apostoli, 1. Corinth. 11. *Cum venero cætera disponam.* Immò quod ad capita illa, indefinitè ea proposuit, exempli causa, non determinauit, in qua ætate baptisma esset suscipiendum, quomodo communicandum ac ieiunandum, quomodo & quot festa colenda, &c. Ita fit vt horum etiam ratione habita par ac necesse fuerit, vt summum vnum in terris vicarium sibi sufficeret, eoque interposito in specie mentem nobis suam interpretaretur. Porrò cum hic vniuersalis eius Vicarius, eius se seruum profiteatur tanto indignum ministerio, cum ei rationem acceptæ villicationis reddendam non dubitet, cum eiusdem se misericordia indigere sentiat, cum nihil aduersus edicta quæ tulit statuere se posse intelligat, cum vbiq; directionem ab eo petat, cum omnem qua præditus est potestatem ei vni acceptam ferat, & sicut illi 24. seniores coronam ei suam substernat & dicat, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem*, quid timendum est, ne illius obscuret principatum? planè qui hoc metuunt nimis ridiculi sunt, ibique trepidant timore, vbi non est timor, cum potius existimandum sit in Dei gloriam non vulgarem cedere, quod ei subiectum se ille fateatur ac prædicet, qui in terris iura dicit omnibus etiam Imperatoribus.

Apoc.6.

Quartò, quia Religio particularem iustitiam dignitate antecellit, atqui ad hanc iustitiam optimè administrandam consultissimum iudicant sapientes ad caput vnum omnia reuocari, ob idq; Monarchiam cæteris regiminis speciebus longè anteponũt, vt Aristoteles, Plato, & alij complures de quibus in Thalia sua Herodotus, nec mirum cum gubernatio illa non possit non esse omnium præstantissima, quæ similis est ei qua Deus in creaturis regendis vtitur, & anima in mouendis membris corporis: hæc autem Monarchica est, quia & Deus in mundo, & animus in corpore vnicus est medio capite omnibus eius partibus motum sen-

Digitized by Google

ſumq́; tribuens, nec tamen idcircò ipſi Deo ſubeſſe deſinat. vnde Auguſtinus, *in homine ſic ordinata ſunt omnia, vt quod eſt præcipuum, hoc imperet cæteris non reluctantibus, quæ ſunt nobis beſtiisq́; communia, atq; idipſum quod excellit in homine, id eſt mens, & ratio ſubiiciatur potiori quod eſt ipſa veritas vnigenitus filius Dei.* Ne ipſæ quidem Ariſtocratiæ & Democratiæ omnino carere poſſunt vno capite. ſed nunc Regulos habent vt Lacedæmonij, nunc Duces vt Veneti, nunc vrbium Præfectos vt Heluetij. Experta diceret Roma ſi interrogaretur, quantum diſtent æra lupinis, quippè ab initio monarchia vtens, id eſt, ſub Regibus incrementa accepit, ſummumq́; faſtigium attigit, ſpatio annorum plus minus 240. poſt quod ad Ariſtocratiam deficiens multò minus floruit, & ſi quid præclarè egit, medio aliquo Conſule qui Regem adumbrabat id præſtitit. Cum autem ad Democraticum ſtatum ſeſe abiecit, tandemq́; ſecum ageretur Tribunis plebis cum ſuo trium viratu rem peſsimè adminiſtrantibus ad Monarchiam ſub Cæſaribus rediit anno vrbis conditæ 722. ab exactis verò Regibus 480. multò ergo magis ſentiendum eſt vt Religionis res fœlicem curſum teneat (in qua peccatur longè pernicioſius) debere Antiſtitem vnum ei toti præfici, quod erat demonſtrandum.

Lib. 1. de ſerm. Dom. in monte cap. 2.

Quintò, nihil tam enucleatè à Chriſto vel legiſlatore alio circa Religionem præſcribi potuit, quod non ſit difficultatibus variis, ac improborum ſaltem hominũ cauillis obnoxium, ad quæ diſſoluenda, liteſque componendas oportunum aliquem modũ ad manum oportet eſſe. Item quemadmodum pro temporali Reipublicæ bono comitia, ſic religionis cauſa Synodos aliquas neceſſe eſt celebrari. Iam verò neutrum præſtari commodè perfecteque poteſt abſque vnitate capitis. Quis enim ſi deſit, inferiores Antiſtites potentia pares conuocabit? quis ad conueniendum obligabit? quis locum tempuſque determinabit? quis rem conſultatione tanta dignam eſſe definiet? Temporalium Principum, tam parum eſt iſtis auctoritate propria ſeſe immiſcere, quàm Oziæ Regis ſacrificare, minus adhuc populi præcipuas cogitationes ſuas transferentis ad incudem, ſtiuam, trullam cæmentariam, ad limam, picem, & rem familiarem. Eccleſiaſticorũ duntaxat negotium eſt, vt honeſtè omnia, & ſecundum ordinem fiant in nobis, vt ſcilicet.

Quod

Quod Medicorum est Medici, tractent fabrilia fabri.

Verum de his ipsis acephalis Ecclesiasticis interrogo, quomodo per ipsos semper cum opus est, efficaciter indici ac celebrari Synodus posit. Si de loco ac tempore vix conuenire solent, qui eiusdem sunt prouinciæ, quanta occursura est difficultas, quando omnes in vnum coire ex omnibus orbis partibus, ad ea definienda quæ vt vniuersos tangant, sed ab vniuersis approbanda sunt, oportebit? neque enim facilè persuasurus aliquis est Gallis, vt in Hispania conueniant, Hispanis vt in Gallia; Scotis vt in Anglia, Anglis vt in Scotia, Lusitanis vt in Castillia, Castillianis vt in Lusitania, Hungaris vt in Germania, Germanis vt in Hungaria, Polonis vt in Bohemia, Bohemis vt in Polonia, Europæis siue occiduis vt in Asia, Asiaticis vt in Europa. Sed faciamus conuenisse, vel numero erunt pari vel impari; quid fiet si pars præcisè media faciendum aliquid sentiat pars altera non faciendum? vtique tota Synodus hærebit in æquilibrio. Si impari, habebit quidem vulgò quæstio faciliorem exitum, si suffragia spectentur plura numero, at non semper. Quid enim si in hoc ipso sit dissensio, debeantne qui ad dicendum sedent, numero esse pari vel impari? quid si ex impari moriatur vnus eo tempore, quo graue negotium moram non ferens agitatur, & non occurrat dignus, seu idoneus qui substituatur, vel si occurrat paria sint suffragia approbantium illum & reprobantium? Conferetur inquiens in vnum aliquem aliquem ius duplicis suffragij, verum semper occurrit difficultas, quid si in eo assignando, aut sorte explorando non consentiant, sed æquiualeat pars consentiens dissentienti? Deinde quid aliud est vni ius esse duorum suffragiorum, quàm vnum omnibus supereminere? Dices hi casus Metaphysici sunt, & vix aliquando solent occurrere. Rari sunt fateor, haud quaquam tamen impossibiles, decet autem religionem veram sic esse constitutam, vt remedia parata habeat, quibuscunque euentibus opportuna. Quod si è contra vnus sit Pontifex (appelletur quo voles nomine) sacris omnibus tum rebus tum personis præpositus salua erunt omnia & difficultatibus illis omnibus præcludetur via. Quicumque numerus sit par vel impar

id

id decreuit quod libratis ſententiis, à Spiritu ſancto in re tanti non defuturo ſtatuendum accipiet, defectum ſupplebit abſentium, ægrotantium, morientium, obſcura illuſtrabit, peruicacibus ſilentium imponet.

Sextò ac poſtremò, quia in Religionem peccant plurimi, quos vtique puniri oportet ac redargui, vt illorum pœna cæterorum cautela ſit atque correctio, ne alias ſileſcat ipſa tandem, & contempta iaceat. Iuſtitia porrò vindicatiua ſuperiorem poſtulat, & quidem ſuperiorem prouinciis variis eandem religionem veram complectentibus. Quid enim ſi prouincia vna, in parte aliqua diuini cultus rectè ſe verſari ſentiat, peccet interim grauiter iudicio alterius? palàm eſt in eo euentu opus eſſe Iudice, qui neutri ſit alligatus, ſed per iuriſdictionem ſpectet ad vtramque, nec valeat ſolum in ream illam animaduertere, vbi de peccato conſtiterit, ſed etiam in quælibet eius dogmata ritusque iuquirere.

Sed enim quærat aliquis cur Deus noluit in temporalibus vnum præpoſitum eſſe omnibus, voluit autem in ſpiritualibus? Reſpondeo id factum tribus de cauſis.

Prima, quia in ſpiritualibus eadem omnium debet eſſe ratio quoad eſſentialia, ſicut ſcriptum eſt, *vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma, & omnes idem ſapiant & dicāt, & non ſint in vobis ſchiſmata,* quoad temporalia autem nulla talis conformitas inuenitur præcepta.

Secunda, quia homines in ſpiritualibus reguntur præcipuè ſecundum conſcientiam, quæ eadem eſt in omnibus, & per ſe mouere poteſt omnes ad officij ſui rationem. In temporalibus non ſpectatur conſcientia, ſed opus externum, nec ita ſpontaneè res geritur, ſed pœnæ metu temporalis, ita vt inuigilare ſingulis multo magis ſit opus, nec ſatis videatur vnus idemque poſſe quantum ſatis eſt ſubiectis ſibi Magiſtratibus attendere.

Tertia quia legum ad religionem ſpectantium omnes ſunt capaces; non ſic temporalium. pendent ſiquidem à conditione, & circumſtantiis loci, temporis, & perſonarum, itemque à vitæ commoditatibus, quales eædem vbique non ſunt.

Produnt ſe clariſsimè in religione Catholica tres iſtæ vnitatis ſpecies. §. 3.

Quod namque ad confeſsionem actualem, nihil eſſentiale diuino cultui mihi oſtenderis, ſed ne quidem grauioris momenti, in quo ab inuicem diſcedant Catholici. Eundem Deum colunt omnes, in eſſentia vnum in perſonis trinum, omnes eaſdem ſcripturas ſacras recipiunt nobis de cœlo tranſmiſſas, vt nos deducerent, non ad Dei ſolum, ſed magna etiam ex parte ad ſeruitutis illius notitiam, quam à nobis ſuo iure requirit. Eandem ſcripturam diuinam eodem modo interpretantur. Idem de numero, inſtitutione virtuteque Sacramentorum ſentiunt, idem de poteſtate Eccleſiæ circa ordinationem diuini cultus, idem de oratione, deuotione, adoratione, ſacrificio, voto, & aliis religionis actibus; idem de fidei dogmatibus, idem de cœlibatu, de abſtinentia delectuque ciborum, de Chriſti conſiliis, de vita regulari. Vel ſi aliquando contingat in horum quopiam, v. g. in fidei dogmatibus vnum ab altero diſsidere, id fit per accidens, credente eo qui errat, loqui ſe congruenter decretis Eccleſiæ, cum tamen ſecus faciat. Argumento eſt, quia ſi quis eum percontetur credatne de fide eſſe, vel ad religionem pertinere, vel conducere ad diuinum obſequium, quicquid Romana Eccleſia eſſe, pertinere, ac conducere decernit; non eſſe autem, nec pertinere, nec conducere quod ſecus, mox annuet; quod cum reliqui omnes faciant, manifeſtum eſt reipſa omnes in vno, quaſi tertio conuenire, idem ſapere & dicere, nec opinionibus, vel moribus vllis contrariis grauiore aliqua in re diſcindi, niſi fortè materialiter, cui quidem opinioni materiali formalis ſemper derogat, Siquidem ſenſus illius qui contra cæteros, vel etiam contra eandem Romanam ſedem, quippiam ſibi perſuadet, conditionem ſeu reſtrictionem virtute continet hoc modo. Iſtud credo vel facio, quia verum mihi videtur aut faciendum, & alia ex parte fidei non repugnat, nec moribus Romanæ Eccleſiæ, quantum autumo. Si namque repugnaret, mihique id innoteſceret, vellem protinus ab hac priuata mea ſententia velut ab errore, & ab iſto meo more velut à ſuperſtitione ad illius tranſire ſententiam & morem, quam probè compertum habeo columnam eſſe, firmamentumq; veritatis.

Aſſen-

Assentior vicissim eos interdum in rebus minoris pretij à se mutuo discrepare. huiusmodi sunt priuata festa ac ieiunia, habitus Regularium, Regulæ eorundem essentiis votorum trium superadditæ, leuiores quædam cæremoniæ circa cantum, funera, processiones, &c. in quibus discrepare parum est, sicut ipsæ paruæ sunt, ob idque minimè attendendum. Hæc sunt in quibus cœtui cuiuis concedit Apostolus abundare in sensu suo, Roman. 14. Prætor ipse de minimis non curat, & sensus iuxta Opticos non attendit, nec percipit minimas differentias. In minutis certè difficile est, ne dicam impossibile nullum prorsus interuenire discrimen, ob idque vt summi iuris, ita summæ esset iniuriæ omnes ad eandem omnino normam reuocare. Separari homines ab inuicem natura ipsa voluit ingenio, indole, doctrina, moribus, forma, colore, temperamento, & priuatis aliis qualitatibus, satisque esse, quod in essentia ipsa, siue humanitate consentiant. Admiscentur in Musica etiam ex composito dissonantiæ quædam leuiores, à quibus gratior sit transitus ad consonantias, & obsoniorum egregij Artifices condimentis nonnihil austeri admiscent, quo dulcedinis tollant satietatem. Audi quid de hoc argumento scribat Augustinus, *mater mea*, inquit, *Mediolanum me secuta inuenit Ecclesiam Sabbatho non ieiunantem, cœpit fluctuare quid ageret; tum ego consului ea de re beatissimum Ambrosium Episcopum, qui mihi dixit cum Romam venio Sabbatho ieiuno, cum Mediolani sum non ieiuno, sic & tu ad quamcunque de Ecclesia veneris eius morem serua.* Supponit planè ista Ambrosij responsio, in ipsa Religionis materia leuiculas nonnúquam differentias habere locum, à quibus non sit recedendum. Idem certiores nos facit antè sua tempora occidentalem Ecclesiam non fuisse cantus publicos vsurpare solitam, cum tamen id in more haberet orientalis. Agnoscunt ipsimet Caluinistæ differentias illas minores nec vertendas vitio, nec repudiandas, quasi contrarias vnitati, quam religio vera postulat Christiq; Ecclesia. Sic enim loquuntur in prima Synodo sua Parisiensi, *Ecclesiæ quibus in more est diebus cœnæ, & singulis Dominicis post confessionem peccatorum, absolutionem eorum indicere, ab eo recedere non tenebuntur: veruntamen vbi mos ille nondum est receptus, suadet Synodus ne introducatur*

In epist. ad Casul. & in Confess.

Lib. 9. Confess. c. 7.

catur propter incommoda, quæ inde leui negotio sequerentur, Et in artic. 24. *In qualibet Ecclesia formula quædam erit accommodata circumstantiis tam Loci quam temporis.* Addo has ipsas differentias omnibus consulere, quippè omnes æquè facti non sunt ad omnia, conferre insuper ad decus illud Ecclesiæ, de quo Psalm. 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.*

Ex his non obscurè liquet, quàm pueri sint Aduersarij, dum se demonstrare posse credunt Catholicos Regulares non conspirare in vnam eandemque Religionem, quod diuersarum se esse profiteantur, & alij quidem ducem sequantur Benedictum, alij Antonium, Franciscum, aut Dominicum. Sicut enim multi sunt nobis Patres, Coloss. 3. Nec tamen id obstat quo minus simul sit vnicus, Matth. 23. Quia Patris nomen eodem modo vtrobique sumitur, sed ibi pro eo qui animam ipsam creauit, & materiam corporis à principio, & corpus in vtero compegit, & eandem illi copulauit, & in dies subministrat nobis ad vitam necessaria, & his longè maiora si boni fuerimus, in cœlo parat, ac proinde multo potius, & magis propriè, ac sublimioribus titulis Patris meretur nomen, nec minus obscurat similem in aliis appellationem, quàm solis splendor radios minorum syderum: Ita longè apud Catholicos sonat Religio cum vnicam se dicunt colere, quàm cum multas constituere ac profiteri. Vnica illis est sumpta pro virtute, quæ diuinum sibi cultum præfigit, & eos omnes ad illum Deo deferendum inclinat. Multiplex autem sumpta pro diuersis familiis peculiare studium diuersarum virtutum, atque etiam huius ipsius qua de agimus profitentibus, & in hac professione vtcunque diuersum modum obseruantibus, cæterùm essentialia omnia prorsus eadem. In substantiali nuncupatione trium votorum conueniunt, propriis altaribus sic affixi non sunt, vt aliena respuant, summo Pontifici subsunt vniuersi, ab Ordinariis, siue Episcopis ordinantur, & in sacris cum vniuerso populo communicant.

Hanc calumniam magis adhuc ex illa alia perspicies Lector, qua dicuntur iidem Regulares in rebus de fide grauissimis digladiari,

Digitized by Google

diari,ac vix vnquam vni eidemque ſententiæ ſubſcribere. Equidem diuerſas nonnunquam in Philoſophicis amplectuntur, rurſuſque in Theologicis quę nondũ ſunt ab Eccleſia definitæ;quod quidem ſuo etiam tempore contigiſſe teſtis eſt Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum. In ipſo Eccleſiaſte legimus, *mundum tradidit diſputationi eorum*, paulò antè dixerat, *hanc peßimam*, id eſt,operoſiſsimam,*occupationem dedit Deus filiis hominum vt occuparentur in ea.* At enim ſi iam definitæ ſint quaſi ad fidem pertinentes, retractant opiniones ſuas qui antea ſecus ſenſerunt, ori ſuo in poſterum digitum ſuperponunt, planeq́ue falſum eſt eos vltrà in iis diſſentire. Sicut etiam abeſt à vero procul concertationes claſsicas ex dubitatione de fidei rebus proficiſci, cum potius inſtituantur veritatis ſolius elucidandæ gratia iuxta illud Auguſt.lib.16.de ciuit.cap.2. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia dum hæreſum callida inquietudine exagitantur, conſiderantur diligentius, intelliguntur clarius, inſtantius prædicantur,& ab aduerſario mota quæſtio diſcendi eſt occaſio.* Eccleſ. cap. 3. & 1.

Sed neque eos deficit præſentiſsima conſenſionis huius fouendæ ratio, nec caput vnum viſibile aduigilans, vt Deus eo modo quo par eſt vbique colatur;demonſtremus hoc primùm,illud autem poſteà.

Habent ſub Chriſto Domino Romanum Pontificem, vt Eccleſię ſic Religioni toti ab eodem interpoſita Cleri electione præpoſitum, cuius & Eccleſiæ decretis in ſacris omnibus ad Dei cultum pertinentibus morem gerunt, cuius item auctoritate ad miniſteria ſacra prouehuntur, ad ſynodos generales vbi & quando ei viſum fuerit conuocantur, quæ dubia erãt aut videri poterant elucubrantur,atq; vt verbo dicam cætera omnia analogia & proportione fiunt, quæ à Monarchis ſecularibus in rebus Monarchis ſecularibus in rebus Monarchiæ bonum reſpicientibus fieri conſueuerunt. Ne autem ſuſpiceris infirmis eos argumentis permoueri, ad illa eius mandata cum religionis negotium agitur exequenda,& quæ decreuerit cum ſuis Aſſeſſoribus recipienda.

Indubia fide credunt B. Petrum Romanam rexiſſe Eccleſiam, ibique martyrio diem clauſiſſe extremum, quod etiam grauiſsimo teſtimonio ſuo confirmatum reliquit his verbis prima Nicæna ſynodus: *Prima ſedes cœleſti beneficio Romana eſt Eccleſia,quam beatiſſimi Petrus & Paulus martyrio dedicarunt.* Et:*Romana Eccleſia Euangelica*

Domini voce & Saluatoris nostri primatum obtinet, vbi dicit, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nec inficiari id quisque potest nisi qui fronte caret, pariterque abnuere audeat Romæ fuisse,& occubuisse Cæsarem cum monimenta, & scriptores longe plures, fide etiam digniores id de illo quàm de isto demonstrent.

Credunt præterea eundem B. Petrum toti religionis negotio ab eodem Christo præpositum, partim quia præponi aliquem oportuit, vt suprà euicimus; nemo autem præter illum, vel præ illo assumptus videri potest; partim quia prima, propria, potissimaque Ecclesiæ cura & professio est Deum, vt par est colere, quo fit vt qui ab eo constitutus est totius rector Ecclesiæ, non possit ex consequenti non videri religionis totius curam ac præfecturam ab eodem accepisse. Petrus autem est inquiunt, quem rectorem suæ totius creauit Ecclesiæ, tùm quia creari aliquem decuit, vt ipsa perfectè regnorum more regeretur, Petro autem si cui alteri hanc prouinciam constat obtigisse, tùm quia clarissimè id docent verba illa: *Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. Ecclesia haud dubiè non solùm ædificio comparatur, sed etiam humano corpori Col. 1. cum ergo quod est in corpore caput, hoc sit in ædificio lapis supra quem fundatur & contra, sanè Christus eligens Petrum in lapidem, supra quem Ecclesiam suam fundari voluit, ex consequẽti elegit eum in caput eiusdem. Et sicut non est absurdum, fundamẽtum duplex esse ædificij, primum quidem terram ipsam prorsus immobilem, & portantem omnia, deinde lapidem illum primum, sic non est alienum duplex caput esse mystici corporis, superius vnum inferius alterum, vt patet in regno AEgypti in quo sub Pharaone vnus Ioseph omnibus præficiebatur, & leges dabat. Eandem vim habent illa alia. Luc. 22. *Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et Ioan. 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos.* Quid clarius, vt ostendatur cura ei commissa fuisse omnium, à quo omnes confirmari debeant cum fluctuant, eius proinde decretis stare, & ab illo pasci? profectò quisquis superbit, seq; illi non vult subiectum agnoscere, satis ostendit nec agnum nec ouem se esse Christi. Ita quoque censuerunt omnes sancti Patres, inter alios sanctus Cyprianus, sic quippe loquitur: *Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & vna Cathedra monstretur.*

De tract. de simpl. præl.

Digitized by Google

ſtretur. Ipſemet Caluinus lib.4.Inſt.cap.6.num.7.& 8.conſiderans Petrum vbique loqui primum, eaque facere vt ex Actis liquet Apoſtolorum, quæ præpoſiti ſunt propria, illum fatetur in Eccleſia geſsiſſe præfecturam, quam tamen à Collegis ſuis Apoſtolis non à Chriſto acceperit; quaſi verò id non ſit adductis ſcripturis manifeſtè contrarium, aut meritò videri poſsint Apoſtoli, tàm imprudentes fuiſſe ac temerarij, vt præter Chriſtum contra Chriſti voluntatem alicui alteri capiti Eccleſiam ſubiicerent; & Petrus vſque eo ambitioni deditus, vt inſignem præfecturam illam ſibi oblatam de alterius, quàm Chriſti manu admitteret.

Hæc cum ita ſint, & conſtet Anteceſſorum poteſtates ac priuilegia ad ſucceſſores tranſire, vt ſicut in onere, ſic in honore ſuccedant, vident primùm debuiſſe aliquem Petro in eadem Religionis præfectura ſuccedere, & huic alium, huic rurſus alium & ſic deinceps, idque diuina ordinatione attingente à fine vſque ad finem fortiter, & diſponente omnia ſuauiter. Quæ profectò ſapiens ſuauiſque diſpoſitio adſcribi Chriſto non deberet, ſi non prouidiſſet, vt poſt Petrum alij quidam ſucceſsiuè clauum totius tenerent Eccleſiæ, cum poſterioribus temporibus acceptura fuerit Eccleſia, reipſaque acceperit incrementa maxima, ob idque obnoxia facta ſit pluribus difficultatibus, quæſtionibus, controuerſiis & cauſis moderatore ac Iudice vno ſupremo indigentibus, quàm in prima ætate ſua exiſteret. Vident ſecundò hos legitimos Petri ſucceſſores non eſſe alios quàm Romanos Pontifices, quibus ſe ſubiiciunt. Nam cum Epiſcopatum Romæ Petrus geſſerit, immò obierit, vt probauimus, & inficiari Caluinus non audet ob teſtium multitudinem lib.4.Inſt. cap.6.5.13. Et profitetur Iuſtinianus Imperator C.de ſancta Trin. in principio ſic ſcribens: *Cunctos populos quos Clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari, quam D.Petrum tradidiſſe Romanis fides hucuſq; ab ipſo inſinuata declarat, quamq; Pontificem Damaſum ſequi claret.* Et Velenus Lutheranus qui primus contrarium ſomniauit, dicere non poſſit quo alio in loco obierit, nec validum aliquid proferat in ſomnij ſui confirmationem, ſed mera auctore nequitia ad cauſationem hanc confugiat, vexandi tantum aduerſarij gratia excogitatam, *Cum nihil aliud ſuperſit quo incommodemus Romano Pōtifici, dicamus, quod nihil habuerit Petrus præ ſociis; ſi hoc non ſuccedit, aſſeramus primatum ei*

qui-

quidem concessum sed soli, ad successores nullo modo transituram: si neq; hoc iuuat contendamus quod nunquam sit Romæ versatus; tandem si hoc quoq; infirmum videtur, fidenter pronuntiemus illum sub vitæ exitum Roma relicta alio commigrasse, & sic alio è loco transiisse ad superos. Cum inquam Petrus Romæ ad extremum vsque diem functus sit Episcopi munere, & ibidem Romani Pontifices ex eo tempore hucusque illud idem exercuerint, aliud suspicari non possunt, quàm verissimos illius esse successores. Confirmat hoc ipsum Ecclesia, tàm Latina, quàm Græca in Florentino Concilio his verbis: *Diffinimus sanctam Apostolicam sedem, & Romanum Pontificem successorem esse B Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusq; Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernãdi vniuersalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam fuisse.* Confirmant item suffragio suo viri sanctissimi, vt S. Leo & S. Bernardus, ex quibus primus sic loquitur in festo Apostolorum Petri & Pauli: *His itaque modis dilectissimi, rationabili obsequio celebratur hodierna festiuitas, vt in persona humilitatis meæ, ille intelligatur, ille honoretur, in quo & Pastorum sollicitudo, cum commendatarum sibi ouium custodia perseuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Alter vero lib. 2. de consid. *Iste est Petrus primus Romanæ Ecclesiæ Episcopus, qui proinde iurisdictionem suam omnem in successores suos Romanos Pontifices transfert.* Hinc est quod quouis seculo definiendarum controuersiarum de religione & fide gratia, recursum fit ad Romanum Antistitem, qui pro tempore sedebat, velut ad Petrũ ipsum confirmaturum fratres suos, & ius dicturum omnibus. Sic Cyprianus epist. 67. suo & Galliæ Episcoporum nomine vehementer rogat vrgetque Stephanum Papam, vt Martialem deponat Arelatensem Episcopum, Nouatianorum labe infectum, eique substituat orthodoxum. Sic S. Chrysostomus iniustè à Theophilo depositus apud Innocentium, Romanum item Episcopum vehementer expostulauit, & narrata hominis petulantia conclusit in hunc modum: *Hæc ergo cuncta cogitantes quod est partium vestrarum munus studium vestrum, & operam ac diligentiam quæso inferre dignemini.* Sic S. Athanasius in epist. ad Marcum: *Optamus vt à vestræ sanctæ sedis auctoritate, quæ est caput & mater omnium Ecclesiarum, ea ad correctionem & recreationem fidelium orthodoxorum percipere per præsentes legatos mereamur, quatenus vestra fulti auctoritate, vestrisq; precibus roborati,*

illæsi

illæsi à memoratis æmulis sanæ Dei Ecclesiæ & nostris euadere, nobisq; commissos eruere valeamus. Vident tertiò par esse, vt tota Petri auctoritas in tractandis quæ religionis sunt, ad hos eius successores, Romanos inquam Pontifices transfusa fuisse videatur, aliàs quid opus fuisset successores ei assignare, si sortituri non erant eandem quam ille potestatem, Ecclesiæ bono in futuris seculis æquè vt dixi necessariam, immò etiam magis? Sortiti sunt profectò idque luculenter docet supra S. Bernardus sic alloquens Eugenium Pontificem: *Age indagemus adhuc diligentius quis sis, quam geras videlicet pro tempore personam in Ecclesia Dei? quis es? sacerdos magnus, summus Pontifex, tu Princeps Episcoporum, tu hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus.* Ex quibus perspicuè liquet, nec me nec alios qui primatum propugnant Romani Pontificis, pecunia conductos id facere, vt perfricta fronte calumniari solent aduersarij, absit, absit, sed mera impulsos veritate. Vident denique, quòd tametsi possint in rigore iuris per se controuersias de fide componere, & quæ ad certam dispositionem diuini cultus faciunt, præscribere, non tamen id faciant, sed pro sua modestia grauissimis quibusq; in rebus synodos indicant, aut saltem ordinariorum Assessorum suorum vtantur consilio. Vnde sic argumentantur fideles iis suppositi. si non essent detrectanda eorum decreta, esto per se solos ea conderent, cum nefas sit dubitare diuinam prouidentiam iis singulariter assistere in fauorem Ecclesiam ne errent, & toti populo perperam aliquid præscribant (quæ etiam obstitit in fauorem populi sui Israël, ne ei maledicere posset Balaam, Num. 22. 23. 24. & in fauorem Abraham ne Saram vxorem eius tangeret Abimelech) idque satis constare possit ex magna illa multiplicique promissione iis facta in persona Petri, vt Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcumq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis.* Et Luc. 22. *Oraui pro te Petre, vt non deficiat fides tua.* Quanto iam minus infringi debent, quando cum illorum iudicio concurrit Ecclesiæ totius à synodis repræsentatæ iudicium? quis nostrum nescit inuiolabilem prorsus esse debere auctoritatem definitionemque Ecclesiæ, cui Dominus ipse sub anathemate parendum præcepit Matth. 18. *Genes. 20.*

 & pe-

& perennem Spiritus sancti afflatum promisit, Ioan. 14. & 16. *Paracletus Spiritus.* Et infrà: *Docebit vos omnia.* Et: *Docebit vos omnem veritatem.* Quam item Apostolus columnam vocat firmamentumque veritatis, 1. Timoth. 3. Cui rursus obedire est ipsismet scripturis sacris morem gerere iuxta illud sancti Augustini lib. 1. contra Crescon. cap. 33. *Scripturarum etiam in hac re à nobis tenetur veritas, cum id facimus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas.* De qua item scribit Doctor idem clarissimus: *Hoc habet auctoritas matris Ecclesiæ, hoc fundatus veritatis, obtinet canon, contra hoc robur, contra hunc inexpugnabilem murum quisquis arietat, confringitur.*

Serm. 14. de Verbis Apost.

Perspicis non dubito ex his lector, non modo apud Catholicos vnum esse summum Antistitem, qui præcipuo quodam iure religionis curam exercet ac sustinet; sed etiam summam eius auctoritatem à Christo acceptam, cui nefas sit repugnare, in confesso esse apud omnes. Quæ sanè fides & apprehensio facit, vt eo audito dissidia sua componant dicto citius, & inter se tàm in dogmatibus quàm in moribus egregiè consentiant.

§. 4. A Mahumetismo contrà procul sunt hæ omnes vnitates. Nam quod ad consensionem in religione, exigua est inter Turcas, Persas, Mauros & Tartaros, quia supponit consensionem in dogmatibus: in his autem grauissimè dissident alij ab aliis præsertim Turcæ à Persis. Namque Homærin & Haly duo Alcorani fuere interpretes Mahumete paulò recentiores, vsque eo autem à se mutuo alieni, vt quicquid fermè negat vnus, constantissimè ab altero asseratur. Porrò illum Turcæ hunc Persæ incredibili Zelo sequuntur. Ita fit vt hi duo populi assiduè mutuis flagrent odiis, & alter alterius interpretem angue peius abominetur. Sed quid si in vna eademque Mahumetismi parte, puta in Turcismo dissidia grauissima quoad fidem religionemque regnare ostendero? Scinditur is certè in Sectas quatuor, quarum prima est Metiquésium in Africa, Arabia & Damasco. Secunda Asaphrianorum in Armenia. Tertia Alamberorum in Alexandria & Syria. Quarta denique Buaniforum in Asia minore & Græcia. Quid rursus si in eodem Religiosi ipsi damnent se mutuo erroris & superstitionis? Si Richerium legas lib. 2. de Turc. morib. inuenies eorum 4. esse genera

Bellefor. tom. 2. lib. 6. cap. 12. & 13. & lib. 4. c. 21.

Digitized by Google

genera, primum dicentium neminem vnquam niſi admiſſa obſeruataque Mahumetis lege ſaluatum iri. Alterum Deruiſorum ex aduerſo contendentium, Alcorani legem nihil prodeſſe, ſed ſolam Dei voluntatem. Tertium eorum qui Czofilar, id eſt, contemplantes appellantur, qualibus perſuaſiſsimum eſt quemlibet mortalium ſuis ſaluandum meritis, eſto legem nullam obſeruet, nec interueniat diuina gratia. Poſtremi ſunt qui Horize nominantur, & religiones omnes æquè bonas eſſe docent, nec quicquam referre ad ſalutem, quam quiſq; probet ac ſequatur. Concludam paucis cum Septemcaſtrenſi, cap. 20. *Tanta eſt inter eos diuerſitas opinionum, & diuiſio animorum, & peruerſitas voluntatum, vt nulli poſsit eſſe dubium quin hæc Secta non à Deo, ſed à diabolo habuerit initium.* Et infrà: *De lege eorum, de Alcorano, de Mahumete, tanta eſt inter eos diſcrepantia dicendorum, & narrationis diuerſitas, vt ſi centum ex illis de huiuſmodi interrogati fuerint, nullus eorum reſpondebit ad propoſitum alterius.*

Diſsidet ipſe Mahumetes à ſeipſo turpiſsimè ac ſæpiſsimè. Exemplum, negat in Azo. 4. 5. 13. 20. 23. 46. 52. & 60. vim aliquam inferendam incredulis, & tamen in 12. 18. 19. 27. 32. 37. præcipuè autem in 6. & 10. ait: *Incredulos vbicunq; repertos ſi ſit poſsibile capite & interficite.* In 13. de Alcorano cum externis diſputare non permittit ſub pœna capitis: in 19. autem id boni conſulit dummodo in ea diſputatione decorum ſeruetur. Sic enim loquitur: *Omnes homines legum honeſtis verbis diſputando ſemper alloquere.* Rurſus in 13. vetat gregalibus ſuis ne alterius religionis fœminas ducant, quæ cauſa fuit cur Selymus Imperator non parum laborauerit, vt Roſam Chriſtianam Cypriam forma præſtantiſsimam quam deperibat in vxorem acciperet: in 12. nihilominus ſic ſcribit, *datur vobis licentia, vt ducatis fœminas legem aliam profitentium,* fortè tamen non eſt repugnantia, quia ibi loqui videtur de vxore propriè ſumpta, quæ nempè ſit materfamilias, domina domus, & cæteris maior vt Sara; hic verò de concubinis, & ſecundariis vxoribus cuiuſmodi erat Agar. Selymus autem Cypriam illam Chriſtianam aſſumere ſibi voluit in Reginam vxoremque præcipuam, vt Aſſuerus Heſterem Iudæam. Negat ibidem fas eſſe iurare per alium quàm per Deum, cum tamen in 47. 50. 61. 62. 63. 68. 100. 105. Deum

Digitized by Google

ipsum inducat iurantem per Angelos, per Alcoranum, per ventos flantes, per montem Sinai, per stellam vespertinam, per calamum & lineas, per res visibiles & inuisibiles, per stellas combustas & retrogradas, per terram inhabitatã. In 17. docet clarissima esse quæcumque in Alcorano continentur, at in 20. tam abstrusa & recondita facit omnia, vt ne vnum quidem caput à quoquam possit intelligi. Rursus in 17. ait, se legendi scribendique imperitum, verum in 39. & 57. arrogat sibi vtriusque artis peritiam. In 9. & 10. negat Deum condonare peccata grauia, verum in 16. sic loquitur: *Deus tum peccata maxima tum modica committentibus amplam misericordiam præbet.* In 82. affirmat inexploratum sibi esse extremi iudicij diem, non ita multo post, illum ait sibi vni reuelatum. Item in Azoara illa celebri quæ inscribitur, *de filiis Israël*, scribit tàm longos fuisse passus Alborach seu bestiæ illius, qua deuectus est in cœlum, vt quilibet longitudine vinceret spatium, ad quod potest acutissimus se visus extendere, interim nihilominus, ait ibidem bestiam illam fuisse asino paulo maiorem, sed mulo minorem. Prophetas omnes facit æquales, & tamen Christum passim scribit summum esse Prophetarum, quæ duo profectò inter se non cohærent, vt notat Barthol. Georgeuiz cap. 1.

Quod ad vnitatem religionis, quæ petitur ex Antistite vno ei præposito, apud illos quoque desideratur. Nam in primis si Nicolao de Nicol. credimus 1. p. lib. 3. cap. 14. Cadileskeri duo sunt Mahumetanæ superstitionis Doctores & summi Iudices. Verùm quia cæteri ferè omnes scriptoros vnum alium his ipsis præferũt, qui Muphty dicitur ac inter alios Cuspin. sic scribens: *Alter post hunc Magistratus gentili lingua Muphty, hoc est, summus legis interpres dicitur, qui cum de lege ambiguitas oritur, discernit explicatque legis naturam, & quid ius possit, à cuius non licet sententia prouocare.* Alia incedendum est via, vt eiusmodi vnitate orbati appareant. Duo itaque dico, alterum hunc Muphty ad religionis partes non attendere, sed solum interpretari Alcoranum, ac definire quis genuinus ambiguarum sententiarum sit sensus, & attendere ne Imperator aliquam edat pragmaticam ei contrariam. Alterum eundem non præfici ne quidem in rebus legis ac religionis, omnibus Mahumetanis, sed alium

In descript. Magistr. Turcic.

Digitized by Google

alium esse in Turcia alium in Tartaria, alium in Perside, alium in Mauritania, siue apud Mauros Africæ. Immò Africanus iste multiplex est, teste Postello lib. de Inst. Turc. alius quidem Fessæ, alius Marochi, alius Tuneti, &c. Ad minus certum est non esse eundem Turcis & Persis, quia iamdudum composuisset illorum dissidia, eousque progressa, vt hi hæreticos illos appellent teste Barthol. Georgeuisio, cap. 28. peregr. eo quod vxores suas nec circumcidant, nec circumcidendas credant, ipsi autem Persæ circumcidant in suis particulam illam quæ Græcis hymenia dicitur, latinis ala & præputio respondere creditur.

Ex his sequitur quod tametsi inter eos magna quædam regnaret concordia quoad religionem, eam nihilominus fouendi remedio careant, sicut etiam exortas controuersias perfectè componendi, tum quia vt dixi nemo vnus præest omnibus, tum quia nullo ex capite colligi prudenter potest illum non esse suis in definitionibus errori obnoxium, quod tamen est necessarium vt iis perfectè acquiescant mentes hominum in rebus summi ponderis, hoc est diuinum cultum, & æternam animæ salutem spectantibus.

Persimilia de Nouatoribus nostris dicenda occurrunt. Conueniunt fateor aduersus Catholicam Ecclesiam si fieri posit, subruendam, non secus ac Pilatus & Herodes aduersus Christum, & Pyratæ ad diripiendas merces Institorum, & Samsonis vulpeculæ ad incendenda sata pulcherrima, & aduersus veritatem hæretici, de quibus sanctus Athanasius. *In hoc solo non dissident, quod oppugnent Catholicam fidem, cum de priuatis rebus inter se simultates gerant, odio tamen inimicitiaque communi aduersus doctrinam Patrum suorum conspirant, fœdera conglutinant, se mutuo amplectuntur, securi quiduis facere & pati, modo negotium saltem afferant.* Agnoscit vltro quod dico Zvvinglius, qui in respons. ad Bellic. episto. obiicientibus nonnullis quod cum Carolo Stadio in quæst. de Euchar. non conspiraret, respondit, *Hoc nemini offendiculo esse debere, nam si errauit alteruter, non errauit in spiritu sed in litera. Non est hoc dissidium vocandum, sed summa potius consensio, vt Ducibus eandem arcem impugnantibus nihil dissidij affert dum alius statuit ariete concutiendam, alius cuniculis subuertendam, alij scalis superandam; in arce enim* §. 5. *Orat. 1. contr. Aria.*

excidenda conueniunt. In hoc inquam vnanimiter conſpirant vniuerſi, nutus conferunt, oculiſque ſibi inuicem applaudunt. Cæterùm propter religionem, & fidem horribiliter ſe mutuo dilaniant & concidunt, & implacabiles inimicitias exercent, ita vt vbi Lutherani præualent vt Argentinæ, Norinbergæ, non ferunt filios ſuos à Miniſtris Caluinianis baptizari, nec contra & ſcribat Sturmius in lib. de ratione ineundæ concordiæ. *Lutherani libris publicè editis Eccleſias Anglicanas, Gallicas, Scoticas, Belgicas, Helueticas, tanquam hæreticas condemnant, eorum Martyres, Martyres Diaboli vocant, minuſq́; Scytis & Turcis ferendos eſſe ſtatuunt.* Sed præcipuè execrantur ſe mutuo ipſimet Hæreſiarchæ, vt aptiſsimè in eos quadret dictum illud Nicephori Gregoræ, lib. 6. hiſtor. *Factionum Principes inter ſe digladiabantur, & linguas contra ſe mutuo armabant, non zelo diuino, ſed iracundiæ impetu ducti.* Sufficit planè hoc vnum vt falſi teſtes, & Eccleſiæ Religioniſque Catholicæ improbi accuſatores eſſe videantur, quod ſcilicet in aſsignandis cauſis ob quas eam conantur ream agere inter ſe non conſentiant, quemadmodum egregiè eniteret Titij innocentia, ſi 4. eius criminatores à ſe mutuo diſsiderent, & primus diceret perduellis fuit, quod depoſitum non reddiderit, ſuſpendatur. Secundus erras, non reddidiſſe depoſitum non eſt fuiſſe perduellem, ob hoc itaque non eſt ſuſpendendus, ſed quia parricidio ſe reum fecit; tertius ambo mentimini, nec perduellis fuit nec parricida, ſed periurus ac ſacrilegus, itaque propter hoc è trabe pendeat, & laqueo vitam finiat. Quartus denique nihil horum ſic ſe habet vt dicitur, procul abfuerūt facta eius à vero crimine læſæ maieſtatis, à vero item parricidio periurio & ſacrilegio, ſed in falſi crimen incidit, quia ſcripturæ loco teſtes protulit, quis inter has pugnas riſum teneret? quis Titium non abſolueret? quis actores illos inſanire, & in exilium vno eodemque flagello impellendos dubitaret? Sed ad rem propius accedamus, & illas eorum pugnas conſideremus.

Agunt primò conuitiis, quaſi velitantes, & Cadmæam pugnam auſpicantes. Selnecerus Bezam arreptitium vocat, & calumniatorem, & flagitioſum Sycophantam, & craſſam ac fœtidam ſcropham. Aſpergit Caluinus probrorum imbre tam Lutheraniſmum quàm Anabaptiſmum, in admon. vlt. ad VVeſtphalum

&

Digitized by Google

& vtrumq; vocat immensum quoddam stupendorum prodigiorum mare. Menno vicissim vnus de Anabaptistarum primipilis in lib. de vera Relig. in omni conuitiorum genere aduersus tres illas sectas versatur. Zvvinglius de Luthero loquitur, quàm potest indignissimè in responsione ad eius confessionem. Exemplum, *cum Lutherus*, inquit *nunc hoc nunc illud de eadem re pronuntiet, nec vnquam sibi constet, haud dubiè ea leuitate, & inconstantia in verbo Dei vtendum existimat, qua perfrictæ frontis scurræ inter aleam consueuerunt.* Vicissim Lutherus Tom.3 & in Confess. de cœna Domini, in libro item. *quod verba cœnæ firma stent*, Zvvinglium vocat, *gigantem Tigurinum, Heroa superbum, verbo Dei malitiosè aduersantem, Ethnicum, septuplo quàm sub Papatu nequiorem, de Christiana religione nihil rectè docentem, suo denique iudicio omnium Apostolorum Apostolum, & doctorum doctissimum.* Caluinus in gratulatione ad Præcentorem, Lutherum dicit esse *non satis placidum, vehementis ingenij, intemperantem & flagellis incitatũ.* libro autem 2. Inst. c.8. n.26. Anabaptistas *inconsideratos*. cap.10. n.1. *furiosos* ibid. n.7. *superciliosos*, l.4. c.1. n.13. *superbos qui supra alios videri volunt profecisse*, cap.12. n.12. *homines qui sub prætextu zeli quicquid ædificationis est subuertunt*, cap.15. n.16. *ineptos & fanaticos viros, quos delectat effrænis licentia.*

His mutuis sannis ac probris accedit tanta inter eos dogmatum rituumq; oppositio, adeoq; tumultuosa sententiarum diuersitas, vt Diabolis omnibus iucundissimo spectaculo sint, & in ædificatoribus Babel nunquam tanta confusio fuerit labiorum, & rectè ostendat Ioannes Schutz Lutheranus, in libro suo 50. causarum, impossibile esse, vt alij cum aliis aliquando consentiant. Exemplum nobis reliquit Monpelgardiense colloquium, in quo Schmidelinus & Beza animis longè grauius quàm ante exacerbatis post longam de Eucharistia disputationem à se mutuò recesserũt. Huc pertinet quod notat Sturmius loco citato, cùm Angliæ Regina, & alij Caluinistæ à Germaniæ Protestantibus postulassent, vt in Synodó Germanica paterentur fidem suam tractari, tantum abfuit vt æquis auribus ea postulatio acciperetur, vt Germani ne quidem eorum Oratores audire sustinuerint. Ac ne putes Lector, inter eos de reduuia quæri, de lana caprina vmbraue asini disceptari, altercantur de præcipuis fidei religionisq; capitibus, de influxu Dei in peccatum, de libris Canonicis, de interpreta-

pretatione eorundem, de numero Sacramentorum, de vera Chriſti præſentia in Euchariſtiæ Sacramento, &c. Aiunt Caluiniſtæ Deum influere in peccata omnia, velut primum ac præcipuum illorum principium. Adeo autem id inficiantur, & execrabile ducunt plerique Lutherani, atque inter alios Heshuſius, vt blaſphemiæ huius auctores dignos cenſeat, qui non tantum ad infernum ablegentur, ſed infrà. Contrà, Lutheranorum doctrina eſt verum Chriſti corpus in Euchariſtia legitimè conſecrata contineri, non ferunt hoc impij Sacramentarij, ſed per os Bezæ in abſterſione calumniarum eiuſdem Heshuſij dogma iſtud de Chriſti realitate in Euchariſtia tam abſurdum cenſent, & ἀσύστατον, vt poſſit meritò Dæmonis ſtercus appellari. Ex quo mutuo illorum conflictu magnum bonum elicit diuina prouidentia. Quodnam illud? magis inde claret, & conſtabilitur religio noſtra Catholica, ſicut & ſeruatur homo cum Aconiti venenum colluctatur cum veneno ſcorpij.

In Religionis ſimiliter partibus magna inter vnos & alios diuerſitas. Exemplum Anabaptiſtæ nihil in oratione à Deo petendum cenſent, nec ieiunandum, nec ad templa conueniendum, nec iurandum, nec feſta colenda, nec initiandos baptiſmo paruulos, alij contra. Veri Lutherani vt Norinbergenſes Miſſam celebrant, Sacramenta duobus plura recipiunt, ſigno Crucis, & quamplurimis aliis cæremoniis Eccleſiaſticis vtuntur, communicantes genu flectunt, aliqualem ſecretam confeſsionem præmittunt, præter Dominicum feſta multa colunt; veri Caluiniſtæ nihil horum faciunt, Zvvingliani paucisſima. Quæ etiam duæ Sectæ habent non pauca in quibus diſſentiunt, v. g. in numero feſtorum, in qualitate panis, quem ad celebrandam cœnam adhibent, alia quippe azymo vti ſolet, alia fermentato: Item in modo ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, quippe alia imponit illis manus morem ſecuta Apoſtolorum, alia non.

Maius quiddam ſequitur, ne vnam quidem ex ſectis illis reperias, quæ non abundet infinitis ſchiſmatis, etiam circa res momenti præcipui. Nicolaus Gallus, de ſe & Lutheranis aliis ita loquitur in Hypotheſ. *Non ſunt vtique parua inter nos diſſidia, neque de minutis rebus, ſed de ſubliminibus articulis doctrinæ Chriſtianæ, de Lege & Euangelio, de Iuſtificatione & bonis operibus, de Sacramentis & cæremonia-*

rum

rum vsu;quæ nullo modo componi possunt. Addit Selneccerus in Psalm. 131. & præfat. in Cat. Concil. loquens de Euangelicis Augustanæ Confess. *Ibi rixandi neque finis est,neque modus vllus. Quilibet in hoc laborat vt iustam habere causam videatur,atque alium opprimat. Et quisquis aliquid noui proferre potest,vnde nomen venetur id facit liberè. Sordet mihi profectò mundus,cathedræ item pulpita, & suggestus mihi sordescere incipiũt, in quibus odia ista venenata, & contentiones ruinam spectantes deprebenduntur.*

Anno M.D.LVII. indictum est VVormatiæ Catholicorum & Lutheranorum colloquium, sed frustrà. Nam cum illi initio hos rogassent, vt inter se antè omnia statuerent quinam essent dicendi veri Protestantes Augustanæ Confess. quales videri volebant omnes, & quos solos Imperij decreta tolerabãt, ad concordiam venire nunquam potuerunt, atque ita conuentus ille magno cum risu solutus ac dissipatus est. Anno item M.D.LXVIII. cum Altenburgum Theologi, Ducis Saxoniæ, & Principis Electoris de Iustificatione disputaturi cõuenissent, nunquã constare inter eos potuit de libris, quibus ea controuersia decidenda erat, aliis articulos Smalcaldicos, scripta Lutheri & Philippi verbo Dei accedere volentibus, aliis non.

Celebris Caluinistarum partitio est in Protestantes & Puritanos, quorum hi cæremonias omnes Romanæ Ecclesiæ repudiant, & ob id vocant se Puritanos quod à ritibus illis, meris vt interpretantur immunditiis procul sint separati; illi verò admittunt quamplurimas, ideoque Semipapistæ ab his appellantur, tantoque illos prosequuntur odio, vt Elizabetha Angliæ Regina quæ à partibus stabat Protestantium, Puritanos non paucos extremo iusserit supplicio affici. Magis adhuc ex ingenti illa quæ sequitur discrepantia disce omnes. Protestantes ij saltem quos alit Anglia, vt controuersiis de fide sic Religioni & spirituali Ecclesiæ regimini Laicam personam præficiunt, illius nempe totius insulæ Principem, siue ea vir sit siue fœmina, adultus aut puer. Hoc autem abominantur Puritani, nulloque modo ferendum esse palàm edicunt, ob idque illos implacabilius auersantur, quàm vitis brassicam, & quercus oleam, nucemque iuglandem. Trita alia distributio est in Consistoriales & Libertinos, quales dicuntur qui Consistoriis non vtuntur, nec potestates aliquas

supra se ferunt. Extrudunt hi duo ordines se mutuo vt cunei cuneos, tantaque inter eos Lugduni Batauorum exarsit pugna, Anno M. D. LXXIX. vt Consistoriales succubuerinnt; Vltraiecti verò, Anno M. D. LXXXVI. Libertini. Et rursum, Anno M. D. LXXXVIII. Consistoriales terga verterint, fluxum diceres, & refluxum maris. Inter Consistoriales ipsos non defuisse suo etiam tempore grauia iurgia circa rem Sacramentariam, fatetur Caluinus in libro de consensione cum Tigurinis, sed excusare nititur hanc discrepantiam dicens ipsos etiam Euangelistas, & Paulum in eiusmodi re passos fuisse quiddam simile, cum alij scribant sanguinem testamenti, alij testamentum in sanguine.

De fœda sectione Anabaptistarum in Muncerianos, Apostolicos, Separatos, Catharos, Enthusiastas, siue Ecstaticos, Liberos, Adamitas, qui publicè incedunt nudi, Husitas, Hoffmannistas, Dauid-Georgianos, & Mennistas, deq; distinctis eorum dogmatis, & quoad religionem moribus, vide si vacat Prateolum & Vlenbergium in causa *9*.

Zvvinglianos tam dubios ac perplexos reliquit in omnibus maximè autem in eadem re Sacramentaria Pseudoapostolus ille Tigurinus à quo nomen originemque traxerunt, vt vbi locorum versentur, & quid sibiipsis velint, quidue credant, aut credere debeant non intelligant. Quæ causa est cur vix duos inuenias eiusdem sententiæ, & propter anxietatem illam aut Caluinistis vulgò se adiungant, aut Lutheranis. Ex quibus omnibus liquet, dignos esse Sectarios dispersionis nomine, quo non aliam ob causam gentilis populus à Iudæis compellabatur, quàm quia in Sectas abibat quamplurimas quoad fidem de Deo & religionem.

Dicam amplius pugnat secum ipse Auctor sectæ cuiusuis hodiernæ, tantum abest vt eius sequaces inter se, vel cum aliis conueniant. Pauca de multis exempla proferamus, & Zvvinglium primo loco de seipso loquentem audiamus, seque præuaricationis damnantem. *Ante duos annos de Eucharistia scripsimus* (est autem Eucharistia eiusque vsus ac ritus vna de præcipuis religionis partibus) *idque tempori potius quàm rei. Si Lector hic quædam offendis aliter quàm in superioribus scriptis noli mirari.*

In lib. de Vera Relig. cap. de Euchar.

Nolui-

Noluimus cibum dare cum intempeſtiuum eſſet, neque porcis proiicere margaritas. Retractamus igitur hic quæ illic diximus tali lege, vt quæ damus, Anno ætatis noſtræ X L I I. præponderent iis quæ anno X L. dederamus, quandoquidem vt dixi tempori magis ſcripſimus quàm rei, vt magis ædificaremus. En prætextum ineptum planè ac puerilem, quo dum nititur illas ſcriptorum ſuorum contradictiones excuſare ac tegere, peſsimam fidem ſuam prodit, & à nullo minus quàm à Spiritu ſancto accepiſſe ſe oſtendit, quæ literis conſignauit. Quippe bona fides rei ſemper ſcribit non tempori, quia non falsò ſed verè ſcribit, veritas autem res ipſas reſpicit, quibus commenſuretur. Spiritus item ſanctus nihil dictat poſtea retractandum, nihil contrarium quia ſemper verum ſuggerit, verum autem cum vero non pugnat, nec vitij quicquam habet, propter quod reuocari debeat. Error eſt cui debetur retractatio, & in quem ſe prolapſum oſtendit ſatis qui palinodiam canit, ac proinde Zvvinglius, idque diſertè de ſe ipſo fatetur, libro 2. de Baptiſmo, vbi ait: *ingenuè fateor antè aliquos annos errore deceptus ſatius eſſe credebam, ſi tum demum baptizarentur paruuli, vbi ad iuſtam ætatem perueniſſent.*

In vna de vtraque Sacramenti ſpecie quæſtione, vt quamplurimas alias prætercam, tam diſsimilis ſibi Lutherus fuit, vt XXXVI. aduerſarias reſponſiones effutiuerit, quemadmodum poſt Staphylum & Hoſium notat Alanus Dialog. 6. capite decimo octauo, & ob id de eo deque aliis eiuſdem farinæ rectè dici poſsit idem quod de Arianis ſcribit ſanctus Hilarius in epiſtola ad Conſtantium Auguſtum. *Scribendæ & innouandæ fidei vſus inoleuit, quia poſtquam noua potius cœpit condere, quàm accepta retinere nec veterata defendit, nec innouata firmauit, & facta eſt fides temporum potius quam Euangeliorum, dum & ſecundum annos ſcribitur, & ſecundum confeſsionem baptiſma non tenetur.* Ne porrò ſcriptis ſcripta tantum, ſed etiam facta repugnarent, fecit vt conſtat, ſeceſsionem à Romana Eccleſia, & vt draco ille Apocalypſis traxit cauda ſua in ſimilem defectionem plurimos, clariſsimè tamen prius ſcripſerat nefas prorſus eſſe ab illa recedere quocunque prætextu, ſic enim loquitur aduerſus ſchiſmaticos in cap. 6. ad Galatas. *Alioqui cur non Moyſes reliquit duræ ceruicis*

cis populum? cur non Helisæus & Propheta Reges Israël Idololatras? Consequens est quod Bohemorum dissidium à Romana Ecclesia nulla posit excusatione defendi, quin sit impium & Christi legibus omnibus contrarium, quia contra charitatem in qua leges omnes consummantur perstat. Nam hoc quod vnicè allegant se timore Dei & conscientiæ defecisse ne inter malos Sacerdotes & Pontifices viuerent, hoc eos maximè omnium accusat. Et rursus in declaratione quorundam articulorum hæc habet. *Quod Ecclesia Romana sit à Deo præ aliis omnibus honorata non est dubium. ibi enim sancti Petrus & Paulus, ac Pontifices, & tot centena millia Martyrum sanguinem suum fuderunt, infernum & mundum vicerunt, vt vel palpari queat, quàm singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quod si nunc proh dolor ita res habet Romæ, vt expediret habere melius; tamen neq; hæc neque alia causa tam grandis est, nec esse potest, vt ab Ecclesia illa discessio vlla fieri debeat.* Et infrà: *Nec dimittendus est Deus propter Diabolum, nec vitandi reliqui boni propter turbam malorum.*

Pugnauit & Caluinus secum ipse turpissimè, refigendo sæpè quæ prius fixerat, nec id negare audet, sed excusare nititur, quod id adscribendum sit profectui. quasi verò hoc excusare posit eum qui se totius antiquitatis Magistrum, se censoremque constituit, & videri vult sapere præ omnibus, quasi hoc rursus in eo turpe non sit, qui se loqui & scribere gloriatur ex singulari afflatu Spiritus sancti; Neque enim qui eo dictante scribit aut loquitur, indiget mora temporis in quo proficiat. *Lingua mea*, inquit Propheta, *calamus scribæ velociter scribentis*, sed nec vnquam aliquid profert pœnitendum. Audiamus iam Pseudoapostoli illius contra se testimonium, excusationemque vanissimam in lib. de scandalis. *Quod non simul eodem momento omnia viderim, quod non ad vnguem expolitum primo die tam arduum opus sit, offendi se multi causantur. Quàm importunæ sint Lautitiæ istæ quis non videt? perinde enim faciunt, ac si quis nos accuset quod primo auroræ exortu Solem meridianum nondum cernimus. Nihil istis querimoniis magis tritum* (scilicet quia vicissim nihil crebrius erat quàm ab eo mutari in religione & dogmatibus, quæ prius sanciuerat) *Cur non statim quod exactè sequi oporteret nobis præscriptum est? cur potius quàm alia hoc latuit? ecquis tandem erit finis si subinde vlterius tendere permissum est? nempe qui sic loquuntur vel profectum Dei seruis inuident, vel ægrè ferunt Christi regnum in melius promoueri.*

Psal. 44.

Præter

Præter hæc nulla ex huiuſmodi Sectis ſupremum vnum habet in terris caput, quod tamen ad Religionis vnitatem, ad perfectam eiuſdem conſtitutionem, ad ſynodos efficaciter cogendas, ad decreta ſancienda, ad tuendam pacem, & ad alia id genus omninò neceſſarium eſſe demonſtrauimus. Immò Caluinus lib. 4. Inſt. toto fermè cap. 7. hanc in Religione Monarchiam ex inſtituto impugnat, ne confunderetur, quod eam nequiret introducere, vel in ſecta ſua oſtendere, vel illa admiſſa minus poſſet Romanis Pontificibus incommodare. Et docet his verbis B. Cyprianus in epiſt. ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quam quod ſacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Eccleſia ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur.* Equidem Caluiniſtis Proteſtantibus qui in Anglia degunt, vnum eſt eiuſmodi caput nempè Rex, ſed quia nec ei ſe alij Caluiniſtæ ſubiiciunt, nec ipſe ſibi in eos quicquam iuris arrogat, ſequitur ne quidem toti huic Sectæ præfici caput vnum viſibile penes quem totius cura religionis ſit. Et certè nunquam id latura eſt ſuperbia Prædicãtium, quorum cuilibet multo iucundius eſt in Eccleſia ſua Papam agere, quàm alicui ſe ſubiectum cernere. Sequitur prætereà longè deteriorem eſſe in hac parte ſectæ cuiuſuis conditionem quam Eccleſiæ Moſaicæ, in qua ad occurrendum Schiſmatibus, & ad religionis partes ritè ordinandas, atque in ſua puritate retinendas, vnus ſemper fuit ſupremus Epiſcopus Deut. 17. præterquam ſemel ex præſcripto Dei extraordinario ad implendam comminationem, quam fecerat Hely ſacerdoti. 1. Reg. 2. his verbis: *Ecce dies veniunt, & præcidam brachium patris tui, & videbis æmulum tuum in templo.* Quæ omnia impleta ſunt in Abiathar ſucceſſore, quo adhuc viuente Sadoch creatus eſt ſummus ſacerdos à Saul, & proſperatus valde: Abiathar contra decreſcebat, & aliquanto poſt depoſitus etiam eſt à Salomone præcipiente illi, vt deſcenderet in villam ſuam Anathot. 3. Reg. 2.

Et quia omni tali Præpoſito orbati ſunt Sectarij, nihil habent quo in concordiam adducantur circa fidei res ac religionis ſi actu diſſentiant, aut ſi non diſſentiunt, in qualicumque conſenſione ſua diu perſeuerent. Quis enim modus alius ineundæ concordiæ? ſcriptura ſacra, inquient, ſed parum hoc reſponſo proficient, nam de ea primum conſtare debet, & in ſenſu vis eius tota eſt poſita,

 ſita,

Digitized by Google

sita, & sensus multum pendet à distinctione quæ fit per commata & parentheses, atque à punctis simplicibus & interrogatoriis. Sicut enim in his verbis quæ vnus ianuæ domus suæ superscripsit, *Porta patens esto nulli claudaris honesto*, magni refert vtrum comma scribas proximè antè dictionem, *nulli*, an proximè post, futuraq; est inscriptio vrbanissima si prius illud fiat, incurbanissima si posterius, sic in infinitis scripturæ sententiis sensus resultat longè alius atque alius, prout huic & aliis notis locum hunc vel illum assignaueris. Exemplum, nō parui refert vtrum Ioan. 1. sententiam claudas & punctum figas proximè post verba ista, *sine ipso factum est nihil*. An post ista tantum. *quod factum est*, ita vt quod immediatè sequitur nouæ sit principium. Quærendus itaque erit, qui indubia fide eandem scripturam assignet, distinguat, & interpretetur, quique in hoc facto errare non posse prudenter existimetur, si namque staret extra errandi periculum, sed non crederetur stare, anxias semper mentes relinqueret, nec tàm extingueret, quàm ad tempus sopiret discordiæ malum breui resurrecturum, & nouas daturum flammas. Vbi porrò, & quem, aut quando mihi talem dabunt, qui Ecclesiam faciunt errori obnoxiam, negantque sufficientem Iudicem esse controuersiarum? quis parti concessum credat quod toti negatum audiet? Si cœlum Ecclesiæ non contulit vt volunt, facultatem certò diffiniendi quę ad fidem, veramque scripturæ intelligentiam, vel ad religionem pertinent, cui meritò videri potest eam priuato contulisse? vnde probabunt hunc quicumque demum ille sit, ab hac vniuersali Prophetæ sententia excipiendum, *Omnis homo mendax*? Dices fortè, eligent partes duæ dissidentes tertium velut arbitrum, seque eius definitioni immobiliter assensuras interposito iureiurando promittent. Verùm vnde certò scis eas ad hanc electionem progressuras? aut occursurum qui tanto iudicio præficiendus videatur? qui rursus nec vni parti suspectus sit nec alteri? Ciuilium controuersiarum alia est ratio, in quibus cum facilè seu leue sit iacturam pati, citò adduci quis potest, vt tertij alicuius committantur iudicio, esto sciret malè id cessurum sibi, quantò magis si eo Iudice vincere se posse arbitretur? In rebus autem religionis ac fidei falsum amplecti, siue sponte, siue cuiuscumque decreto arbitri, damnum est irreparabile, quod reus secum reputans fouebit in sinu etiam

post

Digitized by Google

post decretum illud anxietatem perpetuam, & quamuis forte ob pœnam appositam extrinsecùs resilire non audeat, vacillabit tamen intrinsecùs tristis ac dubius in quo sit statu, & continuò sollicitus ne fortè perperam credat aut Deum colat, atque ita sibi damnationem acquirat. Quod quidem constat veræ consensioni prorsus esse contrarium.

De Sanctitate proprietate 2, veræ Religionis nota vero eiusdem 21.

CAPVT II.

§. 1. *Quidnam hoc loco intelligendum nomine Sanctitatis.*
2. *Quo sensu proprietas & nota dici possit veræ Religionis.*
3. *In Catholica Ecclesia valdè conspicua est.*
4. *Procul autem à Mahumetana.*
5. *Et à Pseudoeuangelica.*

SAnctitas teste S. Thoma 2.2.q.81.art.8. aliquando pro Religione ponitur, estque cum illa virtus vna & eadem, quæ religio dicitur quatenus præcisè debitum Deo cultũ reddit, sanctitas verò quatenus illud reddendo, mentem hominis probè afficit, Deo coniungit, & quasi eo dignam facit, vt non iam profana sit, sed diuinis addicta rebus, & quodammodo plena Deo cui impensè seruit. Secundò, significat scientiam colendi Deum, vt apud M. Tullium lib. 1. de natura deorum, & tunc differt à Religione vulgò & propriè sumpta, sicut medicina speculatiua à practica. Nam quemadmodum hæc illam supponit, sic tamen vt illa sine ista nihil laudis habeat, sed multum vituperij, cum inhumanum sit nosse medendi rationem ac etiam profiteri, nec tamẽ eam exercere erga eos quorum curandorum gratia inuenta est, ita parum est rectam rationem tenere colendi Deum, nisi actu reipsaque illum colas cum oportet. Tertiò, significat rei alicuius immunitatem seu prærogatiuam, qua eam violare non licet, quo sensu muros ciuitatis legesque sanctas dicimus, quia illos transcendere, istas infringere omnibus §. 1.

nibus ſubgraui pœna interdicitur. Quartò, ſignificat ſtatum gratiæ, vel ſi mauis ſtatum excludentem omne peccatum mortale. Iſta quippè duo ſe mutuo conſequuntur, ſicut vbi eſt peccatum actuale vel habituale, ibi pro eo tempore, nec gratia, nec charitas indiuidua comes gratiæ poteſt habere locum dicente ſcriptura, *in animam maleuolam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis* (& certè cum peccatum ſit vera ac ſola cauſa diuini odij, intelligi non poteſt quomodo quis à Deo diligatur illiuſque ineat gratiam, quandiu in peccato hæret) ſic ex aduerſo vt lux tenebras, diuina gratia expellit peccatum. Itaque quiſquis in hac ipſa vita mortali peccatorum ſuorum mortalium remiſsionem conſequitur, quod fieri ſolet in ſacramento pœnitentiæ ritè ſuſcepto, & ſeria eorum deteſtatione concepta cum firmo propoſito vitæ melioris, reuera ſanctus hoc ſenſu efficitur, atque etiam manet quandiu ad vomitum opere aut voluntate non reuertitur. Verùm, quia nec alicui, nec de aliquo dum hic viuit planè eſt exploratum, iſtane omnia vt par eſt faciat, & infirmitates ſemper aliquas patitur, & vix vnquam à peccatis ſaltem venialibus planè eſt immunis, fit vt neque certò ſe ſanctum dicere poſsit aut debeat, neque ab aliis dici, ſed probabiliter tantum. Qui iam in cœlo cum Chriſto regnant ij ſunt quibus propriè ac fidenter deferri poteſt nomenclatura iſta magnifica, cum in gratia confirmati peccare nequeant. Quintò, ſignificat morum integritatem, & moralium virtutum ornamentum, quas quia ſolas humanitùs agnoſcunt homines, nihil maius habēt in quo ſanctitatem ſitam eſſe arbitrētur, nihil item potius quo Deo aſsimilentur, qui quoniam in ſummo gradu ſanctus eſt, eo ipſo fieri videntur ſanctitatis huius participes, quo illi euadunt ſimiles quod quia fit huiuſmodi virtutum adminiculo, non abs re earum ornamentum ſanctitas quædam eſſe creditur, quo forte ſenſu dictum eſt Leuit. 11. *Sancti eſtote quoniam ego ſanctus ſum.* Id eſt, cum prudens ego ſim, iuſtus, fortis, clemens, munificus, par eſt vt in vobis perfectiones iſtas meas adumbretis, qui ad me accedere cogitatis. Hoc eodem ſenſu Deos orabat profanus quidam:

Iuuenal. ſatyr. 14.

vt ſanctam filius omni
Aſpiciat ſine labe domum, vitioq; carentem.

In

In hac quinta & postrema significatione vsurpatam sanctitatem contendo nó immeritò dici posse Religionis proprietatem. §. 3.

Primò, quia proprietas rei alicuius est constans quædam perfectio illius naturam consequens, morum autem integritas aliquid eiusmodi est respectu Religionis idque docet experientia. Da mihi hominem verè religiosum ac timentem Deum, in eo videbis breui elucere virtutes omnes, ipsum, in rebus suis omnibus modum ponere, pietatem erga parentes colere, superioribus potestatibus subiici, datam fidem seruare, magna cum integritate iustitiam administrare, magna vbique circumspectione vti, affabilem & vrbanum illæsa modestia præbere se omnibus, aduersis non frangi, temperantiæ operam dare, supplicibus odia remittere, aliena sibi non vendicare, neminem calumniari, vt verè posit de religione dicere, *Omnia bona venerunt mihi pariter cum illa.* Sap. 7. Nimirum quibus magis conferat ornamenta virtutum, quàm quos studio diuini cultus incensos videt? Contra vbicumque religio prostrata iacet, vastitas sequitur virtutum omnium. Vidit hoc ætas Arnulphi Imperatoris, in qua vniuersalem ferè religionis turbationem ne dicam extinctionem, tanquam è vestigio subsecutus est virtutum interitus.

Secundò, quia Religio imperat actus virtutum aliarum moralium, quatenus ad Dei gloriam possunt conducere, quare cum ex his actibus sequatur animæ perfectio imbibentis habitus bonos ab iis relictos, hæc autem perfectio sit illa sanctitas de qua hic loquimur, sequitur à primo ad vltimum Religionem esse sanctitatis principium.

Tertiò, sicut vacando vitiis & agendo nequiter diabolum imitamur, vt satis insinuat Christus dicens impiis Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri facere vultis.* Sic virtutis studio Dei nos imitatores constituimus, quod dum facimus quandam ei cultus speciem exhibemus, ita vt scribat Lactâtius libro quinto, capite decimo: *Religiosissimus cultus est imitari.* Et Seneca epist. 96. *Satis Deos coluit, quisquis imitatus est.* Aut ergo virtutum exercitatio, quæ hanc imitationem post se trahit, religionis pars est, aut saltem proprietas, & aliquid ei finitimum.

Digitized by Google

Quartò, sicut vitiis valdè obscuratur ac læditur religionis nitor atque præstantia, ita vt dictum sit Dauidi post adulterium & homicidium aliàs religiosissimo: *Blasphemare fecisti inimicos nomen Domini.* 2. Reg. 12. Et scribat Caluinus de improbis: *Ne videantur eum contemnere cuius maiestas eos regit, qualicumque Religionis specie defunguntur, interim tamen non desinunt omni vitiorum genere se polluere.* Et infrà: *Inanis ea est & mendax religionis vmbra.* Alludens scilicet ad verba illa Iacobi: *Si quis existimat se religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Sic contra aliarum virtutum studio velut accessorio quodam ornamento & ipsa condecoratur, & Deus ipse glorificatur, sicut scriptum est Matth. 5. *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum.* Et 1. Pet. 2. *Ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum.* Nempè quicumque vident Dei cultorem virtutibus aliis præditum, & pluris faciunt existentem in eo religionem, sicut pluris æstimant rosam floribus aliis circumseptam quam solitariam, & inde occasionem accipiunt magnificè de Deo sentiendi cui is seruit, velut planè insigni eo quod tales seruos habeat, efficiat, & sibi quærat. Et quia hæc aliarum virtutum possessio ornatus quidam est Religioni accedens, non immeritò inter eius proprietates reponitur.

Lib. 1. Inst. cap. 4. n. 4.

Præmonitio necessaria.

Nunc priusquam transitum ad sequentes paragraphos faciamus, insinuabo vnum consideratione dignissimum. Quidnam illud est? Hoc loco non tàm spectare nos conuenit aut explorare probos vel improbos hominum mores religionem profitẽtium, quàm doctrinæ capita quam amplectuntur, quia infinitum esset vitam expendere singulorum. Itaque ad vtendum compendio, sufficit capita illa discutere, eo quod mores doctrinæ respondere solent, & in ea virtute continentur, atque ita rectè præsumitur probabilissimumque est cœtum illum, qui certam quandam religionem profitetur pollere virtutibus, cuius doctrina per se deducit ad virtutum studium; è contra scatere vitiis, si consentanea iis doctrina imbuatur, idque non obscurè significat Hier. cap. 13. dicens:

Digitized by Google

dicens: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* His accedit quod proprietates inquiramus Religionis ipsius nō Religiosorum hominum. Cum autem Religioni respondere doctrina soleat, meritò Religio illa sancta videbitur, quæ doctrinam sibi annectet consentientem virtutibus. Eritque per accidens, si eorum aliquis tradat se vitiis, nec ea Religioni vel doctrinæ huic adscribi iure poterunt, sed peregrina censeri debebunt; quemadmodum imputanda non sunt picturæ arti errata pictorum sed solis pictoribus, quandoquidem ea non præscribit leges quibus erretur, sed quibus non erretur. Vix vllum credo esse Prædicantem qui hoc non videat, tametsi vt infra videbimus, apud incautam plebem non satis id perspicientem, sed religionem ex moribus ferè metientem, vehementer vrgere soleant quantulamcunque nostrorum corruptelam, vt iure à nobis discessisse videantur, cum tamen hæc non sit vera sui causa schismatis, sed libertatis amor. Sic Crœsus dicebat se bellum gerere contra Cyrum propter iniuriam illatam Astiagi, cum tamen vera causa esset, vt Cyri potentiam minueret, ne ab illo tandem opprimeretur. Herod. lib. 1.

His positis de Catholicis nostris tria demonstranda suscipiemus; Primum, doctrinam qua imbuuntur, ad virtutes omnes ducere & inclinare. Alterū eorum complures fuisse, ac nunc etiam esse insigni virtute præditos. Tertium eos qui dicuntur prauis esse moribus, procul abesse ab extrema illa corruptela, cuius ab aduersariis insimulantur. §. 3.

Quod ad primum, doctrina qua imbuuntur, partim continetur fidei articulis, partim Theologia morali & sacris canonibus. Inter alios fidei articulos credunt, cum Psalmographo debere hominem qui vult vitam, & diligit dies videre bonos, diuerti à malo, & facere bonum, & ire de virtute in virtutem, vt videatur Deus in Syon. odio esse Deo omnes qui operantur iniquitatem, in amoribus autem quotquot benè agunt, & solidas virtutes consectantur, vt præmium cuilibet virtutis operi, sic vitioso cuiuis parari à Deo supplicium, opera sola quæ fecerit sequutura quemlibet ex hac vita discedentem, & cum auctore illo suo comparitura ante tribunal Christi, vt secundum illa recipiat prout

gesit in corpore suo, siue bonum, siue malum. Neminem vi ad malum trahi, ne illum quidem qui callum contraxit malæ consuetudinis, præditum esse quemuis libero arbitrio, quo adiutus & simul diuina gratia (nunquam negari solita facienti quod in se est) posit tametsi cum aliqua difficultate à peccato etiam inolito abstinere, & mutari in virum alterum, atque in seipso facere noua omnia, sicut scriptum est Isa. 35. *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & iunci, & erit ibi semita, & via sancta vocabitur.* Et cum nemo necessitate adigatur ad peccandum, esse cur sibi vni adscribat ruinam propriam. Item neminem esse dum hic viuit de sua salute securum, occultante Deo prædestinationis reprobationisq; mysterium, nos de salute illa futura coniecturam maiorem, aut minorem habere, prout virtutibus bonisque operibus plus vel minus incumbimus, iuxta illud 2. Pet. 1. *Fratres satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis.* Incertissimam denique esse mortis horam & modum, occasionem omnem præcisuræ, & benè agendi & resipiscendi; non esse proinde cur quis tardet conuerti ad Dominum, ac differat de die in diem, sed confestim admouendam manum extirpandis vitiis, serendis virtutibus, vt Deo digna mens inueniatur, & parata reddere vitæ suæ rationem quacumque ille hora venerit.

Habet his affinia multa Theologia nostra moralis, virtutem esse rationi ac proinde naturæ nostræ conformem; vitium vero violentum ac dissentaneum contraria de causa, singularem esse virtutis pulchritudinem, quam proinde nullus erubescit, sed ostentat libentissimè sibique gratulatur, vitium autem turpissimum, quod idcircò latibula quærit & tenebras, *Qui malè agit odit lucem, & non venit ad eam, vt non manifestentur opera eius.* Virtutis radices esse amaras, sed fructum dulcissimum, & vitæ præclarè anteactæ recordationem iucūdissimam; at vitij rationem prorsus contrariam, vnde vultus Cain patrato parricidio concidere cœpit, & Propheta post peccatum tota die contristatus ingrediebatur, nō erat pax ossibus eius *peccatum meum,* inquiebat, *contra me est semper.*
Psalm.37. Deniq; operosius reuera esse malè quam benè agere, vt verè scri-
Psalm.50. ptum sit, *multa flagella peccatoris.* Et experientia docet in gulosis &
Psalm.31. ebriis respectu temperantium, in auaris Institoribus respectu cætero-

Digitized by Google

terorum,in adulteris respectu continentium,in furibus & latronibus respectu innocentium. Nemo profectò tam duræ est ceruicis, vt dum hæc & similia secum reputat non exardescat in vitij quidem odium virtutis verò studium, & non acceleret quicquid boni potest, operari. Quia verò satis non est velle benè agere,nisi teneatur agendi modus,examinat accuratissimè huiusmodi Theologia partes & circumstantias omnes peccatorum, vitandas etiam docens eorum suspiciones & pericula, ac ne vnum quidem veniale mundi totius lucrifaciendi gratia committendum.

Tandem Ecclesiasticis decretis seriò monentur vniuersi,præcipuè autem Clerici virtutem omnem colere vitiorum fibris radicitus euulsis. Iuuerit hoc propius intueri, quo certius lector intelligas qualescunque eiusdem Cleri corruptelas, minimè esse instituto optimo adscribendas, sed priuatis personis. Proferemus autem ad hoc demonstrandum non solùm ius vetus, sed etiam nouum, quod scilicet continetur Tridentino Concilio, vt cum viderint Nouatores quantum in eo viguerit studium pietatis confundantur,& erubescant valde considerantes nullo modo defuisse in Ecclesia Catholica puritatis omnis curam & integritatis,eo etiam tempore quo in ea iactarunt prostrata esse omnia, sensum omnem virtutis extinctum,ius omne pessundatum. Prohibentur primo quæstuosis nundinationibus studere Concil. Elib.c.19. implicare se negotiis secularibus,c.1.& 2.*Ne Clerici*,tabernas frequentare c.fi.de vit.& hon.Cler.interesse choreis & spectaculis histrionicis c. *non oportet*. de cons.d.5.rebellare in superiores.c *coniurationum* 11.q.3. habitare cum fœminis suspectis. c. *interdixit*.dist.32.& c.1.de cohabit.Cler.comam alere Conc. Carth.4.c.44.vestitu superbire,ibid.c.45.habere ad venandum canes & accipitres, c. *Episcoporũ*,d.34.& c.de Cler.ven.inebriari,c.fi.d.35.incedere cum armis vel habitu seculari,c.2.de vita & hon.Magicas artes exercere,c. *si quis Episc*.26.q.5.mercatores agere,c.1.*ne Clerici*,vel caupones,d.44.aut mimos, c.51. sextæ Syn. Simoniæ labe inquinari tit.de Sim.vacare impudicitiis, 36.q.1.sine corona,sine decẽtibus & talaribus vestimentis incedere, c.*lex illa*,36.q.1. Hæc omnia sub grauibus sancita pœnis confirmauit innouauitq; Concil. Trid.sess.22.c.1. de reformat. & sess.6. c.1.art.3. & sess.24.c.12.& 25.

Digitized by Google

cap.1. Specialiter autem seuerum ponit interdictum Concubinariis, sess. 24. c. 8. 14. 17. & 18. sess. 25. c. 1. de purg. & cap. 7. de Regul. & in titulo de Indulgent. vt profectò Sectariis dicere cum Augustino possimus. *Nunc vos illud admoneo, vt aliquando Ecclesiæ Cath. maledicere desinatis vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.*

Lib. 1. de morib. Eccles. c. 34.

Quod ad secundum, plurimi in Ecclesia Catholica perfectioni student, ergo & virtutibus. Consequentia patet, quia perfectio creaturæ rationalis in hac vita non est nisi secundum virtutem. Probatur Antecedens quia Christus, cui valde benè explorata fuit veræ perfectionis ratio, perfectos vocat, qui quo expeditius eum sequantur abdicāt se bonis suis omnibus, eaq; in pauperes distribuunt, *Si vis perfectus esse*, inquit, *vade vende omnia bona quæ habes, & da pauperibus & veni sequere me.* Hoc autem fecisse ac facere quamplurimos, meridiana est luce clarius. Iam si tantum habet professio voluntariæ paupertatis, vt perfectio ab illo appelletur, quid erit si ei professio accedat castitatis & obedientiæ, per quas voluptatibus omnibus propriæque voluntati nuntium remittitur? Resultare profectò necesse est statum quempiam eximium, & auaris, & coniugibus, & viris Principibus tanto admirabiliorem, quanto primi magis se factos sentiunt ad lucrum vndique captandum, secundi ad res vxorias, tertij ac postremi ad leges dandas non accipiendas, & suo non alieno viuendum arbitrio.

Matth. 19.

Prætereà certum est, & fatentur aduersarij ad Ecclesiam nostram Catholicam, seu Romanā pertinuisse S. Benedictum, Germanum, Bernardum, Claudium, Franciscum, Dominicum, &c. nihilo autem obscurius est eos claruisse virtutibus, quarum fidem faciunt insignia illa quæ patrarunt miracula. Habuit ergo Ecclesia nostra viros virtute præstantes, etiam ex quo dicitur à sycophantis nitorem suum amisisse; Habet insuper hac ætate non paucos: Quomodo enim fieri potest, vt sancti quorum iam memini probitatem illam suam ad successores suos plurimos non transmiserint? nonne scriptum est. Eccles. 44. *Illi sunt viri misericordiæ quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum permanent bona, hæreditas sancta nepotes eorum; & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos vsq; in æternum manent, semen eorum, & gloria eorum*

rum non derelinquetur? Ecquam multa in Pio V. in Gregorio XIII. & recentioribus aliis Romanis Pontificibus notare poſſem æterna laude digniſsima ſi non eſſent in conſpectu omnium? Quales fuerunt hac ipſa ætate noſtra Cardinalis Polus, Cardinalis Borromæus, Cardinalis Hoſius, & Cardinalis Baronius, Ioannes Roffenſis Epiſcopus, Ioannes ab Auila in Bœtica Hiſpania, Ludouicus à Granata, Philippus Nereus? Quis eorum pietatem, modeſtiam, & integritatem nō eſt admiratus? Ac ne Laicos ipſos omnino prætercam, nemo facile deſcripſerit Thomæ Mori Angliæ Cancellarij, egregijque Martyris ſanctitatem pari cum eruditione coniunctam, nec ſimiliter tot aliorum tam vnius quàm alterius ſexus, qui poſt vitam integerrimam ceruices ſuas pro auitæ fidei defenſione impiorum gladiis in eadem Anglia ſuppoſuerunt.

Adhæc ſicut ſuperbia vitiorum, ſic humilitas virtutum matrix & mater eſt. Obedientia ſimiliter incomitata non procedit, ſed reliquas ſibi virtutes adſciſcit. *Obedientia ſola virtus eſt*, inquit S. Gregorius, *quæ menti cæteras virtutes inſerit inſertasq; cuſtodit.* Docuimus autem lib. 2. cap. 3. & 4. §. 3. has duas virtutes in Catholicis noſtris valde eſſe ſpectabiles, nihil ergo veriſimilius, quàm inſtructos quoque eſſe reliquis. *Lib. 35. moral. c. 10.*

Non valentes æquis auribus iſta audire Sectarij, quid faciũt? acuunt linguas ſuas in criminationem, vniuerſum Clerum noſtrum verſari clamant, & affirmãt in cœno vitiorum, hac iniquiſſima calumnia flagellant omnes, neminem excipiunt, à planta pedis vſq; ad verticem inquiunt non eſt in toto illo corpore ſanitas. & hoc faciunt, vt cum veritate ac iure nequeant in vulgi odiũ adducere perſonas Eccleſiaſticas, portentoſis ſaltem exaggerationibus confictiſque mendaciis id aſſequantur. Interim non vident, quàm malè de temporali Magiſtratu, mereantur tacitè illum accuſantes ſummæ perfidiæ, quæ maior eſſe nō poteſt, quàm à Republica cuius ſe bono conſulturos iureiurando receperunt, tot peſtes non excludere quot numerantur Clerici, ac inter alios Religioſi, ſi quidem vt prætenditur omnes ad vnum vſque facinoroſiſsimi ſunt. Tantùm verò abeſt vt excludant omnes, vt paſsim hoc etiam tempore ſummis eos votis expetant, ſtudioſiſsimè accerſant, humaniſsimè ſuſcipiant, multiplici honore affici-

afficiant, & se habere plurimùm glorientur. Nota quippe iis est, multisque experimentis probata illorum virtus tanto illustrior, quanto pluribus, & iniquioribus petita est accusationibus, quas omnes discussit tandem veritas filia temporis. Non etiam considerant se apud sapientes, tot tamque hyperbolicis exaggerationibus omnem dictis suis fidem abrogare. Quemadmodum enim non adeò esset incredibile prima fronte aliquibus Clericorum dogmatibus subesse falsum, aut ritibus superstitionem, aut eorum aliquos esse vitiis deditos, ita omnem prorsus excedit fidem quod meretricia fronte pronuntiant omnia vel ferè omnia illorum dogmata errores esse merissimos, omnes ritus meram spirare & olere superstitionem, eorum rursus quemlibet omnium esse vitiorum mancipium. Nemo Genium hunc miretur Nouantium, à multis Clericorum virtutibus oculos auertentem, in quædam vitia intendentem, Elephantos de muscis facientem, & paucorum loco ostentantem plurima, tumet enim inuidia, fascinâtur odio nunquam aliquid vt est referente, sed nato,

Et Solem geminum, & duplices ostendere Thebas.

Eodem auctore idem prorsus faciunt quod muscæ, quod gallinæ, quod item sues fœtidæ. Quid verò illæ faciunt? posthabitis compluribus sanis equinæ cutis partibus, ad vnam vlcerosam sugendam conuolant. quid gallinæ? Sæpè neglecto quod apponitur pabulo malunt in angulo scalpentes aut verrentes scrobem, vnum è stercore hordei granum depromere. Quid sues? ad fimum solum currunt coniectum in angulum horti amplissimi eiusdemque excellentissimi; sic isti Clericorum complurium tam Regularium quàm secularium dissimulantes bona, quidquid ingratum videri potest auidissimè rapiunt, & inferunt quoad possunt in oculos, auresque omnium. Exemplum cum Romam eunt, nihil eis curæ est, sacrorum monimentorum quæ ibi prostant, pia cogitatione affici, Romanæ Sedis præcellentem auctoritatem, cum omnibus terrræ partibus communicantis perpendere, Romani Pontificis humilitatem atque modestiam contueri, augustissimum illum Cardinalium Senatum admirari, feruentia in Xenodochiis notare Christianæ pietatis

Digitized by Google

tatis officia.pulcherrimam Regularium Ordinum varietatem aſpicere, & in ſingulis homines ſelectiſsimos; ſed duntaxat tolerata non ſine ingenti dolore in vno vrbis angulo lupanaria, ſed Iudæ alicuius ſacrilegam cupiditatem,&c. qua iniqua obſeruatione non contenti cauſantur Clericos illos omnes torpere otio, quia ſtiuam non tenent, quia negotiando maria non tranſuolant, quia vix domo egrediuntur, ac ſi Deo in choro laudes dicere, orare clauſo iuxta Domini conſilium cubiculo, in meditationes, & Lectiones ſacras incumbere, populo Deum precibus conciliare, in cubilibus compungi, adminiſtrationi Sacramentorum, prædicationi Euangelij, viſitationi infirmorum, inſtitutioni Iuuentutis operam dare, ſit otio putreſcere. Hæc cogitanti mihi in mentem venit quod in quadam epiſtola ſua ſcriptum reliquit Auguſtinus. *Hæretici non habendo quod in cauſa ſuæ diuiſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ipſa plura falſiſsimè iactant, vt quia ipſam diuinæ ſcripturæ veritatem, quæ vbiq; diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur criminari & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur adducant in odium, de quibus fingere quæcunque in mentem venerint poſſunt.* In ea vrbe reperire eſt malos fateor, ſed reuera viciſsim abundat multis optimorum millibus, atque vt à plurimis iudicio præſtantibus ſæpè audiui, qualem quis vult, talem eam inuenit & experitur. In eadem continentur vt ficus malæ malæ valdè ſic ficus bonæ bonæ valdè.

Sic proteſtatur S. Gregorius Nazianzenus in vita S. Baſilij Athenas etſi aliquibus pernicoſas, ſibi fuiſſe gemmeas, omnique ex parte beatas & proficuas. Vt exemplo alio intelligas Lector, peſsimam in hac parte fidem Nouantium, Clerici noſtri delicta longè ſupra verum amplificantium, & quod minus adhuc ferendum eſt, infinita mentientium. Caluinus in ſcholiis epiſtolæ Pauli III. ad Carolum V. quæ incipit *ex edicto maieſtatis tuæ*, de hoc Pontifice ſcabioſiſsimè loquitur, cum tamen laudatiſsimus fuerit Antiſtes Eccleſiæ, vt his verbis toti orbi teſtatum reliquit Onuphrius. *Breuem vitam Pauli Papæ III. Farneſij, qui vetera familiæ decora vehementer auxit, mandare literis aggredior. Nam me quoque ipſum licet aliena narrantem, res tamen ipſa & laudatiſsimi Principis acta afficiunt, rerumque ab eo præclarè geſta-*

rum maieſtate cogor eas poſteris tradere, ad eorum exemplum qui laudabiliter vixerunt, omnes qui hæc legent, vitæ ſuæ quaſi curſum inſtituant. Et infrà: *Puer ſingulari parentum diligentia educatus Romæ Pomponium Pætum primum audiuit, poſtea Florentiam vbi tunc temporis Græcarum ac Latinarum literarum clariſſimi erant Profeſſores, ad diſcendum miſſus celeberrima in Laurentij Medicis ſchola omnibus diſciplinis quibus illa ætas impertiri debet, imbutus ante omnia Latinas & Græcas literas magna fœlicitate didicit. Enituit enim ſtatim in eo ingenium viuidum, ſublime.* Et rurſus: *In his legationibus,* Viterbij & agri Piceni, *ita ſe geſſit, vt ſummis infimis æquè gratus magnum ſui deſiderium munere defunctus Prouincialibus reliquerit.* Et inſuper: *Cum nequaquam quærendus eſſet qui in Clementis VII. locum legeretur; ſi legendus qui ætate, prudentia, rerum diuturno vſu, inueterata virtute, & præcellentibus literis præ omnibus ſine controuerſia emineret, Patres haud diu cunctati cogitauerunt eum nouo, & inuſitato exemplo ante celebrata nouemdialia ſine vllo conclauis cœtu demortuo Pontifici ſurrogare, quod ipſe tanquam præter Maiorum morem conſtantiſſimè recuſauit.* Item, *Nullam vnquam à multis ſeculis comitia ſincerius, ſimplicius, concordiusq́ inita peractaq́ ſunt, cum nullo liuore protracta, nullo ambitu corrupta.* Item, *Deprauatis Clericorum moribus corrigendis nouem grauiſſimos & doctiſſimos viros delegit, Caſparum Contarenum, &c.* Ac tandem, *fuit hic Pontifex multis inſignibus virtutibus clarus humanitate, affabilitate, clementia, comitate, præcipuè verò prudentia ſingulari.*

Si Pontificem ipſum & quidem talem ac tantum maledicentiis ſuis impetere Caluinus non erubuit, nihil mirum ſi nemini parcat inferiorum, neminem excipiat, omnibus ſimul detrahat quaſi coniectis in faſciculum, vt ſontibus ſic inſontibus (& ita quidem vt multa dicens nihil probet) quod quam iniquum ſit, nemo non videt. Quid enim iniquius quàm ſic in nocentes tela vibrare, vt non hæreant in illorum pulmonibus, ſed per eorum latus ij quoque ſaucientur, qui tales non ſunt? In mea patria proprium id eſt, fatuorum, temulentorum, arreptitiorum, furentium. Quanto iuſtius fuit Alconem imitari, cuius filium Phalarum vbi ſerpens amplexus eſſet, arrepto arcu ſagittæ ictum ita ſua arte direxit & temperauit, vt in ſerpente transfixo conſiſteret, nec in filium tranſiret innocentem. Sunt profe-

profectò Caluine inter Catholicos etiam Eccleſiaſticos vt dicere cœpi boni multi permixti malis, quorum multo magis quam iſtorum habenda erat ratio cum melior ſit vnus timens Deum quàm mille impij, Eccleſ.16. Te item tuosque veteris prouerbij memores eſſe oportebat.

Loripedem rectus derideat Æthiopem albus.

Qui enim eſtis vos, qui tanta ſeueritate alienos mores carpitis & exploratis? an immaculati in via, & non potius flagitiis, vt infrà oſtendemus cooperti? iniquè itaque Clerum illum noſtrum traducitis, & exhorretis, quem magis ob communem improbitatem amare oportuit. *Obiice crimina quæ volueris*, inquiebat Iouiniano S. Hieronymus, *argue luxuriæ & deliciarum, magis me amabis, ſi talis fuero ero de tuo armento.* Ita profectò eueniret ſi ſola in eo eſſet morum improbitas, ſed aliud quiddam eſt quod illi omnem apud vos inuidiam conflat, Catholicæ inquam religionis fideique profeſsio ac propugnatio; argumento eſt, quia quoties euenit ſacerdotem aliquem noſtrum vita corruptiſsimum ad vos transfugere, mox hominem complectimini, & quam morum corruptelam prius in eo deteſtabamini, iam miſſam facitis, cum tamen locum duntaxat non pellem mutauerit, immo etiam vobis eandem corruptelam gratulamini velut iudicium certum certæ ad vos defectionis reſipiſcentiam nullam promittentis.

Contrà, in Mahumetis doctrina affluenter occurrunt incentiua omnium vitiorum. Tollit primò in Azo.6. & 7. diuinam prouidentiam fortunæ committens ſublunaria omnia; ſed & fatum in hominibus ponit, ac docet quemuis circumferre ſortem ſuam fronti inſcriptam. Si ita eſt inquit ſtatim animus, ſi non curat Deus quæ ſub cœlo fiunt, non eſt cur vllo eius timore à vitiis mihi iucundis abſtineam, ſi dicta lex eſt eaque immutabilis, vt nequiter agam fruſtrà contendero benè agere. Eiuſdem concluſionis inferendæ occaſionem præbet in Azo.2. hominem dicens orbatum eſſe libero arbitrio, nec poſſe voluptatibus præſertim carnis reſiſtere. Item in Azo.9. ſcribens §.4.

Digitized by Google

Deum nunquam placari magnis peccatoribus. quis autem magnum ſe eſſe non credat, ac ſaltem ſuſpicetur? & cum credat non prorumpat deſperabundus in quælibet flagitia? Item in 17. dicens quoſdam eſſe peccatores quos Deus omnino vult aberrare, nec inuenire ſalutis viam. Sanè dubitare quiuis poteſt, num in iſto ſit numero, & concludere quod ſi ſit, irrito conatu ſtudeat malum deuitare, cum nec Dei poſsit conſilium diſſoluere, nec ſtatuta refigere, nec potentiam cohibere. Item in Azo. 6. vbi tradit quoſdam à morte ad vitam in iudicij die non reuocatos iri. Iam verò cum nemo neſciat vtrius conditionis ſit, & beatitudinem ſummè appetat, & periculum ſibi imminere videat, ne vllam in alia vita defectu reſurrectionis ſentiat, facilè adducitur, vt certum incerto præferat, & dum hic viuit vitia omnia colat, quæ ad temporalem fœlicitatem facere poſſe videbuntur. Item in Azo. 10. 12. 18. 19. 27. & 32. vbi affirmat bonum eſſe & Deo gratum, immò præceptum, & magno in cœlis præmio coronandum, ſi quis graſſetur, ſi alienas fortunas diripiat, ſi exteras nationes quantumuis innocentes ſeruituti ſubiiciat. Nihil certè hac doctrina ad accēdendum furorem & truculentiam efficacius, nec iam mirum ſi ea imbuti Muſulmanni exultent inter ferina arma vt inter paleas mures, & pro iis qui in bello occumbunt, orare nefas putent, vtpote certo certius tranſlatis in cœlum.

Item in Azo. 28. 64. & 65. vbi diſertè tradit beatorum in cœlo ſtatum in ſola fruitione deliciarum, carniſque voluptatum conſiſtere. Textus ſic habet. *Hæc eſt maxima merces & interminabilis, illic accubabunt tapetibus ſericis, & ſtramentis purpureis, ducentáq; puellas formoſiſſimas inſtar hyacinthi & margaritarum. Erunt & arbores colore inter viridem croceumq; nitentes, fontes & poma ac palmæ. Miniſtrabunt adoleſcentes pulcherrimi cum phialis, vaſisq; cæteris refertis odore gratiſſimo.* Hæc cum recitantur cogitationem mox iſtam ingenerant, nihil præſtari à me laudabilius poteſt, quàm ſi beatorum ſtatum quandiu communem hic aërem ſpiro, in meipſo coner exprimere. At perpetuis ibi vacatur poculis, amoribus, voluptatibus, ac deliciis, ergo hæc omnia mihi iam ſunt conſectanda ſpreto ſtudio virtutis omnis non ſinentis habenas laxare cupiditatibus.

Item

Item in Azo.8.vbi polygamiam concedit,ſeu facultatem ducendi vxores quot quiſque volet poteritque alere, etiam ſorores & alias conſanguineas, modo cum iis antè coniugium non coierit,ſic enim loquitur: *Omnes hæ mulieres vobis interdictæ ſunt,matres, filiæ, ſorores,amitæ,neptes,materteræ, nutrices,germanæ collactaneæ,matres etiam & filiæ vxorũ veſtrarum ſi à vobis tactæ fuerint, ſin autem licitæ.* Vſum infandæ huius polygamiæ cũ conſanguineis confirmat Cuſpin. in tract.de Relig.Turc.cum ait: *Apud Turcas polygamiam cũ conſanguineis contractiorem eſſe quàm cum cæteris, nec extendere ſeſe niſi vſque ad quatuor.* Item in Azo.3.vbi permittitur cuiuis præter vxores proprias religione Mahumetanas, ducere quot volet cõcubinas ſiue Chriſtianas,aut Iudæas,ſiue gentis alterius.Item in 8.vbi concedit diuortium:*Cum contigerit,*inquit,*à vobis vxores veſtras non diligi,vnam pro alia mutare licet.*Ita vides licere maritis duobus vxores inter ſe ſuas permutare. Vides præterea apud eos illegitimas eſſe proles ferè omnes:ſolent autem quæ tales ſunt eſſe nequiſsimæ. Quid plura? patriis quoque legibus fulciuntur apud illos parricidia, vt patet ex reſponſo, quod apud eundem Cuſpinianum matri ſuæ dedit Mahumetus. 2. poſtquam occidit Thurſinem fratrem ſuum vix ſeſqui anni puerulum. Matri inquam huius cædem multis proſequenti lachrymis reſpondit: *Veterem Ottomannorum Principum conſuetudinem eſſe,vt cæteris interfectis vnus relinquatur in regno. Namq; vt plures non ſunt Dij,ſic non debere plures admitti Reges.*

Huic peſtilentiſsimæ doctrinæ, his immanibus & ab omni ratione alienis legibus exactè mores ſuos accommodant.In modicis quibuſdam nos ſuperant, vt quod veſtes habeant ſimplices non variegatas,non inciſas,nõ rugarum multitudine ſuperfluas, quod braccas deteſtentur, quod ſimplicibus ædificiis delectentur, vt plurimum ligneis, eo quod inquiunt abſurdum videtur hominem peregrinum ſuper terram, ædificare quaſi nunquam ſit ex hac vita diſceſſurus, quod inſuper ludendo maximè à pecuniis abſtineant,quod vino rarò aut nunquam vtantur,quod vſuras inter ſe non exerceant, quod Iudices citiſsimè ius dicant, quod milites ruſticis patriis,nec iniuriam, nec damnum inferãt, quod mulieres velatæ, magnaque cum modeſtia & grauitate incedant,& rarò egrediantur domo,niſi ad ſui ſexus thermas & va-

poraria. Sed enim vincuntur innumeris aliis longè grauissimis, vt verè dici possint excolare quidem calicem camelum autem deglutire. Dicamus aliquid de Mahumete ipso primum, tùm de reliquis vniuersim.

Mahumetes primò Atheus fuit, vt constat ex dictis lib. 1. c. 2. §. 3.

Secundò superbissimus, vt demonstratum est lib. 2. cap. 3. §. 4. at quæ mala post se non relinquit ingens superbia?

Tertiò, impostor maximus, dictitans epilepsiam seu morbum comitialem quo laborabat illapsum esse diuini spiritus quem sustinere nequiret, vt auctores pene omnes referunt.

Quartò, ad mentiendum proiectissimus, vt te docebunt quæ dicturus sum lib. seq. cum de modo propagandi religionem erit sermo, & patet obiter ex Azo. 37. & 44. vbi ait, Reginam Saba intrantem Salomonis Regiam, & ratam pauimentum tersum ac politum aquam esse præterlabentem, sublatis vestibus crura detexisse vt transuadaret.

Quintò, latro & grassator publicus, siquidem comitatus Saracenis, quos contra Heraclium Imperatorem ad rebellionem concitauerat, vt ex variis Auctoribus scribit Cuspinianus in eius vita, vi Damascum, AEgyptum, & Arabiam occupauit, ac subinde regiones circumstantes, omnibus qui eius resistebant tyrannidi trucidatis, aut coactis solum vertere.

Sextò, adulter & periurus incomparabilis, ad quæ flagitia excusanda finxit in Azo. 76. Licere sibi iure diuino iis pro arbitrio se dedere.

Septimò, magiæ deditus, vt demonstratum est lib. 2. cap. penult. §. 3.

Octauò, libidinosissimus, ita vt ipsum non puduerit asserere in Azo. 43. Factam sibi à Deo potestatem scortandi cum qualibet etiam consanguinea, & sexdecim alios nebulones robustissimos in arte illa pecuina exæquandi. Eum sic locutum nemo miretur, hircus fuit salacissimus. Porrò,

quid Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ sint discrimina nescit.

Vxores 15. ei continuo fuisse multi scriptores memoriæ prodiderunt, alij 12.

Hanc

Hanc eius corruptelam per omnia, dissimulare non potuit Mahumetus II. Imperator, sed palam ei testimonium perhibuit. Sic enim in eius vita scribit Cuspinianus: *Nullum esse Deum putauit, Christianam fidem irrisit, Mahumetem Pseudoprophetam se longe inferiorem esse dixit, quod & Cyreneus fuerit, & fur & latro, & à Maioribus suis cum inhonestissimo vulnere in facie fugatus è Perside.* Denique doctrina eius detestabilis quam modo repræsentauimus, argumentum locuples est morum consimilium. Malos qui recta loquantur facilè inueneris, at bonos qui mala nuspiam. Ita fit vt si quis pessima quæque non cogitet solùm, sed prætereà eloquatur, in scripta referat, & executioni danda proponat, nequissimum sanè esse oporteat.

De sequacium moribus Septemcastrensem præstat audire, cap. 16. *Tot errores, mendacia, ineptias, impietates, & spurcitias vidi, vt ratum mihi fuerit centum potius annorum captiuitatem illam calamitosissimam perferre, quàm inter eos aggregari.* De iisdem hæc habet Antonius Maginus in descriptione Imperij Turcici: *Turcæ sunt hebetis & crassi ingenij, morosi, lenti, desides, & qui in suis negotiis moras semper nectunt, ad agrorum culturam inepti, auari etiam, & supra reliquas orbis nationes pecuniæ & diuitiarum auidi, apud quos omnis Iustitia venalis est, & nemini gratificantur nisi parata pecunia. Erga externos sunt insolentes, superbi & arrogantes, adeò vt non putent in vniuerso orbem esse nationem cum ipsis comparandam. Et dum loquuntur superbiam ipsam ostendunt. Deceptores sunt nec fidem aut promissa obseruãt, nisi quatenus ipsis commodum sit. Otiosi prætereà, & crapulæ ac ebrietatibus summopere dediti, adeò vt totum triduum in comessationibus absumãt. Ad luxuriam omnis generis propensissimi sunt, & pueros ad venereum vsum alunt.* Nempè cum totum Mahumetem ipsorum parentem flagitia ista operuerint, quid aliud ab eius gregalibus expectari potest, quàm viua quædam eorundem repræsentatio? neque enim rosa è squilla nascitur. Sciendum interim in eorum præcipuè religiosis & Imperatoribus omnem vigere nequitiam. De illis multa iam satis dicta sunt libro primo, quibus tamen addo illud à Cuspiniano: *Horum sacerdotes quamuis multam coram hominibus sanctitatem simulent, clàm tamen omnibus se flagitiis immergunt.* Atque vt quidam dixit,

Curios simulant & Bacchanalia viuunt.

Imperatorum autem notus est fastus de quo lib. 2. cap. 3. §. 4.

Nota

Nota perfidia, vt Solymanni erga Chienſes anno 1565. quos contra datam fidem inuaſit, & ſubiugauit teſte Leonclauio in ſupplem. Annal Turc. & rurſus Baiazethis, quando ſimiliter effractis iuriſiurandi repagulis inuaſit Neapolim, Naupactum, Methonem & Peloponeſum.

Nota parricidia vt Selymi qui in Baiazethem patrem bella mouit, eundem è ſolio deturbauit, fratres duos natu maiores è medio ſuſtulit, eorundem copioſiſsimam ſobolem extinxit, & paulo ante obitum 3. Baſſas, 5. Agas, id eſt, Ianizerorum præfectos, & 37. partim Beglerbeghos partim Sangiacos omnes Principes, & viros potentes necari iuſsit.

Nota quoque portentoſa luxuria ad quam expiendam habent Conſtantinopoli Gynecæum ampliſsimum, in quo aluntur regaliter in hunc finem, & cautiſsimè cuſtodiuntur ab Eunuchis ſelectæ fœminæ nunc ducentæ, nunc trecentæ vel etiam quadringentæ, quibus ne aliquid periculi ab Eunuchis illis immineat, perfectè euirantur hi miſeri abſciſsis omnibus, quæ argumenta eſſe poſſunt virilis ſexus. Quanquam autem hæc propriè ad Turcicam gentem pertineant, quid tamen de aliis quoque Mahumetanis ſuſpicari merito poſsimus non obſcurè ſignificant: quippe fieri non poteſt quin eodem afflati ſpiritu multum quoque inter ſe quoad mores conſentiant, vbi præſertim peſtilentes corruptique ſunt, quales facilè ad vicinos commigrant, & ſemel contracti ægrè admodum exuuntur. De Tartaris vt cæteros prætercam, hæc habet idem Maginus: *Sunt vt frequenter Tartari ſtatura mediocri, naſo ſimi, colore tetri & deformes, oculis intortis & concauis, ſola barba horridi, cætera raſi ſermone horriſono & clamoroſo.* Et infrà: *Incontinentiſsimi præterea omnium hominum ſunt, vxores enim ducunt quotquot volunt, & ſuſtentare poſſunt, etiam ſi conſanguineæ aut affines ſint, exceptis tantum matribus, filiabus & ſororibus. Deindè indifferenter cum maſculis & pecudibus ſeſe commiſcent. Victus immundiſsimi ſunt & ſordidiſsimi. Mappis enim non vtuntur & mantilibus. Aduectum vinum auidiſsimè bibunt, vſq; ad ebrietatem quæ apud eos gloria eſt.*

§. 5. Idem per omnia de Sectariis noſtris iudicium. Namque vt hinc incipiam, conſtat illorum doctrina axiomatis plurimis ad improbitatem omnem inducentibus.

Docent

Docent primò Deum eſſe peccati omnis authorem, vt iampridem demnnſtratum eſt lib. 1. cap. 5. §. vltimo, quod qui audit facilè ſecum ſtatuit, nullo modo eſſe occurrenti peccato reſiſtendum, cum hoc ſit Deo ipſi velle reſiſtere, ob idque impoſsibilia conari. Hoc ſane eſt, quod ex præclaro iſto capite Libertinos ſuos intuliſſe ſcribit Caluinus in lib. contra ipſos, ita loquens in perſona eorum: *Cum omnia ſint opera Dei, licet hominibus veluti laxis habenis quicquid in mentem venerit agere, non ſolum quia ſumus extra peccandi periculum, ſed etiam quia deſiderium aliquod cohibere eſt impedire Deum*. Et infrà: *Ita curandum non eſt, vt rapta reſtituantur, quia non eſt conueniens, vt deinde corrigantur.*

Docent ſecundò expertes ſe eſſe liberi arbitrij, ex quo ſequitur nihil ſe diſtare à brutis quantum ad proſecutionem rei cuiuſcunque delectabilis, & cuiuſlibet moleſtæ fugam; proindeque non magis ſibi deliberandum, debeantne relicta virtute aſpera, in vitium ferri blandum & iucundum, quàm accipitri ſit ne conſultum à coruo inimico recedere, columbam autem conſectari.

Docent tertiò obſeruationem diuinæ legis eſſe impoſsibilem, quod dum mens ſecum ipſa verſat, tanto minus adducitur, vt ei det operam, quanto magis exhorrere ſolet operam ludere, & labore graui eodemque irrito ſeſe conficere.

Docet quartò Caluinus in libro de prædeſt. & lib. 3. Inſtitut. cap. 21. 22. 23. & 24. neq; prædeſtinationem coniunctam eſſe cum præuiſione cooperationis ad gratiam, quę offertur omnibus, nec alteri quàm nolenti deeſt, vt docuimus lib. 5. cum tamen verè ſit coniuncta non quidem veluti cum cauſa, ſed veluti cum comite nunquam defutura; Nec ſimiliter reprobationi perpetuò adiunctam eſſe præuiſionem defectus cooperationis, cum tamen ſit ſemper idque tanquam cum cauſa, atque ita cum ſit liberum, & in poteſtate noſtra cooperari & non cooperari, ſequitur liberam eſſe tam prudeſtinationem ſecundum quoſdam effectus quàm reprobationem, & eo ſenſu pendere à nobis, quod neutra ſine nobis, ſed illa ſecundum quid à nobis ſit, iſta ſimpliciter. Hæc inquam docet, & docendo manifeſtam occaſionem præbet ſequacibus ſuis helluandi, libidinandi, atque vt verbo dicam, proruendi cæcis oculis in omne flagitium vi huius hypotheſis. Si me

Deus beatificare decreuit, perire non possum quidquid demum faciam mali, quia in decreto suo saluandorum hominum quos elegit, ad opera mala quæ facturi sunt, non attendit; nec contra saluari si me pœnis æternis addicere constituit, quicquid faciam boni, quia in hoc suo statuto prorsus immutabili ad bona quæ gesturus sum non respexit.

Docent quintò meritum, vim, & efficaciam nullam inesse iisdem bonis operibus, quo nihil aptius dici vel excogitari potest ad illa prorsus negligenda; negligi autem non possunt quin cateruatim succedant mala, non secus ac terra, tunc in lolium erumpit, & vrticas,& tribulos,cum producere cessat fructum bonum.

Docent sextò Deum auertere faciem suam à peccatis eorum, & neque tot neque tam enormia alicuius delicta esse posse, quæ non aboleantur ac saltem imputari desinant, statim atque peccator persuasum habet,ea sibi per Christum remitti, iustum se esse coram Deo,se olim baptismo initiatum,nec iam excidere posse à gloria beatorum. In summa se esse prædestinatum. Acutioribus perdifficile est ne dicam impossibile talia in animum inducere,stultis autem sibi blandientibus perfacile;qui dum tam efficax nequitię cuiuscunq; remedium adeò sibi ad manum esse perspiciunt,aggrediuntur vltrò quodcunq; facinus,& ebriosos imitantur, qui freti spe nauseæ statim concitandæ intemperantissimè se vino proluunt.

Docent septimò non pauca quæ illegitimos concubitus supra modum multiplicant. Exempli caussa Anabaptistæ, neque simplicem fornicationem soluti cum soluta, quæ non sit filia familias, neque alium quemcunque coitum esse peccatum. Item vxores debere esse communes. Et Caluinistæ,fas esse vxores proprias repudiare propter morositatem, vel propter absentiam, odium, adulterium, superuenientem sterilitatem, religionis mutationé,& repudiatis alias surrogare. Item licere maritis duobus suas inter se permutare (vt propè Monpelgardiam ante annos 16. factum constat, & fieri posse prædicans Pseudoeuangelicus declarauit, pago nomen est Montechelon) negligendos omnes affinitatis gradus,tertium item & quartum consanguinitatis. quid dico tertium?immò etiam secundum. De hoc siquidem cum interro-

Digitized by Google

terrogasset Minister Normandiæ in Caluiniana Synodo Lugdunensi. *Liceretne alicui propriam neptem in vxorem assumere*, responsum accepit in articulo octauo his verbis, *curent omnes hac, & aliis id genus coniunctionibus scandalum nullum afferre, vbi tamen aberit periculum scandali, permittuntur.* Item fas esse sacerdotibus ad se transfugientibus ad matrimonium conuolare, quale certè nihilo verius est quàm illud quod cum alterius viuentis vxore celebratur; aut quàm verum est licere ea quæ semel Deo dicata sunt, ad humanos vsus transferre. Sunt inquam hæc omnia capita totidem fontes prolis spuriæ, qua proindè abundant Sectarij. Eam verò quis vulgo nescit esse improbissimam? hoc docent filij Loth. Gen. 19. hoc Abimelech Iud. 9. hoc Goliath 1. Reg. 17. ob id talibus ad regularem statum apud nos via præcluditur. Sed neque in fide vera stabiles solent esse, nec in bello strenui cap. *si gens* dist. 56. tales à regnorum successione excluduntur, & vt habet rythmus quidam Geneuensis.

S'ilz sont bien s'est d'auanture
S'ilz sont mal, s'est par nature.

Docent octauò opera omnia quæ bona dicuntur, esse reipsa peccata seu infecta labe ob concupiscentiam, quæ inhabilem & ineptum reddit hominem ad aliquid agendum, quod sit reipsa pureque bonum. Haud dubiè qua ratione intelligunt ac credunt nefas esse peccare, eadem possunt confestim argumentari, non licere sibi aliquid boni facere.

Docent nonò vsuram licitam esse, modò non excedat leges seu taxam Principis, & tamen eam reprobat vniuersim Scriptura sacra; quæstioni siquidem factæ Psalm. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondet Propheta inter cætera, *qui pecuniam suam non dedit ad vsuram.* Dicent loqui Psalmum de vsura illicita, quæ taxam excedit non de alia. Sed contra ex qua Scriptura hauserunt talem distinctionem? an non ij sunt, qui nihil recipiendum, quod scriptum non sit pronuntiant? Præterea quo iure illicita potius sit, quæ taxam excedit, quàm quæ non excedit? An ignorant mutuum vnum esse ex contractibus commutantis iustitiæ, hos autem contractus vt iusti sint, niti debere æqualitate interueniente à parte rei, inter id quod datur & accipitur; Principis autem authoritate & edicto neque æqualia euadere quæ prius

non erant, neque non æqualia quæ erant? Verum est iustificari contractum vsurarium in foro externo vt loquuntur, si taxæ illius non transiliuntur fines, quia præsumit publica potestas cessare mutuatori vi mutui iustum lucrum respondens auctario seu summæ quæ supra capitale iuxta taxam exigitur, vel procreari damnum æquiualens, quod compensari debeat. Verùm decet viros spirituales eos maximè, qui Religionis videri volunt reformatores, de hoc contractu definire quod licitum est quoad conscientiam, & coram Deo, non quoad homines quorum præsumptiones extrinsecæ sunt, & proposita fallaciis plurimis.

Doctrinæ huic pestilenti affinis est consuetudo nunquam meditandi, nec obiiciendi mentis oculis vitam seu mores Christi & Sanctorum, cum interim hanc considerationem atque etiam imitationem valdè commendet Apostolus dicens: *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem.* Et constet rerum ab iis præclare gestarum memoriam multum valere ad excitandos posteros, vt virtutem similiter colant, vitia fugiant. Nam & Cæsar cum Quæstor in vlteriorem venisset Hispaniam, & mandato Prætoris iure dicundo conuentus circumiret, postquam Cades venit animaduersa apud Herculis templum Alexandri magni imagine ingemuit, & quasi pertæsus ignauiam suam, quod nihil dum à se memorabile actum esset in ea ætate, qua iam Alexander orbem terrarum subegisset, missionem continuò efflagitauit ad captandas quamprimum maiorum rerum occasiones, & tot res postea tantasque gessit, vt vel Alexandro par, vel secundus sine controuersia haberi queat.

Hebr. 13.

Descripturus nunc mores Nouantium, & volens breuitati consulere, attingam duntaxat eos qui notati sunt in ipsismet Antesignanis, atque in coætaneis illorum gregalibus. Ex hoc quippé quales hodierni sint satis apparebit, habentes haud dubiè ius dicendi cum Helia: *Meliores non sumus quàm Patres nostri.*

3. Reg. 19.

Lutherus præter intolerabilem fastum & arrogantiam mortales omnes vicit maledicentia, nullius statum est reueritus, non sum-

Digitized by Google

summos Christi Vicarios ac B. Petri successores, non Imperatores, Reges, ac Principes, vt eius scripta declarant. Testatum prætereà reliquit multa à se dicta factaque reluctante conscientia, proindeque ex certa malitia. *Quoties mihi palpitauit tremulum cor*, sic loquitur in lib. de abroganda Missa priuata, *& reprehendens obiecit fortißimum illud argumentum, tu solus sapis? totne errant vniuersi? tanta secula ignorauerunt? quid si tu erres, & tot in errorem trahas æternaliter?* Fuit libidinosissimus cum sacris initiatus virginem Deo sacram ad concubitus duplici via incœstos assumpserit, varias ex ea proles genuerit, venereos æstus suos prædicauerit comment. in Psal. 31. Prou. negans aliquid in terra esse amabilius vel dulcius amore mulierum. Quo sanè præconio de numero pecorum se esse probauit, si M. Tullio credimus hæc scribenti l. 1. offic. *Si quis est ad voluptates paulò propensior, modò non sit ex pecudum genere, (sunt enim quidam homines non re sed nomine) quamuis voluptate capitur, tamen occultat & dißimulat appetitum voluptatis propter verecundiam.* Fuit ebrietati gulæque deditus, ita vt quemadmodum Troiam Græci, inuaserit illum mors Islebij somno vinoque sepultum. Fuit superstitiosissimus propter magnum & nefandum illud quod cum Diabolo habuit, commercium, de quo supra l. 1. c. penult. §. 4. fuit spurcissimus, quia sordes quas vel nominare pudor non sinit, in ore semper & calamo habuit. Hinc illud Thomæ Mori contra ipsum. *Hæc est Domini Doctoris peristice, qui cum sibi prius fas esse scripserit coronam regiam conspergere, & conspurcare stercoribus, an non nobis fas erit posteriùs, eius linguam stercoream pronuntiare dignißimam, vt vel meientis mulæ posteriora lingat suis prioribus, donec melius didicerit ex prioribus posteriores concludere propositionibus?* Et infra: *quandiu constabit reuerendam paternitatem vestram tam impudenter mentiri, licebit aliis pro Maiestate Anglicana lutum & stercus omne quod vestra putredo damnabilis egeßit, in vestræ paternitatis os stercorum omnium sterquilinium regerere, & in coronam vestram sacerdotalis coronæ dignitate exauthoratam, in quam non minus quàm in regiam scurrari decreuistis, omnes cloacas & latrinas effundere. Dabis mihi lector, pro tua æquitate veniam, quod istius me nebulonis verba stolidißima coëgerint respondere talia. Nunc verò verius verbum illud sentio, qui tangit picem coinquinabitur ab ea. Etenim me neceßitatis etiam huius pudet, quod dum os hominis merdosum detergo, digitos meos concacatos video.* Hæc ille. Fuit immanis rebellionum incentor & author do-

Digitized by Google

cens in lib. de secul. potest. nullam debere esse inter Christianos superioritatem, vnumquemque enim alteri æquè subiectum. Vndè Principes Tyrannos vocat, & sic alloquitur. *Vestram tyrannidem & libidinem homines neque volunt, neque possunt tandem perpeti. Itaque vobis iam consulite.* Quo non contentus, populum concitauit vt nouam legem Agrariam postularet, ex quo armis eam extorquere volente, internecione à nobilibus deleta sunt centum millia, magna planè inferni hostia. Fuit supra modum iracundus, quæ tandem passio præcipitem illum egit in extremam pertinaciam. Vndè cum initio se totum Leonis 10. commisisset arbitrio in epistola ad ipsum his verbis: *Beatissime Pater prostratum me pedibus tuæ beatitudinis offero, cum omnibus quæ sum & habeo*, viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba vt placuerit, vocem tuam vocem Christi in te præsidentis agnoscam. Posteà tamen colloquia & disputationes varias cum Catholicis aliis instituens, & sibi resisti sentiens in iras exarsit, & verum deprehensum est quod notat Philo Iudæus lib. 2. Alleg. *Disputatio iram parit, ira pertinaciam.* Ne quis autem ob id improbabilia credat, quæ de illius corruptelis scribimus, quod aliquando fuerit Catholicus ab iis alienus, consideret eos qui ex balneo calent vehementius frigescere, & aquam frigidiorem esse quæ prius caluit, ex corrupto vino optimo fieri acetum fortissimum, Luciferum tandem & Iudam euasisse nequissimos.

His egregiis magistri sui virtutibus studiosè sese accommodant Lutherani, vt obseruauit ipsemet, dicens in Colloq. mens. *Eo res rediit proh dolor, vt dicant homines, ab bona opera, non me saluabit iustitia mea. Igitur auaritiæ studebo, fœnerabor, faciam quidquid lubet, aut delectationem mihi affert.* Et rursus. *Sic corradendis opibus, & opprimendis expilandisq; hominibus intenti sunt nostri, ita student auaritiæ, furantur, prædantur sub Euangelij nomine vt me pudeat.* De iisdem sic scribit Schmigdelinus & ipse Lutheranus ac Tubingensis Academiæ Decanus, *nulla sentitur in illis emendatio, sed horrida, Epicurea, ferina eorum vita cernitur, in comessationibus, compotationibus, pompis, & diuini nominis profanationibus siue blasphemiis. A suis Deus seriam requirit disciplinam, hæc verò ipsa apud istos nouus Papatus & Monachatus appellatur. Et vt totus mundus cognoscat eos non esse Papistas, nec bonis operibus fidere, nullum eiusmodi opus exercent ieiunij loco comessationibus nocte dieq; vacant, vbi pauperibus benefacere oportebat.*

Conc. 4 in c. 21. Luc.

Digitized by Google

rebat, eos deglutiunt, & excoriant, precationes vertunt in iuramenta, in blasphemias, in diuini nominis execrationem, idq; tam perditè, vt Christus ne ab ipsis quidem Turcis ita blasphemetur. Demum pro humilitate restat superbia, fastus, elatio, atq; hoc vniuersum vitæ genus ab illis Euangelium dicitur.

Alius quidam magnus Lutheranorum Satrapa fuit Eberus VVittenbergæ Præpositus. Is autem in præfat. Epistolæ ad Cor. hoc argumentum tractans sic scribit: *Tot & tantis confusionibus & scandalis deformatur totus cœtus Euangelicus, vt nihil minus esse videatur, quàm quod profitetur. Nam si ad docentes respicias videas quosdam vel ambitione, vel æmulatione, vel curiositate doctrinam corrumpere, & falsam audacter spargere ac pertinaciter tueri. Aliquos non necessaria certamina serere, & fouere implacabilibus odiis, aliquos religionem inflectere, figere, ac refigere ad nutum Dominorum & cœtuum quorum gratiam pluris faciunt, quàm gloriam Dei & veritatis propugnationem. Aliquos verò vniuersum id quod docendo extruxerunt, morum licentia & turpitudine rursum destruere. Si ad Auditores oculos conuertas, videbis Religionis & Christianæ libertatis fœdissimum abusum, contemptum sancti ministerij, disputationem, pro sanitatem, direptionem bonorum Ecclesiæ, ingratitudinem erga verbi Ministros, disciplinæ laxationem, effrænem contumaciam iuuentutis, & aliorum vitiorum segetem in dies vberrimam succrescentem. Quæ mala qui intuetur, non potest non vehementer animo percelli, & quassari dubitationum fluctibus ambigens, an hic cœtus possit esse Ecclesia, in quo tantum sit dissensionum, confusionum, & enormium vitiorum.*

Enituit inter eosdem Bucerus (tametsi non desint Caluinistæ qui eum suarum partium fuisse contendant,) quem operæ quoque pretium est audire loquentem. *Maxima eorum pars*, inquit ille in lib. de regno Christi, *visa est id tantum ex Euangelio Christi petiisse vt iugum qualiscumq; disciplinæ, pœnitentiæ, & religionis vniuersæ, quæ in Papatu reliqua fuit, abiicerent, proq; carnis suæ arbitrio ac libidine instituerent, agerentq; omnia.*

Addit Musculus in locis comm. cap. de Ministerio. *Euangelici nostri sibimetipsis adeò facti sunt dissimiles, vt cum in Papatu fuerint in superstitione religiosi, in Luce Euangelij agniti sint, huius sæculi filiis profaniores, vaniores, leuiores, & temerariores in diuersum latus inclinantes. Causas obiiciunt populo, quibus paulatim incidat in adiaphoriam omnium pessimam, & Epicurismum imbibat, omnis scilicet religionis extinctionem.*

Erasmi censuram præterire non debeo, cui intus & in cute perspe-

perspecta fuit species hæc Euangelicorum. *Lutheranos multos video,* inquit ille in Spongia aduersus Huttenum, & in epist. ad Pseudo-euang. *Euangelicos nullos aut paucos, circumspice mihi populũ istum Euangelicum, & obserua num minus illic indulgeatur luxui & libidini, & luxuriæ, quàm apud eos quos detestamini. Profer mihi quem istud Euangelium ex comessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalẽ, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores.*

Nicolaus Ciconia Princeps vnus Anabaptistarum, in tantum exercuit superbiam teste Vlenbergio in causa 9. vt se assereret de quocumque homine vbi primùm esset illum conspicatus, certum ferre posse iudicium, esset ne à Deo prædestinatus an nõ; quin etiam eo processit, si Lutheri colloquiis fidem damus, vt de doctrinæ quam prædicabat veritate, tam certum se esse diceret, quàm est Deus de sua. Intercessit praetereà illum inter & Dæmonem, magna quædam necessitudo, estque hic Angelus de quo loquitur Ioan. Manlius in locis comm. cap. de Ecclesia. *Apparuit ei Angelus, promisitq; eum fore reformatorem Ecclesiæ, sibiq; esse eiusdem regnum promissum.* Quod ad gregem ipsum Anabaptisticum, sufficit ad subodorandum quam corruptis sint moribus, & quàm difficile sit legitimam aliquam apud eos sobolem inuenire, sufficit inquã perpendere abominationi illis esse omnem Magistratum, velle omnes sui esse iuris, vxores habere communes, commisceri etiam consanguineis, & illum vel illam omnem cui dicitur, *caro mea tuam concupiscit, veni faciamus ei satis*, teneri ad consenitendum. Dicam paucis & verissimè, nullum est hominum genus isto & religioni, & Rebuspublicis ipsis temporalibus funestius, nullum crudelius, nullum factum magis ad omnem improbitatem. Mihi si liceret inimicissimæ alicui prouinciæ ingens malum expetere, ei profectò post tyrannidem seu captiuitatem Turcicam, non aliud quam istud à Deo peterem, vt scilicet ibi vitam agere cogeretur, vbi temporale dominium est penes pestem illam Anabaptisticam. Ab illa Deus te lector, & me, immò fideles omnes custodiat, Ad Nouatores istos singulariter pertinet quod scriptũ est Deut. 32. *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ. Vua eorum, vua fellis & botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

De

Digitized by Google

De Zvvinglio & Zvvinglianis aliud nullum requiro, quàm ipſius Zvvinglij teſtimonium, & quidem in re omnium fœdiſſima, hoc eſt, venerea. Sic autem ſcribit in literis quas ſuo nomine, & aliorum eiuſdem farinæ Prædicantium miſit ad communẽ Heluetiorum ciuitatem *Libidinis æſtum in nobis feruere negare non poſſumus, cum huius opera nos coram Eccleſiis infames reddiderint. Per æſtum verò libidinis eas carnis voluptates intelligimus, quibus homo carnis libidinoſæ ſtudia animo ſuo verſat, & in his ſolis omnes cogitationes ſuas inſumit, hæc meditatur, totusq; in hoc eſt, vt carnis furori ſatisfaciat.*

Videns Schvvenckfeldius cum ſequacibus ſuis Nouantes alios vni ſcripturæ inſiſtentes, deque ea ſibi blandientes innumeris interpretationibus ad deliria ſua fulcienda ipſam pro libito adulteraſſe, & grauiſsimè ab inuicem ſecundũ eam diſſentire, nullo loco habendam cenſuit, ſed illuminationem & directionem omnem immediatè à Deo expectandam: non ſecus ac Nicolaus Copernicus perpendens quàm grauiter à ſe mutuò Aſtronomi circa cœlorum numerum, coagmentationẽ, & motum diſcreparent, omnem illorum motum ſuſtulit, & ſolem in mundi vmbilico quaſi centrum poſuit prorſus immobile, circa quod aſsiduè terra circumageretur. Porrò ſublata vel neglecta ſcriptura, vix intelligi poteſt, quomodo ſenſim non deuoluatur ſecta illa tota in peccata grauiſsima. Nam cum lucerna ſit pedibus, & lumen ſemitis noſtris, ſi deſit in tenebris ambulamus. De eadem ait Iſai. cap. 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.*

Enormia Caluini flagitia volentem in otio contueri remitto ad Hieronymum Bolſecum, qui eius deſcripſit vitam, poſtquam iis ſupra modum offenſus Catholico ſe gregi noſtro reſtituit, à quo imprudens defecerat; ad Lindanum item; & ad Ioannem Væquerium in libro de Tentationibus. Attingam de multis paucißima. Arrogantiſsimus fuit, vt oſtendi fusè ſatis lib. 2. cap. 3. §. 5. omnes præ ſe contempſit, etiam ſuperiorum omnium ſeculorum Patres, alioqui doctrina, ſanctitate, & miraculis clariſsimos, meliusque ſe ſcripturam intelligere præſumpſit, vnde illorum ſe vbique caſtigatorem, cenſoremque conſtituit. Horrendas præterea blaſphemias in Deum & Chriſtum euomuit, quas alibi iam annotauimus, digniſsimas certè ob quas, vel ſi

solæ essent, ab eo recedat populus infatuatus, quod sensim futurum non dubito, vt impleatur quod dictum est per Prophetam Psalm. 72. *Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra, ideò conuertetur populus meus hic.* Vixit libidinosissimus, adeò vt Nouioduni in Picardia fuerit ob peccatum contra naturam candente ferro vstulatus, vt habent Acta publica Nouiodunensium, quæ adhuc hodie integra perseuerant, vt non abs re appelletur doctor stigmaticus. Fuit maledicentissimus eos semper vocare solitus Antichristos, vel asinos, bardos, stupidos, moriones, tyrannos, bestias, nebulones, Epicuros, superstitiosos, fatuos, deliros, quos sibi videbat aduersari, & quorum infirmare nitebatur authoritatem & causam bonam, vt malam suam statueret. Fuit homicida & Simonis Magi sectator, vt se palàm probaturum si negaret, in se recepit Seruetus, vt ex Actis eius liquet. Fuit calumniator impudens, & ad mentiendum proiectissimus, vt exemplis multis palàm faciam lib. seq. cap. 2. §. vlt. sed inter omnia fuit versipellis & pessimæ fidei. Incredibile siquidem dictu est, quàm insyncerè abutatur eloquentia sua ad oculos simplicium perstringendos, ad eludenda argumenta quibus in arctum cogitur, ad odiosas criminationes aduersum Judices suos cõfingendas, cuiusmodi fuerunt Patres Tridentini, ad obtrudẽda scripturæ testimonia, quę in prauum detorta assertis suis fauere posse animaduertebat, ad tutelam gloriæ, honoris, & cultus Dei, atque ad Ecclesiæ reformationem prætexendam, ad deprauandas sententias sanctorum Patrum, ad lancinandos & infamia respergendos à quibus arguebatur, maximè autem Censores illos Tridentinos, qui interim pro sua modestia Cerberi huius rictus & latratus missos fecerunt, Philippum Macedonem imitati qui cum Democharem legatum planè insulsum interrogasset, qua in re gratificari Atheniensibus posset, illeque respondisset *suspende te* ad socios eius longè moderatiores satis habuit dicere: *Atheniensibus renuntiate quosnam censeant superiores, vtrum qui talia dicunt, an qui audiunt patienter.* At lautus saltem & auarus non fuit secundum Bezam in vita ipsius, sed tam frugalis, vt in Naupacto excubias agere videretur. Verum aliud sonat supellex illa argentea Caluine, quam tibi surripuit tuus Alcibiades.

Hac tangis Caluine tuos Vrtica nepotes.

Horum flagitiorum hæredem ex asse reliquit eundem Bezam

ac præcipuè præposteræ Veneris, quam ipsemet toti orbi ante oculos ponit in Epigrammate illo salacissimo de Candida & Audeberto, nec postea inficiatus sed palam confessus est in libro cui titulum fecit Iuuenilia Bezæ:

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Persica Senec. in Herc.
Violentus vnda Tigris, aut Rhenus ferox
Tagusq́ Ibera turbida aqua fluens
Abluere labem poterit?

Excusat se quod inciderit in portenta ista libidinis ex tempore, quo adhuc membrum erat Romanæ Ecclesiæ, sed hoc tam parum conducit ad abstergendam illius infamiam, quàm si quis leprosus labe sua non confunderetur inquiens eam se contraxisse, cum adhuc in materno esset vtero.

Ad reliquos quoque sequaces suos transiisse hanc improbitatem Caluinum ipsum fateri veritas compulit. Audiamus quid de iis scriptum reliquerit, & quàm ad viuum suis eos pingat coloribus: *Est & aliud Ecclesiæ vlcus magis deplorandum, quod Pastores ipsi ipsi inquam Pastores, qui suggestum conscendunt turpissima sunt nequitiæ & aliorum malorum exempla. Ita fit vt nihilo plus fidei ac grauitatis obtineant eorum conciones, quàm si fabulam in scena ageret histrio. Et tales scilicet in contemptu se esse apud plebem, aut etiam ludibrij causa digito monstrari conqueruntur. Ego autem vulgi potius miror patientiam, quod non eos luto & stercoribus pueri & mulieres cooperiant.* Et: *Turba nostra tota adeò est scelerata & prodigiosa ac belluina, vt nemo sana mente præditus de ea cogitare sine horrore possit.* Et in cap. 11. Daniel. *Præclarum quidem zelum simulant, si tamen interius excutias reperies plenos esse perfidia & fraudibus. Neque loquor de paucis, sed de maiori parte eorum, qui se ab Idololatriis subduxerunt.* Item in cap. 2. epist. 2. B. Petri: *Vix decimus quisque eorum, qui Christo nomen dederunt fidei puritatem ad extremum vsque retinet, omnes ferè ad corruptelas degenerant, atque à Magistris licentiæ delusi profanescunt.* In lib. de Scand.

Quid amplius in illos dicere potuerit non video, nisi fortè scatere complures tot vitiis, quòd in Alphabeto literæ continentur, sunt enim arrogantes, blasphemi, contumeliosi, detractores, effrontes, fedifragi, gloriæ cupidi, hypocritæ, iactabundi, libidinosi, mendacissimi, Nouatores, obstinati, publicæ pacis perturbatores, queruli, rebelles, seditiosi, truculenti, viperei. Quid si in particulari Geneuenses ipsos apud quos degebat, & quos se re-

batur sua quodammodo præsentia sanctificare, lex ipsiusmet ore ostendero eurybatizasse & fuisse suo tempore deprauatissimis moribus? De iis certè hæc scripto prodidit in hom. 3. de conuers. in Eccles. sub finem: *Poterant dissolutè alibi & intemperanter viuere, neq; Papatus eis relinquendus erat, vt in Ecclesia Dei vitam dissolutam Euangelioq; indignam ducerent. Et certè nonnulli sunt, quibus multo satius fuisset, in ipso statim exitu discessúque à domo inferiore mola vti loquitur Dominus, ad collum appensa præcipites ruere, quàm vestigium in hac Ecclesia ponere, vt in ea tam turpiter flagitioséque se gererent. Quidam se contemptoribus atque irrisoribus adiungunt, vt eos in malitia magis magisq; confirment. Alij in cibo & potu, omníque voluptatis genere intemperantissimè versantur. Alij omnis concordiæ ac pacis inimici, nihil aliud quàm discordias, iurgia rixásque appetunt. Sunt etiam familiæ in quibus coniuges eo dissidio odióque conflictantur, vt canes & feles commixti, commissíque videantur. Quidam augent & amplificant statum vitæ, ac Principes sine vlla ratione imitantur. Sumptui, pompæ, luxuíque huius mundi planè dediti. Alij ita otiosi, molles, delicatíque redduntur, vt quid laborare sit, prorsus nesciant, quibus etiam nullus victus satisfacit. Sunt præterea maledici obtrectatores, qui etiam in ipsis cælestibus Angelis aliquid reprehensione dignum reperiant, qui cum suis rumpantur vitiis, in eo omnem sanctitatem suam ponunt, si rationem degendæ vitæ à proximis rigidè exigant, existimantes intereà Deum sibi valdè obligatum esse, quòd Geneuam se contulerunt, quasi verò ipsis non melius fuisset in suo stercore fœdissimo putrescere, quàm in Ecclesia Dei, huiusmodi scandala patrare.*

Si tales tunc erant, quando videlicet principia feruent, & Euangelium si verum sit maximè vires suas exerit, inclinando ad omnem pietatem eos à quibus recipitur; vt ex iis liquet quæ de primæua Ecclesia scribit S. Lucas in Actis Apostolorum, quales iam videri possunt post annos plus minus 60? Neque enim impietatis est consistere tanto præsertim tempore, sed vt herbæ malæ citò crescere & latissimè propagari.

De

De Vniuersalitate proprietate 3. veræ Religionis & nota 24 eiusdem.

CAPVT III.

§. 1. *Vniuersalis seu Catholicæ Religionis nomine quid intelligendum.*
2. *Quod Religio vera, sit ex consequenti vniuersalis.*
3. *Romanam nostram verè esse huiusmodi.*
4. *Non Mahumetanam.*
5. *Omnium minimè Pseudoeuangelicam.*

DE vniuersalitate quoad locum hic agimus, quæ si de Religione aliqua prædicetur, sensus non erit alius, quàm eiusmodi Religionem occupare omnes, aut certè præcipuas orbis partes. Hanc enim apud Latinos vim habet terminus iste *vniuersalis*, & apud Græcos hic alius ei respondens καθολικὰ ac si dicas κατὰ ὅλον, id est, per totum. sufficere autem vt ad præcipuas orbis partes exporrigatur, inde patet quod à maiori & nobiliori parte fiat denominatio l. quæritur ff. de stat. hom. vnde Aethiops, talpa, coruus nigri dicuntur, esto partibus quibusdam minimè atris constent. §. 1.

Hanc vniuersalitatem localem vera sibi religio multis nominibus vendicat. §. 2.

Primò vt effectum suum habeat figura illa, cuius mentio fit Genes. 2. Vbi nobilissimi fontis fit mentio, qui ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ, vel si mauis fluuij, qui vt inferius dicitur, egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, & in capita 4. diuidebatur, secundum quæ tendebat ad totidem præcipuas mundi plagas. Symbolum hoc fuit religionis veræ exporrecturæ sese in omnem locum.

Secundò, quia sicut falsorum deorum tam contractus locus fuit, vt iuxta Ouidium:

Iupiter angusta vix totus staret in æde.

Sic veri Dei Maiestas patet latissimè, & diffundit sese quocunque Psalm.139. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris. Etenim illuc manus tua deducet me, &c.* Ex ipsismet Ethnicis non defuit, qui de diuina illa mente diceret:

totosq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

At profectò indecorum esset, si tam latè patentis Principatus obsequium, & cultus vno vel altero climate, terrarumq; tractu concluderetur.

Tertiò, quia vniuersalem fore prænuntiant Scripturæ sacræ, vt Psalm.21. *Conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium quia Domini est regnum.*

Quartò, magna est loci ad tempus analogia; sed vera Religio vniuersalis est quoad tempus, vt nos docebunt sequentia, vtpotè quæ antiquissima est, & fine caritura, ergo quoad locum vniuersalis sit oportet.

Quintò, eidem cum vera Dei Ecclesia magna quædam intercedit necessitudo. Ecclesiam autem esse Catholicam siue vniuersalem quoad locum, manifestè testantur pluribus in locis sacræ literæ, vt Psalm.2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psal.79. *Plantasti radices eius & impleuit terram.* Et Augustinus de ea sic scribit in epistola ad quendam consanguineum: *Καθολικὴ græcè appellatur Ecclesia, quod per totum orbem terrarum diffundatur.* Et lib.4. de Symbol.cap.10. *Ecclesia totum possedit, quod à viro suo accepit in dote, quæcunque congregatio cuiuscunque hæresis in angulis sedet, concubina est non matrona.* Caluinus ipse in Catechismo à se edito Magistrum inducit interrogantem de Ecclesia Catholica. *Quid sibi vult vox ista Catholica siue vniuersalis?* Discipulum verò respondentem: *Vt discant omnes quod sicut vnicum est caput fidelium, ita & corpus vnum ex omnibus coagmentatum, sic vt non iam Ecclesiæ plures dici debeant, sed vnica sit in vniuersum orbem exporrecta.* Et in responsione ad Cardinalem Sadoletum: *Si definitionem Ecclesiæ recipere sustines dic post hac Ecclesiam societatem esse Sanctorum, quæ per totum orbem diffusa, per omnes ætates dispersa vna tantum doctrina Christi, & vno spiritu colligatur, vnitatem fidei & charitatem fraternam colit atque obseruat.* Ex hoc inquam infero

Digitized by Google

Infero Religionem quoque ipſam eſſe vniuerſalem, vtpote ſine qua ſubſiſtere nullo modo poteſt Eccleſia. Quid enim faciat in orbe vniuerſo Dei cœtus, ſi non debitum ei pendat obſequium? quo iure eius dicetur cœtus, ſi non ei ſeruiat? *Si pater ego ſum,* inquit ille Malach.1. *vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?*

Quæ licet ita ſint, extremum hic tamen vnum vitandum cenſeo. Hæc vox *vniuerſalis* ſiue Catholica, non ſic eſt accipienda, quaſi poſtulet, vt omnes omninò qui mundum incolunt, Religionem veram amplectantur, & ſecundum ipſam cultum ac reuerentiam Deo debitam exhibeant. Sanè hoc ſenſu nunquam fuit, nec eſt, nec erit vniuerſalis; vbique enim ſunt mali permixti bonis, & iuxta parœmiam Germanicam: *Cuicumque veri Dei templo aliquod vnum Diaboli ſacellum adiacet.* Verùm ita potius vt ſenſus ſit, nullam eſſe inſignem mundi plagam, in qua non aliqui hanc religionem profiteantur, vel ei paſſim dent nomen. Sic Diabolus Matth.4. dicitur Chriſto oſtendiſſe omnia regna mundi, & 3.Regum 18. Abdias ſeruus Regis Achab, qui ad quærendum Heliam miſſus erat, inuento dixit: *Viuit Dominus Deus tuus, quia non eſt gens aut regnum, quo non miſerit Dominus meus te requirens.* Haud dubiè nihil aliud dicere voluit, quàm ſe miſſum ad præcipuas partes regni eiuſdem Regis Achab. Non etiam interpretari vocem illam debemus, quaſi ſignificet, ita vbiq; diffundi religionem veram, vt in qualibet gente templa Chriſto vero Deo ædificentur, hoc quippe non fiet niſi veniat conſummatio, vt poſt S.Auguſtinum epiſt. 78.& 80. notat S.Thomas 1.2. quæſt.106. artic.4. ad 4. ſed vt dicere cœpi, quod in quolibet inſigni tractu orbis aliqui eum colant, eiuſque doctrina & notitia, ad mortalium aures peruenerit, aut in dies deferatur, quod ſatis viſum eſt Pſalmographo, vt ſpiritu Prophetico de Apoſtolis ſcriberet. Pſalm.18. *Non ſunt loquelæ neque ſermones quorum non audiantur voces eorum.*

Romanæ Eccleſiæ noſtræ deſcripturus amplitudinem præmitto terram vniuerſam à recentioribus Geographis in 5. partes diſtribui, quæ ſunt Europa, Aſia, Africa, America & Magellanica. Europæ limites hoc modo conſtituuntur. Ad Orientem ſeparatur ab Aſia Tanai fluuio, qui & Don dicitur, Mœotide palude quę vulgò mare Zabacche, & Ponto Euxino ſeu mari ſupero. Ad Auſtrum §.5.

strum segregatur ab Africa mari mediterraneo. Ab Occidente & Septentrione Oceano clauditur. Præcipuæ eius regiones sumpto ab Occidente initio sunt Hispania, Gallia, Germania, Italia, Sclauonia, Græcia, Hungaria, Polonia, Lituania, Moschouia, quam tamen Antonius Maginus adscribit Asiæ, Dania, Noruegia & Suetia. Habet & celeberrimas insulas in mari Oceano Angliam, Scotiam, Hiberniam, & Islandiam. In Mediterraneo Siciliam, Sardiniam, Corsicam, Maioricam, Minoricam & Melitam.

Africa terminatur à septentrione eodem mari mediterraneo ac freto Herculeo. Ab ortu sinu Arabico seu mari rubro, ac Isthmo Asiæ coniuncto inter huiusmodi sinum & mediterraneum; à meridie vbi ad caput bonæ spei in acutiem finit, immenso Oceano abluitur; ab occasu verò supra lineam æquinoctialem Oceano Athlantico pulsatur, sed infra lineam æquinoctialem ab hac etiam parte mari Aethiopico. Partitur ipsam idem Maginus & rectè in 7. partes præcipuas quarum 4. ad Occidentem sitæ sunt Barbaria, Numidia, Libya, & Nigritarum regio, ad Orientem Aegyptus, ad Orientem & Austrum tam Aethiopia interior seu superior, quæ potissimam partem Imperij Abyssinorum constituit, quàm exterior seu inferior.

Asia ab Europa quæ eius respectu tota occidua est seiungitur Tanai fluuio, palude quæ Mœotis dicitur, Ponto Euxino, & ex parte mari mediterraneo; à meridie Oceano Indico; ab Oriente Eoo seu Oceano orientali; à septentrione Scytico. Illius partes 5. facit Ortelius Sarmatiam, Tartariam, Turciam, Persidem & Indiam orientalem.

America quæ aliter nouus orbis, India item occidentalis dicitur à septentrione in meridiem exporrigitur, sub duarum magnarum Peninsularum forma, quæ tenui Isthmo connectuntur, & occupat dimidium penè terreni globi spatium secundum lnogitudinem. Habet autem ab ortu solis mare Athlanticum, à meridie terram Australem seu Magellanicam nondum exploratam, freto Magellanico disiunctam, ab occasu mare pacificum, & à septentrione terram incognitam.

Magellanica, quia vt dixi nondum detecta interius est, describi non potest.

Iam

Digitized by Google

Iam expendamus quod expectas lector, num in his 5. orbis partibus religio noſtra Catholica ſeu Romana ſedem fecerit. Poſſum id ſtatim probare ſi voluero ipſiuſmet Caluini teſtimonio, hoc eſt, hoſtis propter ſingularem improbitatem grauiſsimi, quod quidem pro nobis præſtitum, videri poteſt aſſertionis noſtræ argumentum Achilleum: Neque enim præſtitiſſet profectò, niſi conuictus fuiſſet veritate clariſsima. Verba illius ſunt l. 4. Inſt. c. 18. §. 1. *Congredi me hic lectores intelligāt cum ea opinione qua Romanus Antichriſtus, & eius Prophetæ totum orbem imbuerunt, nempe Miſſam eſſe opus quod ſacerdos, &c.* Agnoſcis itaque Caluine imbutum Romana religione orbem vniuerſum, bene, hoc eſt, nec prætereà diſplicet quod ſententiæ tuæ Beza ſuffragetur, qui non ſemel vitam deſcribens tuam Catholicos nos vocat, vt cum ait: *Erat Caluinus adhuc Adoleſcens ſeuerus omnium in ſuis ſodalibus vitiorum cenſor, quod ex nonnullis etiam Catholicis idoneis teſtibus multos poſt annos celebri iam eius nomine audire memini.* Et multis interiectis, *ne nunc quidem deſunt, egregij ſcilicet Chriſtianiſmi aſſertores tum ex Catholicis, tum ex bonis illis Vbiquitariis, qui Caluinum audeant tanquam earum blaſphemiarum authorem calumniari.* Affine eſt ſuffragium Magdeburgenſium in præfat. Centuriæ 2. *Papiſmus & aliæ ſectæ longe lateq; in templo Dei primam cathedram occupant.* Ex eo rurſus poſſum idipſum oſtendere, quod multis ſuperioribus ſeculis non in Europa ſolum, ſed etiam vt fatentur Aduerſarij in Africa Aſiaq; regnauerit, ſufficit hoc inquam, vt dici poſſit Catholica. Neque enim ſi legitimè aliâs totum aliquem principatum poſſediſti, & te Tyranni aliquot variis eius partibus ſpoliauerunt, idcirco apud iuſtos eorum æſtimatores cenſeri deſinis Dominus ac poſſeſſor illius omnis verus ac legitimus. Sed præſtat ſolidius fulcire quod oſtendimus.

In Hiſpania & Portugallia, vt de Europa noſtra primùm dicam, vigere ipſam nemo negare audebit, niſi qui frontem perfricuerit, & fulgere in cœlo ſolem volet inficiari. In Gallia vincit adeo Caluiniſmum (qua ſola hæreſi regnum illud antea ſemper Chriſtianiſsimum iam infeſtatur & inficitur) vt Lutetiæ, Tholoſæ, Burdegalæ, Lugduni, Aureliis, Andegauis, Rhemis, Turonis, Nanneti, Trecis, & pleriſque aliis nobiliſsimis ciuitatibus facilius ſit etiam poſt promulgatam conſcientiæ libertatem ex Ca-

tholicis 50. quàm ex Caluinianis 5. reperire. In eo certè regno neminem qui dux aut Princeps habeatur Religionem aliam quàm Catholicam profitentem hoc tempore inuenias. Subditi autem vulgò suorum se principum Religioni vt moribus, se accommodant.

In Flandria, Brabantia, Ducatu Lutzenburgensi, Comitatu Montensi, Atrebatensi, Namurcensi prodigio persimile esset circumferri aliquem alterius quàm Romanæ professorem fidei. Quo eodem modo contiguos Leodienses affectos esse constat.

Holandia & Zelandia cum vulgò ferantur esse hodie religionum omnium receptacula, ibique in materia religionis ac fidei abundare quemlibet in sensu suo, satis videri possunt Catholicis non destitui, sed eorum plus quam 7000. à Domino relicta vt olim sub Achab Rege. Nondum effluxerunt anni octo ex quo vidi Mussiponti in Lotharingia Hollandos aliquot Adolescentis literis nauantes operam, & affirmantes adhuc in multis conterraneis suis vigere auitam fidem, esto prohibiti quorundam potentia optatum illius specimen dare non audeant. Nempe ingens rogus nequaquam totus cito extinguitur, sed sub cinere diu prunæ delitescunt, sic neque in tractu illo Catholici, in quo toto Romana fides ac religio per multa secula sedem habuit ac etiam floruit: Adhuc ibi viuit semen erupturum in messem amplissimam, vbi non induciæ tantum, sed gratissima pax, quæ post illas speratur, tot luctuosis perturbationibus, quas ex inferis conuexit secum hydra multiplex, numine fauente successerit.

Germaniam moderantur præter Imperatorem complures Catholici principes longè lateque dominantes, vt Archiepiscopi, Principes & Electores Coloniensis, Moguntinus, Treuirensis, Archiepiscopus Salzburgensis, Episcopus Herbipolensis Franconiæ Dux, Monasteriensis, Bambergensis, Padebornensis, Augustanus, Argentinensis, Metensis, Constantiensis, Basileensis. Abbates, Principes populis quoque multis præpositi, vt Fuldensis, Casshaimensis, Murbachensis, Salemitanus, vt alios non paucos prætercam. Vnus certè Coloniensis Archiepiscopus 17. magna

Digitized by Google

gna dominia sibi subiecta numerat. His accedunt Archidux Maximilianus cui subest Comitatus Tyrolensis, Ferdinandus Archidux Grecij, dominus Styriæ, Carinthiæ, &c. Dux vtriusque Bauariæ, Dux Cliuiæ. Germaniæ contermina est Heluetia, in qua quatuor Cantonibus Hæreticis, hoc est, Tiguro, Basileæ, Bernæ & Scaphusiæ opponuntur septem Catholici, videlicet Lucerna, Suitia, Vriorum pagus seu Altorff, Siluania seu Vnderualdia, Tugium vulgò Zug, Friburgum, Solodorum. medij sunt Glarona & Abbatis cella; immò in hoc maior pars est Catholica, & Canto Basileensis vrbis suæ portis vicinos fines habet, idem de Schaphusia iudicium. Ipsius verò territorij quod Basileense dicitur, pars longè maxima Catholicam religionem profitetur. Habent quatuor illi primi confœderatos aliquot, habent & suos Catholici, ac inter cæteros Vallesianos omnes, & Archimandritam sancti Galli, cuius ditio tam latè patet, vt quindecim armatorum millia educere in aciem non ægrè possit, Archimandritam item S. Blasij.

Sequuntur Sabaudia, Pedemontum, Longobardia & Italia, à quibus tribus posterioribus exulare constat Religiones omnes à Romana discrepantes, sicut etiam à Sabaudia, si Geneuam & vicina quædam loca excipias. Sclauonia vel vt vniuersalius dicam Illyris quę modo à recentioribus Geographis in Sclauoniam, Dalmatiam, & Albaniam diuiditur, cum Venetis magna ex parte pareat facilè intelligitur cũ iis conuenire in ratione colendi Deum. De eadem sic scribit Antonius Maginus in descriptione Græciæ. *Regio florentissima à Turca acerrimis incursionibus vexata est atque hodie satis populosa, præclarisq; oppidis habitata, cuius magna pars cum insulis adiacentibus sub Veneto dominio manet.* Eadem de causa expers non est Græcia etiam hodie Romanæ fidei, quippe iisdem multas eius insulas & maritimas oras subiectas constat eodem Magino teste, vt Tenos è Cicladibus vnam, quam Aristoteles Hidrusam vocat, Zacynthos Peloponeso affinem, quæ olim Thyrrea dicebatur, Echinades sitas in confinio Epyri, Corcyram olim Drepanum, & Argos hodie Corfu.

Item Cretam siue Candiam in qua est Patriarcha latinus titulo Constantinopolitanus, Archiepiscopus Candiæ, & Episcopi, 8. nempe Agiensis, Calomonensis, Sithiæ, Terrapetræ, Chiro-

nisi, Arcadiæ, Milopotami & Chisami. De nobilissima insulæ Rhodo addit Maginus. *Incolæ sunt sacrosanctæ fidei Christianæ ab ipsis quidem primordiis addicti quorum tamen maior pars ritum Græcorum sequitur, sed nobiles vt plurimum Latinam Ecclesiam colunt.* Ad Græciam accedit Thracia siue Romania, cuius caput est Constantinopolis, in qua propalam Christiano ac Romano more sacra fiunt in domibus legatorum Galliæ, Poloniæ, & Venetorum, scribitque Postellus in tractatu de Religione Turcar. ex ea gente plurimos non modo in Christum credere, cui Alcorani liber manifestum præbet testimonium, sed etiam pro eo mortem passim oppetere. Confirmat hoc ipsum Boterus 3. part. relat. libro secundo. At libro primo scribit in eadem vrbe superesse adhuc duodecim familias Catholicas ex 700. quas eo transtulit Mahumetus quidam Imperator.

In Pera autem quæ modico ab illa freto secernitur, extare 8. Ecclesias Catholicas, & cœnobium vnum Fratrum Prædicatorum, in quo degunt fratres 4. vnum item ordinis S. Francisci ex 10. collectum fratribus, ac insuper Abbatiam S. Benedicti cuius census annuus est 4. aureorum millium. Item Sacellum S. Mariæ de Castagno distans à Pera 18. milliaribus, in eoque Missam quotannis celebrari 15. Augusti, sicut etiam in Bonoscori & in Caffa. Quod ad Schio insulam in eo numerari Catholicos ad 10000. in Andro ad 3000. Nicosiæ in Cypro Famagustam hodie appellant, habitare religiosos quosdam eiusdem Ordinis S. Francisci. Non prætereundum quod obseruauit in eadem vrbe Constantinopol. Cuspinianus de Religiosis Turcar. loquens qui Horize vocantur. *Hi Christianorum Ecclesias subeunt, aquâque benedicta se conspergunt, signo crucis se muniunt, legemquè Christi tam bonam quàm Mahumetis asserunt.* Ipsemet hodiernus Turcarum Imperator non ita est à Catholica fide nostra alienus, qui nuper postulante Christianissimo Galliarum Rege Regularibus quibusdam Europæis domicilium in eadem vrbe Pera concesserit, vna cum facultate excolendi quotquot volent & poterunt earum partium Christianos. Hungariam totam nequaquam nobis ab eodem Ottomannico Imperatore ereptam fuisse, sed adhuc partem bene magnam occiduo nostro parere, atq; religionem illam auitam retinere, omnes puto intelligunt.

In lib. de Relig. Turc.

Idem

Idem de Transyluania, deque Moldauia ei vicina iudicium, ad quam Cardinalis Aldobrandinus, qui postea dictus est Clemens VIII. & tunc erat Pontificis Legatus in Polonia contendit Anno M. D. LXXXVIII. teste Botero supra, salutaturus Petrũ Vaiuodam, & assumptis secum duobus nostris sacerdotibus, in quorum manibus promisit Petrus se Ecclesias omnes Latinas restituturum. Rex Poloniæ itemque magnæ Dux Lituaniæ Catholicissimus est, atque vt neminem fugit fidem nostram egregiè tuetur & amplificat, Dominus Deus illum ad multos annos seruet incolumem, & sicut olim de spiritu Moysis, sic de zelo illius particulas accipiat, quas mittat in multorum corda Principum. In Prussia & Liuonia etiam nunc tres numerantur Romanæ fidei Archiepiscopatus, videlicet Rigiensis, Magburgensis, & Salburgensis, sicut & Collegia duo Rigiense & Derpatense. De Moschouia notum est quomodo Anno M. D. XCV. Michaël Metropolitanus ei Præpositus Hypatium primatem & VVulodimirium, & alios duos ad Clementem VIII. delegauit, eo fine vt cum tota sua natione Ecclesiæ Romanæ abacto schismate aggregaretur. Peruenerunt Romam eodem anno mense Nouembri, & perhonorificè primùm excepti sunt, deindè ad Colloquium admissi 23. Decembris in Sabbatho 4. temporum. Exposita autem legatione professi sunt Romanæ Ecclesiæ fidem, & Romano Pontifici subiectionem obedientiamque iurarunt, atque huic professioni suæ propria manu subscripserunt. Succesit postea Demetrius Dux legitimus, & professione merè Catholicus, cuius exemplo permulti à vetere illo diuortio recedentes Christi se Vicario, ac B. Petri successori subiecerunt. De Suedia, siue Suetia & Dania, absolutè loquendo hæretica est, dubitare tamen non possum, ibi adhuc Catholicos non paucos delitescere, tum quia Rex Poloniæ vir vt dixi Catholicissimus, Prouinciæ illius scitur esse Rex legitimus (cui proindè multos quoad fidem consentire verisimile est. Si quidem iuxta Claudianum, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*) & non Christiernus eius patruus professione Lutheranus, qui per tyrannidem regnum id occupauit; tùm quia hic idem Christiernus, vi Pseudoeuangelium suum eo intulit, & ob perfidias iniquitatesque plurimas conflauit sibi apud omnes inuidiam, siquidem rebellauit ingratus in Regem

verum ac propriũ, internecione quamplurimos deleuit, Suedos sibi iurare compulit, iuratas conditiones statim violauit, Episcopos & Nobiles præcipuos neci dedit, ab Abbate Nidalensi magnificè humanissimeque susceptus retributionis loco iussit eum cum priore & aliis quinque Religiosis in stagnũ præcipitari, propter hæc fieri non potest quin & ipsum & introductã ab eo religionem execrentur plurimi & auitam retineant. Noruegia Catholicos non paucos alit, nec adeò corrupta est hæresibus, cuius rei pulchram rationem affert Ioannes Boterus p. 3. Relat. l. 1. quod Prædicantes pinguia tantum quærant loca, non secus atque septem illæ vaccæ fœdæ & macie confectæ pascebantur in locis duntaxat virentibus Gen. 41. & pediculi in viuente corpore, quod vbi exanime fit statim deserunt, vtpotè defectum sanguine quo alebantur. Noruegia autem inops admodum, insalubris & sterilis sit.

Quod ad Insulas, tot Catholicorum ferax est Anglia, vt ab ætate Henrici VIII. regno Mariæ excepto nemo iis vacuos regni illius carceres viderit, nemo regiones exteras iis à patria profugis non frequentatas, nisi fortè (ex quo tempore Deus qui iudicium facit iniuriam patientibus ad examen & calculos vocauit Elizabetham illam pro tot immanitatibus quas exercuit dignas pœnas liuturam) deferbuerit aliquantulum mare à feruore suo quod quidem optare potius ausim quam affirmare. Quanquam esto ad tempus pergat Rex à quo Insula iam illa regitur, Iezabelis illius vestigiis insistere, non idcircò animum despondere oporteat fore, vt tandem ab effusione illa Catholici cruoris abstineat, ametque pulcherrimam veritatis Catholicæ lucem inter densas Caluinianarũ fabularum tenebras emicantem, eandemque nebulis illis valere iussis amplectatur. *Vade à me*, dicebat Antistes quidam clarissimus S. Monicæ cuius secundum carnem filius erat S. Augustinus, sed nondum secundum spiritum, *fieri enim non potest vt filius istarum lachrymarum pereat*, ita fallar plurimum si tot fletuum, tantæ pietatis innocentiæ atque constantiæ filius quanta Mariam Serenissimam Scotiæ Reginam claruisse liquet, in alia quàm Catholica fide consenescat. Angliæ vicina Scotia omne ab ea virus exsuxit eodem Botero teste loco citato, haud secus ac olim miseræ Cremonæ sola vicinitas Mantuæ calamitatem

stem peperit. Quare si aduersus Angliam non ita præualere error potuit, quin Catholici vt vidimus plurimi, quouis tempore superfuerint, multò minus in Scotia videri potest omnes labefactasse Comite præsertim Gordonio, & aliis non paucis præpotentibus viris auitæ fidei tenacissimis subnixos atque sustentatos. Proxima est Hibernia quæ tot capit, vt circa hodierni regni auspicia vbique ferè Missa publicè præterquam Dublinij decantaretur. De Sicilia, Sardinia, Corsica, Melita, Maiorica, Minorica insulis mediterranei maris nihil attinet dicere, cum constet eas etiam fortissima esse Confessionis Romanæ propugnacula.

Sequitur Africa in cuius ora ferè tota à freto Herculeo ad Mozambicum vsque per caput bonæ spei exporrecta habent Hispani præsidia non pauca, quæ ab annis C. in Indiam orientalem nauigantes indeque reuertentes partim vi iure belli vsurparunt, partim consentientibus incolis quibus cum fœdus inierant, construxerunt. Hoc dixisse sufficiat, vt ibi fidei nostræ cultores non deesse sentiamus. Nam & ipsi huiusmodi fidem studiosissimè colunt, quæ planè insignis laus est gentis illius Iberæ, & illa eâdem exteros populos adminiculo sacerdotum impensè semper instituerunt. Quod ad præcipuas eiusdem Africæ Prouincias, de Barbaria sic loquitur Maginus in descriptione Africæ. *Subiacet nunc Barbaria partim Turcarum Imperatori, partim Seriffo Principi, atque etiam nonnullas arces isthic Hispaniæ Rex possidet vt Azella, Tingis, Septa, Medela, & Chesasa.* De regione autem Nigritarum. *Aliquot regna Christianam religionem amplexata fuerunt, quam conseruarunt vsque ad Mahumetis Pseudoprophetæ aduentum, quo tempore Mahumetani facti fuere omnes Libyæ confines, remanentibus tantum nonnullis regionibus paucis quæ fidem Christi adhuc seruant.* Ad AEgyptum pertinet Alexandria illa nobilis, quæ olim sola incolarum multitudine vni Romæ concedebat. In hac hodiè frequentissimi sunt Mercatores Catholici partim Galli, partim Itali, Hispani, Lusitani, Siculi de quibus ex Bellonio ita loquitur idem Maginus in descriptione AEgypti. *Sed & nunc nisi Christiani Mercatores suos isthic Institores alerent ob mercium permutationem admodum celebris non esset.* In Cairo autem seu Alcairo sedes est Patriarchæ Alexandrini, cuius iurisdictio patet latissimè,

ſimè, præeſt quippè Chriſtianis omnibus montis Sinai & Prouinciarum Turciæ quarum ſitus eſt ad mare rubrum, & AEgypti totius, vbi Iacobitæ frequentiſsimi degunt inuſtam geſtantes fronti crucem. Hic Patriarcha anteà ſchiſmaticus Anno M. D. XCIII. Legatos duos Ioſeph & Adelmeſsiam Sacerdotes doctrina & virtute conſpicuos ad Romanum miſit Pontificem, qui ſuo nomine non ſolùm profiteretur Romanam fidem, ſed Pontifici obedientiam quoque ſponderent, eumque Patriarcharum omnium, & totius Eccleſiæ Dei viſibile caput agnoſcerent, quod & fecerunt. Et quamuis fortè ex illo tempore vel ille, vel alij quidam ei ſubiecti Epiſcopi ad vomitum ſeu antiquum ſchiſma redierint, veriſimile tamen eſt plurimos contra in fide illa iurata conſtantes perſtitiſſe. Sequitur Rex Abyſsinorum qui à Mauris Aſiclabaſsi, à ſuis autem, hoc eſt, ab Abyſsinis Aceque hoc eſt Imperator, & Negus, id eſt, Rex cognominatur, & inter potentiſsimos totius orbis reponitur. Ei namque parent Reguli ad minus *60.* per ſuperiorem diffuſi AEthiopiam, per regionem Troglotiticam, per AEgyptum inferiorem, per regionem cinnamomi feram, & Libyam interiorem. Tantus hic Princeps Chriſtianus eſt, & imperante in Europa Carolo V. ſchiſmaticus eſſe deſiit, nomen ei erat Dauid, miſſaque ad Clementem VII. legatione, toti eum DEI Eccleſiæ præpoſitum eſſe profeſſus eſt, & hodiè agnoſcit inquit Villamont. lib. 3. peregr. cap. *6.* Agnoſcebat credo dum hæc author iſte ſcriberet, aliàs non ſcripturus, ſed & obiit, & ſucceſſores eius ad ſchiſma illud quaſi ad vomitum rediiſſe dicuntur, ſic tamen vt maxima quædam ſpes affulgeat vnionis ſacræ inſtaurandæ; ſiquidem cum eo qui iam regni clauum tenet, non ſolum Catholici quidam præcones verſantur, ſed in aula quoque ipſius palàm concionantur, nec veriſimile eſt non ſupereſſe adhuc plurimos ex ſubditis illis omnibus, qui cum Dauide non ita dudum extincto in vnione conſenſerant. Neque enim tam exigua vis eſt veritatis, quæ illos ad conſentiendum impulit vt ſiuerit omnes Principis vnius exemplo relapſuque rurſus ſchiſmati conſcientia reluctante ſubſcribere. Abyſsinorum imperio vicina ſunt Orientem & Auſtrum verſus non pauca, in quibus paſsim habitant Luſitani, habent-

que

Digitized by Google

que præsidia munitissima vt testatur idem Maginus author recens& magni nominis.v.g. regnum Quiloa, Mosambicum Sefala, Monomotapa, Manicongo, & Congerum.

Africæ succedit Asia, in cuius parte illa quæ Turcicum imperium constituit, degunt Christiani penè innumeri, non modo sub Patriarcha Alexandrino cuius paulò antè meminimus, sed etiam sub Constantinopolitano, sub Assyrio seu Hierosolymitano, & sub Antiocheno quos omnes Turca liberè sua religione vti sinit, quamdiu pecuniarium tributum fideliter pendunt, & Mahumetano nulli Alcoranum vt eiuret authores sunt. Constantinopolitanus Græcanicæ totius Ecclesiæ est caput, sedem habet Constantinopoli, dominatur præcipuè Caloieris Monachis S. Basilij qui sunt in monte Athos ad sex millia, & in eodem Synodos suas celebrat, vt scribit Andreas Theuetus. *Lib.8.Cosmog.c.14.* Assyrius nunc Hierosolymis degit, nunc in Musal ciuitate Assyriæ orientalis. Huic subsunt Christiani omnes Syriæ, omnes item Mesopotamiæ, Palæstinæ, Iudeæ, Galilææ, montis Libani, & insularum Rhodi & Cypri. Antiocheno subiacent Ecclesiæ vtriusque Armeniæ, Damasci, Tripolis, Alepi, & aliæ plurimæ Asiaticæ vsque ad mare Caspium, vbi visuntur Georgiani Christicolæ admodum potentes & numerosi, sic dicti à S. Georgio, quem patroni habent loco, & cuius semper insigne in bello circumferunt. At inquies hi omnes Christiani schismatici sunt, non ergo propriè ad religionem vel Ecclesiam vestram Romanam pertinent, de cuius amplitudine nunc agitur. Respondeo, fieri potest vt iam Patriarchæ ipsi laborent schismate, multiplici quippe experimento deprehensi sunt, esse in data fide instabiles, siue hoc vitium cum lacte hauserint, siue superbia cui subiectio omnis molestissima est, illud in eis operetur. At subditos quoque omnes à Romana sede desciuisse nullam habet veri speciem, cum non ita dudum ipsimet Patriarchæ ei adhæserint Constantinopolitanus quidem in Concilio Florentino, & cum eo quotquot habuit subiectos Episcopos. Hierosolymitanus Anno M. D. LXII. Venit enim ipse Romam, & Concilio Trident. interfuit, & in fidem Romanam publicè iurauit his verbis. *Ego Abdisu filius Ioannis de domo Martia ex ciuitate Gezire in Tigri flu-*

Digitized by Google

mine olim Monachus S. Antonij Monasterij Sanctorum Rocha & Ioannis fratrum, electus primas siue Patriarcha ciuitatis Musal in Assyria orientali, iuro quod corde credo, & ore confiteor sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem approbatis omnibus & singulis illis quæ approbat, & damnatis omnibus & singulis quæ ipsa damnat. Hanc fidem amplector, & perpetuo me amplexurum & retenturum esse profiteor & promitto, & omnes fratres meos metropolitas siue Episcopos & Diœcesanos quouis modo meæ iurisdictioni subiectos ita credendum, & tenendum esse docebo, & omnibus modis quibus potero persuadere conabor, ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Immò scribit Ioan. Boterus, quod similiter huius Patriarchæ antecessor nomine Salacca Romam venerit, & in eiusdem Romanæ Confessionis vnionem admissus sit à Iulio 3. idemque successor præstare voluerit, sed præuentus morte nequiuerit. Præstiterit autem Decuba quem post se reliquit, confirmatus à Gregor. 13. intermedio Hermete Helia Archiepiscopo Caramitano, quem eo fine in vrbem misit, additque hanc subiectionem fuisse postea ratam habitam in ciuitatem Alepo ab Episcopis Assyriis in manu Leonardi Abel Episcopi Sydoniani nuntij Apostolici in Oriente. Antiochenum eidem sedi Romanæ aliquando se subiecisse non satis memini; hoc tamen factum constat à variis eius Episcopis, quorum vnus Iustinianus Couranus stimulis actus conscientiæ, & defectionem suam seu segregationem ægerrimè ferens, clanculum iter Romam arripuit, cum 4. Sociis Armenis, vt præfato Concilio Trident. se sisteret, Romanoque Pontifici velut visibili omnium capiti subiiceret suum, quod & fecit vt scribit Theuet. supra. Haud dubiè non eum solùm, sed alios quoque multos discruciauit, & hodiè discruciat eadem conscientia, quos proindè suspicari meritò possumus non alios esse quàm Catholicos. Accedit quod Concilium Florent. de Græcis loquens, qui eo cum Ioseph Patriarcha Constantinop. & Ioanne Paleologo Imperatore Orientis conuenerant, mentionem sæpenumerò faciat Armenorum, immò vnionem illam totam Græcorum cum Latinis Armenorum vnionem appellet, quod certè indicat Armenos complures, hoc est, Patriarchæ Antiocheni subditos interfuisse. Cuius veritatis ea quoque coniectura occurrit, quod Trapezuntium ab Armenia non

3. p. Relat. lib. 2.

Digitized by Google

non multum distet; inter Orientales autem qui Concilium præsentia sua cohonestarunt, numeratur magnus ille Bessarion Trapezuntius Nicææ vrbis Episcopus. Dicam amplius, & id quidem quod valdè notandum censeo, esto omnes iam essent schismatici, tam Patriarchæ, quàm subditi Patriarcharum, non idcircò simpliciter negandum esset Religioni nostræ apud eos locum esse, propterea quod huiuscè religionis actus omnes tàm eliciti, vt CHRISTI & Eucharistiæ adoratio, sanctorum inuocatio, septem Sacramentorum administratio, oratio pro defunctis, imaginum & reliquiarum sanctarum veneratio, vsus cæremoniarum complurium, festorum item & votorum, Missæ item sacrificium, quàm imperati, vt ieiunium Quadragesimale, ciborum delectus, pœnitentia quatenus includit dolorem de peccatis, &c. in vsu sunt apud eos: decet autem nos religionem considerare & attendere potius quoad eius actus quàm quoad proprietates, quarum vna quodammodo dici potest vnio sub vno capite schismati contraria. Hoc eodem argumento apud Abyssinos & Moschos alioqui schismaticos locum habere ostenditur.

Tartaria cum sit Moschouiæ & Turciæ contermina facilè videri potest Confessionis & Religionis nostræ Assertoribus non planè destitui, insinuatque hoc ipsum Maginus in descriptione Tartariæ cum ait: *Alij prætereà Christiani sunt ac iuxta Ruthenorum ritum insigniores inter Casanenses degunt, qui Principis Moschouiæ impulsu ANNO DOMINI M. D. LI. baptizati fuerunt, præter nonnullos alios qui supremo Chamo Prouinciæ Cathaio subsunt.* Idem de Perside dictum esto quæ Turciæ adiacet incolasque habet tanto ad Christianismum propensiores, quanto Turcis & Tartaris humaniores. Adde quod Assyria pars sit Persidis; diximus autem superius alternam in ea sedem esse Patriarchæ Hierosolymitani in ciuitate Musal. Adde prætereà hoc ipso tempore magni Sophi permissu amplissimum illud imperium sese Euangelio velut ingentem campum aperire, reipsaque ibi iam versari Religiosos aliquot Catholicos mittentes semina sua, ex quibus non ita multo post manipulos plenos inferant in horreum Dominicum. Adde po-

ſtremò ad illud pertinere Ormuſij regnum, in quo verſantur à multis annis ſacerdotes Catholici intenti toti in noſtræ amplificationem fidei.

De India orientali, cum in Concilio Florent. Indi nominentur, aliquos tunc ibi Chriſtianos fuiſſe, & cum Armenis Eccleſię Romanæ aggregatos par eſt credere. Hac noſtra ætate, Religioſi aliquot eiuſdem Eccleſiæ in præcipua eius loca penetrarunt, & in tractum Goanum, Comorinenſem, Calecutanum, Malacenſem, in Taprobanam, in inſulas Molucas, in Philippinas, in Iaponiam, & in vaſtiſsimum Sinarum regnum Chriſti nomen cultumque intulerunt, fructu certe maximo. Ecquem fugit Principes 3. Iaponios velut gentis illius primitias omni auro pretioſiores emenſis plus quinque Leucarum millibus Romam appuliſſe anno M. D. LXXXV. vt ibi fidem quam iam amplexati fuerant, palàm apud Apoſtolicam ſedem profiterentur? Adiacet Sinis regnum magni Mogor, quod aliter inferior India intra Gangem nominatur, tamque longè lateque exporrigitur vt regna ſeptem ſupra quadraginta ambitu ſuo capiat, & Galliam vniuerſam triplo ferè ſuperet. In hanc quoque plagam eorundem Religioſorum excurrit induſtria, & iam aliquot ibi reſidentias nacti ſunt.

America ſeu India occidentalis aliter nouus orbis Chriſtianis abundat, non Hiſpanis modò qui toto ferè ſuperiore ſæculo eo nauigarunt, & filios filiasque numeroſiſsimè procrearunt, ſed etiam patriis præſertim in Mexico, in Hiſpania, & Francia noua, in Inſulis fortunatis, in Cuba, in prouincia Peruana, itemque in Braſilia (ac nouiſsimè in noua Guinea) quibus in locis extant Collegia 8. Catholica Limanum, Cuſquienſe, Potoſinum, Arequipanum, Quitenſe, Ciuchiabenſe, Ciuchiacenſe, & S. Iacobi. Tractat fusè hoc ipſum argumentum, de Chriſtianis dico noui orbis, idem ANTONIVS MAGINVS in eius deſcriptione, aitque inter cætera, *Braſilienſes poſt illatum a. N. IESV CHRISTI Euangelium, & liberalium artium diſciplinas in vicos & oppida contributi præſertim qui mare incolunt, ad humanitatem ac pietatem magnis laboribus excoluntur.*

Aliquas

Aliquas prætereà Metropoles enumerat his verbis. Nunus Gusmanus in nouaGallicia vrbes aliquot fundauit, nempe Compostellam vbi sedes Episcopalis & consilium regium. In Mexico seu Themistano resident Archiepiscopus & Prorex, & supremum tribunal nouæ Hispaniæ. In Peruuia est Lima totius maritimi tractus excultissima metropolis. In ea nunc resìdet vniuersæ huius prouinciæ Audientia Cancellaria, Prorex & Archiepiscopus, cui sunt Episcopatus Quito, Cusio, Guamantiaci, Arequipæ, Portus Platæ, Trugilli, Guanugio, Cacopiæ, Portus veteris, Guaiachil, Popoiani, Carchi, S. Michaëlis, S. Francisci. In Brasilia autem est noua Granata, & in ea Tunia regia Smaragdorum & S. fides vbi resìdet Archiepiscopus, & Præses nouæ Granatæ.

Vltima restat Magellanica, cuius oram cum nauigando frequenter legant Hispani, verisimile est quod ab iis nonnulla hactenus semina receperit nostræ Religionis, & opere impleant, quod scriptum est: *Deo autem gratias qui semper triumphat nos in* 2. Cor. 2.
CHRISTO IESV, *& odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, quia Christi bonus odor sumus Deo, in iis qui salui fiunt, & in iis qui pereunt.*

En tibi lector singulas orbis partes, & in omnibus hodie Catholicam religionem ita vt nihil omninò desit, quominus vniuersalis iure dicatur siue Catholica. Si namque olim quo tempore nec Magellanica innotuerat, nec vna & altera India, digna visa est cui tantus titulus decerneretur, vt apud Prudentium vbi ait:

Sedes Roma Petri quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quidquid non possidet armis
Religione tenet.

& apud S. Augustinum in epistola quadragesima secunda ad Madaurenses dicentem: *Postquam comperi nequaquam vos esse mutatos, grauius dolui quod Christi nomen cui iam totum orbem subiectum esse conspicitis, non solum à vobis repellendum, sed etiam à nobis irridendum credidistis.* Quanto magis ætate hac nostra illum suo sibi iure vendicabit? Passa est in Occidente iacturam aliquam pullulante Pseudoeuangelio,

Digitized by Google

gelio, sed longè maiora sunt incrementa quibus alibi ex eo tempore facta est, & in dies fit auctior; quemadmodum Valente Imperatore quem Ariana pestis infecerat, Catholicos profligante, aliis in locis ianuam Christus aperuit, & Mauuia præpotens Saracenorum Regina Catholicam amplexata est fidem, & Episcopos
Lib. 11. c. 6. suscepit à Valente expulsos, vt scribit Rufinus: sic inquam emergentibus in Occidente nostro Sectariis Orientem & reserauit, & in dies magis magisque aperit, ac tandem quoad eosdem Nouatores euenire sibi experitur quod scriptum est Deuter. 9. *Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit, dimitte me vt conteram eum, & deleam eum de sub cœlo, & constituam te super gentem, quæ hac maior & fortior sit.*

§. 4. At Mahumetismus licet hucusque latè fines suos protulit, diuina tamen prouidentia legem ponente aquis ne fines suos transeant, factum est, vt neque in totum orbem abierit, neque sacrosanctam Religionem nostram, quoad loci amplitudinem exæquauerit, quod sic ostendo. America & Magellanica longè maximam terræ partem occupant, in quibus ne oppidulum quidem vnum videas, quod quicquam de Mahumete audiuerit. Europæ item pars maxima eundem cum Alcorano suo abominatur, reliqua autem puta Thracia, Misnia, pars Græciæ, Sclauoniæ, Hungariæ ita sub illius iugum venit, vt interim multo plures capiat non Mahumetanos quàm Mahumetanos. Nam vt Iudæos prætermeam, qui ibi sanè multi numerantur, in Græca præsertim ad quam Baiazethus admisit familias ex iis 100024. quas excluserat Ferdinandus Hispaniæ Rex, quæque vt vulgò creditur capita efficiebant 800000. & ab eo tempore in maximam haud dubiè multitudinem excreuerunt, nec superstitionem suam cuius tenacissimi sunt, cum Mahumetismo commutarunt, quem oderunt angue peius propter multa, de quibus Bellefor. lib. 2. Cosm. cap. 9. & Reginaldus lib. 2. Caluino turc. cap. 10. vt inquam Iudæos taceam, frequentissimi vbique sunt Christiani, quos sibi Turca deditione magna ex parte subiugauit, in qua deditione hæc semper conditio apponitur, vt integrum sibi sit ac liberum Christianam religionem suam retinere ac colere, quod quidem pactum violare Turca non solet, sed illud tantum quod

ad

Digitized by Google

ad dominium, & res pertinet temporales, vt videre eſt in regnis Boſna, Arnant, Laz, Albania, & aliis Illyridis partibus, quæ vltrò ei deditionem fecerunt, de quibus Septemcaſtr. cap. 8. Nec eſt quod obiicias paſſurum non videri Turcam multitudinem hanc Chriſtianorum, ſi tanta eſſet quanta dicitur; veritum ſcilicet ne ab iis rebellantibus opprimeretur. Tanta enim libenter ſuſtinet ob inſigne lucrū omnis generis quod ab iis recipit, de quo alibi dicturi ſumus. Quod ad rebellionis periculum, ei occurrit iudicio ſuo ſatis, ſubiiciendo Chriſtianos durisſimis Sangiacis, qui adminiſtratores Prouinciarum ſunt, tributa ab iis grauiſsima exigentibus, de quibus etiam aliâs, & tandem ſeuerè interdicentibus, ne quis aliquo vtatur armorum genere, cuius interdicti tanta eſt obſeruatio, vt in tota Turcia ne vnum quidem Chriſtianum gladio accinctum videre liceat, eo quod id nemo neſcit eſſe in primis capitale.

In Africa vſque adeò non omnes ſunt Mahumetani, vt potius Magino teſte multò plures ſint partim Chriſticolæ, partim Gentiles & Iudæi. Profitentur Abyſsini Chriſti fidem, quod certè regnum Turcico nihil aut parum cedit. Quod ad Libyæ & Nigritarum partem iis non ſubiectam, tota fermè Athea viuit. *Incolæ*, verba pono eiuſdem Magini, *abſque vllis legibus aut rationis vſu viuunt more beſtiarum miſerrimam ducentes vitam, litteras parum agnoſcunt, ac virtutis omnis ſunt deſpectores.* Et rurſus: *In vniuerſum belluino viuunt more à rationis vſu, ab ingenij dexteritate, atque ab omni artificio alieniſſimi.* *In deſcript. Libya.*

Reſtat Aſia, cuius magnam partem Mahumetanæ ſuperſtitionis expertem poſsidet magnus ille Mogor de quo ſuperius, & aliam Iacobitæ Chriſtiani, vt ſcribit Villamontius tamque potentes, vt quadraginta minimum regna ſibi ſubiecta numerent. Aliam Georgiani item Chriſtiani tantæ potentiæ, vt eodem teſte capite viceſimo quarto ab Vſſumcaſſano Perſarum Rege ſubiugari nunquam potuerint. Addit Maronitas ſimiliter Chriſtianos habitare in monte Libano in Phœnicia propè Tripolim eo numero, vt queant dicto citius multa armatorum millia in aciem educere, & furori ſeſe Turcico egregiè opponant. Armeni adeò Chriſtiani ſunt & non Mahumetani, vt Turcæ cum Armenum appellant Chriſti[illegible]telligant, qui ſi Mahumetanam religionem amplectatur, [illegible] appellationem amittit, vt ſcribit Bellon. lib. 3. *Li. 2. Pereg. cap. 22.*

lib.3. de sing.cap.11. Tartarorum pars superior quæ & borealior referta est Idololatris teste Ortelio. Ad Asiam refertur India orientalis, cuius pars maxima Idololatriæ quoque dedita est. Ex quibus omnibus liquet longè contractiorem esse Musulmannorum illorum gentem ac religionem, quàm multi existimant, nec eam verè dici posse Catholicam, & iniquissimè agere Turcicos Imperatores, quoties vel orbis dominos, vel Europæ, vel totius Asiæ se prædicant. Si namque hoc sibi iure arrogare nequeunt Turcæ Mauri, Persæ, & Tartari simul sumpti, quanto minus superbi illi Imperatores? *In tractatu contra Iud.* Patet denique quàm insulsus Caluinus fuerit, ineptè assentiens Mahumetis Alcoranum maius atq; amplius imperium habere, quàm Euangelium filij Dei, Nam cum huius motæ quæstionis causam inquireret, ita esse non abnuit, sed eos tantum reprehendit, qui rem tam miram adscribunt cœlorum influxibus.

§.5. Vocant nos ad se Nouatores, quanquam nihil est quod metuant ne prætermittatur. Horum secta nulla circumfertur, quam Turcismus decuplo minimum non superet, quare si Turcismus, hoc est, pars vna Mahumetismi, vniuersalis nequaquam dici potest, cum ne in totum quidem Mahumetismum vniuersalitas conueniat, vt proximus nos §. docuit, quanto minus secta illa poterit? & tamen arrogat sibi quęuis religionem veram, & quam colit dici vult Catholicam, quid ineptum magis fingi potest, & ridiculum? Implicant se hoc absurdo præ cæteris Lutherani, qui librum ediderunt de mutua inter se concordia anno M. D. LXXX. in cuius præfatione affirmare non verentur confessionem suam Augustanam in toto orbe terrarum percrebuisse, & in ore omnium versari. Credo si per orbem spatium intelligant, quod miluus posset oberrando tribus quatuorue diebus cônficere, sperabat non dubito Lutherus, & post illũ Caluinus, se antè obitum fideles omnes aut penè omnes sagenam sua conclusurum, sed eum spes fefellit, in piscatu vterq; periit. Ecce fluxerunt anni 70. ex quo in mare retia serio sua miserunt, & tamen præter siluros aliquot, pisces scilicet vilissimi pretij vix quicquam capere potuerunt tota nocte laborantes. Amplissimã sibi messem pollicebantur, vtriusque interim secta adhuc in herba est, & [illegible] incipit syderari. In septenni puero ridiculosum valde est si de[illegible] nondum ediderit, si sem-

si semper includatur, incunabulorum suorum angustiis, si malè vegetetur, nullamq; incrementi noui spem faciat: elucet autem hoc totum in secta quauis luce clarius, nidulatur in Europa quælibet, in aliis orbis partib. ne minimũ quidem vestigium posuit. Amplissima prouincia est Magellanica, amplissima America, in quas interim Prædicans hucusque nullus pedem intulit, si Petrum Richerum excipias, verum is vt alibi annotauimus, vix huius portum subiit cum infectis statim rebus Galliam repetiit. Dracus quidem Anglus Pyrata famosissimus occiduum quoddam eiusdem Americæ promontorium adiuit è regione situm Iaponiæ, illudq; Angliam nouam appellauit, sed non idcirco aliquam ibi fixit coloniam, aut Anglicanum plantauit Euangelium, aut aliquos successores reliquit. Africam item secta nulla ne eminus quidem vidit, minus adhuc Indiam Orientalem, Persidem; aut Tartariam. Quod ad Turciam, Turcarum Imperator sectarios nullos præsertim Caluinistas ibi sinit virus suum effundere, & in cœtus coire, quemadmodum intelligere licet ex lepido responso quod teste Io. Botero 3. p. relat. lib. 1. dedit Bassa Budensis ministro cuidam Caluiniano roganti, vt sibi liceret conciones habere ad Christianos in eo tractatu subiectos imperio Turcico, & argumentanti æquum esse id sibi concedi, eo quod magna Turcas inter & Caluinistas intercederet necessitudo, ambos ridere purgatorium, imagines effringere, templa Catholicorum expilare, altaria subruere, Sanctorum intercessionem impugnare, virginitatem odio habere, mutare vxores, pluribus delectari, &c. Respondit inquam Bassa, *sectarios eiusmodi seditiosiores esse, quàm vt id eis permitti deberet, & vna cum aliquot sympathiis antipathias plurimas admisceri, ac inter alias nequaquam sperare se, vt cum Turcæ vino spreto aquam bibant, Caluinistæ pariter illo posthabito, huic velint assuescere.* Narrat similia Guil. Reg. lib. 1. Cal. cap. 2. ex literis Constantinopoli scriptis ad Venetum patricium in fine libri de furoribus, & Surius ad annum 1568. Tentarunt & Lutherani in eandem Turciam inferre pedem, vt sectam & religionem suam appellantes Catholicam solido aliquo iure niti viderentur. Sed quomodo? quo astu tentarunt? In mentem venit inclinare si fieri posset ad Lutheri dogmata Hieremiæ Constantinopolitani Patriarchæ sententiam, quibus si subscriberet, mox salua essent omnia, patere quippè latissimè

Patriarchæ huius ditionem, esse quoque sedem eius antiquissimam, atque ita nihil esse dubium, quin susceptus ab eo Lutheranismus valdè commendari tùm ab amplitudine, tùm à vetustate posset; inclinari autem posse illius animum, si nasuti aliqui oratores, atque ad persuadendum efficaces ad eum legarentur. Aptissimi omnium iudicati sunt Martinus Crusius, & Iacobus quidam Theologus, qui multo instructi blandiloquio destinatũ iter ingressi sunt, ac etiam confecerunt. Sed enim iusto Dei iudicio maledicenti eorum consiliis oleum perdiderunt & operã idemq; iis accidit quod Iuliano Pelagij discipulo ad Ecclesias item Orientales confugienti, cui S. Augustinus, *Non est quod prouoces ad Orientales Antistites, quia & ipsi vbiq; Christiani sunt, & vtriusq; partis terrarum, fides ista vna est. quia & fides Christiana est. Et te certe occidentalis terra genuerat, occidentalis regenerauit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in ea non inuenisti? Imò quid quæris auferre, quod in ea tu quoq; accepisti? Puto eã orbis partem tibi sufficere debere, in qua primum Apostolorum voluit Dominus glorioso martyrio coronari, cuius Ecclesiæ præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, iam nunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis excussisses. Quid enim potuit vir ita sanctus Pelagianis respondere Conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes & Romana cum cæteris perseueranter respondet Ecclesia?* Pari inquã modo confusi sunt hi Theologastri, quoniam Deus spreuit eos, atq; ad suos redierunt. accepto mortis responso semel, bis, ac tertiò, hoc est irreligioni erroribusq; suis minimè cõsentiente, sed illos quasi putidissimas hæreses cõdemnante. vt videbit qui acta eruditi illius Patriarchę, vel Orientalis Ecclesię censuram euoluerit à c.3. vsq; ad 21. quã Stanislaus Socolouius Theologiæ Doctor in aula Stephani Battorij serenissimi Poloniæ Regis illius iussu in lucem edidit. Hoc cum audiunt Lutherani.

Horatius.

Tacent, & ora pallor albus inficit
Mentesq; perculsa stupent.

Restat quinta pars eaq; minima Sphæræ terrestris, Europam intelligo, à qua si prouincias illas cogitatione separaueris, ad quas nondum progressa secta est, quam mihi nominabis (neque enim aliqua est quæ ad omnes penetrauerit) pudebit illam certè angustiarum suarum, nisi frontem perfricuerit. Amplissimæ prouinciæ sunt Moschouia, Italia, Longobardia, Hispania, Comitatus Burgundiæ, Comitatus Tyrolensis, Portugallia, Sicilia, Sardi-

Digitized by Google

Sardinia, Bauaria, Dalmatia, & Græcia, quarum interim nulla iisdem sectis occiduis patet, Hispania præsertim & Burgundia, quæ valdè inimicæ nouitatis salutaribus institutis ita munitæ sunt & septæ, vt ad eas nulla talis bestia aspirare vllo modo possit. Quæ causa est cur sectarij omnes incredibili eas odio prosequantur, & sub nomine Hispano pariter oderint, quotquot videntur nouorum dogmatum suorum propagationi remoram aliquam allaturi. Quod ad prouincias reliquas quæ mixtæ appellari non abs re possunt, in omnibus locum non habent sectæ omnes, sed aliæ in aliis & aliis. Caluinistarum angulus sola ferè est Geneua & Anglia cum quibusdam vrbibus Heluetiæ & Galliæ, molliorum Lutheranorum VVittemberga, Lipsia, & Magdeburgum, rigidiorum Saxonia, Osiandrinorum Prussia, Schuenkfeldianorum Silesia, Anabaptistarum Morauia, Zuinglianorum Tigurum. In Gallia Caluinistarum ad Catholicos minor est proportio quàm vnius ad viginti, minor adhuc in Flandria, Brabantia, & reliqua Belgij parte quæ Alberto legitimo Principi suo paret. Immò si Antuerpiam excipias, nescio vbi iam vel vnum sis Caluinistam reperturus. In parte autem rebellium frequentes sunt fateor, sed si indè sectarum aliarum sequaces subduxeris, hoc est Anabaptistas, Atheos, Lutheranos, Zuinglianos, Hussitas, Trinitarios, &c. relinquẽtur Caluiniani haud dubiè rari nantes in gurgite vasto. In Germania manifestè pauci sunt. Ex tot Principibus vix vnus & alter sectam illam vbique funestam, & bonis omnibus detestabilem profitetur. Aliquanto plures Lutherani, sed tamen pauciores quàm plerique arbitrantur. Habent certè nullos vel admodum paucos Archiepiscopatus Colonienses, Moguntinus, Treuirensis, Salzburgensis, & Ducatus Bauariæ, Styriæ, Carynthiæ & Franconiæ. Nullos fert Gallia, nullos Sabaudia, Lotharingia, Artesia, Flandria, Brabantia, vix vllos Scotia. Zuingliani veri vix Tigurum vt dixi suum excedunt, immò hodiè magna ex parte in Caluinistas degenerant, & sic in peius proficiunt. Anabaptistæ per Frisiam Orientalem & alias quasdam Prouincias ortiuæ Germaniæ præcipuè dispersi, in occiduis, Anglia, Scotia, Belgio perrari sunt, in Gallia nulli.

Digitized by Google

Ex quibus omnibus perspicuè liquet nullius sectæ hodiernæ professores esse ac dici posse Catholicos; quod quidem habet illos pessimè, & ob id dentibus frendentes suis ad diuersa confugiunt, quo eos impellit desperatio. Alij vt Lutherus vocem hanc, quia cœtui non quadrat suo è symbolo Apostolorum expungũt, & nec audire volunt nec legere. Alij rident & pro Catholico scribunt Cacolycum quasi dicas malum lupum, vt notat Alanus Copus Dial. 6. cap. 21. Alij ne seipsos confundant, refugiunt vocare nos Catholicos, vt Lutherani, qui cum antè paucos annos nostrorum libros vocare solerent libros Catholicorum, nunc cautiores effecti scribunt Pontificiorum vel Papistarum, quasi verò esse Papistam, seu adhærere Papæ Romano Pontifici, B. Petri successori non sit esse Catholicum seu fidem cõplecti quocumq; diffusam, de qua B. Paulus ad Romanos scribens ait cap. 1. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* quasi prætereà ea ratione incipiamus minus esse Catholici, aut illi magis. Alij denique nondum se esse Catholicos ingenuè annuunt, confidunt tamen fore aliquando, cum cœtus cui sese aggregauerunt impleuerit terram. Rectè, sed quando hæc erunt? Et quod signum futuræ tantæ propagationis? Ergone sperant Pygmæum octogenarium ad magnam aliquando molem peruenturũ? Quo iure ô infœlices quandiu hoc non fit, interdum tamen Catholici dici vultis, & gloriam Dei quæ cum pusillo grege vestro consistere nullo modo potest, posse tamen iactatis? quousq; blandiemini vobis, & inanissima vos expectatione lactabitis? ne vltrà quæso Catholicos vos, sed cochleas appellate, non solum quia vt cochleæ fœda vbiq; vestigia relinquitis, & nihil aditis, nisi pertentatum cornibus hoc est vi manifesta cum dolus non prodest, sed etiam quia lentissimè fines vestros longius profertis. Tandem quæ spes eundem gregem impleturum terram, cum in dies fiat contractior, & doctrinæ vestræ capita vniuersali huic propagationi perspicuè aduersentur? Singula demonstranti æquas tantum aures date.

Primò ignominiosum est Christo exiguo numero ac loco concludi eos à quib. colitur, cum meritis suis amplissimum sibi regnum vendicet. Hinc illud Optati Mileu. *Si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam, si vniuersas subducitis gentes, vbi erit illud* quod

Lib. 2. cont. Parmen.

quod filius Dei meruit? vbi erit quod libenter ei largitus est Pater dicens dabo tibi gentes hereditatem tuam? Vt quid tale infringitis promissum, vt à vobis mittatur quasi in carcerem latitudo regnorum? Quid tanta pietati obstare contenditis? quid contra saluatoris merita militatis? permittite filium possidere concessa, permittite Patri implere promissa, cur ponitis metas? cur figitis limites? Hæc etiam causa est cur se idem Christus in paruis cœtibus ad particularia contractis loca esse, aut inueniri posse negauerit dicens Matth.24. *Si quis dixerit vobis, ecce hic est Christus aut illic nolite credere.*

Secundò decrementum in dies accipitis, fuit tempus cum secta vestra qualibet longè se vidit ampliorem. In Gallia sub Henrico II. Francisco II. Carolo IX. pleræq; vrbes Metropolitanæ, sedes item Parlamentorum, pleriq; Principes & Dynastæ luem hanc imbiberunt. Nunc autem vix vnus alicuius nominis in vrbe quapiam ex celebrioribus Caluinista videri vult aut dici. Ex veris & illustribus principibus ne vnum quidem secta illa patronum & assertorem habet. Parlamenta item omnia non aliam religionem & fidem quàm nostram colunt. A Flandria & Brabantia exulatis omnes, à Bauaria item, à Franconia & locis aliis in quibus initiò sedes fixeratis spe & iudicio vestro perpetuas, &c.

Tertiò obstat doctrina vestra ne in omnem vos locum diffundere possitis. Primò quia iuxta illam prædicantes vestri omnes vxorati sunt, quod sanè pondus & retinaculum mirum quantum aduersetur longissimis peregrinationibus, nec hominem sinat modo fugere cum Apostolo demisso in sporta, modo annos plures delitescere cum Athanasio. Quocirca Christus expeditos habere volens discipulos, sibiq; similes dicebat, *qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, cui respondit Petrus *ecce nos reliquimus omnia.* Ipsi legati Romani accingentes se itineri vxores suas in portis deponebant, hæcq; est causa vna cur scriptura Angelorum nomen tribuat diuini verbi præconibus, quasi soluti esse debeant vinculo coniugali more Angelorum, qui neque nubunt neq; nubuntur. Secundò quia si Anabaptistæ estis magistratum omnem reprobatis, si Lutherani, docetis cum lutoso Luthero vestro dominos temporales excidere à dominio suo temporali per quodlibet peccatum mortale, quod vbi audiuerint exteri Magistratus, Reges, & Principes tantum se vobis opponet,

Bbb 3 quan-

quantum sunt de tuenda iurisdictione sua solliciti, cuius hostes capitaliores esse non potestis, quàm cùm eam tàm facilè iis perire,meramq; tyrannidẽ esse dicitis. Tertiò quia docetis populum
3. esse à quo debet quis ordinari, instituui, & legitimam potestatem accipere prædicandi verbum Dei, & administrandi Sacramenta. Vndè sic disputo, hac potestate præditi esse non possunt, qui ad promulgandum extra Europam Christi Euangelium proficiscuntur.ergo non potest hęc promulgatio sortiri exitum bonum, nec apud exteras gentes illas radices agere.Consequentia perspicua est, probatur antecedens, quia esto populus vnus posset sibi ipsiPastorem præficere(quod falsum est quippèius tantum habet postulandi, proponendi, improbum & ineptum detrectandi) nullo tamen modo alteri puta Orientalis Occidentali, fidelis infideli,Græcus barbaro, imò ne quidem vnus fidelis alteri fideli
4. vt Tubingensis VVittenbergensi & contra. Quartò quia ad idem Christi verbum seu fidem & religionem longè propagandã prædiscere oportet linguas peregrinas ne tentetur Deus; at nullam domi seu in scholis suis Europæis dant operam,vt in talibus sese exerceant,nec præceptores accersunt à quib. doceãtur, nec adolescentum habent seminaria, qui misioni huic sese deuouentes, & eidem tyrocinio dantes operam aptentur in dies, vt in expeditionem eant iis successuri, qui eò profecti nec semper viuere possunt,nec diu pollere viribus ad tantam molem sustinendam idoneis, sine qua succesione nihil in vllo genere constans esse potest ac diuturnum. Vndè Turcarum Imperator ne aliquandò imperium habeat minus constabilitum, cuius præcipuum robur in Prætorianis militibus seu Ianizeris nouit consistere, solerter aduigilat vt Constantinopoli, Damasci, Alexandriæ, Adrianopoli, &c.selecti adolescentes magno numero in omnibus, quæ ad militiam spectant instituantur. Nobis Catholicis nihil tale exprobraueris,vtpotè quibus Vlisipone,Goæ,Malacæ,Limæ,&c. huius generis palæstræ sunt.ad nostros qui eo excurrunt præparandos.

De

De Antiquitate, proprietate 4. veræ Religionis nota vero eiusdem 25.

CAPVT IIII.

§. 1. Definitur hæc antiquitas, & in quo sita sit docetur.
2. A numero proprietatum veræ Religionis excludi non potest.
3. Resplendet in Catholica clarissimè.
4. Nequaquam autem in Mahumetana.
5. Minus adhuc in ea quam sibi Nouantes arrogant.

ANtiqua res secundum Varronem dicitur quasi antè æuum nata, & antiquitas quasi ante ætatem res. At Iurisconsulti antiquum & immemorabile pro eodem accipiunt, immemorabile porrò centum annorum spatio definiunt, veluti superans cuiuscunq; hominis memoriam, nequaquam vltrà spatium illud prorogare vitam soliti, L. maiorum de Iurisd. omn. Iud. ff. Ita fit vt ex illorum sententia reique veritate tanto aliquid antiquius sit, quanto plura fluxere secula seu interualla annorum centum, ex quo cœpit esse. Et quoniam seculorum fluxus requiritur, inani se labore fatigat, quicumque persuadere volens aliquid fuisse antiquissimu[illegible] [illegible]u ab altissimo descendisse principio, non probat illius in in[illegible]edio toto tempore existentiam. Sit exempli causa obscurus & iactabundus quispiam, qui se prognatum asserat ab Aenea Troianorum Duce, nec tamē intermedios maiores suos posit ostendere, risum tenebit nemo id audiēs, sed confestim dicet, Aeneam scio, Anchisem noui, tu quis es? quæ prosapia tua? Ita nos bardos arbitraris ac stupidos, vt in re tanti nihil aliud quàm verba proferenti quæ impostori cuilibet æquè ad manum sunt credendum iudicemus? Equidem si progenitores tuos tibi scilicet cognomines ad Aeneam vsque sursum versus numerando perduxeris, habebit quod iactas verisimilitudinē, & assensum à nobis facilè impetrabit: sin autem perducere nequiueris, sed post aliqualem progressum hæreas atq; conticescas, fidē omnē verbis tuis abrogabis, nec erit sapiens qui te nō desipere imò insanire sentiat. Nam qui fieri §. 1.

potest,

Digitized by Google

potest, vt genus tuum ad fastigium tot seculorum peruenerit, quod series ipsa hærere docet infra medium? Aliud exemplum Ister siue Danubius è sylua Hercinia in Sueuia ad montem Adnobam emergens orientem versus pulcherrimas vrbes alluit, vt Vlmam, Ingolstadium, Viennam, Budam, Taurinũ seu Belgradum, & tandem supra Constantinopolim in mare Caspium sese exonerat. Faciamus iam Vlmensem aliquem libidine iurgandi vel alia de causa, illius originem longè vltra Sueuiam extendere, puta ad Belgium, Normandiam, aut occidentaliorem aliquam Europæ partem, mox iniquè illum agere pronuntiabimus, cum experientia doceat decurrentes hoc flumen ab Vlma sursum versus in Sueuia consistere. Ita fit vt æquè inconsultus sit futurus, qui religionis quam profitetur initium ad Apostolorum vsq; tempora prouehere conabitur, nec tamen in seculis omnibus interiectis aliquos designare poterit, qui eam coluerint. Immò tantò maior erit huius insania, quanto facilius est religionis quam prætendit vicinum esse principium quam prosapiæ vel decursus fluuiorum. Si quidem prosapia quælibet ad Adamum vsq; re ipsa progreditur, & fluuiorum initia per subterraneos meatus interdum longè anticipant loca in quibus scaturiunt. Religio autem illa præsumpta nec vetusta necessariò fuit nec diuturna, sed nuperrimè à cerebro fanatici cuiusdam hominis fingi cudiq; potuit. Si ergo ridentur qui stirpi suæ aut fluminibus altissima quædam exordia tribuunt, quæ per media nunquam interrupta probare nequeunt, multò certè magis ridiculos præbebunt sese, qui ea prætenta religioni suæ arrogabunt.

§. 2. Religionem veram vetustissimam esse multa nobis argumento sunt.

Primum quod cum addicta sit diuino cultui, analogiam & proportionem cum Deo habere debet, is porrò æternus est, religio itaq; vera tametsi non æterna (eo quod creaturæ non competit æternitas) debet tamen esse antiquissima, ne Deus cultum illum suum neglexisse videatur, nec aliquos sibi homines segregasse ab initio, & quouis tempore à quibus coleretur.

Alterum quod vera religio indiuidua sit comes veræ Ecclesiæ, quo enim iure vera seu Dei Ecclesia diceretur, si non eam cultu & quidem legitimo prosequeretur? Sed hæc ipsa Ecclesia perue-

tusta

Digitized by Google

iusta est, ergo & Religio. Probatur minor propositio, quia Dei seu Christi Ecclesia & Christi regnum non differunt, Christi autem regnum semper durat nec vnquam deficit, Psal.144. *Regnum tuum regnum omnium seculorum*, Luc.1. *Regni eius non erit finis*, Matth.28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consummationem seculi.* Si omnibus, diebus ergo à Christi tempore continuo durauit eius Ecclesia, proindeq; & Religio.

Tertium, quod duratio præstantissima siue longissima deceat religionem veram, vtpotè præstantissimam, quo debita seruetur proportio, vnde videmus è rerum speciebus perfectionis imparis excellentiores vincere antiquitate cæteras, vt naturales artefactas; & eas quarum indiuidua ex semine generantur, reliquas quarum indiuidua ex putrefactione resultãt. Nobiles item qua ratione & consilio enitere inter homines appetunt, eodem generis sui ætati quàm remotissimos possunt terminos assignãt.

Quarti argumenti quanta sit vis intelligi non potest nisi præmissa distinctione rerum in eas quas durare semper conuenit ex quo esse cœperunt, & in eas quas interitui esse obnoxias. Horum duorum membrorum vtrumq; subdiuiditur, atq; vt à posteriori ducam initium, quæ perpetuo duraturæ non sunt, aut statim à principio perfectionem suam totam accipiunt, vt domus, vestis, calceus, & hæc procul dubio quo recentiores eo sunt laudabiliores maiorisq; pretij, veterascunt si quidem labente tempore, & in deteriorem pręcipitantur statum. Quocirca harum respectu Horatium secuti lib. 2. epist. damnamus qualicumq; calculo nostro Momum illum, qui adeò nouitatis osor est, morosus ac difficilis

vt nisi quæ terris semota suisq;
Temporibus defuncta videt fastidit & odit.

Aut totam principio non nanciscuntur, sed pedetentim vt sic loquar maturescunt, eo quod illarum perfectio sita sit in quibusdam qualitatibus, quæ vt ad excellentem perueniant statũ, atque eiusmodi rebus valdè consentaneum moram aliquam sibi deposcunt vt vinum. Tales eo perfectiores constat esse quo vetustiores (sic tamen vt in hac vetustate sit modus) obidq; ait Christus Luc.5. *vetus* supple vinum *melius est*, & Ouidius

Digitized by Google

Qui properant noua musta bibunt, mihi fundat auitum
Consulibus priscis condita testa merum.

Inscribebantur enim doliis nomina Consulum, qui tunc Rempublicam administrabant, vt sciretur ætas vini, sed & quamuis nouella vitis copiosius gignit vinum, vetustior tamē melius. Quod ad eas quæ nunquam defecturæ sunt, quasq; deficere non conuenit, in duplici quoq; sunt differentia, aut enim à multis diligenter examinatæ ac probatæ sunt, aut à paucis, quam partitionem quisquis audit, statim iudicat quæ ad prius genus spectant, longè præferendas iis quæ ad posterius: cum enim plus videant oculi quàm oculus, & communi lege receptum sit, vt suffragantium pars maior minori præualeat, & eo purior censeatur aqua quo altius per arenam fluit in qua percoletur, & vitium deponat si quo est prædita, fit vt securius sit atque ita præferendum quod multorum perpensum ac probatum est iudicio, quam quod paucorum. Quia itaque religio vera vna est de rebus occasui non obnoxiis, maximique ponderis, meritò profectò præstantior, securior, ac complexu dignior illa videbitur, quæ plurimos quàm quæ paucos Censores & approbatores habuit, & quia illa sine dubio plures habuit quæ est antiquior, fit à primo ad vltimum, vt nota vna veræ ac meritò complectendæ religionis sit antiquitas. E quidem dicat aliquis, præferendus est cultus probatus pluribus, ac proinde vetustior, modo plures illi vbiq; se eloquiis diuinis accōmodent, & pietate ingenioq; non minus quā pauciores polleant, secus si nec se accōmodent, nec polleāt. Ita quoq; sentio sed audi quisquis hoc obiectas, itane cæcus es, vt nō videas, idem de hac conformitate cum diuinis eloquiis, quod de cultu ipso esse iudicium? Vt sicut absolutè loquendo, & iuxta communem hominum æstimationem, verisimile est ne dicam certum moraliter sanctiorem esse cultum probatum pluribus, quàm paucioribus abstrahendo à scripturis, ita quando cum scripturis comparatur, illum eundem cum iis potius cohærere quàm hunc alium? Cur enim ob iudiciorum pluralitatem cultus in se consideratus sanctior videbitur, & non etiam verbo Dei congruentior. Quod de pietate & ingenio additur, facilem immò eandem habet responsionem. Non alia de causa præualere possunt

Digitized by Google

sunt ac debent plurium suffragia, quàm quia maiore nituntur prudentia, qua constet quid iudicari quid fieri debeat, & maiore probitate qua verum cognitum sincerè depromatur. Quare eo ipso quo communi, vt dicebam lege & consensu mortalium plus tribuitur suffragio plurium, plus quoque prudentiæ & probitatis iis inesse supponitur. Vt taceam falli eos vehementer, qui sibi vel neotericis aliis plus acuminis & solertiæ credit quàm veteribus. Esto animos geramus immortales, fit tamen nescio qua occulta consensione, vt corporibus ad senium suum vna cum seculo inclinatis, ipsi quoque caligare incipiant, nec inscitè à quodam scriptum sit, *omnia fert ætas animum quoq;*. Notum quoque illud Iob. cap. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Seriem decurrere vt voles artium omnium, nullam reperturus es in qua non excelluerint maiores posteris. Quis hodiè Philosophorum par Aristoteli, quis Oratorum Demostheni aut M. Tullio? Quis Historicorum T. Liuio aut Salustio? Quis Arithmeticorum Gebro aut Diophanto? Quis Geometrarum Archimedi? Quis Astronomorum Ptolomæo? Quis militiæ Ducum Alexandro Magno aut Cæsari? Quis Poëtarum Virgilio? Quis Pictorum Apelli? Quis sculptorum Lysippo? Quis Medicorum Hypocrati? Quis Iurisconsultorum Vlpiano? Idem de arte artium sentiendum, hoc est de arte seu recta ratione colendi Deum, & quidem tanto magis, quanto probiores fuerunt Patres nostri. Hæc autem ars pendet non parum à probitate Psalm. 18. *Testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis*, Psalm. 118. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum*, Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere cognoscet de doctrina mea vtrum ex Deo sit.*

Euolue tandem Lector quoscumque Authores libuerit, videbis omnes antiquitatem quasi aliquid sacrum revereri, quo fit vt etiam nos deceat cæteris paribus, religionem omnium vetustissimam præ alia quacumque eligere & amplecti. *Veneranda sunt vetusta dogmata*, inquit S. Basilius, *eo quod ob antiquitatem seu canitiem quandam habeant quiddam reuerendum.* Idem Epistol. 62. inter Musonij laudes insignis Episcopi Neocæsariensis ait *nihil de suo nihil quod noue alicuius cogitationis inuentum saperet, in medium attulit* *Ad Amphi. cap. 29.*

hic vir, sed iuxta benedictionem Moysi, ex arcanis cordis sui ac bonis thesauris vetera veterum, & quæ ante faciem inimicorum vetera essent proferre nouit. Et Vincentius Lyrinensis, *mos iste semper in Ecclesia viguit, vt quo quisq; foret religiosior, eo promptius nouellis adinuentionibus contrairet*, & S.Cypr.lib.3. cap.4. *Si de aliqua modica quæstione disceptatio orta fuerit, nonne oportebit ad antiquissimas recurrere Ecclesias, & ab iis sumere de præsenti quæstione quod certum & liquidum est?* Et S.Athanasius in oratione contra Idola. *sententia à Maioribus confirmata irrefutabilem habet authoritatem*, & M.Tullius in lib.de amicitia, *genus hoc sermonum positum in hominum veterum authoritate, & eorum illustrium plus nescio quo pacto videtur habere grauitatis*, & infra. *Neq; enim assentior iis qui hæc nuper disserere cœperunt, simul cum corporibus animas interire, atq; omnia morte deleri, potius apud me antiquorum authoritas valet vel Maiorum nostrorum.* Secundum Iurisconsultos in lib.56.de legib.ff. *cum de interpretatione legis quæritur, in primis inspiciendum est, quo iure ciuitas retrò in eiusmodi casibus vsa sit.* Quid vrbes, quid gentes commemorem; quæ de antiquitate grauissimè inter se decertarunt? Habes inter cæteros Iudæos & Samaritas. Iudæorũ patronus erat Andronicus vt recitat Iosephus, vicitque aduersarium Iudicæ Ptolomæo Philometore, ostendens ignotum veteribus templum Garizitanum quo vtebantur Samaritæ; Hierosolymitanum autem quo Iudæi notissimum, sæpeq; ab iis ad miraculum vsq; celebratum, & cum indè conuinceretur esse antiquius postulare æquitatem vt Iudæorum genti primæ deferrentur. Mouebunt forte aliquem verba illa Senecæ, *nihil magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quo eundem est, sed quo itur. Nulla res maioribus nos malis implicat, quàm quod ad rumorem componimur, optima rati ea quæ magno assensu recepta sunt, indè est tanta coaceruatio aliorum supra alios ruentium, & quòd in omni vita accidere videas, nemo sibi tantum errat, sed alieni erroris causa & author est.* Huic quippè sententiæ possum complures ex eodem authore opponere, vt ex lib.7.natur.q.cap.1. *qui antiquitate neglecta nouitate magis delectantur, similes sunt iis qui quotidiana etsi admiratione digna sint, transeunt; contra minimas quasq; res si modo insolitas superstitiosè contemplantur. Hos spectatores sol nisi cum defecit non habet, nemo obseruat lunam nisi laborantem, tunc omnes conclamant, tunc pro se quisq; superstitione vanà trepidat, quanto illa maiora sunt, quod sol*

In lib. adu. prof. nouit.

Lib.13. An. cap.6.

In lib. de Vita Beat. cap.1. & 2.

sol totidem gradus quot dies habet, & annum circuitu suo claudit? Et Epist. 118. *Multum dare solemus præsumptioni omnium hominum. apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri.* Ne itaq; secum ipse pugnet, dicēdum est priore in loco loqui Senecam de populari multitudine cuius mores & iudicia quantumuis antiqua solent esse stolidissima. Hinc tritum illud sermone prouerbium, *per publicam viam ne ambules*, hoc est, vt interpretatur S. Hieronymus ne vulgi sequaris errores seculum decurrentis cum impetu cupiditatum suarum, quas semper comitantur praua iudicia; non autem de multitudine sapientum quos superiora tulerunt secula,& de quibus verba facimus cum religionem illam veram ac securam esse contendimus, quæ probata est communi iudicio veterum.

Ostensurus autem in Romana nostra elucere perfectam antiquitatem, suppono quod iam demonstraui lib.2.ca.1. eiusmodi antiquitatem supputandam esse à Christi tempore quo posito sic argumentari possumus. Ecclesiæ nostræ indiuidua comes religio nostra est, vt fatentur aduersarij (esto superstitionem eam appellare malint quàm religionem) sed eadem Ecclesia nostra à Christi tempore ad hodiernum vsq; perseuerauit vt demonstratum est in cap. illo 15.3. & iidem agnoscunt, eo ipso quo illam prætendunt ab initio cœpisse ad illicitos cultus degenerasse. Ergo & religio nostra fuit à Christi tempore, quod erat probandum. 5.3.

Secundò perantiquam esse fidem religionemq; nostram vltrò fatentur ipsimet sectarum Authores, vt Lutherus in lib. de abroganda Missa priuata, & Kemnitius, in Exam. Concil. Trid. Sess.14 cap.8. & Calu. in suis Inst. vt lib.3.c.4.nu.38. cum ait. *Parum autem me mouent, quæ in veterum scriptis de satisfactione paßim occurrunt, video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter omnes ferè quorum libri extant, aut in hac parte lapsos esse, aut nimis aspere ac durè locutos*, & cap.5. num.10. *At vetustißima fuit Ecclesiæ obseruatio*, videlicet orandi pro mortuis,& infra, *cum ergo mihi obiiciunt aduersarij ante mille & trecentos annos vsu receptum fuisse vt precationes fierent pro defunctis, eos vicißim interrogo quo Dei verbo, qua reuelatione quo exemplo factum sit.* Constrictus teneris verbis tuis Caluine, sufficit nobis quod tāta religiosi huius moris nostri vetustatem fateare, qui instar esse potest cæterorum. Non est veterum illorum Christianorum à quibus est vsurpatus tibi arrogantissimo hæretico facti sui rationem redde-

re, sed tuum erubescere, dum illos id fecisse agnoscis & vides quod negas faciendum. Quid reuelationem postulas? Quid Antecessorum exempla? Quid verbum Dei? Reuelationem habere & sentire potuerunt non ita ostendere. Quod ad exempla Maiorum & verbum Dei, si tibi Iudæ Machabæi exemplum proferant 2. Machab. 12. Si citent verba illa Apostoli, 1. Cor. 3. *Ipse saluus erit sic tamen quasi per ignem*, si traditionem commemorent, prætendes priorem quidem scripturam non esse Canonicam, posteriorem non sic esse intelligendam, traditiones loco nullo habendas, adeoq; distare à Dei verbo, vt ei etiam opponantur. Quid itaq; tecum facient adeò fastidioso, & ad omnem facto tergiuersationem? An credibile est, tibi melius compertum quodnam sit verè verbum Dei, & quomodo exponendum, tibi inquã nato nudius tertius & sola arrogantia ac maledicentia claro quàm illis tot seculorum serie vetustioribus, sanctitate conspicuis, & Deo plenis? Sed audiamus quid insuper addas in fauorem huius antiquę nostræ religionis lib. 4. cap. 17. n. 39. ibi improbandũ susceperas morem illum nostrum administrandi ægrotis Eucharistiam prætermissa concione, cuius propter infirmitatem satis capaces nõ sunt, & scribis. *Sed enim qui sic faciunt habent veteris Ecclesiæ exemplum fateor; verum in re tanta, & in qua non sine magno periculo erratur, nihil tutius est quam ipsam veritatem sequi*, assentiris itaque veterem Ecclesiam pro nobis stare.

Tertio euicimus in §. præcedenti veram religionem debuisse stare à Christi tempore adhunc vsq; diem, nulla autem est præter nostram quæ stetisse posit ostendi, vt constabit ex sequentibus, Judaica excepta quæ licet falsa esse demonstrari nequeat defectu antiquitatis, aliunde tamen cumulatè conuincitur, cum sit per Christum abolita iuxta vaticinia Prophetarum.

Quartò admittunt vulgò Sectarij durasse religionẽ nostram à tẽpore Gregorij Magni quẽ obiisse constat anno Domini 604. Sed quare non etiam agnoscunt viguisse illam superiorib. sex seculis, cum in iis in vsum adductæ sint partes illius quælibet, imò post Christũ & Apostolos nullus eorum author primus circumferatur? Et parati simus in iis asserendis iudicio stare sanctorum Patrum, qui primis illis sex seculis claruerũt? Et Magdeburgenses in tota sua historia adeò diligẽter notarint per singulas centurias

Ortho-

Orthodoxos qui tunc erant ita sensisse sicut hodiè docet obseruatq; Romana Ecclesia, vt nullo alio fine laborē illum suscepisse, videantur, quàm vt id ostenderēt? Nec refert quod hæc dogmata ritusq; appellent næuos veterū, satis est in præsentia quod admittant fuisse nobis communes cum vetustis illis Patribus, quibus si aliquos quoq; suos cōmunes extitisse possent ostendere, mirum quātum exultarēt, quàm resilirent gaudio, quot Pæanas canerēt. Adhæc si S. Gregorius aliquid grauioris præsertim momenti veteribus insolitū circa religionem vsurpasset, ei procul dubio sese opposuissent coætanei Episcopi (sicut etiā hodiè opponerent sese posteri Paulo V. si eiusmodi aliquid attentaret v.g. si Missam, aut orationē pro defunctis abolere niteretur, aut nouum quoddam Sacramentū instituere) & maximè Orientales quos æmulatio impellere solebat ad minimas etiā defectionis occasiones arripiendas. At nunquā sese opposuerunt, quin potius breui post illius obitū celebrata est sexta synodus generalis, in qua cōuenerunt occidētales & Orientales, hoc est tàm legati Agathonis Papæ, quàm Patriarchæ Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus partim per se partim per legatos suos, & valdè concordes ab inuicē discesserunt nec aliquid in ea synodo disputatum est, quod ad res hodiè de fide & religione cōtrouersas attinet, sed tantummodò essentne in Christo duæ voluntates & operationes, diuina vna humana altera, an vnica vt contendebat Macharius quidam, & definitum est esse duas vt senserat Agatho. De Gregorio magno nulla facta est mentio, nec aliquid notatum vel reprehensum in Ecclesia Romana cui præfuerat, & in qua seriò ea semper commendauerat, quæ Nouātes hodierni superstitioni adscribunt, quasi à vera religione alienū. Non prætermittendum lectam fuisse in ea synodo Imperatore præsente Agathonis epistolam, nec ei à quoquam repugnatum, cum tamen inter alia dicat Pōtifex Sedem Apostolicam seu Romanam nunquam à veritate deflexisse. Quàm facilè erat Machario excipere ac cōtradicere prætentis illis Gregorij errorib. circa decreta rerum ad fidem religionemq; spectantiū, si iudicio Orientalium veri errores fuissent, & excipiendo parare viam ad infirmandam Agathonis sententiam de duab. Christi voluntatibus, & suam de vnica stabiliendam? Tandem si prouidit Christus Dominus, vt ex quo obiit ad Gregorium vsque religio vera nunquam intermissa descenderet, quomo-

quomodo non etiam prospexit, vt ad ista quoq; tempora propagaretur? Nonne ab ætate S. Gregorij æquè Deus fuit ac prius omni laude dignissimus? Et ante eundem grauia in orbe Christiano delicta, ob quæ tamen non destitit illius propagationi consulere? Quid opus erat, vt inchoatam Romanorum Pontificũ successionem, & ad Gregorium vsq; deductam, ad nostra etiam tempora toto mille annorum spatio prorogaret, si non cum eadem conseruaturus erat fidem religionemq; veram? A qua si recedere vel recessura videbatur, conueniebat profectò non vt vlterius produceretur, sed vt statim post Apostasiam aboleretur, & contra Gregorium eadem quæ contra Iechoniam proferetur sententia his verbis. *Terra, Terra, Terra audi sermonem Domini; Hæc dicit Dominus, scribe virum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur. Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium David, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Quis deniq; non videt infirmum futurum fuisse argumentum illud crebrum sanctorum Patrum à continua successione personali ad continuam successionem doctrinæ & religionis veræ, & contra à negatione illius ad negationem istius, quo inter alios vsi sunt Aug. in disput. contra Donatistas & in lib. contra Epist. Fundamenti, & Tertull. in lib. de Præscript. Statim quippè excepissent aduersarij, neq; sequitur vos verum dicere, quia continuam Episcoporum vestrorum successionem ostenditis, neq; nos falsum, quia nostrorum pariter demonstrare non possumus. Siquidem inter successionem personalem & successionem veræ fidei ac religionis non est necessaria connexio. At nunquam tale quippiam causati sunt scientes friuolam esse causationem.

Hiere 22.

§. 4. Hic vltrò terga vertunt Mahumetani, & religionem suam annis minimùm sexcentis Christiana nostra posteriorem esse concedunt. Nec mirum constat quippè certo certius quod illam euulgare non cœperit nisi post annum sexcentesimum à Christo nato. Cuspinianum de hoc in ipsius vita loquentem si placet audiamus. *Est autem natus anno nostræ salutis 597. aut 598. (notæ enim numerorum in Chronicis variantur, & errorem inducunt) Mauritio Imperante, & Gregorio sedente, sed veluti Propheta claruit anno humanæ redemptionis 623. circiter, Heraclij Imperatoris duodecimo, expeditionis Persicæ sexto cum Cosdroem Regem deiecisset.* Ita fit vt non sexcentis tantum sed viginti

ginti tribus insuper annis Mahumetismus sit Christianismo recentior. Non hoc diffitetur in Alcorano suo ipse Mahumetus nec Mahumetani, sed clarè pronuntiant ordinem tenentes legũ à Deo profectarũ, & causam afferentes, cur vltima ista seu Mahumetana prioribus illis successerit. Hunc ordinem exponit ibidẽ his verbis idem Cuspinianus ex Septemcastrensi. *Credunt Turci primum magnum Prophetam à Deo missum fuisse Moysem, cui datus est liber Tefrit quem nos Pentatheucum dicimus, ac homines qui hanc legem custodierunt fuisse saluatos. Cum autem lex illa per socordiam hominumq; malitiam fuisse corrupta, magnus iterum Propheta à Deo missus Dauid librum Tzabur attulit, quem nos Psalterium vocamus. Sed iterum ad interitum eunte plebe, Iesus Propheta magnus à Deo missus nouam legem cum libro cui nomen Ingilu hoc est Euangelium causa salutis apportauit, deficiente verò & hac lege, quartus electus est Propheta Mahumetes, qui legem cum libro cui nomen est Alcoranus à Deo accepit.* Multa hic sunt censura digna, quæ iure possem meo irrefutata relinquere, cum ad negotium nostrum præsens sit satis, quòd religionem quam inuexit fateatur esse nostra longè recentiorem; obiter tamen à me refutabuntur, quia hoc ad alia multa proderit, maximè autem ad illum imposturæ coarguendum. Ait Pentatheucum Moysi datum, Dauidi Psalterium, Christo Euangelium? Vnde hoc habet somniator impudentissimus, & ad fingendum quidlibet proiectissimus? Sanè nec Moyses Pentatheucum, nec Dauid Psalteriũ accepit sed composuit, vnde lib. 2. Reg. c. 23. vocatur egregius Psaltes in Israel, & Christus Mat. 22. profert verba illa Psal. 109. *dixit Dominus Domino meo, &c.* quasi à Dauid prolata. Quod ad Christum nec accepit nec composuit Euangelium seu Euangeliorum librum, sed Euangelistæ 4. afflati à Spiritu sancto, fuitq; id vniuerso orbi persuasissimũ totis 600. annis, priusquam in medium prosiliret Mahumetus somniorum venditor, & nouorum Dæmoniorum annuntiator. Scribit præterea corruptis Moysis, Dauidis, Christiq; legibus aliã fuisse substituendam, reipsaq; substitutam. Sed contrà, cum bonæ sanctæq; fuerint, adeò vt illarum obseruatores salutem sint consecuti, nihil necesse fuit vt abolerẽtur, & abolitis alia surrogaretur, sed ineunda fuit ratio, qua posthac mortales seriò essent de illarum obseruatione solliciti.

Retinent hunc morem reliqui omnes Legislatores, nulla est

tanta corruptela, quæ illos permoueat, vt posterius eleuent, quæ prius sunt rectè constituta, sed tantum adlaborant, & modos ineunt, vt quæ iam neglecta & prostrata iacent, sedulo in posterum obseruentur; alias surrogandarum legum nullus esset finis, cum posteriores non minus quàm priores sint corruptelis obnoxiæ, imò tanto magis, quanto mundus est occasui suo vicinior, & recepit in se plurium seculorum prauitatem & colluuiem. Taceo nunquam ab omnibus legem aliquā violari, nam tūc etiam cum omnis caro corrupisse dicebatur viam suam coruscabat tota familia Noë innocentia & sanctitate. Vnde sicut tunc Deus ob publicam illam prauitatē legi naturæ quæ tunc violabatur, nullam aliam surrogare cogitauit, & vt alias fortè cogitaturus esset, tamē propter paucorum illorum innocentiā à surrogatione abstinuit. Ita licet oriente Mahumete ab obseruatione legis suæ valdè recessissent Christiani; nihilominus cum grauissima sit præsumptio plurimos non recessisse, nequaquam censeri debet Deus expuncto Christianismo legem aliam suffecisse, sed horum tametsi pauciorum intuitu Christianam confirmasse. Verum quid præsumptionis verbo vtor? Imò certò certius vigebat hæc ipsa lex Christi quam plurimis in locis non Constantinopoli solum, vbi Ioannes Archiepiscopus Arianos vehementer reuincebat, sed multò magis Romæ, & in partibus magis occiduis. Ecclesiæ siquidem vniuersæ præfuerunt illis temporibus Benedictus I. & Gregorius I. insignes planè Pontifices, Christiq; cultum quàm maximè accurantes teste Platina, Florebat quoq; in Hispania magnus Leander, Episcopus Hispalensis, & eiusdem Arianæ perfidiæ insectator acerrimus. Nisi Mahumetus ipse expertus fuisset in Christianis sibi coætaneis singularem constantiam, & Christianismi zelum vt sic loquar inextinguibilem, nunquam in Azo. 20. & 46. negasset fore vt aliquando conuerterentur, siue cāstigarentur siue non. Contra hanc totam ratiocinationē vnicum obiici posse video. Diximus quod cum leges Mahumetismo vetustiores bonæ fuerint, videri nequeat Deus eas aboleuisse, & aliam iis sufficere, quo sane argumento confici etiam videtur, nec naturali surrogatam Mosaicam, nec Mosaicæ Christianam. Respondeo non esse parem vtrobiq; rationem. Naturalis siquidem & Mosaica ita bonæ erant, vt tamen fuerint imperfectæ & ordinatæ ad Christianam, vt figura ad veri-

Digitized by Google

veritatem, cui proindè aduenienti cedere debuerunt. Mahumetus autem Mosaicam & Christianam perfectas facit, nec vllomodo Alcorani sui prodromas cui etiam grauissimè aduersantur, ob idq; nihil fuit necesse hunc illis surrogare.

Magis adhuc Pseudoeuangelicos nostros deficit antiquitas, magis apud illos noua sunt omnia, & Antesignano eorum quilibet ius dicendi 55.

Libera per vacuum posui vestigia princeps Horat.
Non aliena meo pressi pede.

Molestissima est illis huius argumenti tractatio. Neq; hinc procul distat Satrapa quidam Caluinianus dicere solitus, nihil se formidare magis congressurum cum Catholicis, quàm si cogatur ad articulum de antiquitate descendere. Ibi enim sibi & suis dolores esse parturientium, ibi robustissimos quosq; cadere, ibi perire arma bellica, ibi abiici clipeum fortium. Quid plura? *ἰδὲ ῥόδος ἰδὲ πήδημα*. Faciamus si placet à vocum nouitate principium, vt sic ad maiora tendamus.

Nondum è puteo abyssi emerserant, cum hæ voces vulgò inter Christianos circumferebantur, Deus, Iesus Christus, Ecclesia, Sacramentum, Eucharistia, Concio, Episcopus, Presbyter, Prædicator, Sacerdos, Oratio, Excommunicatio, Christiani, Catholici, Concilia, Canones, & quod ad nomina propria fidelium, alius Petrus vocabatur, alius Andreas, alius Ioannes, &c. displicuerunt hæc illis, atque vt se Nouatores & nouitatis cupidissimos ipso etiam vsu vocabulorum ostenderent, has alias voces vetustis & receptissimis illis surrogarunt, Dominus, Christus, templum, sigillum, symbolum, tessera, obsignatio, cœna, prædicatio, Superintendens, Senior, Prædicans, Minister, preces, censura, fideles, Synodi, articuli. Non est hæc inquies, adeò magni momenti nouitas, fateor, propterea præfatus sum velle me ab ea velut modica exordium ducere. Nihilominus tàm parua nõ est, quin sit omnino nimia & reprehensione dignissima, siquidem alias ingentes connotat, aliarum magnarum est principium, inquietissimi fastuosissimique ingenij præsumptionem facit, ac tandem insignem portendit temeritatem, *qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est*. Magnis in rebus vel parua mouere periculosissimũ, & à Luc.16.

Legislatoribus omnibus interdictum. Nihil aut parum culpassent in Terpandro viri minimè iudiciosi, quòd Lyræ chordam vnam præter receptum morem addidisset. Enimuerò Lycurgus propter hanc vanitatem illum iussit ac coëgit solum vertere, præuidens facilè fore si toleraretur, vt breui maiores alias certissimum Reipublicæ interitũ allaturas post se relinqueret. Hæc ipsa vocum nouitas B. Hieronymo tàm grauis & exosa fuit, vt in trãslatione sacrorum codicum vbiq; *cubitos* posuerit non *cubita*, quia licet leges Grammaticæ *cubita* requirant, vetus tamen vsus habebat *cubitos*. Sed & Veneti esto omnium iudicio minus eloquentes quàm Hetrusci aut Senenses, neminem in Senatu suo ferunt receptos adulterare terminos, & in Curia loquẽdi ac scribendi modos in peregrinos quosdã, etsi reuera politiores cõmutare, adeò suspectam habent nouitatem vel modicam, & insolitis vocibus, insolitos quoq; mores ac leges pedetentim succedere arbitrantur. Quam etiam ob causam indefinitè scripsit S. Basilius, *eo sum ingenio, vt haud facilè neoterica admittam.*

In epist. ad Patrophilum.

Sequuntur dogmata primitiuæ Ecclesiæ, quæ ab iis quoque refixa vtile est ostendere, quo verisimilius fiat, antiquam ab eis adulteratam fuisse religionem & cum noua quam excogitarunt commutatam. Noua inquam illis fides est noua dogmata. Nam quod ad fidem inauditum fuit superioribus seculis esse triplicem historicam, mysteriorum, & iustificantem, atque hanc non esse aliam quàm firmam hominis persuasionem, qua sibi credit remissa peccata, se item à Deo dilectum & prædestinatum. Quod ad dogmata, neminem tulerunt ætates superiores, qui cum Caluino diceret, solam baptismi recordationem sufficere ad expiandum quodcumque peccatum posterius cõmissum, vel desperasse in cruce Christum Dominum, vel aliquo tempore damnatum, & pœnas subiisse damnatorum. Rursus cum tàm ille quàm cæteri ea propugnantes quæ cum fide pugnant Catholica siue Romana, nolint peremptoriè stare iudicio sanctorum Patrum, qui ad Apostolorum tempora proximè accesserunt: Satis ostendunt dogmata sibi esse cum illorum dogmatibus non cohærentia, atque ita noua atque recentia. Sed fortè perperam colligo. Quomodo enim recentia dici possunt, quę esto recepta non fuerunt ab eiusmodi Patribus, fuerunt tamen à quibusdam illorum coætaneis?

L. 4. epist. c. 15. n. 3.

Nonne

Nonne antè illos dixit Simon Magus non dari liberum arbitriũ, & Aërius orandum non esse pro mortuis, & Donatistæ Dei Ecclesiam defecisse multo tempore, & Iouinianus explodendam virginitatem, & Aetius impossibilem esse continentiam, & Vigilantius nec Sanctos inuocandos, nec eorum reliquias venerandas, & Berengarius Eucharistiam nullo cultu prosequendam, & Eunomius vna fide saluari hominem, & Florinus Deum esse peccati authorem, & Proclus concupiscentiam esse peccatum, & Donatistæ Ecclesiam Romanam cathedram esse pestilentiæ, templa spolianda, sanctum Chrisma mittendum in sterquilinium, Ariani traditiones flocci faciendas. Pelagius omnia peccata esse mortalia, Iouinianus, nec fidelem vnum esse altero sanctiorem, nec in cœlo beatiorem. Iconoclastæ sacras imagines nullo cultu prosequendas. Albigenses Pontificem Romanum esse Antichristum, Petrobusiani Purgatorium ab hominibus confictum, Thaboritæ solum diem Dominicum colendum, Claudius Taurinensis à peregrinationibus abstinendum, Photius Papam non esse caput Ecclesiæ, Aërius superstitiosam videri abstinentiam à carnibus ieiunij tempore, Pelagius filios fidelium etiam non baptizatos saluari, Iacobitæ soli Deo confitendum, Albigenses extremam vnctionem excludendam à numero Sacramentorum, Flagellantes aquam benedictam esse incantationem, Petilianus otiari Religiosos, Circumcelliones Missam esse actionem histrionicam. Capharnaitæ verum Christi corpus in Eucharistia non contineri Petrus Dresdrensis debere omnes communicare sub vtraq; specie, Audeiani satisfactiones ab Ecclesia excogitatas ad captandum lucrum. Ebionitæ matrimonium etiam summatum dissolui posse quoad vinculum, Gnostici matrimonium non esse Sacramentum, Albanenses vsuram iure diuino non prohiberi? &c. Respondeo, hoc ipso quo errores isti fuerunt illorum Hæresiarcharum referri debere inter noua dogmata, quia esto nec noua sint nec recentia respectu ætatis huius, sunt tamen respectu illius in qua viuebant sancti Patres, à quibus sicut etiam ab vniuersa Ecclesia damnati sunt, velut ab auita & eousque recepta fide abhorrentes, ac proindè velut noua, qualia ob id nobis quoq; videri debent, præsertim cum ipsimet sectarij à Deo excæcati (non vt facerent malum vel dicerent falsum, sed vt verum contra se

 proferrent)

proferrent) noua esse fateātur. Exempli causa Lutherus cuius verba sunt, *audemus gloriari Christum primò à nobis vulgatum*, & Caluinus sic loquens in epist. ad fratres Polonos, *vehementer mihi dolet integerrimi fratres, Ecclesias vestras vbi seges puræ doctrinæ adhuc ferè in herba est, ab importunis hominibus turbari*, & Basilienses qui epitaphium hoc scripserunt Oecolampadio in claustro summi templi sui ad murum è regione loci in quo cadauer ipsius conditum iacet, *Oecolampadius author Euangelicæ doctrinæ in hac vrbe primus, & verus huius templi Episcopus*. Et Tigurini qui in epist. ad Geneuenses scribunt eos à quibus damnata Serueti doctrina est primos fuisse, qui in illis regionibus Christi Euangelium prædicarunt.

In præfat. corp. doct. Lyps.

Propius iam ad rem accedamus, & religionem ipsorum nouam esse demonstremus. Colligi hoc satis posset ex ipsorum nouitate dogmatum, vtpotè quibus nititur, & pro quorum varietate euadit alia atq; alia, ita vt quot sectæ circumferuntur fide differentes, tot varij sint modi colendi Deum, orandi, psallendi, Sacramenta administrandi, &c. Sed iuuat insuper priuata quædam propriaq; argumenta proferre.

Primum ducitur à communi sensu, nam cum Caluinus & alij sectarum primipili cœperunt vela dare ventis, accusati ab omnibus sunt nouitatis; *accusamur*, inquit ille, *temerariæ & impiæ nouationis, quod omninò quidquā ausi fuerimus ex antiquo statu in Ecclesia mouere*.

In Tract. de necess. ref. Ecclesiæ.

Secundum à tacita consensione, non enim repellit accusationem velut à vero discrepantem, sed tantum prætendit nouitatis illius causas, quod scilicet in Ecclesia pessimè se haberent religionis res & reformatione indigerent.

Tertium quod religionem veterē prætexant fuisse corruptissimā, vt videre est apud eundem Caluinum ibidē, cum itaq; suam iactent incorruptā, veteri dissimilis ac proindè noua sit oportet.

Quartum quod religio affinis sit Ecclesiæ moribus seu disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ apud illos planè differt à vetere, vt constabit ex iis quæ dicentur lib. 4. cap. 3. §. vltimo & obiter intelligi ex eo potest, quod olim exurgebat inter primos Christianos vnus Petrus, cui omnes magni animi submissione auscultabant, hi neminem inter se primatum gerere, patiuntur; Habebant illi Ecclesiarū visitatores, qui in mores inquirerent singulorum ac si opus esset animaduerterent Actor. 15. *Reuertentes visitemus fratres per sin-*

per singulas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Dei quomodo se habeant. Hi nullos omninò ferunt saltē Caluiniani, sic enim loquũtur in art.17.synodi Aurel. *quod ad Ministros quos ferunt in synodis quibusdam Prouincialibus ad Ecclesias visitandas delegatos statuit synodus non recipiendos, nihilq; opus esse noua quædam artificia conquirere, quib. emergentibus scādalis remedium afferatur, veteraq; illa confirmat, & sufficere iudicat.* Ex illis plurimi relictis facultatibus suis, imò etiam parentibus Christum sequebantur, horum nullus id vnquam factitauit. Illorum multi legem sibi indicebant perpetuæ castitatis, vt præter Tertul. in lib. de cultu fœmin. agnoscit Cal. lib.4. Inst. c.13. n.17. his adeò inuisus est cœlibatus, vt etiam probro sit maximo, quemadmodum olim Laconibus, possitque designari ex Prædicantibus, qui cum Nouerca sua vt incestuosus ille Corinthiensis consuetudinē habuit, proptereaq; patria eiectus, & subinde cum variis meretricibus volutatus, tres simul ex Anglia quo confugerat in Scotiam abduxit, quibus non contentus quartam puellā, eamq; nobilissimo loco natam, vix dum viro maturam deperijt, & magicis artibus ad coniugalem thalamum allexit. Talis certè fuit Ioannes Knoxus Scotiæ Pseudoapostolus teste Hamiltonio lib.2. confusionis Cal. cap.35. Illi sollicitè seruabant decreta maiorum; Lutherus contrà, talia decreta toto iure Canonico comprehensa VVittenbergæ flammis dedit, vt scribit Hosius lib de Hæres. circa principium.

Quintum quod prætēræ religioni suæ dantes operam, multa faciant veteribus prorsus incognita. Exemplum quis olim stando communicauit, vt Caluiniani? Quis sine exorcismo extra necessitatem baptismum suscepit? Quis vestibus nullis sacris amictus Sacramēta ex officio administrauit? Quis baptismū non nisi in templo conferendum censuit? Sed quid exempla profero, cum sufficiat eiusdē Caluini testimonium. Verba eius sunt in for. sacr. administr. *Non ignoramus plerosq; maiorem in modum offensos fuisse, quod tàm multa in hoc genere ab vsu multis iam seculis recepto aliena à nobis inducta sint.* E contrà prætermittuntur ab illis complures religionis actus primitiuæ Ecclesiæ familiares. Eodem teste ibidem cum ait *neq; verò ignoramus alijs in locis adhiberi alias cæremonias quā plurimas, quas vetustissimas esse minimè diffitemur, sed quoniam, &c. nobis sanè sine vlla religione visum est eas tolli atq; aboleri oportere, vt ne posthac cuiquā præcluderetur*

nomine pœnam capitis, quod nouum consilium negaret esse, quippè innumeros Locrenses alios vixisse superioribus seculis, qui illud summa cum approbatione obseruassent, tametsi designare nequiret eos? Non credo. Ridet S. Augustinus custodes sepulchri Dominici, quod dicerent se dormientibus accessisse illius discipulos, & conditum corpus sustulisse. Quid minus faciũt hi vanissimi inuisibilium fratrũ assertores? Ridiculum sanè fuit in custodibus illis, id de Apostolis affirmare, quod somno obseruare prohibebantur; quare hi similiter non videbuntur ridiculi, dum fraterculos quosdam suos commemorant, quos nunquam viderunt, & de quibus, nec legerunt quicquam, nec audiuerunt? Multa in nobis quasi noua reprehendunt, & ab vsu primitiuæ Ecclesiæ aliena, cum tamen non sint; sed faciamus esse, an boni consulent satisq; sibi factum interpretabuntur, si nos audiant dicentes in eadem primigenia Ecclesia delituisse nostrarum partium quamplurimos, qui ea ipsa crederent & in vsu haberent, quæ in nobis appellantur noua? Minimè profectò nisi me multum fallat sententia. Adhæc vndè norunt incognitos, & vt loquuntur inuisibiles semper extitisse suæ sortis aliquos? si incogniti erãt quomodo innotuerunt posteris? si neque ab amicis, domesticis, affinibus, neque à vicinis, historicis & aliis coætaneis notari potuerunt alterius esse fidei, aut religionis quàm Catholicæ, incredibile non sit post tot secula potuisse à Lutheranis & Caluinistis? De egentissimo quodam mendico sæpius audiui, dum noctu in tuguriolo quietem caperet accessisse fures, quos vbi clàm sese inferre sensit, in risum solutus ait. Papæ quid hoc rei est? quanta vos tenet fiducia? quantam oculorum aciem vobis pollicemini? Ego interdiu conuerto meos quocumque loci huius, si fortè aliquid occurrat quo vitam hanc miseram vtcumq; sustineam, nec quicquam tamen post multam circumspectionem deprehendere valeo: Vos nocte etiam intempesta irrepitis, nec sine præda vos recessuros arbitramini. Pergite porrò facite quod facitis, tantummodo in illius me partem admittite. Dicamus pariter si vetusti scriptores Annalium, qui præ omnibus coæuorum sibi hominũ religionem perspectam habuisse videntur, nec Lutheranam in iis vnquam obseruarunt, nec Caluinianam vel aliam ex nouissimis, & abortiuis, admirando planè obtutu pollere sectarios necesse

iisdem sacramentis initiati, eodem expiati sacrificio, non est cur vnos potius quàm alios secum sensisse credant. Proindè aut suarum omnes partium faciant oportet, quod ne cogitare quidem auderent, aut nullos. Prætereo quod scriptum est Matth. 24. ibi congregatas iri aquilas vbi corpus fuerit, quibus verbis admonemur ad præsentium Sectarum erumpentes Duces haud dubiè accursuros fuisse motu proprio similis professionis Antecessores, si qui reuera antecessissent: Nullos autem accurrisse constat, nam quotquot accesserunt, perspicuè adhæserant Romanæ fidei religionique toto prius tempore, nec vnus fuit qui sponte accesserit, quasi iisdem iam tinctus dogmatibus, sed prius institui, allici ac trahi debuit. Hoc solum peto, cur iam non etiam aliqui exurgant illis consentientes inter Mauros, Turcas & Schismaticos, in quorũ omnium vrbibus vera quondam religio fuit ac floruit, nec minus integra quædam sui semina videri potest reliquisse quàm in occiduis? At nulli prorsus exurgũt, nulli se iis associant, quin potius omnes auersantur, & oderunt angue peius. Itaque mirabilia planè sunt perspicilia vestra ô Nouatores, quibus fit vt cum vestra ætate in tanto spatio quantum est Mahumetanum & Schismaticum, ne vnum quidem vestræ professionis deprehendere valeatis, plerosque tamen in hac Europa nostra, hoc est, minima orbis parte superioribus seculis extitisse cernatis, vtiq; multo perspicaciores quàm Aquila aut serpens Epidaurius. At nonne Protestantium meminit libri 2. Paral. caput 23. Ita quidem qui more vestro Prophetas Domini audire nolebant, qui Ioiadæ summi Pontificis virique integerrimi documenta calumniabantur, qui Ioas Regem nimis credulum à vero Dei cultu auocabãt, sed non qui dogmata vestra adhuc latentia in lumbis Satanæ amplecterentur.

Quare vt tandem imponam 5. huic fastigium, nullo modo prætentam illam religionem vestram tueri potestis scuto antiquitatis, sed meri Nouatores esse conuincimini. Quo nomine est planè cur tota fronte erubescatis, quod ad vnius vel alterius flagitiosi Apostatæ classicum à fide, à disciplina, cultuque Maiorum vestrorum tot confirmato seculis, tot claro miraculis, tot martyriis contestato recesseritis: *De negotiis ciuilibus*, inquit S. Ambros. ad Valent. *si quid statuatur nemo putat esse violandum, & præceptum de religione*

gione calcabitur? Prudentiores vobis Athenienses, apud quos teste Iosepho contra Appionem, qui verbulum modo effarentur præter leges de diis receptas, sine vlla venia puniebantur. Prudentiores Romani, de quibus T. Liuius l. 39. *Quoties Patrũ, Auorumq. ætate negotium Magistratibus datum est, vt sacra externa fieri vetarent? Iudicabant enim prudentissimi viri omnis diuini humanique iuris, nihil æquè dissoluendæ Religionis esse, quàm si non patrio sed externo ritu sacrificaretur.* Nihil est quod excusare possit vestrum nouitatis studium, sed accusat illud in Hæresiarchis & Prædicãtibus vanæ gloriæ cupiditas, quæ impulit eos vt inaudita proferrent atque ita suspicerentur, quæque illis suggerebat,

Horat.

iuuat immemorata ferentem
Ingeniis oculisq. legi, manibusq. teneri.

In populo autem ipso nimia credulitas, quia etsi nequiuerit per se discutere ac refutare doctrinam, & cultum nouum quem vidit obtrudi sibi, leui tamen negotio deprehendere potuit esse nouum cultum, atque ei dissimilem, qui vnanimi consensu recipiebatur cum exorti sunt Præcones illi Pseudoeuangelici, quod sufficit vt non modo suspectum illum habere, sed mox etiam detestari debuerint, & meminisse verborum Apostoli Galat. 1. *Si quis vobis euangelizauerit præterquam accepistis anathema sit.* Et Rom. 10. *Obseruate eos qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam quam vos didicistis faciunt, & declinate ab eis.* Et Hebr. 13. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Et Philip. 3. *In eadem permaneamus regula.* Et 1. Tim. 6. *Profanas vocum nouitates deuita.* His omnibus admonetur populus attendere à falsis Prophetis, & probare Spiritus an ex Deo sint, non per examen & discussionem particularem ipsorum dogmatum in se & in causis suis, hoc enim Pastorum & Doctorum est, qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali, sed per hoc quod noua sint & peregrina, & præter id quod accepimus ab initio, & præter doctrinam quam didicimus, & contra regulam in qua permanemus.

De

De Firmitate & constantia proprietate 5. veræ Religionis, nota vero 26.

CAPVT V.

§. 1. *Firmitas siue constantia nomen quid hic significet.*
2. *Proprietas est veræ Religionis.*
3. *Et à Catholica inseparabilis.*
4. *Cum ex aduerso non parum nutet Mahumetana.*
5. *Et penè iam à culmine Pseudoeuangelica.*

TRipliciter aliquis constans firmusq; dicitur. Primò, si temerè à propria sententia, seu ab eo quod verum ac rectum prudenter iudicauerit, non dimoueatur, quo sensu scribit M. Tullius, *ex perpetuitate & constantia spectandos Philosophos.* Secundò, si aduersis fortiter obluctetur, atque huc pertinet illud eiusdem Ciceronis, *robusti animi est magnaq́ constantiæ acerba ita ferre, vt nihil à statu naturæ discedas, nihil à dignitate sapientis.* Collimamus & nos ad eundem sensum, quoties dicimus exercitum ex ignauis collectum, esto fortè numero amplissimum, firmitate esse perexiguum. Tertiò, si durationem habeat tam stabilem, vt desinere non possit, ita sumitur, 2. Reg. 7. *Stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.* Et infrà: *Thronus tuus erit firmus iugiter,* quæ quidem postrema significatio huius loci propria est. §. 1. *Lib. 1. Tusc.* *Lib. 1. Offic.*

His omnibus modis, & maximè tertio religionem veram constantem ac firmam oportet esse. Primò quidem, quia dogmata & partes illius omnes à Spiritu sancto proficiscuntur, qui cum sit prima veritas, non pugnat secum aliquando, nec aliud quàm verum eloquitur. Verum autem cum non sit vero contrarium, nec extrudit ipsum nec destruit. Secundò verò, quia cũ firmos & constantes faciat, seu aduersa fortiter sustinentes, vt patet in Martyribus tam dira passis ne cultus sibi diuinus eriperetur, neue dogmata & leges diuinæ conuellerentur, constans ac firma dici potest eodem iure ac modo quo frigus pigrũ dicimus, §. 2.

quia pigros facit,& tempus lætum quia lætos. Tertiò deniq; stabilis ac constans dicitur ac censeri debet.

Primò,quia Deo vero permanente in æternum,& in sæculum sæculi,dedeceret planè si cultum simul non haberet, quoad fieri potest perpetuum. Vt enim quia Deus verus est,prouidere debet ne cultu careat,ita quia perpetuus ne perpetuo,vt debita in omnibus obseruetur proportio.

Secundò,quia maioris molis est antiquissimum habere principium quàm finem remotissimum , vel si mauis longissimam durationem à parte antè quàm à parte post.Vndè quicquid principio caret,consequenter finis est expers, at non contrà quod caret fine,caret etiam principio. Cum ergo religio vera antiquissima sit ex parte principij,vt suprà vidimus , multò magis videri debet habitura longissimam durationem.

Tertiò,eadem religio vera cum indiuidua comes sit Ecclesiæ Dei,tam perennis ac diuturna futura est,quàm ipsa Ecclesia. Atqui hæc durabit in æternum,*regnum tuum*,inquit Psaltes, *regnum omnium sæculorum*, & Luc.1. *Regni eius non erit finis.* Matth.16. *Portæ inferi non praualebunt aduersus eam.* Nihil ei afferre potest interitum, namque fundauit eam Altissimus , & quidem supra firmam petram,non cessuram malis, nō hostium subuertendam machinis, non deiiciendam Cataclysmis,sed ineluctabilem,quæ non secus irrideat aduersa omnia ruinam minitantia quàm ingentissima rupes insultantes fluctus feri maris. Descendet pluuia, flabunt venti, sed non subruent illam , quia Dominus supponit manum suam. *Deus in medio eius non commouebitur.* Adest quoque extrinsecus præsidium Angelorum , *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israël,omnes tenentes gladios , & ad bella doctissimi. Vniuscuiusq; ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Notanda sunt in eandem sententiam Augustini verba in Psal.47.vbi cum interrogasset, *Sed fortè ista ciuitas quæ mundum tenuit aliquando euertetur.* Respondit, *absit, Deus fundauit eam in æternum, si ergo iam Deus fundauit in æternum,quid times ne cadat firmamentum?*

Psalm.144. *Psalm.45.* *Cant.5.*

Quartò,præter sanctos Patres, perennitati religionis manifestum præbuit testimonium Iustinianus dicens; *Nihil est quod ita nequeat occasui subiacere,quàm vera religio.* Sed & Caluinus si rectè probare se credit.l.1.Inst.c.7.n.12. debere scripturam sacram esse perpetuam.

L.inter claras C.de summa Trin.

petuam, quia regula est vitæ probè traducendæ, vitam autem probè traducere quouis futuro seculo est necessarium, religionẽ quoque perpetuam faciat necesse est, tum quia regula similiter est rectè colendi Deum, qui cultus nullo futuro seculo est intermittẽdus, tum quia vitam probè, iustè, atque vt par est instituere nemo potest, nisi debito cultu Deum prosequatur, cum iustitiæ sit reddere vnicuique quod ei debetur, nemini autem quicquam magis debemus quàm honorem Deo.

Quintò, Deum ipsum testẽ habemus apud Isa. cap. 59. diuinum cultum adueniente Christo in optimam reducendam formam nunquam desiturum. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus à modo, & vsq; in sempiternum.* In quæ verba sic scribit Caluinus, *promittit hoc inæstimabili bono Ecclesiam nunquam priuatam iri, quin à Spiritu sancto regatur, & fulciatur cœlesti doctrina: parum enim esset nobis offerri Euangeliũ, nosq; spiritu donari nisi apud nos perpetuo resideret.* Et infrà: *Promissio eiusmodi est, Dominum sic affuturum Ecclesiæ, sicq; eius curam habiturum vt eam vera priuari doctrina nunquam sinat.*

Obiter hic duo notanda occurrunt. Alterum sicut in religione vera quia vna est, inueniri & designari debet modus & ratio considerandi hanc vnitatem: ita cum futura sit perpetua vt iam demonstrauimus, ratione constare debet, quæ sit ad illam in integritate & statu suo conseruandam opportunissima. Alterum non posse nos de religionibus hodie controuersis definire quænam duratura sit perpetuò quæ non sit, nisi argumentis sumptis, vel à qualitatibus illius, quam docet scriptura veram esse (hæc enim est quæ iuxta eandem semper est duratura) vel à coniectura quam subministrant complures victoriæ de grauissimis quibusque hostibus in hodiernam vsque diem reportatæ, vel à positione aut defectu modi illius conseruandi sese, vel denique ab aduersariorum testimonio.

Fauent religioni nostræ 4. ista præsumptionis genera, vt credi meritò possit ac debeat, versari extra omne discrimen dissolutionis & interitus. §. 3.

Primò euicimus hactenus tot & tantas religionis veræ notas, quot ex scripturis sacris deprompsimus, præter eas quas in posterum

tis id genus aliis occurrentibus, & semel icti à scorpio, si mortem effugiant, nunquam postea à vespis, crabronibus, & apibus detrimentum accipiunt: ita cum sanctissimam illam religionem nostram videamus positam in signum cui vndique contradiceretur, & irruisse in eam tempestates omnis generis, sic tamen vt nulla viderit fatiscentem, sed palmæ instar pressæ pondere attollentem sese, ac vires magis magisque colligentem, magna prorsus præsumptio est nunquam fore vt intereat, sed aduersa omnia secutura superet, ac tanquam suber non solùm nō mergatur, sed etiam alligata sibi cætera ne sidant sustineat, & æmulos suos perpetua respersos confusione atque ignominia, & infœliciter è viuis sublatos aspiciat, vt nostro sæculo Henricum Octauum Angliæ Regem, Casparum Colinæum Franciæ Admiralium, Lutherum, Carlostadium, Caluinum, Zvvinglium, &c. qui omnes improbissima spe sua frustrati longè ampliorem quàm fuerat cuncto retrò sæculis, reliquerunt.

Quartò multū facit ad perpetuitatem concordia, quod vt apud Plutarchum doceret Scilurus Rex, cuique L X X X. filiorum imperabat præsentem vt hastilium fascem frangeret, quod singulis se posse negantibus, ipse sigillatim educta hastilia omnia facile confregit, ita docens illos si vna esse pergerent firmos ac potentes fore, imbecillos autem si ab inuicem alienarentur & dissiderent. Et verò res naturales non aliam ob causam in interitū ruere cernimus, quàm quia ex aduersariis qualitatibus constant. Deus contra vt maximè idem sibiipsi ab interitu alienissimus est. Angeli similiter qua ratione ex contrariis non coalescunt sunt immortales. Atqui summa est vt vidimus capite primo, libri huius, quod ad fidem religionemque attinet inter nos consensio, idem omnes sapimus & dicimus, vni supremo Antistiti paremus vniuersi, in iis quæ Dei cultum respiciunt, & parere velle ac debere profitemur.

Quintò & postremò huic eidem firmitati testimonium hostes ipsi perhibent, quod certè non esse negligendum docuit Moyses, Deuter. 32. dicens; *Non enim est Deus noster vt Dij eorum, & inimici nostri sunt Iudices.* Ac inter alios Lambertus Danæus Caluinianus in libro cui titulum fecit *Antichristus*, cap. 27. cuius hæc sunt verba: *Papismus multis fulcimentis nititur, & videtur molis penè in-*

finitæ illum euertere. Rectè profectò cum dispersus sit per mundum vniuersum, quis autem ingentissimæ cuiusdam molis esse non fateatur, quod tam latè diffusum est subruere?

§. 4. Nutat contra Mahumetismus ex multiplici capite.

Primò, quia antiquissimus non est, sed Christianismo 600. minimum annis posterior, ita nec perpetuò duraturus.

Secundò, quia adulterina & falsa quædam religio est, vt tot iam discussæ notæ ostendunt, & quæ sequentur indicabunt, porrò *adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt, & si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorũ eradicabuntur.* (Sap. 4.) Scriptum item est, *Nisi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* (Psalm. 126.) Et Matth. 19. *Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus eradicabitur.*

Tertiò, quia nullas ingentes difficultates adhuc insigni modo superauit, ex quo perpetuum ac inexpugnabilem fore liceat ratiocinari. Dico insigni modo qualis est patientia, mortis perpessio, oratio ad Deum fusa manifestum impetrans de cœlo auxilium, quale, v. g. obseruatum est quando Leo I. Romanus Pontifex fusis ad Deum precibus repressit conatus omnes furentis Attilæ de quo superius, eumque in Pannoniam redire compulit, qui interrogatus à suis quid esset quod præter consuetudinem tam humiliter Romani Pontifices imperata faceret, respondit se astantem quendam alium eo loquente vidisse sacerdotali vestitum habitu, sibique stricto gladio minitantem mortem nisi Leoni obtemperaret. Quare in Pannoniam reuersus est. His inquam modis grauia nulla mala à se auerterunt Mahumetani, sed aliqua tantum humanis suis viribus, quales quantumcunque magnæ videantur parui ponderis sunt ad stabiliendum aliquid in perpetuum, vnde scriptum est, Psal. 43. *Non enim in arcu meo sperabo, & arcus meus non saluabit me.* Et Hier. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum.* Pollebant his viribus Monarchiæ Assyriorum, Medorum, Persarum, Græcorum & Romanorũ, quæ vltima nulli prorsus occasui subiacere multis videbatur, omnes interim extinctæ sunt, nec minimum cuiusquam inuenire est vestigium.

Quartò,

Digitized by Google

Quartò, quemadmodum aliquoties ad interitum vsque ferè morbo conflictari, argumentum solet esse vitæ non adeò diuturnæ, ita nec in Imperiis perpetuæ cuiusdam durationis cum aliquoties ita quatiuntur, vt funditus penè deleantur. Hoc autem Mahumetano aliquoties iam contigit. Namq; vt scribit Cuspin. in Tract. de Orig. Ottomãnorum, & scriptores alij, varíus admodum fuit gentis illius status. Emersit primum circa annum Domini DC.XX. ac paulò pòst obitum Mahumetis Pseudoprophetæ annis circiter CC. velut extincta iacuit. Anno Christi DCCC. XLVIII. iterum caput extulit, & pedetentim locustarũ instar effudit se super terram, sed vario Christianorum exercitu repressa est, vt vidimus l.2.c.2.§ 3. & ad præsepia latebrasq; suas Scyticas magna ex parte remissa, vsq; ad annũ salutis plus minus M.CC.L. in quo prodierunt ex illa familiæ 4. celebres prima Asembeccorum, secunda Candelorum, tertia Caramannorum, quarta Ottomannorum, ex quibus omnibus principio Imperatores assumebantur modo ex vna modo ex altera, sed cum ad Orchanem peruenit imperium familias alias ferè extinxit, & Ottomannicã suam valde constabiliuit, lege lata vt iureiurando adigerentur quicunque in Prætorianos milites conscriberentur, se Imperatorem ex alia nulla electurum. Porrò ab Orchane XII. tantum Imperatores numerantur videlicet Murathes, Baiazethus, Mahumethus. Murathes II. Mahumetus II. (qui occupauit Constantinopolim anno M.CCCC.LIII.) Baiazethus II. Selymus, Solymannus. Selymus II. Murathes, seu Amurathes III. Mahumethus III. extinctus ante quinquennium cuius filius annos natus plus minus XVIII. iam regno potitur.

Quintò, quemadmodum Tarpeia rupes sæpè de cœlo fulminata Romanorum Monarchiæ occultæ instabilitatis futuriq; aliquãdo excidij admonuit, vt notat S. Hieronymus, quod postea præpotentis Dei dextera immutante cum vult omnia secutum est; sic Bizantium seu Constantinopolis Imperij Turcici caput, afflicta insolitis multis, atq; haud dubie à Deo excitatis vt ostendam terræmotibus, portendit satis ac minatur secuturũ suo tempore interitum, quando nempe completæ fuerint iniquitates Amorrhæorum, hoc est quando mali Christiani, in quorum pœnã colluuiem illam tolerat, quiescent peruersè agere, discent benè

facere, & vnanimes recipient sese ad pietatem Patrum suorum. Exemplum horum terræmotuũ sit ille, qui sub Baiazetho II. cõtigit anno M.D.IX. 14. Sept. Tantus is fuit vt eodem Cuspin. teste murum totum nouæ illius Romæ, qua parte mare spectat, cum omnibus adiacẽtibus domibus disiecerit, fossatumq; ruderibus impleuerit, ac terræ coæquauerit. Rursus arcem in qua gazophilacium Imperij quinq; turribus munitissimis custoditur, & insignis illa domus qua leones nutriuntur tanquã in viuario, destruxerit. Adhæc cuniculos qui per montes ac longa itinera è Danubio aquas in vrbem conuehunt, maximis laboribus & impensis fabricatos ita concusserit, vt ingenti thesauro reparari nequeant. Sinus autẽ maris eandem vrbem à Pera diuidens adeò infremuerit, vt supra vtriusque ciuitatis mœnia marini fluctus prosilirent. Domus verò tributaria quæ muris Constantinopolitanis adiacebat, absorpta sit tota, nec vllum sui vestigium reliquerit. Maxima item pars turris plumbeæ in Pera corruerit, nec vlla domus illic integra manserit, totamq; Græciam ad Danubium vsq; hic terræmotus peruagatus est. Feruntur Constantinopoli 13000. hominũ tum obruta crudeliter interiisse. Ex familia primi Consiliarij Imperatoris, qui vulgò Mustapha Bassa dicitur 360. homines cum equis interierunt. Gaija Bassa alter Consiliarius fertur longè plures amisisse. Qui autem Alba Bassa vocatur, domum habuit, quæ cum iumentis & hominibus penitus absorpta est. Et nisi Imperator ipse fuisset à quodam Calloiero Monacho Græco sene quem familiarius dilexit, de futuro illo terræmotu certior factus, simulque præmonitus vt in hortos descenderet præceps haud dubiè in ruinam cum cæteris abiuisset.

In Vita Baiazethi II.

Quod autem horribilis hæc plaga nec fortuita fuerit nec naturalis, sed ex singulari Dei consilio addit Cuspinianus quod cum ruerit sepulcrum Mahumeti qui Pater fuerat Baiazethi maximis extructum sumptibus, multaque Turcorum templa collaberentur, Christianorum templa illæsa manserunt, ingensque illa S. Sophiæ ædes à Iustiniano Imperatore extructa nihil mali sensit præter turrim, quæ tota præcipitata periit, verùm quam non ædificauerat ipse Iustinianus, sed quam ipsi Turcæ post vrbis ex pugnationem templo in fine ornatus causa attexuerant. Rursus illo terræmotu calx & cæmentum quò beatorum imagines post eandem

expu-

expugnationem coopertæ fuerant, & quasi sepultæ ita separatim ab imaginibus ceciderũt, quasi arte noua iam primum suo splendori essent redditæ. His sanè ostenditur tetendisse Dominum in eos arcum suum, vt deleat eos de superficie terræ, & veterem ibi pietatem restituat, ac solum expectare vt Christianus populus agens pœnitentiam tanto se beneficio dignum præbeat, & Christiani principes tàm gloriosis laboribus, quàm sunt profectò qui ad hostem tàm immanem debellandum conferuntur.

Sextò, Mahumetismus singularis professio est omnis iniustitiæ, hoc est vbique grassandi, & vi hominibus libertatem fortunasque auferendi, vt constat ex toto ferè Alcorano. Talem autem principatum impossibile est valdè diu subsistere, siquidem scriptum est, *Omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Et rursus: *Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis, cum consummaueris deprædationem deprædaberis.* Et insuper: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias, & contumelias & diuersos dolos.* *Isa. cap. 9. & 33.* *Eccles. 10.*

Septimò, Mahumetani Principes libidinosissimi sunt, vt dictum est supra cap. 2. § 4. Libidini autem familiare est extremam perniciem afferre tam Principibus quàm Principatibus. Hac vna in summas calamitates inciderunt inter alios Priamus, Sardanapalus, Dionysius, Heliogabalus, Antonius, Periander, Pisistratus, Tarquinius, Aristocrates, Timocrates, Childericus, Andronicus, Appius Claudius, &c. Toti rursus ad crudelitatem facti sunt, quæ cum eo progressa fuerit, vt hominem ex homine exuisse videatur, grauissimè offendit populum, & regno tandẽ exitium creat, vt in Phalaride experientia docuit, in Nerone, in Vitellio, in Commodo, in Caracalla, in Ecclino Patauino & similibus. At quæ maior excogitari potest quàm Maurorum & Turcorum? Illi vt tutò imperent fratribus suis, atque etiam filiis oculos effodiunt; hi adhuc truculentiores strangulari suos iubent.

Octauò, discordia magnæ quæque res dilabuntur, constat autem ex cap. 1. libri huius Mahumetanos ab inuicem non parum dissidere, ita vt alij aliis hæretici sint, Turcæ præsertim & Persæ execrantes se mutuo, & immensis copiis mutuum sibi interitum molientes, & hi quidem nuper aduersum illos adeò inualuerunt, vt Damascum vsque penetrauerint. Gerunt & Turcæ implacabi-

les inimicitias cum Mauris maximè cum Rege Fessæ, & Marocci in Africa. Haud dubiè sic se mordentes mutuis tandem plagis interibunt, sicut olim Madianitæ quando reciproca se cæde truncabant Iud. 17. & Philistæi quando versus est gladius vniuscuiusque ad proximum suum. 1. Reg. 14. Ad hanc discordiam multum conducit perpetua illa qua laborant regnandi eminendique cupiditas, quæ sicut in Turca longe ardentior est quam in cæteris, ita longè plures in illum inflammat potissimum Persas, & superstites trium illarum familiarum, quas ab Imperio exclusit Ottomannica, vt dixi. Et certè nullibi plures seditiones, pluraque bella ciuilia videre est, quàm apud Mauros potissimùm Tuneti, Marocci, & Fessæ, quàm item apud Turcas Orcanem inter & Mosem, Mosem & Mahumetum, Baiazethum & Zisimum, Selymum I. & Baiazethem II. ipsius patrem, Baiazethem & Alensiacum nepotem, Solymannum & Mustapham filium, Selymum II. & Baiazethem fratrem.

Nono, in Mahumetismo vniuerso potissimum autem in Turcia vnusquisque priuatum emolumentum suum spectat, suaque amplificandi modos omnes quærit. Quod vitium si Romanis ipsis quorum maior fuit gloriæ, & imperij magnitudo irreparabilem sæpè ruinam peperit, vt quando à Viriato fusi sunt in Hispania, à Sertorio expulsi Lusitania, à Spartaco cæsi in Italia (etenim circa illa tempora cœperunt propriis studere commodis, socios deprædari, subditos vexare, prouincias exinanire) cur non etiam his Musulmannis grauiùs eo laborantibus procreabit? Nihil facilius quàm Ianizeros ipsos, & Agam illorum Præfectum pecunia corrumpere, illecti hac esca circumferuntur, & flectuntur in omnem partem, cuius rei causa est, quod solam iis pecuniam habere liceat. Nam si fundum aliquem emerent Imperatori cederet post illorum mortem, qua etiam de causa raro ædificant, vt scribit Barth. Georg. cap. 18. Præter hanc communem lucri cupiditatem, gens illa tota à toto genere imbellis est minimeque strenua. quæ propositio quia prima fronte cum experientia, & communi apprehensione pugnare videbitur confirmatione indiget. Dixi à toto genere vt Ianizeros illos excipiam, in quibus præcipuum robur situm est Turcici exercitus, quanquam ne hi quidem multum sint metuendi, tùm quia numero ad summum

sunt

ſunt 40000. ac ſolis ſagittis & acinace aliquid poſſunt. tùm quia impinguati prædis plurimis de otio potius quàm de bello cogitant, vt notat his verbis Lazarus Sorauzus: *Quamuis initio Turcæ illi, qui plus in bello poſſunt promptiſſimè ad pugnas proficiſcerentur, nunc tamen aucti facultatibus ac deliciis, & mercaturæ ſummè deditiſic oppignorantur domi, vt difficilè adducantur incertæ Martis aleæ ſe ſuaq; committere* De cæteris ita loquitur: *Apud Turcos militum perſpectæ fortitudinis, & experientiæ maxima eſt raritas. qui mediocriter in rebus bellicis ſunt verſati, non magno conſtant numero: qui verò ad res gerendas planè ſunt inutiles, & quorum nulla eſt habenda ratio, vt ſunt ſerui, calones, lixæ & his ſimiles horum ingens eſt copia.* Eodem ſpectant verba illa Cuſpin. in Tract. de milit. Turc. *Prodidit Franciſcus Philelphus, vir vtraq; lingua exercitatiſſimus, & qui 7. annis in Græcia verſatus res Turcorum percalluit, prodidit inquam illorum exercitum vltra 50000. vel 60000. Equitum & 10000. aut 20000. peditum non extendi Reliquũ eſſe vulgus iners, inerme, ſeruile, ac veluti hominũ perditiſſimorũ ingentem colluuiem Non item mirum eſſe, ſi tam multa occupauerint breui tempore, & tàm multos ſubiugauerint, vt Aſianos qui ſemper molles fuerunt, timidi & ſeruire aſſueti: vt Græcos item effœminatos. vt Bulgaros circa metalla occupatos, vt Boſnenſes factionibus eneruatos, vt Europæos quoſdam nobis vicinos, vtpote inteſtinis odiis diſſidentes, & tot inſaniis deditos, vt iure Deus eiuſmodi flagella in eos immiſerit.* Hæc ille. Scribit Bellon. lib. 3. ſing. cap. 15. eos pugnaturos Opij vſum habere quàm maximum, quia calefacit, & quaſi furorem inducit, de quo excitando non eſſent profectò ſolliciti, ſi ſe ſatis à natura ad magnanimitatem factos intelligerent. Et certè ſæpenumerò parua Chriſtianorum manu ingentes eorum copiæ fractæ fuſæque ſunt. Quoties & quantas profligauerit vnus Georgius Caſtriotus (alias dictus Scãdeberg) Ducis Epyrotarum filius docebit te multis libris Antonius Mænauinus. Mathias quondam Hungariæ Rex, eiuſq; genitor Ioannes de Hunniade Belgradum, quod nunc Alba Græca dicitur, à ſæuiſsimo Turcorum tyranno Mahumeto, quem orbis appellabat terrorem gentium, diu obſeſſum non modo ab obſidione liberarunt, ſed hoſtem illum deuictum, & caſtris exutum fugere compulerunt anno 1463. De Pelagio I. Caſtiliæ Rege memoriæ proditum, quod cum mille ſuis viginti Mahumetanorum millia deleuerit. Carolus Martellus vnico prælio fudit ex huiuſmodi quiſquiliis 375000. Similiter VValterus Theutonicorum Equitum

In Ottom. cap. 26.

Cap. 25.

tum

rum Magister profligauit vna vice 100000. Tartarorum, vno solo ex eius militibus desiderato. Satis recens est Agriæ expugnatio, post quam conflixit Mahumetus III. cum exercitu nostro, & in primo statim congressu vidit amplissimum suum dissipatũ, & in fugam coniectũ, quam ipse quoq; arripuit, cum tamen constaret ex 300000. noster verò millia ad summũ quinquaginta numeraret. Sique nostri minus auari, melius vniti, magisque prouidi extitissent victoriam longè splendidissimam reportassent, qualem forte nunquam Christiani de Turca tulerunt, & Mahumetum ipsum facile intercepissent, vt olim Tamerlanus Baiazethem, vt obseruat idem Lazarus supra cap. *66*. In summa cum Rudolpho II. hodierno Imperatore nostro nunquam pari conflixerunt manu quin terga verterint, quid itaque fieret, si aliorum Christianorum Principum adiutus copiis bellandi sanè peritissimis, purè sibi præstituentibus Dei gloriam in prædatricem gentem illam insurgeret? breui certè amplissima illa ditio vix vllis munita castris ac præsidiis, quæ obesse magis creduntur quàm prodesse, occuparetur, Deo ferente auxilium desuper, & tot captiuis ac seruis occasionis huius cupidissimis, vim suam conferentibus. *Aderunt*, inquit Cuspin. sub finem descriptionis viæ in Turciam, *ex circumfinitimis prouinciis vndiq; fideles populi solam expeditionem Christianam præstolantes, parati hostes vndiq; adoriri, quamprimum senserint Christianorum castra Istrum, & ex Italia exercitum Adriæ fretum traiecisse.* Fecerunt hoc certè 4. illa millia quæ Tuneti detinebantur obsidente vrbem illam Carolo V. vix senserunt seriò rem agi exterius, cum limis sua soluerunt vincula, & tanquam leones esto solis armati contis & lapidibus in arcem irruerunt, quam & occuparũt cogentes præfectum fuga sibi consulere.

Decimo dogmata habent adeò aliena, vt fieri nõ posit quin tandem ab iis pensiculatius consideratis sint recessuri: quod metuens Mahumetus legem tulit capitalem in Azo. 13. ne vnquam in dubium disputationemq; adducerentur, sed non idcircò præualere aduersus veritatem poterit, quæ vt prematur ad tempus, nunquam tamen opprimitur, erumpunt sensim eius radij, tandemque penetrant, & profanum quemlibet dicere cogunt illud Actor. 26. *In medico suades me Christianum fieri.* Vnde Mahumetus II. si Martino Crusio credimus cum disputantem audiuisset Gen-

De Annot. ad histor. Constant.

nadium

Digitized by Google

nadium Patriarcham Constantinopolitanum religionem suam fastidire cœpit, nostram laudare ac suspicere, simul autem eidem Gennadio beneficia multa contulit, Christianorum diuexationem suppressit, & in summa tantum non dedit Christo nomen, daturus haud dubiè si timore Satraparum suorum, ac præcipuè Ianizerorum non fuisset absterritus. Exempla huiusmodi absurdissimorum dogmatum sunt fas esse non seruare iuratam hosti fidem, licere fratri regnanti fratres perimere, adhuc etiam in cunis vagientes, ne vbi adoleuerint perturbationem aliquam regno molestiamq; regnanti afferant, hostibus non ignoscendum esto veniam petant, pro iisdem non orandum, publica Latrocinia exercenda, in coniuges assumi posse consanguineas antea nō cognitas, his superaddi quotcumque seruas, & cum iis quamlibet Venerem ad libitum exerceri, cœlestem beatitudinem consistere in perenni vsu harum pecuinarum voluptatum, &c.

Postremò, si Caloierus ille cuius paulò ante mentionem fecimus, certò prædixit Baiazetho horridum illum terræmotum Constantinopoli imminentem, sicut etiam periculum ineuitabile quod erat aditurus, nisi maturè in hortos Regiæ vicinos descenderet, cum simul prædixerit Mahumetismum non ita multo post defecturum teste Cuspin. loco citato, cur non etiam hoc posterius suo tempore impletum iri censebimus? Volo ad hoc propositum ex ipso Mahumetismo aliquam eiusmodi prophetiam depromère; namque improbi quoque homines alioqui mendaces nonnunquā iusto Dei iudicio aduersum se vera pronuntiant, vt Pharao cum Exod. 10. dixit ad Moysem, *Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam,* ad quem Moyses, *ita fiat vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.* Mahumetis vaticinium fuit, vt ex variis Auctoribus recitat Antonius Mænau. lib. 1. de Relig. Turc. cap. 18. cadauer suum mille duntaxat annos plus minus in Medinæ templo quieturum, eo autem consumpto vel indè amoto desiturum imperium cuius ipse fundamenta iecerat, quæ causa est cur diligentissimè à compluribus fortissimisque militibus custodiatur. His affinis est persuasio illa omnibus Turcis indita, fore nimirum vt sicut propter mortalium improbitatem atq; inobedientiam Moysi successit Dauid, Dauidi Iesus, huic Mahumetus, sic Mahumeto cedat quintus quidam legislator. Quod quidem suspicandi occasio-

Christ. Richer. lib. 2. de rebus Turc.

casionem præbuit ille ipse Mahumetus, cum Azoaræ 20. hæc verba inseruit: *Vobis cauete, quia non semper vester custos existam*. Sed & scribit Lonicerus celeberrimum quendam threnum siue Lamentationem ab iis vulgò decantari, quæ sic sonat latinè reddita: *Imperator noster veniet, Ethnici principis regnũ capiet vna cum rubro pomo* (qua voce intelligunt vrbem quandam pulcherrimam eamque munitissimam) *quod si in septimum vsque annum Christianorum gladius non insurrexerit, vsq; ad 12 annum eis dominabitur, post quem apparebit Christianorum gladius, qui Turcam quaqua versum in fugam vertet*. Cui vaticinio quantum tribuant ex illorum moribus est manifestum. Vltima enim verba viri cum gemitu, pueri cum fletu, nutrices cum eiulatione planctuque, omnes cum magno doloris sensu excipiunt. Deindè, quia se à Christianis aliquando subigendos credunt, durissima eos premunt seruitute, nec vnquam gladium quod alibi iam annotauimus, vel ensem vel aliud quoddam armorum genus gestare, aut penes se habere patiuntur. Nempè vt quandiu saltem vitam agent, pace fruantur quidquid sit de posteris, & superiores non habeant, de quibus pessimè se meritos esse non ignorant.

Lib. 2. eiusdẽ argum.

§. 5. Instabiliores adhuc sectæ omnes Pseudoeuangelicæ sunt, sicut etiam religiones quas inaniter iactant, & falsò reformatas appellant. Cum nulli earum competant notæ veræ Religionis quas hucusque protulimus, aut quas in posterum commemorabimus, ex consequenti non est illa quam Dei verbum perennem fore pollicetur, nec Dei opus dicenda est sed hominum, quæ proinde iuxtà Gamalielis vaticinium dissoluetur, & iuxta prouerbium, *abibit salis onus vnde venit*.

Secundò, nullos hactenus graues insultus pertulit insigni modo, quo dicere possimus *digitus Dei hic est*, ac fidenter de ea promittere, quod habitet in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commoretur. Si alicubi vicit aut restitit, factum id est, quia præpollebat viribus, aut alienis amplioribus dolũ vel fraudem opposuit, aut à nostratibus quibusdam erratum est turpiter, aliàs statim euanuit, vt sub Stephano Batorio in Polonia, sub Alberto, Duce Albano, Ioanne Austriaco, Principe Parmensi in Belgio, sub Alberto, Guillielmo & Maximiliano in Bauaria, sub Maria Regina in Anglia, sub Iulio Episcopo in Franconia, sub Carolo

Digitized by Google

lo IX. in Gallia. Pæana canebant Rupellani, quasi diuinitus liberati, quando soluta est obsidio qua tenebantur eodem Carolo regnum administrante. Sed quis nescit collusiones quorundam proditorum, qui & vini lagenas ad obsessos mittebant, & vicissim accipiebant? quomodo rursus Angliæ Regina turpiter peierans auxilium eis suppeditauit quodcumque potuit? Frustrà similiter tentata aliquoties Geneua est, sed vel obstantibus eius fautoribus, vel incautæ linguæ vitio, vel auaritiæ, fortè etiam vlciscente ad tempus Deo delicta quædam alia obsidentium; non secus ac irritos fecit primò & secundò conatus Israël diuino alioqui mandato insurgẽtis in Beniamin, Iudic. 20. quem tamen breui post ad internicionem vsque deleuit, aut probare volente suorum constantiam, sicut & Helisæi 4. Reg. 2. quando ad primũ pallij contactum, quod ab Helia acceperat, diuisæ nõ sunt aquæ Iordanis. Ne itaque glorietur ciuitas illa accincta æquè ac discincta. Veniet, veniet dies vna quæ nota est Domino, quando frustrà vigilabit qui custodit eam, & apprehendent illam dolores vt parturientem, nisi vltrò conuertatur; aut si fugere velit, vltor sequetur à tergo Deus, esto quia nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, nec statim contra se profertur sententia induretur vt lapis, confidens in aggeribus suis, & in multitudine machinarum suarum.

Tertiò, si superioribus seculis nulla peregrina religio aduersus Catholicam nostram præualere potuit, sed ab illa extincta est, etiam quæcumq; videbatur maximè stabilis vt Ariana, non secus ac prostratũ est idolum Dagon ab arca Domini, & serpentes Magorum deuorati à serpente Moysis, cur non etiam argumẽtemur quascumque hodiernas eidem repugnantes in nihilum tandem abituras? eiusmodi conclusiones inferre familiare est scripturis sacris, vt 1. Reg. 17. *Leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus, erit ergo & Philistæus hic incircumcisus quasi vnus ex eis.* Constat sanè ex antecedenti capite sectas hodiernas ex iis compactas esse, quas superiora tulerunt secula, in quibus cum hæ damnatæ fuerint cõmuni consensione, & post damnationẽ diutissimè iacuerint sepultæ, non aliud expectãdum, quàm illas iterum & cum iis hodiernas interituras, idque futurum non ita multo post, quia hypocrisis qua laborant omnes diu latere non potest, sed citò se prodit, & agnita in sui odium & cõtemptum conuertit omnes, sicut diu ingenium suum

occultare, & modestiam seruare potuit simia Alexãdrina, de qua Greg. Nyssen. in lib. de perf. Christi hominis forma, sed citò aperuit, quippe ad proiectas nuces confugit, & laruam lacerauit.

Quartò, nullum habent nec habere volunt visibile caput totius sectæ suæ, quod decretis suis ac definitionibus discordias cõponat, ex quibus incompositis secutura est ruina dissolutioque certissima: siquidem quot capita tot sententiæ, quouis itaque sequente suam, & non audiente vno, nec audire volente sententiam vocemque alterius, desistere cogentur ab ædificatione superbæ turris Babel, quam in cœlum attollere stultissima præsumptione contendunt, & nouam ac singularem sibi quisque fidem religionemque finget, atque ex scripturis diuinoue afflatu haurire se iactabit, in aliquo semper discrepantem à fide religioneq; alterius: *Variant hæretici inter se*, inquit Tertull. *dum vnusquisque pro arbitrio modulatur quod accepit, quemadmodum ea pro arbitrio composuit ille qui tradidit. Quare idem licuit Valentinianis quod Valentino, Marcionistis quod Marcioni de arbitrio suo fidem innouare.* Apud nos non ita fit inquient Nouantes Germaniæ, iudicij sui ductum non omnes sequuntur, sed Principis sui religioni sese accommodant. Verum non omnes vni Principi subesse volunt, sed pleræque vrbes Aristocratico aut Democratico vtuntur regimine, & cum Princeps valdè flexibilem habeat voluntatem, vt penultimus Dux VVittenbergensis, qui prius Caluinista ad Lutheranismum transiit, fieri nõ potest, quin admodum incerta instabilisque sit subiectæ ei plebis religio.

Quintò, notum est ex diuinis etiam literis, per quæ peccat, per ea puniri quemlibet, Psal. 7. *Incidit in foueam quam fecit, conuertetur dolor eius in caput eius.* Iud. 1. *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias, sicut feci ita reddidit mihi Deus.* Brutus & Cassius iisdem gladiis quibus Cæsarem seipsos iugularunt, & Diomedes Thraciæ Rex, qui equos suos hospitum carnibus pascebat & sanguine, ab Hercule deuictus propriis equis datus est in pabulum. Cum itaq; grauissimè impegerint Gygantes illi, qui sectas excitarunt, facientes ab Antecessoribus diuortium, fastidientes quæ illi per tot secula summa consensione probauerant, instituentes cœtus nouos, & causas nescio quas prætexentes ob quas fuerit ab iis recedendum, est profectò cur expectent gregales suos à se quoque defecturos.

Sextò,

Digitized by Google

Sextò, si ostendam Caluinismum, v.g. (idem est de sectis aliis prætentisque religionibus iudicium) à sui exordio scissuris multis laborasse propter priuatam illam vniuscuiusque temeritatem proprio standi iudicio, vt reuera stare omnes pari iure possunt, à fortiori multis hodie laborare videbitur, atque ita sensim à prima forma recedere, quousque nihil eis sit reliquum. At profectò laborauit Caluino ipso teste cuius hæc sunt verba in lib. de dormitione Animarum, *Confidentissimè de omnibus quasi ex tripode respondent, hinc tot schismata, tot terrores, tot fidei nostræ scandala.* Et infrà: *O Sonticam pestem, & adhuc miramur vnde tot sectæ inter eos qui primùm nomen Euangelio dederunt, & renascenti verbo.* In præfatione autem libri contra Libertinos de iis loquens qui actu circa illud ipsum exordium defecerunt, ait, *Plurimi qui ante in pura Euangelij doctrina edocti fuerant, statim arrepti atq; abalienati sunt*, defecit inter alios Stancarus magnus Caluini vexillarius, sicut etiam à Luthero Oecolampadius, & Bucerus. Dixi idem esse de Sectis aliis iudicium, quia similiter harum quæuis à principio, in priuatas complures scissa est, maximè Lutherana. Namque ipsimet Confessionistæ qui scilicet iurarunt in Augustanam confessionem velut in inuiolabilem iudiciorum omnium normam ac regulam, toties illam à se diuersam ediderunt, vt sit dictu permirum planeque ridiculum. Edita est diuersis temporibus Argentinæ, Haganoæ, VVittenbergæ, Ratisbonæ, Ienæ, Augustæ, Vesaliæ, Norinbergæ, &c. Sed semper sui dissimilis, & tot verbis ac particulis inflexis, ablatis, additis, immutatis, atque distortis, vt in Colloquio Altenburg. longissimam disputationem habuerint, quænam esset genuina, & sub finem scripserint, *tam frequentem illius mutationem scandalum obiecisse infirmioribus, vt dubitarent de fundamentis fidei, & sine dubio multos absterruisse ne ei se adiungerent.* Quam etiam ob causam vocantur à Magdeburgensibus in Centuria 9. *Meri Encebolij agentes in religione Vertumnos ac Polypos nunc veram probantes doctrinam, nunc eam damnantes, iam appellantes hæresim, quod antea pro veritate inuicta prædicabant.* Prostat exemplum in eadē confess. edita anno M.D.XXX. vbi sic scribunt, *Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summa reuerentia celebratur, seruantur & vsitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquam quod Latinis orationibus admiscētur alicubi Germanicæ.* Et tamen iam Missam vt meram idololatriam

detestantur. Huc pertinēt multa ex dictis supra cap.1.§.vltimo, vbi ostendimus non eos solùm qui eandem sectam colunt, à se inuicem grauissimè discrepare, atque ita illi pedetentim moliri interitum, sed etiam vnos eosdemque citò ab vna sententia transire in aliam, nihil habere in religione ratum ac constitutum. Qua inconstantia si Antesignani ipsi grauiter laborarunt, si vacillarunt in opinionibus suis, tanquam malè saburratum nauigium, huc atque illuc vndis iactatum, cui nec facilè est portum attingere, nec tutum in statione aliqua interquiescere, ita vt Fridericus Saxoniæ Dux interrogatus, *Quid crederent Prædicātes sui Lutherani*, appositè responderit, *quid iam credant benè noui, quid autem anno sequenti credituri sint, prorsus me latet.* Quid de posteris, quid de priuatis sentiendum? quot in eorum cerebris lunæ? quot rotæ ac vertigines? Pertinent etiam non pauca de quibus lib. seq. cap. 1. vbi non paucos nominaturi sumus, qui sectas valere iusserunt, quibus dederunt nomen, vt eas non tam ædificium quàm aceruum lapidum malè colligatorum esse intelligas.

Septimò, præter hanc inconstantiam, & domestica schismata, quæ ad perniciem tam sunt efficacia, vt ob id scripserit Vegetius lib.3.c.10. *Inter hostes discordiarum procurare causas prudentis esse Ducis*, tamque dedecorosa, vt nihil sit quod salsius rideant magisque exprobrent Turcæ Anglis Institoribus, teste Teueto lib.6.cap.5. abundant quamplurimis dogmatibus tam absurdis, vt impossibile sit non ea damnari (& cum iis religionem cuius sunt fundamenta) à maiori saltem, & saniore parte ipsorummet Nouantium, vt quod Deus peccati sit auctor, quod maiorem hominum partem creauerit vt ad infernum demergeretur, quod impossibilia iubeat, quod præmium nullum decernat bonis operibus, quod non delectetur supererogatoriis quantumlibet à virtute profectis, quod hominē libero arbitrio destituerit, quod iustus sola fide viuat, eaque sumpta pro certa persuasione perueniendi ad regnum, quod permulta sæcula Ecclesiæ suæ curam abiecerit, sinens eam totam circumueniri multis grauissimis tum erroribus tum etiam idololatriis, &c.

Octauo corrumpuntur citò, & ita quidem vt odorem exhalent teterrimum, quæcumque delicata sunt & mollia, vt in effœminatis videre est corporibus, breui inquam dissoluuntur, putentq;

Digitized by Google

tentque grauissimè. Vnde secundum iura pereuntibus viro & fœmina, præsumitur virum vixisse diutius, videlicet quia mares robustiores, fœminæ delicatiores. L. *qui duos*. §. Si maritus. ff. de reb. dub. & Couuar. lib. 2. var. resol. lib. 7. n. 2. At sectæ Euangelicæ nullo magis quàm deliciis affluunt, seu principiis quibus si teipsum conformaueris, nulli habenas voluptati nullis adduces deliciis. sed liberè dabis, vt te docebit caput quod sequitur. Ruunt ergo suopte nutu in interitum numine præsertim eas præcipitante, cuius hæc sunt verba; *Ecce ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes, & dirumpam eos de brachiis vestris, & dimittã animas quas vos capitis, animas ad volandum, & dirumpam ceruicalia vestra, & liberabo populum de manu vestra.* Ezech. 13.

Nonò, sicut iustitia singulare est populi cuiuslibet stabilimẽtum atque præsidium, sic iniustitia certissimæ ruinæ fenestram aperit, vt in superiore §. vbere satis declarauimus. Atqui nulla est ex sectis hodiernis, quæ rea non sit iniustitiarum complurium, nisi fortè iniustum non videatur tot tantorumque Maiorum decreta rescindere, extraordinariam vocationem nullo prorsus cõfirmatam miraculo sibi arrogare, priuatum iudicium suum in scripturis assignandis vel exponendis opponere totius orbis iudicio, velle plus sibi credi quàm reliquis omnibus, publicam pacem perturbare, legitimorum Principum subditos, verbo, exemploque ad rebellionem concitare, ad libitum exaratos Religionis articulos vi obtrudere, nolentes iis subscribere Turcico more iugulare, consecrata Deo templa effringere, spoliare, incendere, virgines eidem sacras constuprare, aduersus eosdem Principes bella gerere, defunctorum ossa ludibrio afficere, etiam eorũ qui dum viuerent clarebant miraculis, contra patriam conspirare, ærarium publicum ad se auertere, ruderibus ac luctu replere omnia, Ecclesiasticos census & latifundia contra Testatorum voluntatem, ad Prædicantium sustentationem, à quorum fide abhorruerunt, sibi vendicare. Romanam Ecclesiam in qua baptizati fuerant, & à qua vna primam sacrosanctæ Trinitatis & Christi cognitionem acceperant in filiis suis per summam ingratitudinem, & iniquitatem iugulasse, non secus ac ingratissimus Ioas Zachariam occidit Ioiadæ filium, à quo Ioiada maxima benefi-

cia

ci acceperat, propter quod scelus diu subsistere non potuit, sed iusto Dei iudicio à propriis seruis interemptus est, 2. Par. 24.

Decimò, ipsimet Hæresiarchæ dubij maximè anxiique fuerunt, essetne inuecta à se religio diu substitura, cuius sanè dubietatis nulla fuisset occasio, si eam verè à Deo esse credidissent, quia mox venisset in mentem munitum satis videri ac stabile quod opus esset omnipotentis. *De posteritate sic anxius sum*, Caluini verba profero, *vt vix cogitare audeam. Nisi enim mirabiliter Deus è cœlo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem imminere orbi. Atq; vtinam non multo post sentiant filij nostri fuisse hoc verum potius vaticinium quàm coniecturam.* Lutherus quoq; teste Vlenbergio in causa 15. prædixit fore vt cito aboleatur quicquid in lucem edidit, postquam eius libri sæculi huius curiositati fecerint satis, abolebuntur haud dubiè, & quidem certius quàm Horatij liber, de quo l. 1. epist.

In præfat. ad Catech.

Carus eris vanis, donec te deserat ætas
Contrectatus vbi manibus sordescere vulgi
Cœperis, aut tineas pasces taciturnus inertes
Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Idem scriptis suis euenturum Beza hoc ipso tacitè prædixit, quo vt eueniret percupiuit. *Fateor me multa scripsisse*, inquit ille, *quæ vellem scripta non esse, vtinam memoria illorum omnium aboleretur communi consensu.* Si ea cupit aboleri, & conseruandorum curam omnem abiicit, qui maximè gesturus videbatur, quanto magis abiicient cæteri? Tantum confide quisquis es auitæ cultor fidei. Ne te perturbet quod non statim penitus euanescant, confide, facient in dies magis magisq; quod iam faciunt, sensim deficientes quemadmodum fumus deficient, Horatianum illud decantaturi.

In colloq. Mompelg.

Omnes eodem cogimur
Versatur vrna serius, ocius
Sors exitura est, & nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Viuunt ad tempus diuino permissu ad correptionē nostram, & industriam excitandam, sed flabit tandem ab occidente spiritus Domini valentissimus, & arreptas locustas proiiciet in mare rubrum, non remanebit ne vna quidem in cunctis finibus.

Postremò quæcunq; in ægrotis portendunt imminere vitæ finem, ea spiritualiter apparent in hodiernarū religionum professori-

fessoribus, vt nemo dubitare debeat fore, vt non ita multo post intereant. Illi supini iacent porrectis manibus, hi desidiosi ad omne opus bonum vt fatentur inhabiles. Illi nec die somnum nec nocte capiunt, hi semper mali aliquid mente agitant & machinantur. Illi grauissimo halitu & odore sunt, hi cõtinuas blasphemias vomunt, & omnibus qui se illis affricant odor mortis in mortem. Illi difficulter morbum ferunt, hi impatientissimi sunt. Illi sine voluntate lachrymantur; hi lacrymas pœnitentiasq; spõtaneas rident. Illis intima frigent extremis calentibus; hi zelum bonum & charitatem præseferunt, cum interius nequissimi sint. Illi cibum fastidiunt post eius desiderium; Istos tædet eorum quę initio sibi in pretio erant iam fastidiunt, adeo sunt vt vidimus inconstantes. Illis frigidus per mẽbra it sudor, his adhuc frigidior quoties vicinos Principes conscribere militem audiunt. Illi ex somno timent, hi similiter sæpè timore trepidant vbi non est timor. Illis oculi sunt obtusi reflexi, concaui; hi errores suos monte crassiores non vident. Illis color niger est aut pallidus; hi semper tristes aut pauidi. Illi lumen refugiunt; hi sanctorum Patrum libros germanam veritatem ex scripturis proferentium nec videre volunt nec legere. Illi ægrè audiunt, hi ad optimas quasque admonitiones obsurdescunt, & Catholicas responsiones ad futilia argumenta sua quasi nunquam iis responsum fuisset, dissimulant. Illi peruersis sunt oculis, palpebris, superciliis; hi iudicio omnia nostra in deterrimam partem interpretantes. Illi floccos in veste legunt; hi quæcumq; vana consectantur. Illi stragulum arripiunt, quasi veriti ne à more abducantur, hi opibus suis tenacissimè adhærent. Illi deliria patiuntur, hi euanescunt in cogitationibus suis. Illi maxima laborant deglutiendi difficultate & loquendi & respirandi. Hos similiter animus & pristinæ vires omnes deficiunt, non amplius prædari possunt, & deuorare plebem Domini vt cibum panis, nec vltrà audent Principibus obloqui, nec minus ac cædes spirare; vt eos par sit credere in peruigilio versari sui interitus.

Digitized by Google

De arduitate proprietate 6. veræ Religionis eiusdemq́ nota 27.

CAPVT VI.

§. 1. *In quo hæc arduitas sit posita declaratur.*
2. *Et Religionem veram consequenter esse arduam.*
3. *In Catholica occurrere ardua plurima quæ tamen demulcentur miris consolationibus.*
4. *Nulla autem in Mahumetana si eius spectentur principia.*
5. *Nec in Pseudoeuangelica.*

§. 1. ARduam & salebrosam Religionem appellamus, quæ & fidei principiis nititur captu difficilibus, & actus præscribit partim proprios, partim imperatos corruptæ naturæ iniucundos. Ratio est, quia facultates nostræ quoad animã sunt Intellectus & voluntas, quoad corpus verò appetitus & sensus. Porrò intellectui præter naturam est ob idq; arduum assentiri firmiter rebus minimè perspicuis, neq; in se, neq; in attestante; voluntati autem, sensui appetituiq; sensitiuo per peccatum deprauatis nihilo iucundius circa actus & obiecta ex se ardua operosaq; versari, tangunt ea minimo sui quoad possunt, vt planum circulus, nec paruo egent adminiculo, vt iis longo insistant tempore, vtpote præsenti quam affectant delectatione carentibus.

§. 2. Quod autem Religio si vera sit, multis eiusmodi salebris circumsepiatur ita demonstro. Religio vera via est qua itur ad vitã, ad regnum, ad præmium sempiternũ, vnde post illa verba, Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis* (actus hi omnes Religionis sunt) *custodi præcepta Domini, & testimonia & caremonias.* Mox sequitur: *Vt bene sit tibi, & ingressus possideas terram optimam.* Et 1. Reg. 12. *Si timueritis Dominum & seruieritis ei, eritis, & vos & Rex qui imperat vobis sequentes Dominum,* id est participes bonorum Domini. Et Ioan. 12. *Vbi ego sum, illic & Minister meus erit, & , si quis mihi ministrauerit honorificabit eum Pater meus qui est in cælis.* Iam verò aspera est via qua peruenitur ad talem vitã, regnum ac præmiũ, ita

ita vt ea occasione vocauerit illam Dominus, Matth.7. *Arctam & angustam*,& scriptum sit. *regnum cœlorum vim patitur*, Matth.11.& ,*non coronabitur nisi qui legitimè certauerit*,1.Tim.2.ardua igitur est religio vera,quæcumq; demum ea sit.

Secundò Religio,non solùm tenet locum inter virtutes omnes Theologicis exceptis eminentissimũ,sed etiam vt suis omnibus absoluta sit numeris,adsciscit sibi cæteras. Quis verò nescit sentib' ac spinis respersum esse cuiuscumq; virtutis iter?Et si quælibet vepres suos habet,quanti erunt omnium in vnam quasi religionem confluentium ? quot saxa calcanda iis,qui illas prosequentur? nihil dubiũ quin plurima,ad quæ respiciens Cebes Athenienses virtutes sibi depingi iussit in rupis ferè inaccessibilis commorantes vertice; vitia verò per amœnissima prata spatiabantur. Et Socrates cum aliquandò in colloquium venisset cum Theodota meretrice formosissima , quæ Callistenem blandis ad se verbis trahebat,ab illa audiuisse fertur. *Ego quidem ô Socrates multum tibi præsto,nam cum tu neminem ex meis à me possis alienare,ego cum libitum est tuos omnes à te voco.* Respondit Socrates,*non ... quidem est hoc,tu siquidem ad decliuem tramitem omnes rapis,ego ver... virtutem cogo ad quam arduus & plerisq; insolitus est accessus.*

Tertiò tritum est cõmuni sermonem prouerbium,& vniuersali penè inductione comprobatum,difficilia esse quæ pulchra , idq; annotarunt Plato in Hippia,& in Cratylo circa initium. Plutarch. quoq; in libello de pueris instituendis,& Arist.lib.2.ad Nicom. & rursus Plato lib.4.de Repub. Ratio est quia pulchrũ dicitur quod errore ac næuo omni caret, error autem cum sit multiplex , & innumeris contingat modis,omnino vitari absq; ingẽti difficultate non potest. Quid autẽ Religione pulchrius,quę si omni ex parte colatur ipsi nos Deo similes facit fonti pulchritudinis?Neq; enim fieri potest,quin dum auctore illa toti ad Deũ propendemus, & cum eodem loquimur, acquiramus nõnullam eius similitudinẽ aliâs minor esset influxus diuinæ perfectionis quàm humanæ malitiæ,de qua scriptum est ; *Amicus stultorum similis efficietur*. Et Eccles.13. *Qui cõmunicat superbo induet superbiam*. Rursus quid speciosius sanctitate,siue sumatur pro religione ipsa , quatenus mentẽ Deo seruientem optimè afficit, vt apud S.Tho.2.2.q.81.art.8. siue pro ornamento & statu illo eximio quẽ eadem mens accipit à virtutibus cæteris religioni subalternis. Prou.13.

Quartò merces proposita colentibus Deum perfectè dulcescere non potest, nisi variis difficultatibus inspersum sit medium quo acquiritur, hoc est ipse Dei cultus siue Religio. At Deus voluit hanc mercedem nobis perfectè dulcescere, ergo & salebrosum esse cultum quo à nobis est prosequendus, & ad mercedem illam peruenitur. Minor argumentationis huius propositio ideò negari non potest, quod Deus propter se non quærat, nec curet coli ab hominibus, quasi cultu illo indigeat, vel ei aliquid inde vtilitatis accedat; sed tantum vt quod remuneret in eis inueniat, & quidem remuneratione quæ summam absolutissimamque in homine beatitudinem operetur, ac proinde quam suauissimè dulcescentem. Maiorem autem egregia inductione confirmat sanctus Augustinus dicens; *Quid agitur in anima cum amplius delectatur inuentis aut additis rebus quas diligit, quàm si eas semper habuisset. Plena sunt omnia testimoniis clamantibus ita est. Triumphat victor Imperator, & non vicisset nisi pugnasset, & quanto maius periculum fuit in prælio, tanto maius est gaudium in triumpho. Iactat tempestas nauigantes, minaturque naufragium, omnes futura morte pallescunt. Tranquillatur cœlum & mare, & exultant nimis, quia timuerunt nimis. Æger est charus, & vena eius malum renuntiat. Omnes qui eum saluum cupiunt ægrotant simul animo, fit ei rectè, & nondum ambulat pristinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit cum anteà saluus & fortis ambularet. Easque ipsas voluptates humanæ vitæ, etiam non opinatis & præter voluntatem irruentibus, sed institutis & voluntariis molestiis homines acquirunt. Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia, & ebriosi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio fit delectatio. Et institutum est vt iam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauerit dilatam.* Ipsi etiam Musici ad augēdam delectationem aurium secundas, quartas, septimas, nonas, vndecimas tertiis, quintis, octauis, decimis, &c. hoc est dissonantias consonantiis raptim interserunt.

Lib. 3. Confess. cap. 3.

Diluenda solum obiectio superest subnixa variis scripturæ testimoniis quæ Euangelicam legem seu Christianam religionē describūt nobis, non quasi onerosam, grauem, horridam, sed suauem & delectabilem. Huius generis est quod ait Dominus, Isa. 10. *Pūtrescere facere iugum à facie olei*, & Christus Matth. 11. *Iugum meum suaue est, & onus meum leue*, & S. Ioan. Bapt. Luc. 3. *Erunt praua in dire-*

Digitized by Google

cta & aspera in vias planas. Facilis responsio accipi nimirum debere ista per comparationem, vt sensus sit circumcisionem, & alia onera carnalia Mosaicæ legis, quæ B. Petrus Actor. 15. vocauit iugum, quod vsque ad illud tempus propter grauitatem non nisi incredibili cum difficultate portari potuit, hæc inquam onera per Euangelicam excludenda, quæ tamen lex Euangelica suis nõ careat, sed variis referta sit non tàm corpus ipsum prementibus quàm mẽtem. Alioquin ad quid eam vocasset *arctam viam,* Matth. & cap. 5. dixisset: *Audistis quia dictum est antiquis diliges amicum tuum, ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Et rursus: *Regnum cælorum vim patitur?* Insinuant profectò hæc omnia difficultates non paruas, quibus tamen possumus Christi Domini gratia superiores euadere, sicut & Apostolus qui se omnia posse iactabat in eo à quo confortabatur. Accipienda quoque sunt per comparationem, mercedis illius æternæ, quæ tanta est, vt pro leuissimis haberi malis debeant, quotquot subimus labores illius adipiscendæ gratia, dicente eodem Apostolo: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Rom. 8. Et rursus: *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Et Sap. 1. *In paucis vexati in multis benè disponentur.*

§. 3.

Demonstro iam totidem argumentis non facilem, sed operosam esse religionem nostram, in qua ob id multum studij, plurimum industriæ sit adhibendum.

Primum ducitur ab illorum testimonio qui oderunt eam. familiare est Sectariis, illius disciplinam imperium appellare Antichristi, non ferendam tyrãnidem, seculum ferreum, iugum Pharaonis. vndè Geneuenses fidem suam profitendo hæc admiscent verba: *Repudio omnes cæremonias Papisticas, detestor tyrãnicum illud iugum, quo sunt oppressæ miseræ conscientiæ, veluti legem de confessione auriculari, de cælibatu, & alia eiusmodi.* Impossibilem præterea censent vt iam docuimus, obseruationem mãdatorum Dei, quæ cum pars sit illius Lib. 2. c. 4. §. vlt. multo magis illam referunt in album rerũ quæ fieri non possunt. Iam si impossibilis, quomodo nõ ardua illis videtur & laboriosa?

Secundum ducitur à Clericorum moribus ab illa deficientium, & nouarum aliquam amplectentium. Notum est statim post defectionem amantissimos euadere eos vitæ solutioris, &

Digitized by Google

continuò dare se iocis, dicteriis, scurrilitatibus, seruire ventri suo, vacare poculis, præ omnibus autem coniugium inire ac prætendere, quod continuam occasionem præstet libidinandi, &c. Sufficit hoc profectò, vt has voluptates, & Lautitias à Religionis nostræ instituto alienas esse, quiuis iudicet atque inferat eadem ratione, qua cernentes armenta ad pascua procurrere, vbi primum aperta stabuli porta relinquuntur sibi, argumentamur in stabulo nec esse, nec eis proponi eiusmodi optata pabula ad quæ tanta auiditate feruntur.

Tertium à dogmatibus maximè reconditis, ad quorum assensum omnes intellectum inflectimus & inclinamus. Nam vt mysterium sublime taceam sacrosanctæ Triadis, & ex vna Eucharistia exemplum accipiam, credimus in ea conuerti substantiam panis in carnem Dominicam, & substantiam vini in sanguinem, subiecto destitui accidentia vini & panis, extensione locali Christi Domini quantitatem, vnum idemque corpus naturale in pluribus simul locis collocari, &c. Quæ omnia cum impossibilia vocent Sectarij, & illud frequẽter in ore habeant, *quomodo fieri potest?* mirantur & rident nostram, vt appellant credendi facilitatem, & iudicij tantis in rebus abnegandi promptitudinem. Nempè id facimus, quia non quid credendum proponatur vt illi, sed quis ille sit qui proponit, attendimus & debemus attendere; quem quia certò scimus ab omni suspicione mendacij errorisque periculo remotissimum, nec posse cuiquam imponere, pronuntiatis eius omnibus quantumcunque obscuris, & captui nostro minimè ac commodatis vltrò subscribimus, quia carnales esse nolumus, de quibus S. August. *In homine carnali tota regula intelligendi est consuetudo cernendi.* Vsurpat & Religio nostra complures ritus optimis quidem fultos rationibus, sed non cuique peruiis. vnde qui eas non comprehendunt, illos planè damnarent si solo naturæ & humanæ sapientiæ instinctu agerentur. Enimuerò mirabilis planè est spiritus, qui nos omnes regit. Sic enim dominatur mentibus nostris, vt eo afflatæ non solum non retrocedant, sed magna etiam pronitate, & cum gaudio ferantur in omnia, quæ ab Ecclesia Maioribusque nostris sanciuntur, omnia rata habeant, causas non quærant sanctionum, sed iustas esse sibi persuadeant hoc ipso quo ab illis proficiscuntur, quandiu ineptiis & erroribus

Serm. 147. de Temp.

bus

bus manifestis non labefactantur. Quod nunquam euenturum ideò censent, quia eiusmodi euentum à diuina prouidétia communi bono singulariter aduigilante, alienum esse intelligunt. vnde S. Climacus gradu 4. *Securè Maioribus credamus in Domino, qui nostri curam susceperunt, etiamsi quædam imperent quæ contraria, ac saluti nostræ videntur aduersantia: tunc enim fides ad illos nostra veluti in fornace humilitatis comprobatur.*

Quartum petitur à præceptis variis arduitate sua constantibus, tàm diuinis quàm Ecclesiasticis. Diuina partim decalogo continentur, vt præceptum de implendis votis & iuratis iustis promissionibus, de seruilibus operibus in die festo suspendendis, de non vlciscendis iniuriis, de vitãdis fornicationibus, adulteriis, & omni grauiore Venere, de furto & vsuris cauendis, de rebus alienis restituendis, de mendacio, detractione & calumnia procul arcenda, de frænanda denique concupiscẽtia: partim sunt Euangelicæ legis propria, vt præceptum de diligendis inimicis, de non dissoluendo quoad vinculum matrimonio consummato, de Exomologesi peccatorum omnium saltem lethalium, quãtum cogitationi possunt occurrere, de vitandis etiam morosis cogitationibus, tactibus & aspectibus impudicis, de agenda pœnitentia, de cooperando Christo per satisfactionem, de non grauandis corporibus crapula & ebrietate, de cauendo etiam verbo otioso, de abstinendo ab omni specie mali, de præstando obsequio debito non Ecclesiæ solùm, sed Dominis quoque temporalibus, de diuino iudicio quod cuique in morte imminet ad memoriam reuocando, in quo recepturus est vnusquisque prout gessit in corpore suo, siue bonum, siue malum. Ecclesiastica sunt in duplici differentia, alia namq; sunt omnibus communia, qui ad iustam ætatem peruenerint, vt præceptum de annua confessione, de sacro singulis festis diebus audiendo, de ieiunio vigiliarum & quadragesimæ, &c. & hæc cum determinationes potius sint diuini iuris, quam præcepta quædam noua & separata, haud dubiè sicut illa, sua sunt difficultate respersa. Alia sunt Clericorum propria, vt præceptum de obseruando cœlibatu cui se vltrò subiecerunt, de residentia, de horis canonicis integrè, attentè, ac deuotè recitandis, de occupationibus & negotiis profanis excludendis, &c. Prætereà ne quis sibi fortè blandiatur præcepta

ista

Digitized by Google

sta infringens, & excusationem aliquam eorum violationi prætexens minus sentiat iustam illam amaritudinem, quæ in animo ex illa resultare ac relinqui solet ac debet, admonentur omnes nullum horum præceptorum, seu diuinorum, seu Ecclesiasticorum impossibile appellandum, sed ab homine quouis impleri posse omnia auxiliante libero arbitrio (quo præditus est) & diuina gratia atque auxilio nunquam negari solito facienti quod in se est. Sed neque esse cur qui peccat consuetudinem malam incuset, aut carnem, aut diabolum, aut socios nequam, aut creaturas alias, sed sibi vni culpam imputet, certoque sibi persuadeat, quod cum Iudex sedebit, quidquid latet apparebit, nihil inultum remanebit.

Verum quemadmodum literarum radices sunt amaræ, fructus dulces, mirum in modum lenitur tota hæc difficultas religionis Catholicæ ingentibus Spiritus sancti consolationibus, vt meritò affirmare possimus omnes, si modo solidè ii simus, qui videri volumus & dici, *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Hoc tamen est per accidens, nec oritur ex ipsa religionis illius conditione, quæ cum vbiq; fermè præscribat, quæ sensui nihil aut parum placent, videri meritò debet non mollis quædam via qualem vitium, sed aspera qualem deposcit virtus sibi. Ne autem falsò, vel absre consolationes illas iactare videar, hoc vnum percontari volo. si quis summo teneretur desiderio adeundi certum aliquem in terris locum, quem sciret esse omni bonorum aggregatione perfectum, & omnium malorum quæ iam experitur aut sibi timet vacuum; viam autem interrogans tale signum acciperet. Occurrent tibi vepreta primum, deindè solitudines horribiles, posthæc profundæ valles, & in iis multæ malæ bestiæ, sed & superandus erit mons arduus, cui succedet campus latissimus, in quo semitam indicant cruces complures ordine dispositæ. Vix illum emensus fueris cum pandent se muri turresque metropolis regni ad quod aspiras, vix te speculator aspiciet, cum omnia cantu personabunt, siquidem sicut lætantium omnium habitatio est in ea, ex quibus millia obuiam tibi venient cum miris acclamationibus, & dato prius osculo deducent te cum tympano & choro in paratam mãsionem, vbi requiescas in æternum à laboribus tuis, & cum infi-

Psalm. 93.

nitis

Digitized by Google

nitis aliis purissima voluptate fruaris timore malorum sublato. Si is inquam sic institutus laboriosum illud iter ingrederetur, nihil dubium quin interdum in suspiria ac forte etiam in gemitus prorumperet tot decurrens incommoda sibi cohærentia, verùm mox ad se rediens mirificè recrearetur non modo, quia poneret sibi ante oculos iucundissimum terminum in quem tam impedita via desineret, sed etiam quia molestias illas perferendo, intelligeret tenere se rectum iter, eo ipso quo prænuntiata incommoda illa ordine decurreret. Quid hoc simili mihi velim, videt satis quicumque legit.

De Mahumetana superstitione longè aliter nobis est cogitandum, tota in deliciis versatur vt ranæ in paludibus, tota est spatiosa, nihil in ea eminens reperias in quod concupiscentiæ pes cum offensione incurrat, nihil lacunosum. Nulla in primis habet dogmata quæ reconditum aliquid depromant, & humano captu superius, ob idque arduum, cum idcircò repudiet Trinitatis mysterium in Azo. 33. quòd ex ea sequatur aliquid intellectu difficile, filium scilicet patri esse coæqualem, eique non inuidere regnum, nec in illum insurgere. Habet hoc sanè vix quicquam difficultatis, quia plerosque tùm Imperatores, tùm Consules, & Duum-viros summa cum pace, & concordia Rempublicam simul administrasse legimus. Si ergo animalis ista secta rem tam facilem non potest digerere, quis eam credat fide cogitationeque complecti, arcana quædam ab humana sapientia communique sensu remotissima? Paradoxum quidem videtur iis, quorum & acutior mens est, & prudentia maior, quod de cœlesti beatitudine scriptum reliquit Mahumetus, eam nempè in voluptate sitam esse corporis, qua pestem vllam capitaliorem negabat esse Architas ille Tarentinus magnus in primis, & præclarus vir, sed non insipientibus, qui dum spurcitiis illis planè affixi viuunt, nullum maius bonum dari suspicantur, sed iis metientes omnia, summum bonum definiunt, quod illarum aggregatione, absolutioneque perficitur. *Animalis homo*, inquit Apostolus, *non sapit ea quæ sunt Spiritus.* 1. Cor. 2.

§. 4.

Hoc idem ſecundò probat hiſtoria quæ ſequitur. Cum ante annos plus minus 400. vt ſupputat Matthias Michonius libro primo de Sarmatia Aſiana capite quinto, Chamus magnus ac præpotens Tartarorum Imperator ſtatuiſſet abiecto Idolorum cultu quibus eouſque ſeruierat, ſe ſuoſque ad religionem ſanctorum transferre, incertus diu hæſit, vtri nomen dare deberet, noſtræ an Mahumetanæ. Vehementi enim contentione decertabant inter ſe, & æmulabantur vtriuſque Profeſſores, quinam illum ad ſe traherent, eique ſuam perſuaderent. Tandem tamen Mahumetiſmo dedit nomen, Chriſtianiſmum ideò repudians, quod probè intelligeret ſi fieret Chriſtianus, voluptatibus illis venereis, quibuſcum familiaritatem magnam contraxerat, & quibus iuxta Alcoranum indulgeri poſſe non ignorabat, ſibi carendum, & in vnico deinceps coniugio ſemotis omnibus indulgentioris vitæ illecebris atque cupiditatibus conſeneſcendum.

Tertiò probatur quod dicimus ex verbis illis Azo. 12. *Vos Iudæi & Chriſtiani ſi Dei filij eſtis, cur vos multis affligit malis?* Probare nititur argumento iſto ſtolido neutros ad Deum pertinere; cur ergo ille cum ſuis maxime pertinere videri geſtiat, eſt cur fateatur datam ſibi ab eo religionem labore carentem, ne ſi aſpera & rudis ſit, coniecturam præbeat, quod tàm illum quàm gregales illius omnes oderit, in ordinem redigat, & à numero fidelium excludat.

Poſtremò, ſicut Mahumeti conſtitutum fuit Leonem ſe exhibere omnibus, qui maiore conſtantia prędíti iugum ſuum detrectarent, ita Pantheram præbere ſe reliquis, hoc eſt, effœminatis prolectando eos maximis quibuſque obiectis indulgentiis & voluptatibus, cuiuſmodi ſunt impunè graſſari, & alienas fortunas tota libertate diripere, eoque nomine magnam à Deo mercedem expectare Azo. 32. Item prohiberi in virginitate vitam traducere, quæ quidem prima lex eſt Alcorani, teſte Cuſpin. in tractat. de relig. ſpeciali Turcorum. Item vxores plures ducere Azo. 8. etiam conſanguineas ibidem, & tot concubinas ſuperinducere, quot quiſque voluerit & alere poterit Azo. 3. Item vxores cum graues eſſe incipiunt ablegare, vel cum alienis commutare, iuxta eandem Azo. 8. quæ ſic loquitur: *Cum contigerit vos non diligere vxores veſtras*

Digitized by Google

ſtras vnam pro alia mutare licet. Item vxoribus illis & concubinis, pro arbitrio vti ad Venerem ibidem. Item tota nocte quæ ieiunium ſequitur ad nutum ingurgitare ſe cibis & pergræcari Azo.2. Item multiplicationi prolis fortiter dare operam. Habent enim præcones certo anni tempore luſtrantes Turciam, & populum adhortantes vt impensè in prolificationem incumbant, vt ſcribit Salmeron in cap.4. epiſt.1.Pet.

Nulla eſt ſecta occidua quæ in arduo ſita non geſtiat apparere, cum tamen ſit mollisſima, & falſo illi Herculi perſimilis, qui in Menandri comœdia inducitur clauam geſtans nō robuſtam, ſed inanem ac leuem. *Plus apud nos eſſe veræ caſtæq; ſeueritatis,* inquit Caluinus in præfat. Antidoti, *& arctioris diſciplinæ teſtes ſunt quotidianæ noſtræ conciones*, cum interim ad verticem vſq; immerſa ſit deliciis, ad quod demonſtrandum tametſi ſufficere posſint, quæ ſupra cap.2. §.5. protulimus, oſtendentes quamlibet abundare vitiis, quæ nihil aliud ſunt, quàm dulcisſima quædam blandiméta ſenſum, quo tamen ſit exploratius, ſeriem hic quoque aliquam attexemus argumentorum quæ id præſuadeant. §.5.

Primum ſumitur à repudio dogmatum noſtrorum iudicio ſenſus valdè repugnantium. Tale inter cætera eſt dogma Euchariſticum de conuerſione ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, cui cur non aſſentiantur, cauſa ſola peti poteſt à difficultate inclinandi intellectum in eiuſmodi fidem, à qua difficultate ſicut etiam à quauis alia vehementer abhorrent. A quo enim alio peteretur? quare ad conuerſionem illam non annuerent? non quia noluit Chriſtus illam facere, cum reipſa illam fecerit, affirmans id quod diſcipulis porrigebat eſſe corpus ſuum, & ſe aliquando facturum ſatis inſinuauerit aquam in vinum vertens, & pauculos panes in deſerto multiplicans, porrò nihil fecit quod noluit. Non quia non debuit, vel ſi mauis quia ita fieri non decuit. Si enim decet vt quis erga eos quorum magno amore tenetur, omnia exhibeat amoris ſigna, quorum vnum eſt proprio eos lacte paſcere (quod finitimum conſtat eſſe carni & ſanguini) vt patet in matribus, quis ſimile quid à Chriſto factum audiens iure reprehendat? Non rurſus quia id pugnat cum ratione ſacramenti, cui conuenit ſignum eſſe diſtinctum à re quæ ſignificatur. Nam

Digitized by Google

tametsi distinctum sit, non tamen idcircò ab ea separatum, cum corona, sceptrum, & purpura Regis sint insignia etiam cum ab illo gestantur. Nec me mouet quod fortè dicturi sunt Nouantes, si ita esset, reiecturos quoque se esse Trinitatis, incarnationísque mysteria nihilo faciliora. Quippè alia horum quàm illius est ratio. Hæc siquidem absentia sunt, & rerum in sensus non incurrentium, quo fit vt sensus qui præsentibus præcipuè attendit, quàm mira sint non ita apprehendat, non apprehendendo autem non facilè inficietur; hoc autem sensum quotidiè ferit, qui cum audit carnem id esse, quod panis videtur, in admirationem rapitur, & nisi fide fulciatur mox quærit quomodo fieri potest, ac etiam discredit. Nam similiter maius est destitui Christi humanitatem subsistentia propria quàm calore ignem, cum subsistentia illa sit humanitatis modus substantialis, calor autem qualitas duntaxat ignis, & tamen rudi homini crassoque in aëre nato incredibilius multo videtur aliquando hunc calore suo spoliari, quàm illam subsistentia.

Alterum sumitur à causa, quæ Sectarum permouit Auctores vt à nobis discederent. quæ profectò non fuit illa quæ falsò prætenditur, abominatio videlicet errorum ac superstitionum quibus nostra labefiebat Ecclesia, cum fateantur in suam posse similiter eiusmodi multa irrepere, ob quæ interim tàm parum sibi liceat ab ea discedere, quàm à Corinthiensi discessit Apostolus, vt docuimus supra cap. 1. §. 5. nec corruptela morum Clericorum eadem de causa. sed ardens duntaxat desiderium inseruiendi suis cupiditatibus, vt ambitioni & voluptati, cui desiderio cum se viderent satisfacere non posse in Ecclesia, & religione nostra humilitatis magistra & castitatis, nouam quandam cudendam censuerunt, in qua sibi licerent hæc omnia. Certè cum motus omnis versetur inter contraria, & religio nostra à qua recesserunt, verè sit ardua vt fatentur, & supra ostendimus, procul dubio necesse est mollem esse, & effœminatam illam suam ad quam se transtulerunt, cum præsertim vbi primum in ea pedem posuerunt operam dederint suis illis cupiditatibus, v.g. cœperint seipsos canere, sese circumspicere, & existimare tantum inter alios excellere,

Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Volu-

Digitized by Google

Voluptatibus item operam dare, & habenas laxare licentiæ prætextu Christianæ libertatis, & cœlibatui incœstas nuptias obtento coniugij nomine surrogare. Sic enim argumentamur, si quis magno conatu à cubiculo vno migret in aliud, & statim atque hoc aliud ingressus est helluari incipiat & vino sese proluere & scortari, non illud primum sed istud locum esse Veneri, Cereri, Bacchoque destinatum.

Tertium ducitur à dissolutis moribus ipsorum gregalium, hoc est eorum quos Hæresiarchæ illi reformatæ religionis suæ spiritu infatuarunt. A Caluinianis exemplum accipiamus. Libertinos quidquid asperum est detrectari, iugum omne excutere, deliciis voluptatibusque diffluere, in omnem Licentiam ferri, docet Caluinus toto ferè libro contra eos: fuisse autem esseque Caluini discipulos, patet primò quia subodorato nidore Caluinismi statim pullularunt. Secundò quia cum Caluino actum seriò est eos vt reprimeret, atque à licentia illa reuocaret, in quam videlicet illos Euangelio & religione sua coniecerat, sic enim scribit sub præfationis finem. *Cum multi viri boni ac fideles intelligerent, partim etiam oculis intuerentur horribilem dißipationem, quam isti malè feriati homines inchoarunt, aßiduè instare non desierunt, donec me manum operi adhibiturum recepi.* Tertiò, quia vt ouum ouo simillimum est, sic illorum ingenia cum ingenio Caluini ad amussim conueniunt, vt intelliget qui præfatum illum aduersum eos tractatum perlegerit. Exemplum inuehitur in eos, capite primo, quod inaudita multa doceant, capite secundo, quod sub specie pietatis vetera omnia rectè constituta dissoluant, capite quinto, quod arrogantes sint, & iudicio proprio multum tribuant, capite septimo, quod peregrinos conquirant loquendi modos, capite octauo, quod secum pugnent, & politici sint ac Prothei, capite nono, quod in specie tantum scripturam sequantur, reipsa autem suas imaginationes, cap. 10. quod ad demulcendas suorum aures speciosa vsurpent vocabula, &c. Vidimus certè hactenus hæc omnia Caluino ipsi perfectissimè conuenire, cuius proinde genuinæ soboles tanto iure dici possunt, quanto vnus aliquis patris sui filius quod illius lineamenta corpori proprio impressa gerat.

Quartum à propria illorum confeſsione, qui maximè videri poterant honori ſectæ ſuæ conſulere. Eundem Caluinum audiamus de ſua loquentem, *Cum tot hominum millia cupidè vt videbatur, nomen dediſſent Euangelio, quàm pauci obſecro à ſuis vitiis reſipuerunt, immò quid præ ſe maior pars tulit, niſi vt excuſſo ſuperſtitionum iugo ſolutius in omnem laſciuiam diffluerent homines Luciani & Epicuræi?* Haud dubiè ſi religio tua Caluine arcta fuiſſet via quæ ducit ad vitam, ſi vera ac ſolida, ſi religionis digna nomine, vtique religaſſet eos, ne in laſciuiam illam infinitam diffluerent.

In lib. de ſcand.

Poſtremum deducitur à variis illorum theſibus ſenſui ſupra modum blandientibus, quarum aliquas proferre non erit inutile. Docent ad æternam ſalutem ſufficere ſi quis fide ſit præditus, bona opera nihil prorſus ad eam conferre, nullius omnino eſſe meriti. Ex quo procliue eſt cuiuis ſectario concludere cum Buccero in caput ſecundum, epiſtolæ ad Romanos: *Cum opera noſtra ex ſe nihil ſint, nulla eorum habenda eſt ratio.* Et rurſum, ſi aditum in cœlum mihi ſola poſſum fide parare, ad quid alia quædam eaque laborioſa conſectabor? nonne fruſtrà fit per plura, quod æquè commodè fieri poteſt per pauciora? ad quid ergo tetricum virtutis ſtudium? ad quid difficilis fuga vitiorum? ad quid diuinorum obſeruatio mandatorum? ad quid bona opera? fortè vt indicia ſint veræ fidei, vt fructus arboris, ſed quid indicia curo, dummodò rem teneam, quæ mihi ad ſalutem eſt ſatis? quomodo item fidei poſſunt eſſe indicia, cum qua nullam prorſus habent connexionem. Haberent quidem ſi fides eſſet Catholicorum docens vitam æternam mercedem eſſe huiuſmodi bonorum operum, recepturum vnumquemq; prout geſsit in corpore ſuo ſiue bonum ſiue malum, omnē qui parce ſeminat, parce ſeminaturum, &c. at talis non eſt qua imbuimur, ſed mera propriæ prædeſtinationis perſuaſio.

Docent prætereà Ethnicos ad beatam illam vitam peruenturos, ex quo ſimiliter inferre licet. Ethnici lata incedunt via, quæ tamen non obſtabit quo minus ſalutem conſequantur, poſſum igitur & ego latæ viæ inſiſtere, & quidquid ſenſui aſperum

Digitized by Google

rum est & iniucundum à me alienare. Hoc illos docere liquet ex Caluino, Zvvinglio, & Acontio Ministro Anglo Caluiniano. Primus in lib. de vera Eccles. reformat. sic loquitur: *Infideles etsi immundi sint natura, fœderis tamen beneficio mundi sunt, etsi penitus in Adamo mortui, tamen benedictionem ex hoc verbo consequuntur ero Deus seminis tui, vt vitæ cœlestis sint hæredes, quod fœdus in mille vsque generationes diffunditur, & omnes agnoscit sanctos, qui ex Abraham & reliquis Patribus sunt progeniti ac proinde Iudæos, Saracenos, Agarenos, Mauros, Turcas, Arabes, &c. & contumeliosissimus est in Deum, qui negat hanc promissionem sufficere, absque baptismi, vocationis, & fidei appendicibus.* Secundus hæc habet in epistol. ad Franciscum I. Galliæ Regem: *Si Euangelium meum quod per me Deus orbi Christiano his nouissimis temporibus reuelauit, susceperis, & ad idem amplectendum, populum tum induxeris, certè ego tibi ex parte omnipotentis Dei cœleste regnum & gloriam æternam polliceor. Ibi eiusdem tecum regni & gloriæ participes visurus, & duos Adamos redemptum & redemptorem, ibi Abelum, Enochum, Noam, Abrahamum, ibi Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones, videbis.* Tertius in lib. de strategem. Sathanæ scribit ad salutem non referre, quam quis religionem, sectamq; amplectatur, dummodo tria credat, (quæ à plerisq; Ethnicis credi solent) videlicet aliquem esse Deum, eundem esse vnicum, eiusdem filium esse Iesum Christum, non determinando sitne natura eius filius an adoptione tantum.

Docent tertiò de peccato mirabilia, quæ ad eandem licentiam manifestè viam parant, vt Lutherus non esse aliud peccatum, quàm si quis non credit se saluandum, atque ita scortari, inebriari, crapulari, &c. non esse peccata. Beza in caput primum, 1. Ioan. nullum esse peccatum mortale in electis. Caluinus in Antid. sessione 6. peccati fugam non esse in nostra potestate, &c.

Docent quartò pleraque alia eodem spectantia, vt Caluinus lib. 4. Institut. cap. 12. n. 23. cœlibatum impiam esse tyrannidem. Lutherus & Ochinus Caluini discipulus licitam esse polygamiam. Lutherus enim in lib. de Bigamia Episc. propos. 62. & in cap. 16. Genes. ait: *Polygamia libera est, & vt illam introducere nolo ita*

repudiare

repudiare non possum. Vnde dispensauit cum Landgrauio Hassiæ, vt duas tresúe vxores simul haberet. Ochinus autem lib. 2. dialog. 21. eiusdem polygamiæ suscepit ex instituto patrocinium. Infecit VVestphaliam hac ipsa licentia Bernardus Rothmannus Regem creauit cum aliis Anabaptistis, cui fuerunt vxores 4. his autem accesserunt puellæ 10. Idem Lutherus sermon. de Matrim. & Beza epist. 10. & 17. licitum esse molesti vel adulteri coniugis repudium quoad vinculum. Idem tradit Bucc. in cap. 19. Matth. *Iudæis permissum erat*, inquit, *ob duritiam cordis vxores relinquere, ergo idem licere debet Christianis.* Et in corpore libri qui inscribitur, *Ecclesiæ Germanicæ* legimus. *Coniux innocens liberè potest contrahere, idq́; hoc modo seruatur in nostris Consistoriis.* Apud hodiernos Adamitas professio est promiscuorum cónubiorum, iidem crebrò discursitant nudi, vt scribit Lindanus lib. 2. dial. 2. dubit. Anabaptistarum peculiaris assertio est quamlibet mulierem non posse solum, sed etiam obligari ad coëundum cum quolibet viro eam petente, & contra. Vis insuper ostendam lector horum omnium sententia licere adulterare & Sodomitas agere? Statuunt impossibilem esse continentiam, nec se minus coitu quàm cibo potuque indigere. Sicut ergo in extrema necessitate potest quilibet cum proprius deest cibus alieno vti, & isto quoque deficiente ad fruges etiam immaturas confugere, ad porcorum siliquas, ad mures, & alia à naturali quidem victu aliena, necessitati tamen quoquo modo factura satis: Ita coniugibus propriis absentibus, ægrotantibus, aut nolentibus fas erit commiscere sese alienis; immò etiam belluis quantum id requiret exsatiandæ furor libidinis. vt merito dicere liceat cum Cypriano: *In omnibus sectis lata & spatiosa esse itinera vitæ lethalis. Illic illecebras & morti feras voluptates; illic Diabolus blanditur vt fallat, arridet vt noceat, illicit vt occidat.* His accedunt blandæ conciones Prædicantium, quarum argumenta nequaquam sunt sententiæ illæ sacræ, quæ molestiam arduitatemque aliquam præseferunt, vt *sunt Eunuchi qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, solutus es ab vxore noli quærere vxorem, nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis, si vis ad vitam ingredi serua mandata, omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, mortificate membra vestra quæ sunt super terram, &c.* Sed quæ

arrident

Digitized by Google

arrident sensibus. *vt manducatur quæ apponuntur vobis, nemo carnẽ suam odio habuit, melius est nubere quam vri, non est bonum hominem esse solum, crescite & multiplicamini, bibite & inebriamini, charissimi, qui potest capere capiat, Christus passus est pro nobis, nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Iesu, oportet Episcopum esse vnius vxoris virum, &c.* Iidem cum de cœlesti regno agitur, non illud quærendum proponunt Christi more dicentis, *quærite primum regnum Dei*, sed vt promissum expectandum, quæ duo valde differunt, quærere laboris est non solius fiduciæ, amissa sunt quæ quærimus, quæ autem promissa sunt non quæruntur sed expectantur.

Hæc licet ita sint, in hoc tamen mirabilis est diuina prouidentia, quod eiusmodi Sectas alioqui valde illecebrosas sterilitate percutiat, non sinens eas multum propagari, nec animas valde multas illaqueare, sicut homines alioqui fœcundos prole nonnunquam destituit, ob quædam flagitia.

In hoc quoque mirabilem se præbet, quòd dulcem illam carnis libertatem, in qua ætatem suam Nouantes terunt, aspergat amarissimis desolationibus, quantumuis illas foris dissimulent, ipsique Ministri easdem linire conentur tibicinum more & Corybantum, quorum illi cum immolabantur infantes Moloch tibias inflabant suas quibus obscurarent tristes vagitus paruulorum illorum eiulantium; hi vero percutiebant tympana Saturno Iouem filium conquirente quem furto surripuerant, ne suis se vagitibus proderet. Verùm efficaciores sunt desolationes eiusmodi, quàm vt talibus antidotis multum de amaritudine sua remittant. Videt enim quisquis inter illos vel mediocri est iudicio, quàm suspectum sit, & iniquum tantæ antiquitati nouitatem substituere, quàm suspecta Ducum suorum superbia omnibus se anteferentium, & mollis illa quam calcat via, quàm reuera metuendum extremum iudicium, in quo clamat scriptura relegatos iri in ignem æternum, quotquot pœnitentiam non egerunt, mandata Dei non custodierunt, in bonis sese operibus exercere neglexerunt, &c. Videt ex aduerso si castra illa deserat, in quibus manifestam sibi damnationem acquirit, parari sibi ab infœli-

cibus sociis odia & persecutiones plurimas, ita fit vt quo se vertat, nesciat, interius tabescat, noctes ducat insomnes, lento vratur igne, perpetuas conscientiæ censuras patiatur, inferni pœnas auspicetur, Prædicantes suos detestetur, quorum ductu periit, atque vt concludam dicere meritò possit, *Ecce in pace amaritudo mea amarissima*, & de illo dici,

Spem vultu simulat premit altum corde dolorem.

Vt sanè premebat Sectarium quendam mihi notum, qui paulò antè obitum ab amico adiuratus, ingenuè vt prodere vellet, quam religionem amplecti potius deberet, respondit nostra vnguentum est, Catholica pharmacum, huic te nomen dare oportet si salutem quæris, præsertim cum adhuc in integro tua sint omnia; illam si voluptatem.

DE

Digitized by Google

DE NOTIS CERTISSIMIS VERAE RELIGIONIS,

LIBER IV.

De conuersione errantium animarum effectu primo & nota 28. veræ Religionis

CAPVT I.

§. 1. *Qualem hanc conuersionem esse oporteat.*
2. *Ea effectus quidam est ob idq; nota veræ Religionis.*
3. *Et in Catholica insignis planè & admirabilis.*
4. *A Mahumetana verò remotissima.*
5. *Sicut etiam à quauis ex Pseudoeuangelicis.*

CONVERTI ad Deum est abdicato ac posthabito cultu Diaboli, mundi, & propriarum cupiditatum transferre se ad seruiendum Deo viuo & vero, sicut scriptum est; *In toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, præparate corda vestra, & seruite ei soli.* Hæc conuersio contentionem magnam desiderat. §. 1. 1. Reg. 7.

Primò, quia diuinæ literæ difficultatis illius certiores nos faciunt quæ in ea interuenit, Eccles. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Et Matt. 16. *Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suã, & sequatur me.* Eædem Deum nobis repræsentant quasi in conuertendis ad se peccatoribus multũ laborantem, & anxie clamantẽ, Cant. 6.

Digitized by Google

Reuertere reuertere Sunamitis reuertere, reuertere vt intueamur te. Et Isa. 65. *Expandi tota die manus meas ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* At profectò Deus ex se laborem nullũ sustinet, nec ei quicquã est difficile, 1. Reg. 14. Gen. 17. sed quia peccatoris cooperationẽ exigit, is autẽ ægrè illi manus admouet, fit vt in eo ad se conuertendo dicatur difficultatẽ non modicã pati, vnde etiam scriptum est, Marc. 6. *Non poterat ibi virtutem vllam facere,* videlicet apud conterraneos suos, *propter incredulitatem illorum.*

Secundò probatur idem labor ratione manifesta. Sicut natura nostra si incorrupta mansisset suopte nutu ac sine vlla difficultate, immò magna cum voluptate ferretur in bonum, cuiusmodi in primis est Dei cultus, ita nunc corrupta per peccatum, & ad malum prona dicente Domino, Genes. 8. *Sensus & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua,* ægrè ad bonum tendit, quanto magis cum ei accedunt consuetudines pessimæ, quæ non aliud quam grauia pondera sunt mentem deprimentia, ne facilè possit in id quod certum est assurgere? Harum quanta sit vis ex Augustino discat lector, lib. 8. confess. cap. 5. Statum illum describente, in quo deliberabat ad Deum colendum relictis nugis sese conuertere. *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate, velle meum tenebat inimicus, & inde mihi cathenã fecerat, & constrinxerat me. Quippè ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur facta est necessitas.* Et infrà: *Voluntas autem quæ mihi esse cœperat, vt te gratis colerem, fruiq; te vellem Deus sola certa iucunditas, nondum erat idonea ad superandam priorem vetustatem roboratam. Ita duæ voluntates meæ vna vetus alia noua, illa carnalis ista spiritualis confligebant inter se, atq; discordando dissipabant animam meam.* Et rursus: *Ego autem adhuc terra obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri, quemadmodum impediri timendum est. Ita sarcina sæculi velut somno assolet dulciter premebar, & cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen soporis altitudine remerguntur.* Scribit in eandem sententiam elegantissimè pleraque alia cap. 11. Iam verò quotusquisque est, qui ab initio plus vel minus pessimas istas consuetudines non contraxerit? Vt anates & anseres vix nati ad stagna & aquas alias sordentes currunt, vt ibi rostro inter fæces aberrent, & sibi victum quærant; ita nos in lucem vix editi

Digitized by Google

editi in cœno vanitatũ vltrò versari incipimus, quæ quia nostris arrident cupiditatibus, admodum intensos actus in iis consectandis exercemus; actus autem quo intensiores fuerint, eo pertinaciores habitus post se relinquunt. Ita fit vt priusquam incipiat quis seriò Deum colere mãcipatum se sentiat vanitati, à qua sese extricare hoc opus hic labor est. His accedit totus §. secundus capitis vltimi libri superioris, in quo demonstrauimus arduitatem esse à religione inseparabilem, cum ergo sine difficultate nõ superetur arduitas, & conuerti ad Deum sit incipere religioni dare operam, est consequenter multas adire difficultates.

Quod autem religioni veræ vis insit, ad sui complexum vehementer permouere eos, à quibus nondum colitur, ob idque ad Deum conuertendi. probatur primò ex verbis illis psalmographi Psal. 18. *Lex Domini immaculata conuertens animas.* §. 2.

Secundò, exemplo Achior de quo Iudith. 14. *Achior videns virtutem quam faciebat Deus Israëli relicto gentilitatis ritu credidit Deo, & circumcidit carnem præputij sui, & appositus est ad populum Israël, & omnis successio generis eius.* In libro quoq; Hester cap. 8. plures alterius gentis & sectæ Iudæorum religioni & cæremoniis iungebantur, & Act. 8. Eunuchus Candacis Reginæ AEthiopum illectus odore religionis Iudaicæ, venit adorare in Hierusalem, & cap. 12. *Erant quidam Gentiles, ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo.* Et 4. Reg. 5. Naaman Syrus statuit nõ vltra sacrificare nisi Deo vero, & lib. 2. Mach. cap. 2. Heliodorus in templo Dei hostiam obtulit, ad illud Cyrus & Darius munera transmiserunt Esdr. lib. 1. cap. 1. Neque enim vt hoc obiter admoneam ægrè ferebant Iudæi, immò valdè sibi gratulabantur Gentiles honoris causa, & vt Deum verum adorarẽt, à remotissimis venire locis, & admirabundos, venerabundosque templum ingredi; secus si irrisores erant aut habebantur, & à religione Iudaica iudicabantur alieni, vt Trophimus de quo Act. 21. tales non admittebantur, quia ædem sacram iudicio communi polluebant. Iam si Iudaicæ religioni inerat tantum efficacitatis, quantum in Christiana cuius typum gessit latere credendum est? si de ipso eius præcursore scriptum est Luc. 1. *Multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum, & ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Heliæ, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad pruden-*

tiam iustorum parare domum plebem perfectam. Quid de Apostolis propriis, de pastoribus, de piscatoribus, de venatoribus sentiendum? nonne apponent ad gregem Domini multa millia, vt Actor. 2. & adducent multas oues quæ nondum sunt ex hoc ouili, & comprehendent piscium multitudinem copiosam, & venabuntur multos?

Tertiò, exemplo tot myriadum quot ineunte Christi fide ac religione, ei nomen dedisse constat. Velociter planè cucurrit sermo eius, exiuit in omnem terram breui tempore, & in fines orbis terræ, cuius tantæ progresſionis causa alia proferri non potest, quàm mira illa efficacitas insinuandi sese in corda hominum, sibique eadem subiicienda. Cum ergo vera illa religio fuerit vt omnes fatentur, sequitur eiusmodi efficacitatem esse religionis veræ propriam.

Quartò, ratione perspicua quam sic instituo, vera religio sancta est, vt constat ex dictis lib. 3. cap. 2. § 2. Sanctitati autem tanta vis inest, vt ferinos etiam animos ad se inclinet. Vndè Herodes Marc. 6. alias incestuosus ac nefarius: *Metuebat Ioannem sciens eum virum iustum & sanctum, & custodiebat eum, & eo audito multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Sed & imperfecta & moralis illa quæ Socrati inerat, tantum apud Platonem valuit, vt cum initio ad inanem Poëticam animum adiecisset, posteaque ea abiecta eo quod versus suos Homericis inferiores esse cerneret, scribendis tragœdiis dedisset sese, Socrate semel audito longe augustiora tractante, ei adhæsit, quodque amplius eius consuetudine ad imitandum incitatus, tragicam illam professionem cum Philosophia commutauit. (Ælian. lib. 2. c. 30.) Adhæc cum duo sint quæ permouere homines præsertim iudiciosos ad aliquid amplectendum præcipuè solent, videlicet ratio & sensus; illa quidem qua ex parte ostendit, in eiusmodi re proposita omnia esse consentanea ac præclarè instituta, rectèque se habere quoad locũ, tempus, personas, & ministeria ordinemque ministrantium, proindeque dignam videri quæ admirationi sit, quæ probetur omnibus, & cui adhæreatur iuxta illud Deut. 4. *Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant: En populus sapiens, & intelligens gens magna.* Iste verò quatenus insolitam quandam obseruans in ea Maiestatem, erga illam valdè afficitur, vt Regina Saba erga Salomonis Regiam

giam, de qua dicebat 3. Reg. 10. *Beati serui tui, qui stant coram te semper.* Habet certè vtrumque suum in vera religione locum, vt te docebit sequentis cap. § 2.

Opus esse laboris plenum transire ab extranea quauis religione ad Catholicam nostram constat clarissimè ex dictis capite vltimo, libri superioris, § 3. vbi hanc salebris & difficultatibus abundare docuimus, ex quo sanè sequitur quisquis ad illam sese conuerterit opus adire arduum, atque ita conuersionem eiusmodi talem esse qualis hic quæritur, arduam videlicet, multique sudoris ac pulueris. Quocirca hoc vnum superest, vt extraneos omnis generis nomen ei dedisse demonstremus, quod vbi fecerimus inde sponte fluit ista conclusio. Ergo religio Romana seu Catholica vera religio est. § 3.

Aut de seculo isto nostro sermo est, aut de superioribus, si de superioribus, vix vllam mihi daturus es in Asia, in Africa, & maximè in Europa insigniorem prouinciam, quæ relicto gentilitatis cultu amplexata non sit principio religionem Christianam eorum opera, qui citra controuersiam erant nostrarum partium, ac proinde religionē Christianam hodiernæ nostræ persimilem. Fuisse eos nostrarum partium ex eo coniectari satis potest, quod vel ad prouincias illas Christi cultu imbuendas missi sint à Romanis Pontificibus, vt à Ioanne 13. ad Polonos VVillibalmus, Prochorius, Iordanus, Gotfridus, Lucidus Angelotus, Octauianus, & Iulinus viri Itali doctissimi. A sancto Gregorio magno ad Anglos, Augustinus, Meliton, & sanctus VVilfridus, &c. Ab Honorio ad Saxones sanctus Berinus, anno 623. A Conone ad plerosque alios Germanos sanctus Chilianus. A Nicolao I. Clerici qui Bulgaris Christum annuntiarunt. Vel ad Monachatum aliquot induxerint ex iis quos Christo lucri fecerant, vt iidem Clerici quorum opera Trebellius Bulgariæ Rex non solum Catholicam est amplexatus fidem, sed etiam vt monachus fieret suo se regno abdicauit, vt notant Platina & Sigebertus; illi item qui teste Euagrio capite quinto, in Thebaidem profecti Pachomium celebrem illum Licinij Imperatoris militem Christo subiecerūt, qua professione non contentus, paulò post multorum Monachorum factus est Pater. Vel sacerdotes erant, vt sanctus Patricius ad Hibernos missus, de quo Ruffinus libro vndecimo, & innominati

illi

illi Clerici missi ad Bigerrones, qui ad Pyrenæos habitant, vt scribit Paulus Diaconus in Constantino his verbis: *Currebant assiduè ad fidem Christi, & baptizabantur patria simulacra conquassantes adducti miraculis sacerdotum, qui sub Guilielmo captiui fuerant.* Eutychium hæresiarcham confutauit, & conuertit Constantinopoli Gregorius magnus, in cuius tempora contendunt Nouatores primas Religionis corruptelas incidisse, & Berengarium hæresiarcham alium Gregorius VII. A Christianis qui more nostro colebant crucem Dominicam conuersus est Naaman famosus Saracenorum Princeps, anno 593. sub Heraclio Imperat. teste Euagrio lib. 6. cap. 21. Sicut etiam Mauuia eiusdem populi Regina sub Valente, vt recitat Ruff. lib. 11. cap. 6. qui etiam addit Christianum illum, à quo veram didicit fidem fuisse monachum ducentem vitam solitariam, posteaque Alexandriæ ordinatum Episcopum. Iudæos quingentos Aruernis, à sancto Auito narrat Gregor. Turon. lib. 5. histor. Franc. cap. 11. ad eandem traductos fidem, & baptizatos & sacro delibutos chrismate. Quæ vltima verba notanda sunt, quia ostendunt tales tunc Christianos fuisse, quales sumus, hoc est, qui in solenni baptismatis administratione liquore isto sacro vterentur.

Sin de seculo nostro agitur, habeo quæ dicam mirabilia, anni sunt nondum 80. ex quo tàm in Africa, quàm in vtraque India quamplurimæ gentes Christi regno accesserunt. In vna Iapone insula præter Regem Bartholomæum, huius nominis primum, scribit Ioan. Boterus, ex eius subditis plures centum millibus eidem Christo dedisse nomen. De Rege Sinarum idem scribit Genebr. in sua chronol. ad annum 1570. sed suspicor non alium fuisse quàm eundem Bartholomeum, ac Iaponiam dictam Sinas, quod à regno Sinarum non procul absit, ad quod anno illo 1570. reuera nondum penetrauerat Christi Euangelium. Addit Boterus habitasse in Ormus Ethnicum tantæ exterius sanctitatis, vt Rex ipse Ormusianus in deliciis haberet ex aqua bibere, qua ille pedes abluebat. Et tamen cum in Ethnicismo tantæ esset existimationis audito Caspare Berzeo, quem Franciscus Xauerius in Ormus constituerat illum eiurauit, persuasus primum vt quinquies quotidiè ferula corpus percuteret in honorem totidem plagarum Christi. Paruit ille & nocte quadam vocem audiuit dicen-

Lib. 2. Rel.

tem

tem sibi. Cur viam vnicam salutis non carpis monstratam tibi? Surrexit mox à se alius, sacerdotemque illum adiit, à quo stupentibus vniuersis baptismo initiatus in Lusitania tandem obiit. Addit prætereà in Moluccis insulis adscriptos non ita dudum Christiano cœtui Reges Momoia, Supa, Sian, Basian, Solor. Adhæc in Celebi & vicinis insulis numerari iam 43. ditiones Christianorum, in Amboino 36. Parte autem 4. lib. 3. scribit in Philippinis triginta quinq; hominum millia religionem suscepisse catholicam. In Africa Monomotapæ Rex, vna cum multis regni sui Proceribus tempore Sebastiani Lusitaniæ Regis eandem professus est, quod idem præstitit Alphonsus Congeri Rex, vt scribit Franciscus Lopes 2. p. Ind. Occid. cap. 81. Quod ad Schismaticos, quatuor Patriarchæ iugo presi Turcico Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, & Romanam illam fidem religionemque iurarunt diuersis temporibus, & Romano Pontifici obedientiam, vt docuimus lib. 3. cap. 3. § 3. Fecit hoc idem ante paucissimos annos serenissimus Demetrius Moschouiæ Dux. Quod ad Iudæos testis est Genebr. suprà, Rabbinũ Heliam inter eos celeberrimum Christiano populo aggregatum cum vniuersa familia trecentisque aliis, atque ab ipsomet summo Põtifice baptizatum antè annos plus minus 38. Anno autem 1593. 17. April. 14. alios ibidem post sufficientem Catechesim ad Christi se caulam recepisse. Quod ad Mahumetanos eodem anno Muleius Xequus Regis Fessæ in Africa filius, abdicato Mahumetismo ad Christum transiit Hispanorũ opera. Circa illud tempus Regis Tunetani filius ad aulã venit Hispaniæ Regis, & intra paucos menses baptizatus est, & tã piè vixit, vt à Rege donatus sit cruce militari in religione D. Iacobi sacra, quæ nõ nisi nobilibus Hispanis & paucis conceditur. Turcæ illius qui in eodem sacramento Ioannis Baptistæ accepit nomen nullo modo reticenda conuersio est. Is captus à Christianis & triremibus addictus diu restitit. Tandem in morbum lapso grauissimum apparuit B. Virgo cum puero Iesu sanitatem promittens, quæ sibi de Baptismo & aliis suggerebantur, quo visu mirificè recreatus in baptismum consensit, atque ex eo tempore tàm piè vixit, & tanta cum charitate peregrinis obsequium in Xenodochio præstitit, vt dubium esse non potuerit, quæ de visione illa narrabat, obiit Barcinonæ

Digitized by Google

anno 1600. Quod denique ad Nouantes Europæos, inter multos qui se diuina præuentos gratia Ecclesiæ nostræ restituerunt, primas tenet hodiernus Rex Christianissimus, cuius vt Pauli Apostoli resipiscentia tanto est mirabilior, quanto dirioribus armis 30. fermè annorum spatio eandem Ecclesiam & religionem nostram afflixerat. Audire hoc nequeunt æquis auribus Prædicantes, ob idque vt pudori suo consulant comminiscuntur procul distare extrinsecos Regis mores ab eo quod intrinsecus latet, reipsa & in recessu cordis ipsissimum esse qui prius erat, nec ingenium mutasse sed speciem. Hęc de illo sentire ô miseri, quid aliud est quàm soli Deo concessam abditarum cogitationũ affectuumque notitiam vobis vendicare, & nefandam hypocrisim tantæ Maiestati affingere? Quid melius faceret quàm si vos omnes propter hanc criminationem, & alia delicta vestra quorum non est numerus vertere iuberet solum Gallicanum? si quod absit publicè Missam eleuaret, illum nemo vestrum suarum partium esse ambigeret, cur non etiam verè nostrarum esse videatur, qui eidem vbique fauet, se præsentem quotidiè sistit, & acceptam fert prosperitatem suam temporalem? Sed pergamus, præter illum eiurauit in Polonia quæcumq; dogmata vestra Radziuilius Princeps, in Germania Marchio Badensis, in Gallia nobilissimus Franciscus à Rupe focauda, D. Nicolaus Villagagno, D. de Sancy, D. de S. Maria, D. de Salignac, D. de La Val, D. Dislaire, D. de Lomenie. Et hi quidem aliique complures nobilitate & potentia, qui verò sequuntur doctrina potius claruerunt Franciscus Duarenus seculi nostri Papinianus, Georgius Vicelius, Fridericus Staphylus, Franciscus Balduinus, Stanislaus Orichouius, Theobaldus Tamerus, Caspar Francus, Christianus Franken, Caspar Scioppius, Pistorius Lutheranismi quondam columen, postea autem Cæsareæ Maiestati à Confessionibus, Petrus Rebullius. Spondius, Mathæus Launoy, Penneterius, Hamiltonius Scotus, Guilielmus Reginaldus, Hieronymus Bolsecus, Caierius, Langius Argentinensis, Ludouicus Coturius, Guiphanius quem perdoctæ in Homerum animaduersiones ignorari non sinunt, & si Nouantibus ipsis credimus doctissimus Lypsius. Sequuntur alij quorum tametsi scripta nulla viderim, conspicuos tamen constat esse, Arnaldus & Petit Ministri Geneuenses, Doletus,

tus, Olaxa, Petrus Caroli, qui fidem nostram Romæ professus est anno 1550. Tussanus Giboult Doctor Theologus eidem redditus Rothomagi, anno 1581. Ioannes Neronius Græcarum literarum peritissimus, & Turnone Præceptor quondam meus, cuius anima cum beatis sit, Præses du Fresne Gallus. D. de La Pause olim Prædicans, D. du Rauc Montis pessulani Medicus, D. Breton, &c. In Bohemia Simon Simonius, Augustinus de Saxonia Lypsiæ Doctor celeberrimus. In eiusdem regni metropoli, quæ Praga dicitur conuersus prætereà est, anno 1592. 22. Iulij, præsente nuntio Apostolico insignis Minister Pseudoeuangelicus, qui Lubecam & totos vicinos pagos labefecerat. Idem præstitit Caluinianus alter Cracouiæ in Polonia, anno 1585. tantumque hæresum suarum eiuratione profecit omnium permouendo animos, vt Caluinismus qui per 20. annos in illis partibus viguerat, vbique mox quasi moribundus conciderit.

Non paucos interdum Mahumetanos euadere, qui prius nō erant, clarum est nec à me negatur, hæc tamen conuersio quotacumque religiosa non est, nec huius loci, quia vel coacta est (credunt enim Mahumetani habere se ius cogendi ad sectam suam, pueros quos quarto quoque anno tributi nomine à Christianis exigunt. Item omnes quos vi expugnauerint, aut qui Mahumetem blasphemauerint, emptitios insuper tàm immaniter vexant, vt quo à dira illa conditione liberentur, cogantur infœlices multi Alcorano subscribere) ob idque coram Deo minimè religiosa, quippè Deus hilarem datorem diligit, dicentem cum Propheta, *Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine.* Vel si spontanea, difficultate caret cum sit transitus ad disciplinam mollissimam de qua in super. lib. cap. vlt. §. 4. cum tamen religiosa transitus sit ad arduam iuxta dicta supra § 1. Paucissimos autem inueniri, qui mollitie hac non obstante vltrò ei dent nomen expertus sæpè est ipse Mahumetus, propter quod in Azo. 9. extraneos nullius scientiæ capaces esse scribit, & in 20. prædicit incredulos nunquam conuertendos, immò in 46. affirmat eos ne cruciatibus quidem in hanc conuersionem consensuros. Huius rei duplex est causa, altera quod sicut de Septemcastrensi dicebamus lib. 3. cap. 2. §. 4. quiuis vel mediocriter ingenuus exhorreat no- §4.

men dare sectæ illi refertæ horrendis abominationibus de quibus ibidem. Altera quod Azoara prima ingenuè profiteatur posse quemlibet in religione, & fide sua salutem cõsequi, quod quisquis attentè considerauerit, in promptu habebit quod opponat ei à quo ad Mahumetismum inuitabitur, dicens nullius rei se cura tangi, nec proindè Mahumetismi, dummodo saluus fiat, id autem secundum eundem posse in omni religione obtingere. Ecquid habere poterit Alcorani laudator quo instet ac vrgeat?

§. 5. Sed & Sectariorum nostrorum eiusmodi sunt dogmata, quæ à complexu eius quam prætendunt Religionis nondum irretitos, & fascinatos auocare potius, quàm prouocare meritò possint ac debeant, cum occasiones sint atque incentiua vitiorum omnium, vt clarè demonstratum est in eodem §. 5. cum prætereà iuxta illa Pagani ipsi & Idololatræ in Ethnico illo statu morientes adiuerint, & adituri sint celestem beatitudinem, vt ostendimus in eodem lib. 3. cap. vlt. §. 5. quod quisquis audit, sicut non se credit Pagano inferiorem minusque securum, ita de sua ad aliquam ex sectis conuersione profectò non erit sollicitus. Sunt & priuata argumenta, quæ iustissimè illam extraneo cuiuis hominum generi dissuadeant.

Primò quidem iisdem Ethnicis, tùm quia profitentur rationem ducem sequi, dogmata autem illa Sectarum sæpissimè pugnant cum ratione manifestissima, vt Deum causam esse malorum omnium, hominem libertatis expertem, opera bona seu virtutum studium nullius apud Deum pretij, Magistratus omnes eliminandos, &c. tùm quia esto illis parùm curæ sit interna sanctitas, externam tamen requirunt ac suspiciunt, eandemque metiuntur vitæ asperitate, cœlibatu, ieiunio, oratione assidua, solitudine, contemptu pecuniarum, &c. vt docet Nicolaus Pimenta in literis Indicis, & Lonicerus, Mænauinus, & alij qui de Religiosis scripserunt Turcicis. Quid autem eiusmodi obseruare vnquam poterunt vt alliciantur, in Sectariis Europæis ac præcipuè in ipsis Prædicantibus? nonne citius in ouo pilos barbamque reperient, quàm in iis vitæ seueritatem, quibus flagelli vnius funicularis (disciplinam vocant) vel cilicij aspectu horrent capilli, membra fremunt, stomachus euertitur?

Secun-

Secundò, Iudæis vt potè omni ſacrificio & cæremoniarum multitudine,& ciborum delectu nullo modo carere volentibus, nec à Decalogi præceptis recedere, nec à traditionibus. Sectarij autem ſacrificio vero locum iam nullum tribuunt, cæremonias rident ac præſertim circumciſionem refugiunt, ciborum delectũ damnant. Decalogum negligunt velut obſeruatu impoſsibilem. traditiones exſibilãt, Moyſi grauiſsimè conuitiantur,& nũc quidem tyrannum vocant Magiſtrumq́; omnium carnificum, vt Lutherus in Colloq. nunc remittunt ad patibulum vt Mansfeldici Confeſsioniſtæ in cap. de Antinomis. Solertior illis Mahumetus qui vt gentem illam Iudaicam prolectaret ex his multa cum illis cõmunia habere voluit, vt circumciſionem, ſacrificia, Paſcha,&c.

Et tertiò Mahumetanis Principibus, quos conſtat dominatuum, iuriumq́; ſuorum etiam vſurpatitiorum eſſe tenaciſsimos, atque ita ſtatim à principio immedicabiliter abominaturos religiones & ſectas omnes neotericas, eo conferentes vim ſuam omnem, vt ſublata è medio ſuperiore omni poteſtate à qua coërceãtur, ad nutum viuant, rapiãt nec vnquam reſtituant, occidant nec pœnas luant, nec inſoleſcãt nec refrænentur. Quomodo hanc improbam libertatem non reſpirant, ſibiq́; præſtituunt Caluiniſtæ qui in Belgio, in Anglia, in Gallia, in Polonia quantum per facultates licuit iugum regium excuſſerunt,& vel in legitimos Principes rebellarunt, vel eos certè ad iniquiſsimas conditiones deſcendere compulerunt? Quomodo non item Lutherani, quorum effrontem Magiſtrum in libro de ſæculi poteſt. Principes ſic alloqui non puduit. *Veſtram tyrannidem & libidinem homines neque volunt, neque poſſunt tandem perpeti*, quique in Nobiles concitauit vulgus promiſcuum tanto eius detrimento vt vno prælio ex illo occubuerint 100000? Quomodo non Anabaptiſtæ, apud quos inter omnes ſententias ſacras principatum iſta ſemper obtinuit, poſita à ſcriptore canonico non quaſi conſulente vel approbante, ſed potius ingemiſcente. *In diebus illis nõ erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod bonum erat in oculis ſuis faciebat.* Conſiderans hæc omnia Solymannus Imperator, ſcribit in epiſt. ad Reginam viduam Tranſyluaniæ ſe ob dicta deteſtari Nouatores omnes vt recitat Lazarus Soranzus in ſuo Ottomanno, cap.102. Hoc quoque Turcis in mentem veniet quid nos in veſtram partem pertrahere

satagitis ô Sectarij, quorũ optimates ad nos transierũt, hoc de Alamanno Caluinista dicimus, hoc de Petro Blandrata, de Lælio Socino, de Georgio Paulo, de Francisco Lismãno, de Alciato illo qui Blandratæ Collega fuit (ac si quibusdam credimus de Bernardino Ochino) de Gomesio, de Gribaldo, de Francisco Dauide, de Andrea Volano, de Adamo Neusero, de Ioanne Siluano qui duo postremi primum Hildebergæ Ministri Caluiniani ad Lutheranos defecerunt, sed non ita multo post ad nosipsos; Antepenultimus verò in sua Parænesi testatur se Mahumetismum nostrum quem vltro est amplexatus, non ex lacu alio quàm Geneuensi, hoc est ex Caluini, Bezaque lacunis hausisse. Iam verò cum id quod de bonis duobus propositis à sapientibus præligitur, id meritò melius, atque ab aliis quibuscumque præferendum ac retinendum iudicetur: ab iis autem qui inter vos sapientissimi, doctissimi, & Ecclesiarum vestrarum columnæ esse videbantur, prælatus sit Mahumetismus noster sectis vestris confictisq; religionibus, quandoquidem in eius amplexus vltrò ruerunt, dubitare non possumus, quin iisdem à nobis quoq; debeat anteponi constanterq; retineri.

Simlerus in l. de ætern. Dei Serbo.

Et quarto Schismaticis, exempli causa Græcis & Moschouitis, qui profectò auditis sectariis schisma suum non abrumpent, sed illarum ipsarum exemplo in eo confirmabuntur, neq; fœdus cum illis inire poterunt, sed sic potius argumẽtabuntur, propter schisma illud nostrum antiquum tot conscientiæ stimulis excruciati sumus, tot pressi calamitatibus maximè sub imperio Ottomannico, vt rationem omnem conquiramus opportunum aliquod remedium à Domino impetrandi, qualis nullo modo potest esse magis adhuc à Romana sede separari, seu alienissimis ab illa vobis sociari. Quare recedite quasi Dathani quidam & Abirones, ne nos propter consortium vestrum maiora adhuc inuoluant mala; vel si abire cunctamini, audite quod sequitur. Antiquorum dogmatum tenacissimi sumus, nec more vestro solemus circumferri omni vento doctrinæ, potius nobis vita quàm illorum fides eripietur; cum ergò ab iis è contra alieni sitis, cum nec sacrificium recipiatis, nec Missam admittatis qua nihil nobis antiquius, nihil vt ex Liturgiis nostris constat solennius, nec orationes pro defunctis, nec septenarium numerum Sacramentorum,

by Google

torum, nec delectum ciborum, nec meritum bonorum operum, nec liberum arbitrium, nec alia id genus quamplurima, quæ & nobis maximè rata sunt, & cum Romana sede communia, prorsus tempus teritis si nos aliquando ad partem vestram inclinaturos arbitramini, prius Apulis iuxta Horatium iungentur capreæ lupis. Nostis Lutherani qualiter vos velut muscas importunas abegerit Moschouiæ Dux statimq; atq; in prima expeditione in terras eius irrepere studuistis; qualiter item vos confuderit, immò detestatus sit Hieremias Patriarcha noster Constantinopolitanus, quamprimum vos pugnare sensit cum primitiuis Ecclesiæ pronuntiatis ac moribus, non secus ac primæuos illos Gigantes cum Diis. pari zelo remittemus vos ad vestra præsepia nolite dubitare. Hoc addimus, adeò insita est pectoribus nostris religio quæ Christum vt Deum verum colit, vt neq; calamitates illæ Turcicæ, neq; infinita ludibria, quæ ab Alcoranistis propter eam patimur, constantiam hac in parte nostram hactenus labefactare potuerint. Quare si nos socios vestros conscribere cupitis, de hoc in primis constet necesse est, an verè Christus sit vobis Deus, quia si non est non ab Alcorano nos reuocabitis, cuius osores grauissimi sumus, sed ad illum potius viam præmunietis. Atqui non est verè vobis Deus saltem Caluinistis, vt iam superius contra vos est conclusum. L.1.c.8. §.5.

Et quarto nobis Catholicis, quos tanto stupore correptos existimare non debetis, vt rationem nostram colendi Deum, tot receptam sæculis, tot sanctorum Patrum vsu confirmatam cum Hippocẽtauria vestra cõmutandam censeamus. Ecquis pacificus hæreditatis alicuius possessor quæ summi ponderis sit, subnixus fide tabularum vbiq; receptarum simulq; vetustissimarum, tam vecors esse possit, vt emergenti post tot sæcula veteratori cedendam existimet, quam veterator iste sibi vendicat nullo alio fultus iure, quàm verborum profluuio, inani iactantia, & libera præsumptione nullitatis seu falsitatis earundem tabularum? Mirum si tam vecors aliquis occurrerit, hactenus etiam cum de caducis tantum rebus quæstio fuit, tam credulum, tam facilem, tam insipientẽ Sol iste vidit neminem, sed semper in euentu huiusmodi reluctati sunt omnes, & cum Naboth dixerunt, 3. Reg. 21. *Propitius sit mihi Deus, ne dem hæreditatem Patrum meorum tibi*, vel ad

pro-

Digitized by Google

propositionis impudentiam obstupuerunt cum Pastore illo qui sic expostulabat.

O Licida huc viui peruenimus aduena nostri
Quod nunquam veriti sumus vt possessor agelli
Diceret hæc mea sunt veteres migrate coloni.

Quanto magis fuissent refragati, si vt hic agi vidissent de summa rei, de religione & fide, in qua eos tranquillè constanterque annos iam 1000. perseuerasse ipse idem impostor concederet? Qui si diceret niti se diuinis afflatibus ac verbo Dei, an non confestim exsibilaretur vt insulsissimus, ac dicentes audiret, quid si afflatus sint non Dei sed Satanæ transfigurantis se in Angelum lucis? quis alius verè illusor idem argumento dolos fraudesque suas non communiret? an non Patres quoque nostri à quibus ad nos sacra illa descendit hæreditas, Spiritus sancti motus & scripturas sacras æquè ad manum habuerunt, aut verisimile non est eos æquè certo ac perfectè immò longè certius perfectiusque propter singularem vitæ sanctimoniam vsos fuisse afflatu numinis, & genuinum sensum earundem scripturam attigisse?

Hanc eandem ob causam ne quidem sectæ vnius propugnator facilè vnquam poterit sectario alteri illius sectæ, seu religionis suæ desiderium iniicere, quia videlicet qui ad illam capessendam inuitabitur, eadem omnino proferre poterit, vt à propria sua recedendum non esse demonstret, quæ suasor vt esse, doceat. Iactabit iste arcanos eiusdem Spiritus sancti instinctus & sibi & sectæ suæ testimonium perhibentis, depromit ex verbo Dei locos varios, ex quibus pro suo arbitrio intellectis inferet quidlibet, cur non æquè illi alteri vtrumque liceat? licebit certè, atque ita alter alteri insanire videbitur, & alter quasi in statera suspendet alterum. Sique vnus soluere volens scripturam ab alio citatam, dicensque in ea vt par est interpretanda nec suo nec illius, sed totius Ecclesiæ standum iudicio, vt dixit Io. Gastius Lutheranus in lib. de erroribus Anabaptistarum, mox audiet quid tibi iam cum totius sensu Ecclesiæ, quam alibi facis errori obnoxiam, & sufficientem Iudicem negas esse controuersiarum? Atque hæc dicta sint de interna Sectarum infœcunditate quantum ad principia & doctrinæ capita.

Iam

Digitized by Google

Iam si eiusdem experientiam quærimus, vltrò offeret sese,& talis quidem quæ ad illas in æternum cõfusione replendas sit satis. Proferant si possunt vel vnum Paganum, Iudæum, aut Mahumetanum qui sibi accesserit. Minus profectò eiusmodi aliquem in toto orbe hactenus repererunt, quàm Diogenes in vulgo Atheniensi cordatum virum, qualem per forum laternam manu gestans requirebat, nec vsibi inuenire poterat. Singularis planè ignominia, eos qui se Spiritu Dei plenos esse gloriantur,& secum perpetuo circumferre puram putam veritatem, quæ vincit omnia, ne ouem quidẽ vnam ex iis quæ nondum sunt ex ouili Christi, potuisse intra tot annos ad illud adducere. Manifestum hoc indicium est diuinæ maledictionis ac reprobationis, affine ei cuius meminit Scriptura L.1. Mach.c.5. rationem afferens cur Iosepho & Azariæ ad bellum profectis, ad quod missi non erant, res pessimè successerit, & vsq; eo non vicerint, vt etiam fusi fugatiq; recesserint. *Ipsi autem*, inquit sacra pagina, *non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel.* Ei rursus quæ notabatur in personis sterilibus, vt in improbo Iechonia de quo Dominus Hier.22. *Scribe virum istum sterilem.* Missus Petrus Kicherius Minister Caluinianus ab Ecclesia Geneuensi in Indiam Occidentalem cum aliquot sociis sub tutela & auspiciis Nicolai de Villagagno equitis strenuissimi, indè se relaturum credebat more Iasonis vellus aureum, aut cum exploratoribus terræ promissæ palmitem cum vua sua quem portarẽt in vecte duo viri, id est ingentem animarum multitudinem acquisitarum Christo Domino, sed fefellit eum euentus turpissimè, ne barbarum quidem vnum sagena sua comprehendere valuit. Quod amplius mirere iacturam fecit nobilissimi illius Equitis, qui principio nauigationis eodem, hoc est, Caluini fermento infectus erat, vt testatum reliquit in epistola quam scripsit ad Geneuẽses velut apologeticum, in qua resipiscentiæ seu reuersionis ad Romanã fidem suæ rationes diligenter exposuit. Inter alias autem, quod ex Richerij ore, tot in Christum blasphemias audiuisset, tot in eiusdem ac sociorum moribus corruptelas nugasque obseruasset, etiam eas propter quas in Sodomam ignis de cœlo venit, vt longius in cœtu ac religione tàm nefandorũ hominum nullo modo fuerit progrediendum. Verùm inquient, quidquid sit de barbaris & nondum

Digitized by Google

baptizatis complures ex reliquis, hoc est, ex vobis Catholicis ad sentētiam nostram inflectimus, ex quibus vnum emolliuisse pluris facimus quàm alios 10. Multos fateor, & heu nimis multos inflexistis, sed quorum concupiscentias seueræ nostræ tùm religionis tùm disciplinæ affectas tædio laboriosum non fuit ad mollissimam vestram traducere, sicut nec Antecessoribus vestris de quibus Tertul. *Hoc est negotium illis non Ethnicos conuertendi sed nostros peruertendi, hanc magis gloriam captant si stantibus ruinam, quàm si iacentibus eleuationem operentur, quia & ipsum opus eorum non de ipso proprio ædificio venit, sed de veritatis destructione. Nostra suffodiunt, vt sua ædificent. Ita fit vt ruinas facilius operentur stantium ædificiorum, quàm extructiones iacentium ruinarum*, nec Herostrato exurere Dianæ Ephesinæ templum 20. annis tot Regum impendiis, tot artificum ingeniis confectum, cum interim ne tuguriolum quidem aliquando ædificauerit: nec Demetrio Polioreceti vrbes potius destruere quàm ædificare. At conuersiones hic quærimus arduas, & quæ habeant negotij plurimum, quales scilicet prædixit scriptura eorum fore vt vidimus, qui ad veram Christi fidem sese reciperent. Quanquam (ô miram Dei prouidentiam) permulti sint indulgentioris alioqui vitæ cupidi, qui nunquam à vobis prolectari potuerunt, non mollitei alicuius vestræ defectu, sed iusto Dei iudicio maledicentis & confundentis vos ne crescatis, vitio item inconstantiæ vestræ, præbentis sanè iustam occasionem auersionis omnibus, qui nondum vobis adstipulati sunt, ne id faciant. Quia quemadmodum vt fœmina concipiat, & post conceptum non abortiat, quieta debet consistere, atque à maximis quibusq; corporis exercitationibus cuiusmodi saltationes sunt, & à loco vno in distantem alium velox transitus, abstinere; lapidi item non consistenti muscus non adhærescit, ita vos oporteret in sectis, in opinionibus vestris seruare constantiam, vt filios vobis similes procrearetis, occasionem dantes exteris de iisdem deq; tota vestra agendi ratione benè sentiendi. Atqui inconstantes plerumq; estis leui momento mutatis quadrata rotundis, & refigitis hoc anno quod superiore fixeratis, vt de vobis rectè dici posit

In lib. de præscrip.

Nunc Thebis habitant, & mox ponuntur Athenis

Testor, inquit Petrus Poyerius, *vidisse me literas Hosii Cardinalis Poloni ad D. Ruze Episcopum Andegauensem, & Regi à Confessionibus, in quibus de Polono*

L. 4. de Spectris c. 2.

Polono quodam faciebat mentionem, qui cum à Catholica religione defecisset, omnes ferè sectas percurrit ab vna in aliam per summam inconstantiam, & occultam animi inquietudinem transiliens. Nam de Luthérano factus est Caluinista, de Caluinista Oecolampadista, de Oecolampadista mollis Confessionista, tum Trinitarius, de Trinitario Macedonianus, de Macedoniano Manichæus, de Manichæo Donatista, de Donatista Anabaptista, & nunc Iudæum agit. Estis vno verbo Lunæ simillimi cui ætatem mutanti quotidie, vestes varias Poetæ assignarunt, vt scribit Plutar. in tractatu de facie lunæ.

De obseruatione decori circa propagationem veræ Religionis effectu 2. & nota 29. eiusdem.

CAPVT II.

§. 1. Docetur quodnam sit eiusmodi decorum & in quo situm.
2. Probatur esse effectus quidam veræ Religionis.
3. Et fuisse à Cath. Concionatoribus prudẽter obseruatum.
4. Nullo modo à Mahumetanis.
5. Sed neq; à Sectariis.

DE decoro agens M. Tullius lib. 1. de offic. illud duplex facit, generale vnum & alterum huic subiectum, quale ob id particulare dici potest. Generale definiri solet, id quod consentaneum est hominis excellentiæ in eo, in quo à reliquis animantibus differt. Particulare verò sic definit, vt id decorum esse velit, quod & naturæ illi consentaneum est, & prætereà, includit moderationem & temperantiam cum specie quadam liberali. Istud autem est quod in præsentia considerare nos conuenit, & applicatum contractumque ad id quo de agimus, tunc meritò obseruari videbitur, quando is qui Religionis veræ fines dilatare in se recipit, vbique ductum sequitur rectæ rationis, (qua vna à brutis secernimur) vitat extrema vitiorum, affectibus non seruit suis, sincerè ac suauiter procedit in omnibus. Et quia recta ratio, quia temperantia, quia §. 1.

animi candor atq; seueritas vim oderunt, & dolos, & fraudes & mendacia, & turpitudinem & arrogantiã; fit vt ista deuitare procul, iis autem cõtraria obseruare ad decorum pertineat. Vi vti dicitur qui odit, qui minatur ac terret, qui damna infert eam directè & præcise ob causam, quod obtrusa religio non suscipiatur, sed repudietur. Secus erit si concurrat subsletq; culpa aliqua supplicio illo vindicanda, vt si princeps Christianus Iudæo perduelli vitam offerat, si iurare velit Christi fidem, nolenti autem vitã adimat, non dicetur illum cogere vel coegisse vt Christianus fieret, esto ita sit locutus, ego te occidam, nisi Iudaica religione abiecta quam superstitionem interpretor, nostram seu Christianam suscipias, quia sensus erit, occidam te ob crimen admissum de quo conuictus es; si honestum ac licitum remedium consulendi vitæ tuæ tibi vltro oblatum contempseris. Exemplum appositum est in Magistratu interdum offerẽte reis non vxoratis scorta nubendi cupida extremam non irrogaturo pœnam si eas ducant, secus irrogaturo. De vi quoq; hic agitur quæ infertur, vt quis in obtrusam illam religionem primò consentiat, non autem de vi quæ adhibetur, vt ei quam olim amplexatus prudenter est, postea autem abiecit sese restituat. Si quidẽ de vi sola iniusta disputamus: Nullus autẽ iniustitiæ locus est, cum quis ad id adigitur, ad quod antea se sponte & prudenter obligauit, aliàs iniustitiæ rei existerent, quotquot sunt Creditores & Principes, qui debitores & Vasfallos suos iuratis promissionibus non satisfacientes nunc carceri mancipant, nunc capite plectiunt. Dolo vtitur qui mendacia depromit, quibus persuasum iri sperat, eum quem in religionem suam pellicere se posse arbitratur & sperat. Prostat exemplum Genes. 34. quando filij Iacob responderunt Sichimitis, *In hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circumcidatur in vobis omne masculini sexus.* Fraude vtitur, qui facto aliquo specioso illudit eidem, vt si pietatem præseferat ac simulet, quo sanctior religio videatur quam colit, & videnti instillare nititur. Turpitudine vti dicitur qui vitiis aliis laborat magis adhuc infamibus. Sicut enim qui impuris illotisq; manibus vestem tangit pretiosam, aut concinnat cibos, procul abesse censetur à decoro corporali, ita planè à morali quisquis contaminatus vitiis in media præsertim luce versantibus insigne aliquid tractat & aggreditur. Arrogantiæ

Digitized by Google

tiæ deniq; reus habetur, qui priuata authoritate operi publico exigenti publicam, manus præsumit admouere; hoc siquidem modestiæ fines transilire est, sibiq; plus æquo tribuere.

Quod autem in vera fide religioneq; amplificãda maximam decori rationem habere oporteat probatur. Primò quia rationabile debet esse obsequium nostrum Rom. 12. ad quod requiritur, vt indecoro careat, quod constat rationi tàm esse contrarium, quàm decorum eidem accommodatum, vt ex adducta superius decori definitione liquet. Secundò, quia si Mercurios seu Legatos Imperatorum temporalium in Legatione sua decoro vti conuenit, nec quicquam agere quod verti posit vitio, aut videri mandatis moribusue receptis contrarium, ita vt Athenienses morte affecerint, quos in Arcadiam miserant, eo quod alia via quàm dictum fuerat profecti essent, vt scribit Aelian. lib. 6. c. 2. & Lacedæmonij Isadam adolescentem mulctarunt pecunia, eo quod nondum receptis patriæ armis nec seruato ordine hostes profligasset; multò certè magis Dei legatos quales in primis sunt, qui eius cultum legesque hominibus annuntiant. Tertiò, quia Christus Matth. 10. tales vult esse prudentes sicut serpentes, quid autẽ prudentiæ coniunctum magis quàm decorum? Nota est prudentiæ definitio, *habitus intellectus vera cum ratione actiuus, circa ea quæ & bona & mala homini sunt*. Quartò, quia sicut scientiæ non versantur circa solas obiectorum suorum essentias, sed etiam circa propietates & accidentia; sic virtuti non id duntaxat propositum est, vt opus fiat sibi proprium, sed illo etiam quo par est modo, siue demum instinctu eius fiat vt rectus hic modus obseruetur, siue accersitæ prudentiæ, sine quo modo parum profecto laudis inesset illi qualicumq; operi, vndè non abs re Io. Andreas Iurisconsultus clarissimus in Decretali quæ incipit *scripta* de collus. de leg. Deum facit non tàm nominum remuneratorem quàm aduerbiorum, hoc est parantem potius præmia operanti benè quàm operanti bonum. Eodem spectat illud Aug. L. 1. contra Aduers. legis, *perparum est quod eleemosynis datur, sed cum piè datur æternum indè præmium comparatur*. Præter hæc argumenta, quæ vniuersim duntaxat probant, decori obseruationem in primis decere propagationem religionis ac fidei, iuuat particularia quædam attexere, quæ idem in specie de particularibus decori partibus persuadeant. Dico in primis in

§. 2.

Lib. 6. Eth. cap. 5.

plantanda amplificandaq; religione ab omni vi abstinendum, quia vt spontanea obsequia Deo sunt grata, sic ingrata reliqua, Exod.25. *Loquere filiis Israel vt tollant mihi primitias, ab omni homine qui offert vltroneus accipietis eas*, 2. Cor. 9. *Vnusquisq; prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* Erat templum construendũ, noluit Deus illud à Dauid ædificari quia bellator vir erat ac sanguinum, sed à Salomone, qui ab omni vi abstinuit nec bella gessit. Nemo magis religionem veram plantatum venit, quàm Christus Dominus. Hunc autem describunt nobis Prophetæ vt mansuetissimum Isa. 42. *Non erit tristis neq; turbulentus.* Ingressurus in orbem terrarum horam tempusq; elegit strepitu vacuum, quod argumentum esset innatæ sibi mansuetudinis. Natus est cum medium silentium tenerent omnia, & nox in medio cursu iter haberet. Natus est Augusti seculo id est toto orbe in pace composito, quando iuxta Prophetiam Michææ c.4. concidebant populi gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, nec sumebat gens aduersus gentem gladium, & sedebat vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & non erat qui deterreret. Inuitans ad se omnes non dixit *trahamini*, nec *imponatur reluctantibus vobis iugum meum, illud sit impositum portate*, sed *venite ad me omnes qui laboratis, tollite iugum meum super vos*, mittensq; Apostolos suos seuerè cauit, Matth.10. & Luc.9. virgam ne gestarent, subintellige ad percutiendum, sed summum ad innitendum ei more pauperum vt indicat Marcus c.6.

Matth.11.

Dico secundo ab omni mendacio, dolo, fraudeq; abstinendum, quia ista omnia vi æquiparantur, quia Deus plerisq; in locis falsos Prophetas abominatur, quia Christus Apostolis columbæ simplicitatem vnicè commendauit, quia ouibus eosdẽ comparauit atq; ita similes esse voluit, quarum naturam nemo nescit ab omni calliditate ac fraude alienissimam, quia nihil aut parum dolo proficitur, sicut scriptum est Eccl 3. *Vir ingrediens duas vias non habebit successus, & prauus corde in illis scandalizabitur*, sinceritate plurimùm. *Non est maior illecebra quàm simplicitatis, vt vnusquisq; intelligat latebram fraudis esse non posse*, quia nec Deus ad illustrãdam gloriam suam mendaciis nostris indiget, nec religio vera ex se speciosissima fuco ac stibio, quid autem aliud sunt mendacia quam fuci quidam introducti ad id contegendũ quod cum sit ex se falsum

Ambr. in c.12. Luc.

est

est ex se turpissimum? Quia deniq; etsi Romani summo tenerentur desiderio dilatandi fines suos, nunquam tamen sustinuerunt vt in eum finem quicquam fraude ac mala fide ageretur. Bella prius indicebant quàm gererent, neminem circumueniebant, cuiq; pacta seruabant. Hac fide remissus ad hostem Pyrrhum Medicus est, qui eum proditum venerat, & se pharmacis vitæ eius insidiaturum receperat. Eadem Faliscis vinctus traditus Ludimagister qui Faliscam iuuentutẽ quam rusticatum duxerat, proditum quoq; venerat. Eadem abominabile iudicatũ Græcorum ingenium apud quos fallere hostem gloriosius fuit, quàm vi superare. Quanquam ipsi quoq; Athenienses adeò dolum dicuntur auersari, vt cum Aristides Themistoclis consilium de nauali aliorum Græcorum statione proditoriè incendenda retulisset ad populum dicens, *Themistoclis consilio nihil esse vtilius, sed eodem nihil inhonestius*, hac audita voce populus vetuit, ne super ea re in posterum verba faceret Themistocles. Quanto iustius est, vt in lege veri Dei propaganda dolus omnis explodatur & conticescat? *Nunquid Deus indiget vestro mendacio*, inquiebat S. Iob. c. 13. *Vt pro illo loquamini dolos?* His addamus dignam Augustino sententiam, *non est mentiendum in doctrina pietatis, magnum enim scelus est & primum genus detestabilis mendacij.* *Plut. in Aristide.* *Lib. de mendacio.*

Et quoniam mendaciis ac fraudibus cognatæ sunt progressiones clancularię, has quoq; religio vera detestatur, sicut etiam illius parens Christus Dominus, vndè ait, *quod in aure auditis prædicate super tecta*. & Io. 3. *Qui male agit odit Lucem* & 18. *Ego palam locutus sum mundo & in occulto locutus sum nihil.* Paulus cum venisset Athenas Areopagum ipsum fidenter ingressus est, & 2. Tim. 3. valdè reprehendit quosdam qui furtiuè penetrabant viduarum domos. Nemo ponit id est ponere debet lucernam sub modio, sed super candelabrum vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Immunda reputantur Leuit. 11. noctua & vespertilio tanquam symbola improborum hominum clàm male operantium, in quas proinde animantes prodidit & Demosthenes odium suum cum Athenis exulans dixit. *O Minerua quid tibi in mentem venit tribus feris pessimis delectari noctua, Dracone & populo? Tenebræ*, inquit lex, *aptiores sunt ad fabricandum malum.* *Matth. 10.* *L. 3. ff. de vent. insp.*

Detestatur eandem ob causam dulces quasuis illecebras ac leno-

lenocinia Sicut enim nulla est communicatio luci cum tenebris, nec Christi cum Belial, ita nec religioni verę, cum illiciis illis mollibus, quæ ob id de mendacio suspecta meritò sunt, quòd suauia omnia in religione vera repromittant, cum potius sint ardua vt dictum est lib. 3. c. vlt. §. 2. Abnegabat quondam & detestabatur apud Isaiam tales assentatores Dominus, quòd grata populo & placentia loquerentur, quòd sub omni cubito puluillos consuerent dicentes pax pax cum non esset pax, & apud Hieron. Thre. 2, quod non aperirent iniquitatem Hierusalem vt eam ad pœnitentiam prouocarent. Non sic Christus delineans nobis exemplum, modum, formamq; religionis amplificandæ non blandiebatur, non conniuebat, nemini palpum obtrudebat, vtile verbum tametsi graue concupiscentiæ nõ retinebat in tempore salutis, cunctis minabatur præsertim malè agentibus, vt quàm procul esset ab acceptione personarũ nemo non intelligeret, huiusmodi sunt, *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis, intrate per angustam portam, arcta via quæ ducit ad salutẽ. Si quis vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam. Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Facilius est Camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cœlorum. In mundo pressuram habebitis, eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. De omni verbo otioso reddent homines rationem in die iudicij. Multi sunt vocati pauci vero electi. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Eluxit in sanctis omnibus ista libertas & sancta sinceritas. Clamare non cessauit Isaias, quasi tuba exaltauit vocem suam, annuntians populo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Vetat Ecclesiasticus de propitiato peccato aliquem esse sine metu. Pronũtiat S. Io. Baptista Matth. 3. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui, & omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Paulus similiter admonet omnes operari in timore & tremore salutem suam, horrendum esse incidere in manus Dei viuentis, nõ auditores sed factores legis iustos esse apud Deum, apparuisse Christum omnibus hominibus erudiẽdo nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc seculo. Eundem factum causam salutis æternæ omnibus, nõ qui in eum duntaxat crederent, sed qui obtemperarent sibi. Non omnes esse Christi, sed qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Coronandum neminem

nisi

Digitized by Google

niſi qui legitimè certauerit, nec aliquid quàm carnis corruptionem de carne meſſurum, qui in carne ſeminauerit. Qua etiam ſeueritate conditas eſſe volebat Timothei ſui conciones ſic illum inſtituens, 2. Tim. 4. *Prædica verbũ inſta opportunè importunè, argue, &c.* Fœlicem verò Præſidem volens ad bonam frugem reuocare, elegit concionis argumentum carni minimè iucundum & ſanguini. De Iuſtitia enim ſermonem habuit, *de caſtitate & iudicio futuro, quo audito tremefactus eſt Fœlix*, Actor. 24. Acerrimè tandem eos reprehendit, qui *per dulces ſermones ſeducunt corda innocentium* Rom. 16.

Dico tertio dedecere valdè vt qui religionem veram dilatare nititur aliis ſit quàm probis moribus, improbos enim ac corruptos & obſcurare Dei gloriam (qui ob id *peccatori dixit; quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum*, & Iſaiam à peccato ſuo purgauit priuſquam illum mitteret cap. 6.) & religionis maieſtati non parum detrahere, cum rudioribus vix magnum aliquid videri poſsit & eximium, quod à facinoroſis commendatur. Eiuſdem rurſus dilatationi obicem ponere maximum, non ſolum iſtam ob cauſam, quod ſcilicet vileſcant quæ ab infamibus circumferuntur, ſed etiam quia dilatatio ex parte pendet à prædicatione diuini verbi, & commendatione virtutis ac bonorum operum, quæ prædicatio atque commendatio inefficax prorſus reddi ſolet, cum ei præconis vita non reſpondet. Nec mirum cum neq; feriò, nec ex animo ſentire videatur id eſſe bonum & faciendum, quod conſulit, quandiu illud ipſe non exequitur, planè vt videtur executurus, ſibiq; primò ea ratione conſulturus ſi bonum ac re vera faciendum eſſe crederet. Propter hęc Apoſtolus efficacem in dicendo habere volens Timotheum dicebat, *exemplum eſto fidelium in verbo, in conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Scribit in eandem ſententiam Greg. Naz. ad Eudoxium Rhetorem. *Quemadmodum nihil ita ad exprimendos doloris affectus facundum reddit, atq; ipſa animi paſsio, ita nec tàm efficacem in virtute commendanda, atq; ipſius virtutis exercitatio.* Et Greg. Magnus li. 23. in Iob. c. 7. & 8. *cum imperio docetur, quod prius agitur quam docetur; nam doctrina ſubtrahit fiduciam, quando conſcientiam præpedit linguam.* Et Seneca epiſt. 6. *Longum ad virtutem per præcepta, breue & efficax per exempla iter eſt* in epiſt. autem 109. *Nullos peius mereri de mortalibus iudico, quàm qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt.* Quid plura?

Pſalm. 49.

1. Tim. 4.

Nnn Nonne

Nonne Chriſtus qui formam nobis præbuit diffundendæ religionis & doctrinæ cæleſtis, vt diuino illo munere fungeretur tanquam poteſtatem habens & non inefficaciter, cœpit primum facere poſtea docere?

Quod deniq; ad arrogantiam ſpectat, eſt duabus de cauſis religioni admodum inimica. Primo quia homini circumfuſo denſis ignorantiæ tenebris facile perſuadet ipſum ingenio, iudicio, atque ſcientia valere plurimùm, ita fit vt ſui opinione turgidus audeat quidlibet, pro ſuo arbitrio Deũ colat, dicat quæ non intelligit, cæcus cæcos in erroris foueam præcipitet. Secundò, quia inexpectato Dei iuſſu impellit hominem ad terminos eiuſdem religionis proferendos longius, quod cum opus ſit operum requirens vt benè ſuccedat ſingulare de cœlo auxilium, non proſperabitur profectò in manu arrogantis, vtpote quem illo deſtitutum relinquet Dominus à quo non mittitur. Debet itaq; quiſquis veram fidem, verum Dei cultum plantare vt par eſt cogitat, non currere motu proprio, ſed emittentis vocem expectare in carceribus, *quomodo prædicabunt*, inquit Apoſtolus, *niſi mittantur?* & Hebr. 4. *nec quiſquam ſumit* (id eſt ſumere debet) *ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Apud Hieremiam falſos Prophetas deſignans Dominus dicebat, *currebant & non mittebam eos*, ca. 13. Ipſe Dei filius non niſi miſſus prædicauit, vt quid à nobis obſeruari deberet, oſtenderet. Vnde per os Iſa. cap. 6. ita loquitur *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me, ad euangelizandum pauperibus miſit me.* Et præcurſorem ſuum non ſuſtinuit eo defungi munere, quouſq; verbum Domini fieret ſuper eum in deſerto, nec Apoſtolos dare ſe viæ, quouſque audirent. *Ite ecce ego mitto vos.* Romæ nefas olim fuiſſe cuilibet aliquo ſibi non delato fungi officio, aut ſine accepta poteſtate copias educere neminem ignorare arbitror. Quæ tamen omnia cum humana tantum eſſent, minoris momenti iure videri poterant, quàm vt eorum violatio graui aliquo reatu mentem implicaret. At Religio momenti eſt omnium præcipui, in cuius proinde promulgatione publica, propria vt dixi ſponte verſari ſemper erit magni piaculi loco apud ſapientes, qui cum politica ipſa tractanda ſunt, vſque eo cenſent inſtitui mittiq; Legatos oportere, vt vulgo non ſufficiat inſtitutio, quæ fit verbo;

Rom. 10.

niſi

Digitized by Google

niſi etiam Legatus publicis inſtructus ſit tabulis, quibus ſui muneris à legitima poteſtate accepti faciat fidem, tribuendumque ſit Principis quem adit, clementiæ, ſi iis non communitum admittat, vti ex hoc Nicolai Papæ reſcripto intelligi poteſt. *Nobiliſſimus vir atq; ſtrenuiſſimus veſtræ ſublimitatis Legatus, licet nullam epiſtolam iuxta conſuetudinem à vobis noſtro Pontificio detuliſſet, licet nunquam Sedis Apoſtolicæ mos fuerit abſq; ſignatis apicibus vndecumq; legationem ſuſcipere: Nos tamen vos in illo honorantes, illiuſq; grauitatem & eloquentiam veridicas agnoſcentes aſſertiones, eum & ſicut decuit ſuſcepimus, & ſicut honeſtum fuit credidimus.* Non te offendat Lector horum duorum §. §. prolixitas, ea quippè neceſſaria fuit, quia ipſa religionis fideique prædicatio atque propagatio licet vna ex parte actus ſit miſericordiæ, quatenus per illam docentur quæ illos maximè ſcire conuenit & facere; ex altera tamen religionis eſt actus quatenus in ea Deus paſſim oratur, vt Rom. 15. *Deus patientiæ & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecundum Ieſum Chriſtum, vt vnanimes & vno ore honorificetis Deum*, & magnis effertur laudibus, & omni cultu dignus ac proſequendus eſſe perhibetur. Cui tamen actui ideo in lib. 1. ſeparatum caput non aſsignauimus, quia vt patet partim ad orationem, & laudationē reducitur, partim ad fidei & religionis profeſsionem. Quanquam etiam dici poſſet ad omnes religionis actus reuocari, quia ſicut qui mali cauſam præbet malum facere videtur, ita qui religionem plantat omnes eius actus eminenter elicere, plantando ſiquidem commendat omnes, atq; vt fiant author eſt præſentibus.

Diſt. 97. can. nobiliſſimus.

Cum porrò actus ſit religionis, de ratione modoque in eo obſeruando accuratè diſputandum fuit, cuiuſmodi eſt decorum ſeruare in omnibus, ne alias male fiat, & ob id nec Deo placeat nec proſit, ſicut de oratione ſcriptum eſt, *petitis & non accipitis, eo quod malè petatis.* Ideò autem decori obſeruatio in religione introducenda religionis effectus dicitur, quia religio præconem ſuum probè afficiens mouet illum, ne in aliquo rationi aduerſetur atque decentiæ, ſed potius iuxta edictum Apoſtoli honeſtè faciat omnia & ſecundum ordinem.

Iacob. 4.

Nnn 2 Iam

§. 3. Iam dico decori ſic deſcripti partem nullam à Catholicis noſtris negligi Romanam fidem religionemq; ſerentibus.

Prohibentur primo ſacris Canonibus extraneos vi ad illam amplectendam impellere, vt in Conc. 4. Tolet. *Præcipit ſancta ſynodus nemini deinceps ad credendum vim inferre. ſicut enim homo proprij arbitrij voluntate ſerpenti obediens periit, ſic vocante ſe gratia Dei propriæ mentis conuerſione homo quiſq; credendo ſaluatur. Ergo non vi ſed proprij arbitrij libertate vt conuertantur ſanandi ſunt*, ſimile eſt illud Gregorij Magni, *qui ſincera intentione extraneos à Chriſtiana religione ad fidem cupiunt rectam perducere, blandimentis non aſperitatibus debent ſtudere, ne quorum mentem reddita ad planum ratio poterat reuocare, pellat procul aduerſitas. Quicumq; aliter agunt, ſuas magis quàm Dei cauſas probantur attendere.* L. 2. epiſt. in 52. & L. 11. in 15. Idem tradunt Doctores noſtri recentiores, vt Victoria in relect. 5. de Iudæis propoſ. 6. dum ait, *bellum non eſt argumentum fidei Chriſtianæ, ergo per bellum moueri non poſſunt barbari ad credendum, ſed ad fingendum ſe credere, quod quidem immane ſacrilegium eſt.* A Siſebuto fateor Hiſpaniarum Rege coactos Iudæos Chriſti nomen & ſacra agnoſcere teſte Iſid. L. 1. Etymol. à Dagoberto rurſus Francorum, iiſdem præſtitutum diem, intra quem niſi Romanæ fidei ac Religioni ſe ſubiicerent hoſtes iudicarẽtur, & pertinaciam capite luerent vt ſcribit Paulus Aemilius. Verùm priuatorum Principum hic error fuit, quibus illuſit zelus bonus, ſed non ſecundum ſcientiam, & longius quàm par erat abripuit, reſciſſus autem poſterius fuit in Conc. illo Tolet. Itaque nihil inuidiæ inde conflari iure poteſt Eccleſiæ Cathol. cuius inſtituta optima conſtat eſſe. Deindè cum neque Siſebutus, neque Dagobertus religionem ex inſtituto amplificandam ſuſceperint, ſed à Iudæis timentes ſibi eo modo ſibi cauerint, huiuſmodi obiectio non eſt ad propoſitum. Fateor præterea Hæreticos præſertim admodum pertinaces & noxios cogi à Catholicis auitam fidem ac religionem capeſſere, ſed nihil mirum, cum longè alia ſit horum quàm extraneorum ratio. Extraneos nefas eſt vexare & cogere, quia cum à natura ſint libertate præditi cui non renuntiarunt, intelligimus diuinam prouidentiam, quæ diſponit omnia ſuauiter, & rerum ſeſe naturis accommodat, velle vt adducantur liberè tantum, & in funiculis Adæ, in vinculis charitatis. Hæretici autem per baptiſmum in Chriſti ius tranſiuerunt, à quo proindè iam nequeunt

queunt libertate ſe ſua ſubducere, ſed tenentur obſtricti, & ob præuaricationem obnoxij pœnis tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus à Chriſti Vicario inferendis, vt elegantiſsimè fuſeque docet Aug. epiſt.48. & l.22. contra Fauſtum c.74.& 75. cui ſe conformans Toletana illa ſynodus ſic loquitur: *Qui iampridem ad Chriſtianitatem venerunt, & ſacramentis diuinis ſociati Baptiſmi gratiam ſuſceperunt, cogi debent vt fidem teneant, ne nomen Domini blaſphemetur, & fides quam ſuſceperunt, vilis & contemptibilis habeatur.* Quod ſi cauſentur vel ſe in Eccleſia Roman. non fuiſſe baptizatos, vel in Baptiſmo non abrenuntiaſſe diabolo, nec Chriſto quicquam promiſiſſe (cum hic ritus eiuſdem Rom. Eccleſiæ ſit proprius) atq; ita ſibi ſupereſſe integram libertatem; vel ſi promiſerunt non tamen per ſe, quandoquidem infantes erant, ſed in perſona ſuſcipientium, qui non videntur illorum conſcientiam obligare potuiſſe, pro quibus ſpondebant, vel deniq; ſe nihil minus eſſe quàm Hæreticos, & eum qui Chriſti vicarius à nobis dicitur, nihil minus quàm vices agere Chriſti. Si inquam iſta excipiant, facilè conuincentur ad inanes tergiuerſationes confugere. Sicut enim qui Gallus non eſt, poteſt extra Galliam, puta in Hiſpania per donationem aut promiſsionem obligare ſe Regi Galliæ in manu notarij Hiſpani, ſic puer vel adultus extra Chriſti Eccleſiam hoc eſt Catholicam conſtitutus (hâc enim ſolam eſſe veram eius Eccleſiam euicimus l.3.ca.1.) per baptiſmum collatum ab eo qui non eſt Catholicus. Rurſus ſicut inter ſponſum & ſponſam annuli traditione vel acceptione conſenſus ſeu voluntas tradendi ſeſe ſatis exprimitur, eſto verba nulla interueniant, vt docet Couar. Tom.1. lib. de mat. cap.4.n.4. ita & voluntas obligandi ſe Chriſto per baptiſmum. Sicut præterea parentes in rebus, quæ vitæ filiorum non ſolum vtiles ſunt, ſed etiam neceſſariæ poſſunt ſpondere pro filiis, & eos ad ſtandum contractui obligare, non obſtante onere aliquo iis incumbente; ſic etiam ſponſores pro iis, qui Sacramentum ſuſcipiunt, ſine quo nemo intrabit in regnum cœlorũ. Porrò cum nemo magis dici poſsit Chriſti Vicarius, quàm qui præeſt veræ Dei Eccleſiæ, & Hæreticus definiatur, qui contra doctrinam eiuſdem Eccleſiæ dogma aliquod pertinaciter tuetur (ex cõſequenti enim eſt extra Eccleſiam vt argumentatur S. Aug.) vel ſi mauis qui conſentit iis, quos ſuperioribus ſeculis eadem Eccleſia hæreticos eſſe *In lib. de Vnit. Eccl. cap.4.*

 decla-

declarauit, noſtram autem ſolam veram eſſe loco citato demonſtrauerimus, ſequitur profectò Romanum Pontificem ei præpoſitum verum eſſe Chriſti vicarium, & ſectarios omnes recentiores puros putos hæreticos, tùm quia eius doctrinæ pertinaciter contradicunt, tum quia in eaſdem ſententias conſpirant cum Simone Mago, Ario, Vigilantio, Iouiniano (vt longa ſerie oſtendimus, L.3.c.4. & 5.§.vlt.) & aliis qui à generalibus Conciliis damnati hæreſeos, ab vniuerſa Eccleſia Chriſtiana quæ tunc erat habiti loco hæreticorum ſunt.

Secundo, cum iuxta iura illa Eccleſiaſtica admoneantur, ac etiam iubeantur infinitis propè in locis, quouis in negotio abſtinere ab omni dolo, fraude, & mendacio de quo vniuerſim ſcriptũ eſt Pſalm.5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*, multò ſanè magis intelligitur triplex hæc nequitia decoro valdè contraria in religionis plantatione, hoc eſt, negotio longè grauiſsimo illis vndequaq; prohibita. Si dicas prohibetur quidem, ſed non idcircò cauetur à plurimis, multi ſiquidem in prouinciis verſantes alienis à Romana fide, qua illas conantur imbuere, ſeculari vtuntur habitu, cum tamen ſint ſacerdotes, & ſic fraude quadam videntur vti. Sunt & alij qui vt ſibi dictiſq; ſuis fidẽ faciant, aut falſa iactant miracula, aut cõficta nescio quas indulgentias pollicentur. Non etiam deſunt qui aliis fraudi affinibus dant operam, v.g. qui occultè docent & ſacra faciunt ne deprehendantur, qui cantu & imagunculis & aliis id genus donariis ad diſcendam doctrinam Chriſtianam pueros illiciunt? Reſpondeo mentem Eccleſiæ non eſſe, lege ſua de habitu Clericorum obligare eos ad vſum illius, quãdo per vſum exponũtur manifeſto grauiſsimi alicuius damni periculo, aut impeditur diuini honoris amplificatio, vel ſalus animarum: quo proindè caſu vti ſeculari habitu non eſt fallere, ſed vti iure ſuo. Et quamuis fraus doluſue diceretur, non eſſet malus, ſed proportione reſponderet ſtratagematis ducum militarium propria hoſtium ſigna vſurpãtium vt ſic ad ius ſuum perueniant. Hoc dolo vſum dominum notat eleganter his verbis, S.Hieronymus in c.2.epiſt.ad Gal. *Nec mirum homines quamuis iuſtos aliqua ſimulare pro tempore ob ſuam & aliorum ſalutem, cum ipſe Dominus noſter non habens peccatum nec carnem peccati, ſimilitudinem peccatricis carnis aſſumpſerit, vt condemnans in carne peccatum, nos faceret iuſtitiam Dei.* Eodem ſpectat illud Apoſtoli 1.Cor.9. *Omnia omnibus factus ſum*

ut.

vt omnes ſaluos facerem. Non quod velit vt Politicorum more in iis, quæ per ſe mala ſunt vel interdicta peccatoribus nos conformemus alicuius ſpe commodi, abſit; ſed communicationem laudat in cæteris bono fine ſuſceptam. Vndè factus eſt Iudæis non quidem Iudæus, ſed tanquam Iudæus quando purificatus eſt, vim tamen non faciens in purificatione, nec in ea volés ſubſiſtere, ſed ex diuina diſpenſatione obiter hunc ritum ſeruans, vt Iudæi allicerentur ſuauius, & ne ſubita magnis in rebus mutatione abſterrerentur, & offenderentur interpretantes ſe & legem ſuam tanquam malam repudiari; cum interim non diſuaderetur quod eſſet mala, ſed quod figura eſſet præſtantioris, cui venienti cedere deberet alioquin bona. Similiter iis qui ſub lege erant factus eſt quaſi ſub lege exiſtens demittente ſe & accommodante charitate, inquit S. Chryſoſt. cum tamen ſub lege non eſſet, neq; teneretur tonderi nec ſacrificare. Quod ad iactatores illos falſorum miraculorum, reliquiarum, aut etiam indulgentiarum priuati ſunt, ſi fortè ſint aliqui, & odium conflare non debent Eccleſiæ, à qua fraus iſta turpis & ſacrilega in primis reprobabatur & interdicitur in Conc. Trid. his verbis, *Statuit S. Synodus, &c. Nulla eſſe admittenda noua miracula, nec nouas reliquias recipiendas, niſi recognoſcente & approbante Epiſcopo.* Addit Caietanus Romanæ Eccleſiæ Doctor egregius explicans illud 2. Pet. 2, *Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiantur. Non longè ab iſtis ſunt prædicatores quæſtus, qui abutuntur populi Chriſtiani deuotione ad quæſtum, qui ignoranter aut temere prædicare audent, quod ſoluentes Carolinum aut Ducatum pro promulgata indulgentia ſint in eo ſtatu, ac ſi tunc baptizati fuiſſent, & ſimiliter quod liberant animam vnam è Purgatorio: hæc enim monſtra ſunt & negotiationes de Chriſtiano populo. Neſcit Chriſtiana religio hæc figmenta.* Quod ad occultas progreſsiones non eſt quod ſemper vitio vertantur, licitæ namq; ſunt minimeq; ſuſpectæ, quando id quod occultè fit etiam publicè, quia tunc non fit occultè eo quod turpitudinem habeat, quam qui agit nolit in luce deprehendi; ſed ideo ſolùm quod propter ſummam quã affert vtilitatẽ, modis omnib. fieri debeat, vndè Apoſtolus. Act. 20. Non ſolum publicè, ſed etiam per domos annuntiauit, Chriſti fidem, & quodcumq; aliud ad ſalutem neceſſariũ. Item quando id quod arcanè fit, anteà publice factũ eſt & legitimè approbatum. Iam verò doctrina & religio quæ in Anglia v.g. à Catholicis ſacerdotib. occultè docetur & colitur, ibi per multa ſecula antè exortũ hodier-

Act. 21.

Seſſ. 25. in decret. de Inuoc. ſanc. & de indu.

hodiernarum hæreſum, ſumma totius regni fuit conſenſione recepta. Anno ſiquidem Chriſti plus minus 150. S. Fugacius & S. Dimianus miſsi à Pontifice & martyre Eleuthero, Luciũ Anglorum Regem Chriſti fide imbuerunt, quæ ibi decurſu temporum non modò ſola publicèq; viguit, ſed tàm fœlices inſuper progreſſus habuit, vt vix maiores alibi. Quod deniq; ad donariorum illecebras, iis quidem qui iam religioni noſtræ ſubſcripſerunt, ſubſidium etiam temporale ſi indigeant, quo ad per nos licet, procuramus exemplo Apoſtoli, quo Authore pecuniariæ collectæ fiebant, & Hieroſolymam ad egenos fratres perferebantur 1. Cor. 16. Imò priuſquam ſubſcripſerint, eos hoc ipſo beneficio, ſi fieri poſſit afficimus, ſique hac ratione illorum vocatio promoueri poſſe videatur; verum cauemus ſedulò ne hoc aliquãdo in pactum deducatur, propter periculum quod ſubeſt ne ſacrilegio ſe implicent multi, exterius ſimulantes vtilitatis propoſitæ gratia, quod interius abominantur. Diabolicas illecebras alias quibus ſcilicet iubetur aliquis metum omnem deponere diuini iudicij, de propria ſalute eſſe ſecurum, ſolutũ ſe exiſtimare ab obligatione bonorum operũ, & ſtudij virtutũ, & obſeruationis diuinorum mãdatorum vel Eccleſiæ, & agendæ pœnitentiæ in amaritudine animæ ſuæ, planè damnamus & refugimus.

Tertiò vt viris duntaxat piis & eruditis committatur prædicationis ſeu propagandæ religionis officium, expreſſa cõſtitutio eſt plurium Conciliorum noſtrorum vt Trid. Seſſ. 5. vbi cauet ne concionentur etiam Presbyteri ſeculares aut regulares niſi de vita, moribus, & ſcientia examinati & approbati fuerint. Quod quidem præcipuè obſeruatur, quando vltrà Chriſtianum orbem deferenda eſt religio, tunc maximus delectus habetur perſonarum, qui zelo ardeant diuinæ gloriæ, qui laudabili vitæ conuerſatione exornent & confirment, quod annuntiant, qui pietate excellant, qui eruditionis & prudẽtiæ nomine ſint celebres, & benè patientes vt annuntient, vt in illis impleatur quod ſcriptum eſt, *quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona*, quos denique commendet Chriſti paupertas, hoc eſt, neq; pecunioſi ſint nec habeantur, ſed nummos contemnant, & quidquid pretio eſt æſtimabile, itaq; ſe gerant vt etiam oblata reſpuant, & meritò eis credi poſsit dicentibus, *non quærimus veſtra ſed vos*, contentique ſint victum habentes frugalem & quibus tegantur.

Poſtremò

Poſtremò impensè aduigilatur ne quis quantumuis magno incenſus zelo diuini cultus & ſalutis animarum, aut Dei naturæque donis inſtructus accingat ſeſe ad obeundum munus quo de agimus, priuſquam legetur ab iis qui legitimam habent legendi ſeu mittendi poteſtatem. Extat ſuper hoc ſingulare decretum Innocentij III. ad vniuerſos Chriſti fideles in vrbe Metenſi & vicinis locis conſtitutos quod incipit. *Cum Doctorum ordo ſit quaſi præcipuus, &c.* Exſtant prætereà ſtatuta generalium Concil. vt Trid. in Seſſ. illa 5. & Lateranenſis quod quidem ſic loquitur. *Quia nonnulli ſub ſpecie pietatis virtutem eius iuxta quod ait Apoſtolus abnegantes, authoritatem ſibi vendicant prædicandi, cum idem Apoſtolus dicat quomodo prædicabunt niſi mittantur, omnis qui prohibitus vel non miſſus præter authoritatem ab Apoſtolica Sede, vel Catholico Epiſcopo loci ſuſceptam, publicè vel priuatim prædicationis officium vſurpare præſumpſerit, excommunicationis vinculo innodetur, & niſi quantocius reſipuerit alia competenti pœna puniatur.*

In Mahumetiſmo mores prorſus contrarij. Ibi primò aperta vi agitur. Azo 10. *incredulos vbicunq; repertos ſi ſit poſſibile capite & interficite.* Azo 18. *eos quouſq; omnes conuertantur ad Deum expugnate.* Azo 19. *conuerti nolentes interficite vbicumq; inſidiantes eis.* Iactat quidem Mahumetus ſibi fuiſſe à Deo imperatum, vim vt illam afferret mortalibus, quia Chriſti manſuetudine abutentes ei credere noluerant, ſed quomodo noluerunt, cum breui tempore totus fermè orbis in eius fidem conſenſerit? Qua prudentia vim Deus ſubſtituiſſet manſuetudini, cum cõſtet ea quæ vi geruntur, vſq; eo conſtantiora non eſſe iis quæ ſuauiter animiſq; libentibus, vt etiam multo ſint infirmiora? Singulariter namque eiuſmodi violenta communi prouerbio dici ſolent non eſſe perpetua. Tandem non excogitantur nec adhibẽtur noua remedia, niſi vt fiat quod non fiebat, & faciant qui non faciebant, atq; ita ſupponunt eandem rem, eaſdemq; perſonas. Quare vt ſeueritas ſeu vis rectè ſubſtitueretur clementiæ, deberet eadem lex quæ prius retineri, & eędem perſonæ extare, vt illam vrgente vi reciperent, obſeruarent, retinerent quam ante contempſerunt: Mahumetus autem extrudit Chriſtianam vt intrudat aliam, perperam ergo diuinum prętexit conſilium de ſubſtituenda vi manſuetudini. Scio prætereà hodie à Turca non inferri vim populis qui ſe vltrò dediderunt, ſed permitti priſcam religionẽ colere. Verum hoc ex noua carnali pru- §. 4.

Digitized by Google

dentia oritur, videlicet vt hac qualicumq; humanitate cicurentur vlteriores prouinciæ,& inducantur ad deditionem quoq; faciendam. Cæterùm iuxta legis ſuæ capita poteſt imò etiam debet illos quoq; clientes ſpontaneos vi ad Alcoranũ capeſſendũ adigere;noſtrum autem eſt ſpectare in præſentia non tam quid fiat, quàm quod lex præſcribit eſſe faciendum. Deindè etſi principio prouincias vexare non ſoleat, quæ iugo illius ceruices ſuas ſuppoſuerunt,nec ab antiquis ritibus ſuis colendi Deum pœna aliqua propoſita abſtrahere; vbi tamen alias quaſdam vlteriores videt in ſua retia incidiſſe,recedit à pactis quãtocius, & conquiſitis occaſionibus tot eis moleſtias affert, vt quo eas redimant, cogantur qui minus ſunt in fide ſtabiles ad illius tranſire ſuperſtitionẽ. Vix quicquam ſanè vel cogitari poteſt vel audiri luctuoſius, excepta vi execrabili quã infert pueris illis Chriſtianorum prorſus innocentibus quos quarto quoq; anno ex imperio vniuerſo per ſatellites ſuos ſegregat ſibi. Horum nulli conceditur religionem pretio redimere ſed ſtatim circumciduntur omnes, & Mahumetiſmo addicuntur. Idem de peregrinis quibuſcunq; iudicium ſi contumelioſa in Mahumetem verba iaciant vt ſcribit Poſtellus in lib. de rebus Turc. coguntur inquam Mahumetiſmo nomen dare niſi malint acuto palo per ſecreta naturæ traiici.

Ibi ſecundo fraudibus & dolis omnibus aperitur via. Namq; in Azo.19. hortatur ſuos Mahumetus vt viis omnibus inſidientur conuerti nolentibus, inter quas profectò fraus dolusque numerantur. Deinde minus eſt conuerti nolentes circumuenire dolo quàm occidere, ſi ergo Alcorani liber poteſtatem facit in eos cædem exercendi, quanto magis decipiendi? Vſus eſt aſtu iſto pernicioſo idem Mahumetus, quando ad conciliandam ſibi legiq; ſuæ authoritatẽ, influxũ ſe pati dixit Gabrielis Archangeli, quoties epilepſia cui obnoxius erat vt teſtantur omnes, conflictabatur, non ſecus ac Numa Romanorũ Rex vt maiorẽ ſibi legibusq; ſuis venerationem apud populum crearet finxit ſe cum Aegeria Nympha venuſta nocturnos habere congreſſus. Et certè quòd nullo modo diuinus aliquis illapſus fuerit ex eo liquet, quòd inauditum ſit bonos Spiritus afficere mentes hominum cum tanta tamq; horrenda & immani immutatione corporis, quòd item neq; decorum id ſit, neq; neceſſariũ. Addit Poſtellus in l. de relig.

Turc.

Digitized by Google

Turc. vulgare eſſe Turcis circumuenire peregrinas fœminas iubendo vel rogando vt tollant digitum, dicantq; *Deus eſt Deus, & non eſt Deus niſi Deus*, tunc apertè declaratur illis, quòd emiſerint Mahumeticæ legis profeſsionem, à qua nefas ſit reſilire.

Dolis & fraudib. penitiſsimè coniuncta ſunt mendacia, quæ nullus vnquam mortaliũ tanta libertate & audacia, & impudentia effutiuit, quanta idem Mahumetus: non enim pauca quædam ſed propè infinita in librum illum ſuum coniecit, non item vulgaria, ſed prodigioſiſsimè fabuloſa, vt quo erant ab omni humana experientia & conſuetudine alieniora, eo magis teſtarentur fatuis & vecordibus ipſum omninò aliquo translatum, in quo tam mira inſuetaque cerneret. Permiſſum autem à Deo eſt vt ſic impudentiſsimè nugaretur, vt inexcuſabiles prorſus eſſent, qui ei hoc eſt impoſtori omnium audaciſsimo adhæreſcunt. Incumbere mihi video aliqua hic ponere ex Azo. 27. & ex libro qui inſcribitur *Halma bereim*, id eſt, aſcenſus in cœlum, ne me quis alias ei ſimilem hoc eſt mendacem ſuſpicetur, præterquam quod erit hoc lectori breue quoddam & ludicrum à ſeriis diuerticulum, proderit etiam vt intelligas, in quot quantiſque nugis volutetur ſibi relictum humanum ingenium. Ibi ſcribit vectum ſe in cœlum iumento cui nomen Alborach minore quidem mulo cuius tamen paſſus excedebant ſpatium, ad quod poteſt ſe viſus extendere. Idem fuiſſe humana facie, iuba ex margaritis, pectore ex Smaragdis, cauda ex carbunculis, & dorſo gemmis variegato. Item repertos à ſe in templo Hieroſolymorũ Prophetas omnes, à quibus de ſepulchris ſuis egreſsis religioſe fuit ſalutatus, Item in primo cœlo obuia ſibi fuiſſe 70000. Angelorum quorum corpora vaccarum erant, & cuilibet 70000. capita, cuiuis capiti totidem cornua, cuiuis cornu totidem nodos. In quarto 70000. Angelorum quorum facies vaccinæ eſſe videbantur. Habebat autem quiuis totidem alarum millia, quæuis ala totidem pennas, inter quas ſedebat Aaron. In octauo 70000. facierum, in quauis facie totidem oculos, in quouis oculo totidem pupillas. Item intra Dei cathedram elementa quatuor & infernum contineri. Item ſtellas currentes igniculos eſſe, qui dæmones inſequuntur, eorumque adurunt auriculas, cum curioſe auſcultatum veniunt quid in conclaui ſuo decernat Deus. In Dialogo autem

cum Iudæis ita loquitur. *Creauit Deus Adam de limo, limus autem erat de ſpuma ſpuma de procellis, procella de mari, mare de tenebris, tenebra de luce, lux de verbo, verbum de cogitatione, cogitatio de hyacintho, hyacinthus de præcepto. Pergit interrogare Iudæus quid poſthæc.* Reſpondet, *creauit tabulam in qu. ſcriptum eſt quidquid fuit eſt & erit. Item calamum de luce clariſsima habentem longitudinem itineris 500. annorum, latitudinem verò itineris 80. annorum.* Addit poſtea eiuſmodi tabulam fuiſſe de Smaragdo, verbum eius de margaritis, dorſum de pietate. Talia narrant in mea patria vetulæ pueris, quos placare volunt eiulantes, vel ſopire vt dormiant. Hinc rurſus quæſtioni, *vbi eſt ſol?* Reſpondet Mahumetes *in fonte calido, fons in colubro, coluber in interuallo, interuallum in monte Kaff, mons in manu Angeli.* Deſcribens inferius creaturarum ſeriem ſurſum verſus ait; Septem ſunt cœli, primum de aqua viridi, ſecundum de aqua clara, tertium de Smaragdo, quartum de auro puriſsimo, quintum de hyacinto, ſextum de nebula lucida, ſeptimum de ſplendore ignis ſupra quod extat mare nebuloſum, deſuper mare aëreum, deſuper mare lapideum, deſuper mare tenebroſum, deſuper mare ſolatij, deſuper luna, deſuper ſol, deſuper nomen Dei, deſuper ſupplicatio, deſuper Gabriel, deſuper pergamenum, deſuper ſeptem milla montium, deſuper interualla diſpenſationis, deſuper ſcabellum

Parturient montes naſcetur ridiculus mus

Tantone apparatu & labore opus fuit, vt vni ſcabello ſuperum locum aſsignaret? Sequitur contraria ſeries creaturarum deorſum verſus. Infra montem eſt terra, infra terram mare Zeit, & adhuc inferius terra Heribet, rurſus inferius terra Agiba alba vt lac, infra mare Albimilian, infra piſcis cuius caput in Oriente & cauda in Occidente, infra veritas, infra mons, infra tonitruus, infra fulgur, infra mare Sanguineum, infra infernus, infra opacum, infra laudes, infra glorificatio, infra ſolatium, infra tabula, infra calamus. In Alcorano ſcriptum reliquit in pomo, quod delibauit Adam fuiſſe grana 4. quorum vnum ipſe comedit, ſecundum Eua, duo alia ſecum tulit extra paradiſum. Item Angelos inſcripſiſſe dorſo hominis quæſtiones varias, & vice calami vſos fuiſſe linguis propriis, ſaliua autem propria vice atramenti. Item Alcoranum quem accepit ſcriptum eſſe in pergameno, hoc autem pergamenū pellem eſſe arietis qui immolatus eſt ab Abraham

ham loco Iſaac. Item Angelo, qui antecedebat Dei populum ex Aegypto diſcedentem, fuiſſe veſtem viridem, & Salomoni complures Diabolos quibus magnum quotannis aſsignabat ſtipendium, vt artes varias exercerent.

Fuit deniq; Mahumetus & opertus vitiis & ignorantiſsimus, atque ita minimè decuit, vt aliquam Dei legem promulgandam ſuſciperet, nec probabile videtur ad tantum munus fuiſſe à Deo vocatum, qui talis exiſteret. Fuit inquam vitioſiſsimus, vt vidimus l.3.cap.2.§.4. & patet ex Azo.90. vbi Deum introducit increpantem ſe, quod faſtidiret cæcos & pauperes, quod diuites à quibus lucrum ſperabat honore afficeret, quod iiſdem aſſentaretur. Fuit præterea omnium maximè rudis, nec vllam doctrinæ partem tenuit, quia in Azo 17. Imperitum ſe legendi ſcribendiq; facit, verba eius ſunt, *mihi Dei nuntio legendi ſcribendiq; neſcio credite.* Erãt quidem & Apoſtoli principio rudes, ſed non prius ſeſe ad tantum opus accinxerunt, quàm induerentur virtute ex alto, & ſapientiam acciperent cui reſiſtere & contradicere nullus poſſet aduerſarius. Alcoranus autem ita perhibet ignorantiæ Mahumetis teſtimonium, vt nullam ei ſapientiam ſeu ſcientiam polliceatur, nec aliquando collatam ſignificat.

Deniq; non à Deo legatus, ſed à ſeipſo in medium proſiliit, & quam mente fabricauerat religionem ac legem obtruſit, ſpirans minas & cædem in omnes à quibus non reciperetur. Quam enim diuinam miſsionem ſeu vocationem poteſt obtendere? Non extraordinariam quia euincenda eſt miraculis, quæ nulla ſe feciſſe fatetur, nec accepiſſe faciendi poteſtatem vt conſtabit ex cap. vltimo §.4. neque ordinariam, quia ſuo tempore nulla religio vigebat in Aſia ex qua prodiit præter Chriſtianam, in qua conſtituti certi Antiſtites ad delegandum ſunt ſemperq; fuerunt, vt hodie quoq; praxis demonſtrat in 4. Patriarchis orientis. Hos autem omnes Antiſtites vna cum populo Chriſtiano vehementer afflixit, & Cenſores grauiſsimos habuit, tantum abeſt vt ab iis videri poſsit delegatus.

Aequè parum obſeruatum à vobis decorum eſt, quotquot hactenus hodiernarum Sectarum fundatores fuiſtis aut propagatores. §.5.

Primò, quia vt obtentæ religionis veſtræ fundamenta iaceretis, omnem exuiſtis humanitatem, vbique vos exhibuiſtis Spiritus procellarum, ferro flammaq; demetentes omnia vobis aduerſantia, vbique relinquentes ſigna triſtitiæ, inſtructi omni genere immaniſsimorum cruciatuum, quibus conſenſum à Catholicis noſtris extorqueretis, vt profectò vobis comparati Nerones, Commodi, Phalarides, Diocletiani videri poſsint mitiſsimi. Non obſcura loquor, ſed toti orbi notiſsima. Suſpirat adhuc ad exitialem exortum veſtrum Germania ô Lutherani, Gallia, Anglia & Belgium ô Caluiniſtæ, Heluetia ô Zuingliani, VVeſtphalia & circumſtantes prouinciæ ô Anabaptiſtæ, quibus in locis infinita adhuc millia ſupereſſent, ſi in religionem veſtram quæ mera eſt irreligio iurare voluiſſent, ſed quia noluerunt percundum iliis fuit, & ea perferre mala, quæ haud dubiè poſteros ſtupore afficient. Tument his tragicis veſtris auſibus recentiorum hiſtoricorũ opera iiſdem indicatura poſteris, quis & qualis vos Genius afflauerit, quàm diuerſam ab Apoſtolica viam ingreſsi fueritis. Procedebant inermes Apoſtoli vos verò armati vt cum circa annum 1562. Lutetiæ Pariſiorum turmatim per vicos curſitabatis bacchantes, & vna quidem manu biblia, ſed altera diſtrictum vibrantes gladium & clamantes, *viuat Euangelium.* Illi tanquam oues mittebantur inter lupos, vos autem vt lupi rapaciſsimi ad oues acceſsiſtis, vos quidem oues & agni gregis Chriſti dici vultis, & luporum nobis nomenclaturam relinquitis, ſed non me pudebit affirmare, talium Agnorum pilos longè aculeatiores ac perniciosiores eſſe luporum illorum vnguibus ac dentibus. Sufficit hoc vt intelligat mundus, vos non niſi per antiphraſim aut ironiam Euangelicos dici poſſe & Apoſtolicos. Nam ſi verè Apoſtolici eratis, replantari à vobis diſsipata religio debuit (vt eleganter Botero teſte 3. par. relat. lib. 1. dicere ſolebat Philibertus ſereniſsimus Sabaudiæ Dux) quo plantata principio fuit ab Apoſtolis, hoc eſt, non intentata morte miſeris, qui eam non reciperent, ſed impietatis eos patienter modeſteque conuincendo, & inſtruendo in Spiritu lenitatis. Videri quippè valdè alienum ferro ſtabilire pacem nuntiatam ab Angelis, & verbum Dei ſanctiſsimum propagare cum tonitruo tormentorum,

torum, & ſalutem cum exterminio populorum. Interim vt aliquid concedã vobis, agnoſco quod paulò inferius dicturus ſum, vos dulcibus etiam alloquiis tentaſſe principio corda innocentium, ſed armatis; quibus videlicet impetrare conſenſum non valentibus, mox accedebant minæ imò ſupplicia, & vis manifeſta, vt mihi planè in mentem veniat mos ille Themiſtoclis cum apud Andrum poſtularet argentum. *Duas, inquit, ad vos adduco Deas, vim & ſuaſionem.* Significans ſi minus impetraret ſuadendo ſe vi erepturum. Mos item legati illius Romani miſſi à Cæſare, qui ſimul atque cognouit ſenatum molli prius oratione pulſatum Cæſari non dare prorogationem, cuius impetrandæ cauſa venerat, manu capulum enſis percutiens *at hic*, inquit, *dabit*, vim Reipublicæ minitans. Ac tandem quod de Arianis ſcribit, ſanctus Athanaſius in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. *Noua iſta & execrabilis hæreſis quos non potuit verbis inducere, eos vi, plagis, carceribusq; ad ſe pertahere annititur, atque ita vel ſeipſam quam non ſit pia, & Dei cultrix manifeſtat. Piæ enim religionis proprium eſt non cogere, ſed ſuadere, ſiquidem Dominus non cogens ſed libertatem voluntati permittens dicebat ſi quis vult venire poſt me, &c.*

Secundo fraudibus doliſque humano generi miſerè illuſiſtis. Erit aliquos commemorare operæ pretium. Dolus fuit obtendere ſanctum quoddam religionis Eccleſiæque reformandæ ſtudium, quo ſanè plurimos circumueniſtis. Nam ſi verè ac ſincerè illam reformatum veniſſetis, nunquam feciſſetis ab illa diuortium, ſed vnum cum illa vt forma cum materia. feciſtis autem, ſeparatim conuenientes, orantes, ſacramenta adminiſtrantes, &c. Nam & Caluinus L. 4. Inſtit. cap. 1. num. 19. ait, *Chriſti & Apoſtolorum ſeculum quale fuit? Neque tamen impedire potuit deſperata illa Phariſæorum impietas, & quæ tunc paſſim regnabat diſſoluta viuendi licentia quin eiſdem ſacris cum populo vterentur, & in idem cum reliquis templum ad publica religionis exercitia conuenirent.* Nunquam tot ei bella damnaque intuliſſetis, quæ ſane probant vos illius fuiſſe hoſtes grauiſsimos proindeque nihil minus quam reformatores, quia reformatio bonum quoddam eſt deſtructæ rei, ab illius hoſte nullo modo expectandum, vt cum Athanaſio dicere libeat in Apologia de fuga. *Vndè enim inimicis tale votum, vt benè optent iis, qui non*

non ſecum in prauitate conſentiunt? Sed ex malignitate animi tales bombos per ſimulationem caſtigandi circumſtrepunt. Nunquam Romanæ religionis partes quas dicebatis reformatione indigere propter abuſus quoſdam,integrè ſuſtuliſſetis.ſiquidem quod reformatur in totum non deſtruitur,nec aboletur, ſed in priſtinum reuocatur ſtatum;atqui omninò ſuſtuliſtis,quãtum in vobis fuit, v.g. Miſſæ ſacrificium,Euchariſtiæ adorationem, confeſsionem Sacramentalem,vouendi conſuetudinem,ſanctorum inuocationem,imaginum & reliquiarum ſacrarum venerationem.Nunquam deteriora omnia feciſſetis ſed meliora. At feciſtis profectò, ſeu doctirnam,ſeu mores cõſideremus.Nam quod ad doctrinam,docebamus Deum eſſe purè bonum,cupidum ſalutis omnium,intentatorem malorum,impoſsibile nihil præcipere,Chriſtum morte ſua obtuliſſe omnibus ſalutis remedium,eundem nihil egiſſe vnquam aut feciſſe reprehenſione dignum,opera bona eſſe laude digna,neceſſaria ad ſalutem,cadere ſub obligationem, & repoſitam habere in cœlo mercedem maximã,&c. vos autem in Deum velut in authorem peccata mortalium quorumcunque reiicitis, maiorem hominum partem ab illo creatam vt damnaretur aſſeritis,impoſsibilia eius præcepta facitis, Chriſtum pro omnibus mortuum negatis, bonorum operum neceſsitatem ac præmium eleuatis,&c. Quod ad mores, exercebat ſe populus Chriſtianus in iiſdem bonis operibus, deuouebat ſe paſsim diuino cultui,& virginitatem colebat, ſublimioribus poteſtatibus gerebat morem,viuentibus propriis coniugibus cum aliis nullis contrahebat, frequenter ieiunabat,orationi inſtabat,multa erogabat pauperibus.Eccleſias ædificabat, iuratam ſeruabat fidem,bello minimè delectabatur: vos autem bona opera vel diſſuadetis vt noxia,vel cõtemnitis vt inutilia,regularia vota naſo ſuſpenditis,virginitatis vocẽ ne quidem ſuſtinetis, ſubditos in legitimos principes armatis, coniugia ſæpè veſtra variis obtentis cauſis etiam quoad vinculum diſſoluitis, longas orationes exhorretis, rariſſimè ieiunatis,datam fidem ſine vlla religione violatis,pacis oſores,belli cupidi vix vnquam vos intra pellem veſtram continetis, miſcetis ima ſummis,atq; vt verbo dicam iura omnia peruertitis. O præclaram reformationem.

Dolus fuit,ad eliminandum cultum inuocationemque Sanctorum, & venerationem ſacrarum imaginum, & Miſſæ ſacrificium

cium, & meritum bonorum operum, prætexere cultum Deo debitum & efficaciam sacrificij crucis, & communis naturæ nostræ infirmitatem, quasi ista cum illis non possint consistere, cum tamen optimè possint, quia neque cultus neque inuocatio sanctorum diuinæ seruituti quidquam detrahit vt demonstratum est lib.1.cap.10.§.11.§.3. nec Missæ sacrificium sacrificio crucis vt docuimus ibid. cap.12. §.3. nec tanta est naturæ nostræ imbecillitas, quin diuina subnixa gratia & liberali promissione capax sit meriti, vt te docebunt quæ diximus lib.2.cap.3.§.3.

Dolus fuit, ad introducendam carnis libertatem, seu quidquid lubet faciendi licentiam, insusurrare Ecclesiæ leges plenas esse tyrannidis, earumdem intolerabili iugo miseras conscientias premi, nullam penitus ex eis obligationem resultare, ligari non posse ab hominibus quos Christus solutos voluit. Quasi verò idem Christus è contra non vbique nos moneat, immò præcipiat vt Ecclesiam audiamus Matth.18. vt omnia quæcumq; dixerit nobis seruemus & faciamus Matth.23. & in cœlis ligata iri declaret, quæcunque in terris ipsa ligauerit, Matth.18. sic Chore cum sociis prætendebat zelum boni popularis, & iniquè à Moyse & Aarone premi populum dicens, Numer.16. *Cur eleuamini super populum Domini?*

Dolus fuit, confertim Scripturas sacras in medium afferre, vt scilicet dogmata vestra falsissima tanto veriora viderētur, quanto amplius diuinis testimoniis munita apparebant. Quasi verò in litera verbisq; sententiarum consistat Euangelium, & non potius in sensu eoque petito ab Ecclesia, vt agnoscit Caluinus cum ait: *Excipiunt se verbum Dei habere, quo palàm facta est Dei voluntas, nempè si eis conceditur donum interpretationis ex Ecclesia profligare, quod verbo lucem afferat.* (*Lib.4. Inst. cap.17.n.25.*) Quasi rursus familiare non fuerit & Diabolo ipsi mendaciorum patri, & hæreticis omnibus gloriari & blandiri sibi de diuinis eloquiis. fuit certè vt fatetur idem Caluinus ibidem, subiungit enim *fateor illos habere verbum, sed quale olim Anthropomorphitæ cum Deum corporeum fecerunt, quale Marcion & Manichæi cum fingerent Christi corpus vel cœleste vel phantasticum citabant enim testimonia.* Scribit in eandem sent. S. Ambrosius: *Hæretici illi sunt qui per verba legis legem impugnant, & proprium sensum verbis astruunt legis, vt peruersitatem mentis suæ legis authoritate commendent.* (*In cap.3. epist. ad Tit.*)

Digitized by Google

Dolus fuit, ſolatium, conſcientiæ pacem, officia omnia charitatis ſequacibus ſuis polliceri, cum interim vix eorum aliquis ſit, quem non affligat & reprehendat noctes dieſque conſcientia ſicut ſcriptum eſt Iſai. 48. *Non eſt pax impiis.* Et Hier. 16. *Seruietis Diis alienis, qui non dabunt vobis requiem.* Quiq; iam non ſe ſentiat in multis onere premi grauiore, & infœliciorem quam prius vitam agere, vt mihi quidem ad mentem reuocet aſini illius apologum, qui offenſus parcimonia olitoris Domini ſui, à quo præparcè pabulum accipiebat, impetrauit à Ioue vt Domino alteri traderetur. Figulum nactus eſt apud quem parcius adhuc comederet, ferendis autem teſtis & luto ferè opprimeretur, petiuit alterum; ſortitus autem eſt Coriarium, quem cum vidiſſet aſinis aliis pelles detrahere, Væ mihi inquit præſtabat apud priores manere dominos, namque hic vt video pellem quoque meam conficiet.

Dolus fuit, vt exactè inſiſtere videremini Chriſti veſtigiis, quem conſtat initio fidem inſtanter commendaſſe, illam ferè ſemper obtrudere & vrgere, quaſi ad ſalutem ſola ſufficiat, cum tamẽ illius nomine Chriſtus nullo modo more veſtro vanam illã fiduciam, & certã de ſalute propria præſumptionem intellexerit toties & tam clare in Dei verbo interdictam, ſed firmum aſſenſum circa myſteria captu ardua ſecundum illud Matth. 9. *Creditis quia hoc poſſum facere vobis.* Et Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula,* cum rurſus præter illam multa ad ęternam animæ ſalutem poſtulauerit, vt fraterni odij remiſsionem, diuinæ legis obſeruationem, humilitatem, miſericordiam, pœnitentiam, &c.

Lib. 22. qq. Euangel. 40. Tertiò, licet vos non ita mendacio deditos fuiſſe ſentiam, vt ſemper cum veritate bellum geſſeritis, quippe ſecundum Auguſt. *Nulla doctrina falſa eſt quæ non aliquando vera intermiſceat,* auſim tamen affirmare, ideò vos veris aliquibus ſententiis dediſſe locum, vt ſecurius deciperetis, verique ſpeciem poculo latentis erroris obtenderetis, vos item pro aliquot veritatibus, cuiuſmodi ſunt inutiles vos eſſe ad omne opus bonum, nec deſcendere poſt mortem ad purgatorium, nec vllam habere inhęrentem iuſtitiam, nec verum Chriſti corpus in profana cœna veſtra contineri, &c. infinita propinaſſe mendacia, vel vt ſignificãtius dicam, infinitas calumnias, quæ Romanæ Eccleſiæ filios ab ea ſi fieri poſſet diuiderent. Quare ſicut Cambyſes merito tyrannus dicitur ob multa neſan-

Digitized by Google

nefanda quæ patrauit, esto in hoc vno laude sit dignus, quod Sisamni corrupto Iudici pellem detraxerit; ita vos vna vel altera veritas ab infamia calumniatorum non liberat. Exemplum, Lutheri verba sunt in libro contra Papatum. *Papa sic loquitur Christus est ebrius, stolidus, fatuus, & oblitus quantam potestatem ligandi cum clauibus mihi dederit, & qui non adorat ventris mei crepitum, peccatum mortale committit, estqúe dignus inferno.* Potuitne quidquam dici falsius, obscœnius, impudentius? Cum dixisset Caluinus in Antidoto ad sess.4. se magis illustrasse Scripturas sacras quàm Doctores omnes, qui fuerunt ab exorto Papatu, adiecit, *neque hanc ipsi laudem detrahere nobis audent.* Quãtum est Caluine tuum hoc mendacium? Laudem illam tibi à Patribus Tridentinę Synodi non detrahi, qui ex assertionibus tuis plures quàm 50. velut impias, & iisdem scripturis manifestè contrarias anathematizarunt, qui scholia & glossas tuas omnibus interdictas voluerunt? qui te perpetuò vt infandum Apostatam, hæresiarcham, maledicentissimum, arrogantissimumque exhorruerunt? Paris veritatis sunt quæ scripta reliquisti lib. 4. Institut. cap. 10. num. 10. *Sed quomodo excusarent, cum immensò apud eos sceleratius sit auricularem confessionem vertente anno prætermisisse, quàm nequissimam vitam in solidum annum produxisse, linguam die veneris infecisse modico carnis gustu, quàm totũ corpus diebus omnibus scortando fœdasse? manum die sanctuli nescio quibus consecrato admouisse honesto operi, quàm pessimis facinoribus assiduè membra omnia exercuisse? sacrificum legitimo vno connubio copulari, quàm illigari mille adulteriis? votiuam peregrinationem non persoluisse, quàm in promissis omnibus fidem fallere? in prodigiosos nec minus superuacuos ac inutiles templorum luxus non aliquid profudisse, quàm defuisse vltimis pauperum necessitatibus? idolum sine honore præteriisse, quàm omne genus hominum contumeliose tractasse? non demurmurasse certis horis longa sine sensu verba, quàm legitimam orationem animo nunquam concepisse.* Hic Catholicos omnes appello, an horum aliquid sit vnquam in Ecclesia Catholica scriptum, dictum, vel cogitatum. Immò num contrariæ assertiones sint in eadem semperque fuerint exploratissimæ. Addit in epist. 1. Sacerdotes nostros sic prædę inhiare, vt sanctificent prælium super vnumquemque, qui non aliquid illis in os dederit, & in præfat. Antidoti Patres Tridentinos profiteri se Tridentum venisse, vt spem omnem emendationis præciderent, & Nannetensem Episcopum eidem

Digitized by Google

Concilio interfuiſſe cum tamen non interfuerit, vt poſtea recognouit in præfat. reſponſionis ad Balduinum, ſed ita vt in Syllam inciderit cupiens vitare Charybdim, ait namq; ſe deceptum pro Rhedonenſi ſcribens Nannetenſem, & tamen nec Rhedonenſis interfuit teſte Lyndano lib.2.de animi tranquill.Kemnitius ſimiliter in 2.p.Exam. nihil niſi mendacia eructat, dum primò ſcribit Concilium Tridentinum approbare quoſcunq; ritus ab hominibus excogitatos licet abſurdiſsimos. Secundò retinendos ex noſtra ſententia ritus qui pugnant cum verbo Dei. Tertiò, poſſe Papam iudicio noſtro immutare Chriſti decreta. Quartò, videri nobis peccatum mortale, ſi quis mutet vel minimum in illis cæremoniis. Quintò, anteponere nos humanas cæremonias diuinis pręceptis. Sextò, exiſtimare ſi deſint hi humani ritus, deeſſe quoq; Sacramentis veritatem & efficaciam. Septimò, tribuere nos ſingulis cæremoniis vim aliquam ſpirituale. Octauò, earum aliquas iiſdem Sacramentis exęquari à nobis quoad virtutem, imò nonnullas anteponi. Teſtes eſt Deus tã falſa eſſe hæc omnia, quàm quæ falſiſsima. Viretus vt ſacerdotes noſtros riſui valde exponeret fingit in ſuis dialogis (neq; enim locum, tempus aut perſonam deſignat) Parochum quendam concionando dixiſſe, Adam in paraſo Miſſam celebraſſe, & Abelem quidem veniſſe ad offertorium, Cainum autem venire noluiſſe, & ob id fuiſſe reprobatum. Huc pertinent ſiniſtræ omnes interpretationes intentionis Eccleſiæ, quibus Prædicantes ſuum dementant Auditorium v.g. ex ſententia Romanæ Eccleſiæ iuſtifiationẽ eſſe à ſolo homine & operibus eius, cum tamen duntaxat dicat liberum arbitrium concurrere cum gratia Dei ad iuſtificationem adultorum. Item carnes ex ſe malas eſſe, cum tantum doceat bonum eſſe ab iis alioqui bonis ad tempus abſtinere domandi cauſa corporis. Item Euangeliſtas perperam ſcripto mandaſſe verbum Dei, cum ſolum admoneat verbum Dei non eſſe ſcripturis alligatum. Item traditiones humanas recipiendas etiam Dei verbo contrarias, cum non niſi Apoſtolicas eidem verbo maximè cõſentientes à filiis ſuis admitti velit. Item totum Dei cultum in exterioribus ſitum eſſe, cum tantummodo definiat cæremonias Eccleſiaſticas magnifaciendas. Item poſſe Sacramenta ab Eccleſia inſtitui, cum interim hoc ſolũ affirmet de Sacramẽtalibus. Item Eccleſiam pro ſuo libito facere

ſcriptu-

ſcripturam ſacram, cum tamen diſcernat duntaxat ſacram à non ſacra. O infelices quomodo ſic frontem perfricuiſtis?

Quartò fraudibus & mendaciis affines ſunt clandeſtinæ progreſsiones, quarum multa quoq; dediſtis exempla Pariſiis, Rhotomagi, Aureliis, Lugduni, Trecis, Metis, Burdegalæ, Valentiæ, &c. Vbi rogo circa exortum veſtrum frequentius cœtus veſtros & myſteria celebrabatis, quàm intra cellas vinarias, & in ſuperioribus priuatarum ædium contignationibus, non interdiu ſed noctu, non apertis ſed obſeratis foribus, non vocante fratres campana, ſed quod me etiam frequenter audire contigit, incerto ſclopeto? Narrat Genebrardus in ſua Chronol. ad annum M. D. LVI. Non. Sept. Pariſiis ſummo mane via Iacobæa in ædibus priuati hominis qui tunc aberat ante Collegium Pleſsiacum cõprehenſos vtriuſque ſexus 120. omnes Caluinianos, qui eo conuenerant, ad dogmata ſua ſibi inuicem communicanda. An etiam ad aliquid aliud, nouit ille cuius oculis nuda ſunt omnia, hoc tamen ſcio. Nox & amor, vinumque nihil moderabile ſuadent.

Dicere ſolebat D. Iacobus Amyotus Altiſiodorenſis Epiſcopus & Caroli IX. Seneca ſapientiſsimus, nihil vnquam ſibi fuiſſe negotioſius, quàm Principi huic adoleſcenti ſemper adeſſe, ac ſemper in excubiis verſari, ne furtim horum Veſpertilionum peſte inficeretur. Anabaptiſtæ in art. 11. doctrinæ ſuæ expreſsè profitentur nunquam publicè prædicare. Quo autem plauſibilius recipiatur à carnalibus Euangelium clandeſtinum quod annuntiant, ſuccedit concioni ſcortatio. vnde in art. 17. dicitur. *Poſt concionem fiat adhortatio, vt creſcant & multiplicentur.* Ad clancularios modos pertinet euulgatio librorum tacitis locis in quibus excuduntur, & Authoribus à quibus ſunt editi, nempè vt aculeos vitent Cenſorum acerrimorum, à quibus ſe & mendacia ſua mox exagitata iri non dubitant. Alij propriis nominibus aliena ſubſtituunt teſte Mathæo de Launoy lib. 3. falſ. ſuppoſ. c. 5. vel quorundam Catholicorum vt olim Ariani de quibus S. Athanaſ. in Apol. 2. vel alia quædam ad libitum conficta. Fatetur certè Beza in reſponſione ad Holderum, ſe homilias quaſdam ſuas his prænotaſſe vocibus *Nathanael, Nezechius*, &c. Idemque à Melanchthone & Bucero factum commemorat. *Ille*, inquit, *Dydimum Faentinum Thomæ Emſero reſpondens inſcripſit; iſte verò commentando in Pſalmos*

Aretinum Felinum se nominauit. Et iam circumfertur liber quidam inſcriptus ſummarium religionis Chriſtianæ impreſſum Romæ, cum tamen merum compendium ſit Inſtitutionis Caluini nullibi minus quam Romæ impreſſum, ſed nimirum debuit iſto præmuniri titulo, quin etiam Genuenſibus dedicari, vt ſecurè à Catholicis legeretur. Quis ſapiens ſuſpecta non habeat quæ his arcanis doloſis modis geruntur & fiunt? Haberet ſanè ſi viueret Rex ipſe Antigonus, de quo memoriæ proditum eſt, quod à Martia fratre rogatus, vt lis quæ ſibi cum aliquo intercedebat clàm definiretur. *Satius erit,* inquit, *ſi palàm & in conſpectu omnium, præſertim ſi nihil mali moliamur.* Vt prætereà qui venantur, facilius fallunt feras, ſi aliud agentes, v. g. iter facientes vel agricolantes id faciant; ita ſub ſpecie indifferentium quorundam argumentorum quæ tractanda ſuſcipiunt, errores & blaſphemias innumeras depromunt. Exemplum ſit illa Henrici Stephani Apologia in Herodotum.

Ad mendacia item & fraudes reducitur ficta ſpecies veſtra pietatis, cuius indicia ſunt crebra vſurpatio ſpecioſarum vocum cuiuſmodi ſunt Euangelium, verbum Domini, Dominus, Chriſtus, veritas, grex fidelium, electi, promiſsiones, &c. Item ſuſpiria & Crocodyli lachrymæ ob proſtratam Chriſti gloriam, & regnantem vt loquimini Idololatriam. Item ſimulata veſtri deſpicientia, vt videamini populus ille humilis ſuper quem Dei ſpiritus requieſcit. Item coniunctum cum triſti grauitate ſilentium, habitus vulgaris, depreſſus oculus, &c. Item chorearum interdictum, vt dum excolatis culicem, nemo vos ſuſpicetur deglutire Camelum, & grauiora legis relinquere, fictam voco pietatis ſpeciem, quia vt clare oſtenſum eſt l. 3. c. 3. §. 5. quamplurimis reuera iiſque grauiſsimis peccatis laboratis. Sic iniqui illi Iudices qui 3. Reg. 21. tulerunt in Naboth mortis ſententiam præmiſerunt ieiunium ne iniquè aliquid moliri viderentur.

Rurſus ad fraudes reuocantur complures illecebræ quibus infœlices proſelytos capitis, vt hamo piſces. Talis eſt licentia, & mollis ac libertina vitæ ratio de qua in eodem lib. 3. cap. vlt. §. 5. vt planè ad vos pertineat illud Gregor. Nazianz. *Veritatis doctrinam* (Iorat. 1.) *adulterant, omnibus aſſentātur, ventriloqui ſanè & vaniloqui voluptatibus ſuis ſeruientes, verbis è terra prolatis, & in terram peſſum euntibus, vt maximam*

niam apud vulgus gloriam, & nominis celebritatem consequantur. Talis certa æternæ salutis promissio, cui potius substitui deberet certa æternæ damnationis denuntiatio, nam procul dubio nisi conuertamini & pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Talis propositio sententiarum sacrarum valde plausibilium, vt *Christus passus est pro nobis. nolo mortem peccatoris*, &c. Earum autem quæ terrorem metumque incutiunt, vt *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur*, omissio, vel peruersio, vt Poëtis illis priscis simillimi sitis, de quibus scripturas sacras nugis suis accommodantibus, & quidquid iniucundum & asperum occurrebat surda aure prætereuntibus, sic loquitur Iustinus Martyr in Apolog. *Legentes Christum ascensurum in cœlum finxerunt Bellerophontem, legentes quod ex virgine fuisset natus finxerunt Perseum, legentes quod sanaret omnes finxerunt Æsculapium, legentes quod quasi Gigas cursurus esset finxerunt Herculem. At neq. de eodem crucifixo neq. de cruce quidquam dixerunt.* Memoriam quoque refricant Iouiniani, cuius vt aliorum Hæreticorum perpetuum morem fuisse dulcia polliceri testatur his verbis S. Hieronymus. *Ne glorieris quod multos habeas discipulos, quod mali acquiescant sententiæ tuæ. Indicium voluptatis est. Non enim tam te loquentem probant quàm suis vitiis fauent. Semper Pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & admodum placent. Amara est veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine.* Talis facultas sequendi iudicium proprium, quam secum reputans idem S. Doctor ibidem ait. *Nihil mirum si multi te sequantur, nam id non faciunt quod tua probent quia tua, quàm quia tuo more vitio suo adhærent, sequentes iudicium proprium, & nihil credere volentes quod non vident.* Talis compta, elegans, puraque dictio, attractatoriis pharmacis & philtris omnibus perniciosior, ac vino persimilis, quod primò bibenti blanditur & paret, at paulatim admixtum venis mentem obnubilat, præstigiis oculos implet, furorem generat. Hanc in Luthero incauti aliqui Lutherani adeò suspiciunt, vt indè argumententur eius opera non ab alio quam à Spiritu sancto esse potuisse. Quasi verò tanta nõ fuerit in suo genere, multoque maior serpentis in Paradiso, & Fausti Manichæi, & Arij & Ciceronis, & Hortensij, quos tamen constat nequaquam verè dixisse quidquid eleganter. Præclarè S. August. *Iam abs te didiceram ô bone Deus non eo deberi aliquid verum dici, quia eloquenter dicitur, nec ideò falsum, quia incompositè sonant signa labiorum.* Imò orna- l. 5. Conf. cap. 6.

ornatus nimius argumentum eſt meretricij teſte Iuda qui Geneſ. 38. Thamar comptulam eſſe meretricem ex eo eſt ratiocinatus. Tales argutiæ oratoriæ quibus Caluinus præ cæteris & faſcinare atque illicere lectorem, & argumenta contraria eludere nititur, vt cum ait, *Quiſquis hoc non videt cæcus eſt, hoc à ſeipſo refellitur nec confutatione indiget, hæ meræ nugæ ſunt indignæ quibus reſpondeatur, abuterer otio ſi his nugamentis diluendis operam darem.* Talis librorum nitor. Videre enim eſt Caluiniſtas Gallos & adiacentium prouinciarum (de his præcipuè loquor vtpotè mihi notioribus) biblia quę corruperunt, Pſalmos Dauidicos, varia Primipilorum ſuorum opuſcula elegantiſsimo prælo ſubiicere, operamque admodum ſeriam dare, vt inde non niſi terſa politaque ad illaqueandorum hominum manus perueniant, vt charta perfectè candicet, vt venuſtè à columnis columnæ rubentibus lineolis diſcriminentur, vt tumeat liminaris epiſtola promiſsionibus aureis, ſed tam inanibus quàm Magorum & Circulatorum, vt in aurea emblemata ſi fieri poſsit folia deſinant, vt oculos tota forma exterior ſuauiter paſcat, vt denique materiam ſuperet compactoris opus, & in ſilentio perſuadeat lectione digniſsimum, quidquid intrinſecus latet. Talis cantus molliſsimus idemque publicus ad quem fœminæ ipſæ admittuntur, non aliquando ſolum, quod vtcumque eſſet tolerabile, ſed promiſcuè, quod planè reprobarent S. Baſilius, & S. Hieronymus quorum ille ſcribit in lib. de vera Virginit. *Muliebris vocis ſuauitatem gignere in mentibus virorum & adoleſcentum cogitationes & cupiditates laſciuas.* Hic vero in epiſt. ad Furiam, *Fidicinas & pſaltrias, & huiuſmodi chorum Diaboli quaſi mortifera Sirenarum carmina proturba ex ædibus tuis.* Conſpicatus Diogenes mulieres garrulas inter ſe colloquentes, *aſpis*, inquit, *à vipera venenum mutuatur*, quid dixiſſet ſi etiam cantantes audiuiſſet. Neque enim dubium quin illarum cantus ad inflammandam concupiſcentiam peculiarem vim habeat. Talis pecuniæ & aliorum donatiuorum oblatio. Exemplum. Vix effluxerunt anni X. ex quo propè Trecas in Campania in cœtum coibatis, & nummariis munuſculis ad vos pertrahebatis multas miſerabiles perſonas, quas bellica vaſtitas bonis ſuis ſpoliauerat. Idemque paulò antè accidit Metis in Lotharingia inopi cuidã murario, qui ex opido S. Michaëlis eo profectus præſtolabatur artis ſuæ opificia ſi quæ occurrerent.

rent. Cumque Caluiniſtæ cuidam in quem inciderat viſus fuiſſet ſatis induſtrius, ab eoque florenum vnum accepiſſet cum onere ſiſtendi ſe bis terue concioni, mox ſe iturum eo ſimulauit, ſed ſe proripiens lætus ouansque Muſsipontum cum floreno ſuo contendit, vbi propoſita nobis quæſtio eſt vtrum ille ad reſtitutionē teneretur.

Talis honor exhibitus, blandæ ac mellitæ compellationes, epitheta item honorifica quibus proſelytos veſtros afficitis. Exemplum in eadem vrbe circa id tempus nobili cuidam Catholico cum ciue hæretico lis erat, cuius deciſio ad quoſdam eiuſdem farinæ Iudices pertinebat, quos cum nobilis ille ad dicendum ſibi ius nulla poſſet ratione inducere, finxit velle ſe ad illorum partes tranſire. Ergo terque quaterque illorum templum adit, admittitur fronte lætiſsima, aſſurgitur à plurimis, percommode ſedet, aures dat Prædicanti, quem etiam abiens eruditum ſibi videri pronuntiat. Quid plura? Inclinantur animis in illum Iudices, & quo magis deuinciatur, ferunt pro eo ſententiam qua impetrata iam habeo quod volo inquit, abite in malam crucem cum abortiua religione veſtra. Nonne ſuperioribus menſibus quanta nunc eſt, tanta erat cauſæ meæ ęquitas? Cur ergo hucuſq; dilata ſententia? Quàm boni viri qui euidenti iure ſubnixos non prius viciſſe declarant, quàm eos viderint ad ſectam ſuam propendere. Quod ad illicium veſtrum in laudando ingenio poſitum, ſenſit illud irreparabili damno ſui Gabriel Lermeus in Academia Turnonenſi meus quondam condiſcipulus, vndè cum literis humanioribus egregiè ſatis, Philoſophia mediocriter tantum, Theologia autem nullo modo tinctus diſceſsiſſet, ad Delphinates ſuos rediit, cui citò occurrit Caluinianus Prædicans à quo perbenignè ſalutatus eſt, & ab ingenio ſingulari aliquoties laudatus, quocum facilè poſſet ſi vellet, infucatam veritatem vnius Caluini Inſtitutionibus comprehenſam, ſi earum ſe lectioni daret, detegere. Quid contigit? Illectus & faſcinatus hac laudatione miſer, erat enim glorię percupidus, captuq; ſuo fretus authorem legit, quem in rogum millies conieciſſe oportuerat, & indè hauſit venenum, cuius deſtitutus antidoto, intra paucos dies ſpiritualiter interiit dignam Deo luens pœnam ſuæ temeritatis.

Poſtremò ſoli vos ad curſum, & Euangelij promulgationem incitaſtis ô Prędicantes more Pſeudoprophetarum,omnique legitima vocatione ſeu miſsione deſtituti. Quam enim vobis arrogabitis,extraordinariam quæ tunc eſt cum immediatè quis à Deo mittitur vt à Chriſto Apoſtoli,an verò ordinariam? non extraordinariam,quia ſicut initio huius rerum vniuerſitatis plantis ſemel creatis,voluit vt ſecuturę omnes ex iis ſucceſsione quadam deſcenderent; ita conſtituta iam per Apoſtolos Eccleſia quos per ſe miſerat,tranſtulit in eos & ſucceſſores mittendi poteſtatem. Vndè Paulus eſt qui Titum Cretenſem creat Epiſcopum,& Timotheum Epheſinum. A qua ſua lege ſi quando receſsit,inſolitum hunc receſſum inſolutis patefecit indiciis,& patefacere debuit nempe miraculis, vt fatetur & agnoſcit Melanchthō in corpore doctr.Germ.tit.de Exam. ordin. c.de defin.Luth. in cap.35.Iſa.in Zvvingl.tom.2.Brent.homil. 76.de reſurr.Chriſti. Muſcul.in locis.c. 41. & certè aliàs fraudi paterent omnia, quia impoſtor quiuis obtendere poſſet ſe à Deó ſic vocatum, vt doceret quæ credenda ſunt, vel etiam vt Rempublicam adminiſtraret, vt in Mahumete Pſeudopropheta experientia docuit. Propter hæc diuina ſapientia non contenta Moyſem quem immediatè mittebat, inſtruere poteſtate miraculorum, non prætermiſit eandem conferre Heliæ, Heliſæo & Prophetis aliis qui tametſi nec doctrinam nec religionem nouam afferrent, quia tamen extraordinariè mittebantur, debebant eſſe hac poteſtate præditi,qua eiuſmodi miſsionem ſuam aſſererent, & ne impoſtores eſſe viderentur, quanto magis ſi doctrinam cultumque nouum obtruſiſſent? nec refert quod miracula non legamus omnium,quia cum eadem ſit ratio vnius quæ alterius,& par fuerit vbique neceſsitas, aliquod à quouis, vel circa quemuis non ſecus ac circa Ioan.Baptiſtam patratum fuiſſe rectè præſumitur. Atqui vos Prædicantes & Anteſignani veſtri, nullo vnquam miraculo etſi non ſemel tentato clareſcere potuiſtis, nouam interim doctrinam religionemque mundo attuliſtis, temerè ergo & contra decorum id facere præſumpſiſtis. Negabitis fortè nouam fuiſſe doctrinam religionemque veſtram, & cum antiqua potius ſit, omninoque eadem cum religione doctrinaque Apoſtolorum,nullis vos indiguiſſe miraculis ad eam propagandam. Sed vali-

Digitized by Google

validiora ſunt argumenta quæ in oppoſitum protulimus lib. 3. c.4.§.vltimo, quàm vt id verè dici poſsit. Minimum conceditis vos ipſi nouam fuiſſe, ſi non ſimpliciter ſaltem ſecundum quid, ſeu comparatione Romanæ quæ tunc occupabat ſola orbem Chriſtianum, hoc autem ſufficit vt ad euincendam prætentam illam veſtram extraordinariam miſsionem dicamus neceſſaria vobis fuiſſe miracula, quia qua ratione populus Catholicus credebat & adhuc credit non veſtram ſed fidem religionemque ſuam verè eſſe antiquam & Apoſtolicam iuxta dicta ibidem §.3. eadem perſuaſum habuit & habet veſtram verè ſimpliciterque eſſe nouam, ob idque miracula videre debuit, vt recipiendam eſſe intelligeret. Nam ſimiliter ſi quis teſtamentum condiderit optimis munitum teſtibus, poſtea autem inaudiat illud vel flammis traditum, vel valdè adulteratum, ob idque ipſum inſtaurare cupiat, procul dubio teſtes tunc quoque accerſet omni exceptione maiores, & eaſdem quas prius conditiones circumſtantiaſque obſeruabit, tametſi hoc poſterius cum priore ſit idem. Sed faciamus verè non fuiſſe nouam, idque palam innotuiſſe Catholicis omnibus, an idcircò credi vobis debuit abſque miraculis miſſionem illam iactantibus? Nouam non annuntiabant Prophetæ, & tamen vt vidimus in medium ſine miraculis non proſilierunt. Faciamus denique vos immediatè à Deo miſſos adhuc debuiſſetis vos decori ſeruandi gratia Eccleſiæ repræſentare, ne alias illius ordinem à Chriſto poſitum interturbaretis. Videmus enim quod huiuſmodi ob cauſam idem Chriſtus leproſos remiſerit ad ſacerdotes, & vinum in nuptiis à ſe factum offerri voluerit Architriclino, cuius erat in conuiuio de cibis potibuſque diſponere & iudicare, & Paulum voluerit præſentari Ananiæ, & ad Petrum aſcendere.

Nihilo plus præſidij eſt cauſæ veſtræ in ordinaria miſsione repoſitum, vnde Caluinus & complures alij ad eius tutelam non confugiunt, ſed ad extraordinariam quam melius vrgere ſe poſſe confidunt. Alij vt Beza epiſt. 5. & Vrbanus Regius 3. p. oper. diſp.2. de ſchiſmate huius ſeculi ſect.1. & ſeq. ordinariam malunt prætendere. *Euangelij Prædicandi authoritas*, inquit iſte, *nobis in Papatu Romano per manuum impoſitionem vocationemq́; eſt data.* Sed & prætextus iſte inanis eſt. Nam ſi valeret, quare Genenenſes negarunt

In Replica Chriſt. l. 2. cap. 17.

antiquam ordinationem ſufficere miſeris illis duobus Epiſcopis Niuernenſi & Trecenſi qui ad ſe defecerant, vt ſcribit Mathæus de Launoy? Cui ignota eſt regula illa generalis facultatem quæ alicui ab aliquo datur, tunc facto ipſo reuocari cum aduerſus hunc ille ea vtitur? & ratio eſt, quia actus non operantur vltra intentionem agentium, vt loquuntur iura. Porrò nulli ſuperiores præſumuntur voluiſſe eam in illo caſu perfidis, ingratis, rebellibuſque concedere, fuit ergo reipſa per rebellionem reuocata, vndè nihil amplius habuit virium ſicut nec actor qui prius datus poſterius reuocatur.

Vtimini hodiè vulgò reſponſione alia nempe miſſos vos à populo penes quem ordinaria poteſtas eſt mittendi. Sed vnde hoc habetis? an Titus à Cretenſi populi creatus fuit Epiſcopus, aut ab Epheſino Timotheus, & non potius à ſolo Apoſtolo? quis populo dedit hanc poteſtatem? ſi in lege ſcripta illam nō habuit, quanto minus in Euangelica? an filiorum eſt ſibi patrem eligere, ouium Paſtorem, diſcipulorum Magiſtrum? an decet eos qui profanis rebus toti immerſi ſunt, & ſacra ac ſpirituali doctrina quæ hic valdè requiritur, deſtituti, inſtitutioni præfici tam auguſtæ tantique ponderis? Sed de hoc argumento plura inferius.

Taceo quidquid ſit de vobis, non poſſe id de Luthero, Caluino, Zvvinglio & aliis phalangum veſtrarum ducibus reſponderi. Non inquam miſsi à populo ſunt, ſed præuenientes omnem populi conſenſionem, imò etiam cogitationem aggreſsi ſunt motu proprio peregrinam ei fidem religionemq; occinere, quod ſufficere conſtat, vt decorum in eius plantatione nullo modo obſeruatum dicere iure liceat.

De

De præclara & conſentanea diſpoſitione rerum omnium ſacrarum effectu 3. & nota 30. veræ Religionis.

CAPVT III.

§. 1. Recta diſpoſitio quàm ſit Religioni veræ connaturalis, & in quo poſita.

2. Perfectè inuenitur in Catholica.

3. Nequaquam in Mahumetana.

4. Nec in aliqua ex Euangelicis, in quibus contra confuſa, præpoſteraq́; ſunt omnia.

QVOD religionem veram planè deceat conueniens & eximia quædam diſpoſitio rerũ omnium adeò perſpicuè docet Exodi liber à cap. 25. vſque ad 31. & Leuiticus, & liber 3. Reg. toto cap. 6. & 7. vt expeti nihil luculentius poſsit. Ibi enim ſtudioſè & per partes deſcribit Deus, quæ ad tabernaculi ſtructuram pertinent, quæ item ad rationem ſacrificiorum ad vota & iuramenta, ad oblationes & primitias, ad veſtes & munia ſacerdotum, vt diſpoſitionem illam accuratã ſibi valdè cordi eſſe, & religioni ſanctæ quadrare nemo ambigeret. Nẽpe nec voluit nec debuit in re omnium primaria id negligere, quod in aliis longè inferioribus magna ſedulitate accurant ſapientes, verbi gratia, in Republica quam relinquere conantur legiſlatores optimis temperatam legibus, in Regum Palatiis vbi ordinatiſsima ſunt omnia non ſecus atque in Regia Salomonis 3. Reg. 10. in orationibus Rhetorum quibus ſi deſit, non aliud futuræ ſunt, quàm congeſti quidam cumuli rerum & ſententiarum teſte Quintiliano. Denique in ædificiis, in officinis artificum, in *In Præfat. lib. 7.* ſupellectili domeſtica, &c. Sphæræ tam elementaris quàm æthereæ præclaram compoſitionem, velut aliquid minimè leui oculo prætereundum commemorat ſæpè diuina ſapientia quaſi inde glorians, vt Prou. 8. *Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege & gyro vallabat abyſſos, &c.* Et Rex Dauid Pſal. 103. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feſti, hoc mare magnum, &c.* Et S. Patres vt Gregorius Nazianzenus orat. 26. *Reſpice in cœlum ſurſum, & in*

terram deorſum, atque aduerte quo pacto tota hæc rerum moles conſtructa & coagmentata fuerit. Et infrà: *Ordine omnia concinnata & diſtincta ſunt.* Sed & ſufficere poſſunt ad hoc idem probandum verba illa Apoſtoli 1.Cor.14. *Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.* De ſacramentis loquebatur, quæ Religionis partem conſtituunt. Non eſt autem ratio cur illius parte vnam potius, quàm aliam optimè quoad omnia diſpoſitam eſſe oporteat.

Poſtulat autem primò recta iſta diſpoſitio, vt qui Religioni præſunt ac præcipua quæque eius munia obeunt à profanis & ſecularibus diſtinguantur. In veteri lege Leuitica tribus ei præpoſita à ceteris ſecernebatur, ita vt ipſimet Regi Oziæ interdicta ſit ſacrificij oblatio 2.Par.26.& Num.1.noluit Deus vt Leuitę numerarentur cum populo, nec S. Baſilius vt diœceſes diſtinguerentur ſecundum præfecturas ſeculares, vt ſcribit Nazianzenus in vita ipſius. In Euangelica non audebat populus coniungere ſe Apoſtolis, tantum abeſt vt quæ Apoſtolici & religioſi erant ordinis ſibi licere arbitraretur. Act.5. dictum eſt S.Ambroſij ad ipſum Imperatorem epiſtol.32. *Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt imperiale ius habere,* & Conſtãtinus Magnus negabat ſibi datum in cauſa Epiſcoporũ Iudicem agere, quid reſpondiſſet de eo quod longè eſt eminentius, poſſetne munus obire ſacerdotum? Ethnicus erat Alexander Imperator, quod tamen non obſtitit quo minus intellexerit non eſſe ſuum tractare quæ religionis ſunt, & ſua quædam de ſacris decreta Pontificum cenſuræ ſubiecerit, vt notat Lampridius. A Conſtantio Imperatore promulgante in conuentu Epiſcoporum aliquas eiuſmodi conſtitutiones interrogatus Leontius Tripolitanus Epiſcopus, cur ipſe vnus ac ſolus taceret loquentibus cæteris, reſpondit mirari ſe, quod à propriis negotiis tantum ei ſupereſſet otij, aliena vt curaret. Vbicunq; floret politia, & ipſiuſmet Reipublicæ temporalis bono egregiè conſulitur, latam legem ſcimus; vt qui artem vnam profitetur ad aliam non extendat manum, quãto æquius vt penes ſpeciales homines à vulgo diſtinctos cura ſit ſacrorum? an non digna ſatis religio, vt quo vigeat & venerationi ſit, committatur iis qui à populo profanis affixo rebus ſeparetur? Equidem Reges in lege naturæ ſimul erant ſacerdotes vt Melchiſedech Geneſ.14.& primogeniti familiarum vt fratribus dominabantur ſuis, ita ſacrificiis pręficiebantur,

tur. Verum hæc lex admodum imperfecta & rudis erat: In Moſaica autem velut perfectiore melius conſtitui cœpta ſunt omnia, ne videlicet Reges immediatè ac per ſe offerrent ſacrificia multò minus reliqui, ſed ſoli ſacerdotes 1. Reg. 21. ab iis adeò diſtincti, vt etiam panũ quibus veſcebantur aliqua eſſet differentia; alij namq; laici erant, alij ſancti ſeu propoſitionum, quos extra neceſsitatem comedere ſolis ſacerdotibus fas erat. ibid. multo magis in Euangelica ſeruari debet iſta diſtinctio, quę tanto eſt Moſaica prętantior, quanto corpus vmbra, & figura veritas.

Poſtulat ſecundò, vt ordo hic ſacerdotum laico ſit prior atq; ſuperior. Agnouit hoc Iuſtinianus Imperator, rationemque ſatis clarè protulit in Nouel. 6. ſic loquens: *Maxima Dei inter homines dona ſunt ſacerdotium & imperium, quod vnum diuinarum rerum adminiſtratio, alterum humanarũ gubernatio moderatioq́; ſit,* ac ſi enucleatius dicat, ſunt ſacerdotium & Magiſtratus velut membra duo vnius corporis, id eſt, Eccleſiæ, ſed eo ſacerdotium magiſtratu dignius, quod hic corpori & rebus externis illud animæ ac ſpiritui potiſsimum ſeruiat, vt habetur in can. duo ſunt d. 96. rurſus quod hic humanis tantum rebus, illud ſacris & diuinis longè profectò auguſtioribus præficiatur.

Poſtulat tertiò, vt pręfectura huiuſmodi viris ſolis demandetur; nullibi enim veteris legis fęminis commiſſa legitur. Ne apud Ethnicos quidem, nam ipſarum etiam dearum ſacrificia à viris ſacerdotibus peragebantur, & non à fęminis ſaltem præcipua exceptis deæ bonæ ſacrificiis. Haud dubiè ſi quę ad hoc munus promouenda erat, maximè beatiſsima Virgo Maria Apoſtolis omnibus ſanctior Deoq́; gratior, & tamen ne eius ſexui porta hæc aperiretur, illam Chriſtus poſthabuit. Adhæc ſacris præfici debeant perſonæ iudicioſæ, & tam ad docendum, quàm ad populum ædificandum idoneę; fœminę autẽ à toto genere infirmi iudicij ſunt, quę cauſa eſt cur initio & hodie ſeductor diabolus eas potius quã viros aggrediatur, & arceantur ab omnibus ciuilibus officiis l. 2. de reg. iuris, neque admittantur ad teſtificandum niſi in magnis criminibus, neq; ad fideiubendum, nec permittantur in Eccleſia loqui 1. Cor. 14. nec docere viros, ſed à viris potius diſcere, & notetur grauiter Epiſcopus Thiatyræ Apoc. 2. quod mulierem ſineret palam docere & loqui. Nempe ſi hoc eis liceret, quot nugas è ſugge-

Digitized by Google

ſuggeſtu effunderent, quàm multa in ſe mutuo & contra maritos dicerent, à quibus domi conſtringũtur in chamo & fræno? quàm multos etiam fortes à virili ſtatu citò deiiceret, atq; inflammaret igne concupiſcentiæ ipſa forma corporis, & compta vanitas & affectata vocis mollities,& intuitus ocellorum. Tandem præſtantiora ſeruanda ſunt præſtantioribus,ergo & ſexus virilis adminiſtrationi rerum ſacrarum, quem muliebri præſtãtiorem eſſe quis neget? ille formæ reſpondet hic materiæ ex Ariſt.lib.1.Phyſ. illum aſſumpſit Chriſtus hunc prætermiſit, ex illo & propter illum factus eſt iſte non contra, ille dominatur, hic lata lege ſubiicitur; ille in perfectis ſacrificiis, hoc eſt, in ſacrificiis ſemper immolabatur, hic nunquam propter imperfectionem, vt notat S.Thomas 1.2.q.102.art.3. ille à nullorum regnorum ſucceſsione excluditur, hic à plurimis vt à Gallico.

Poſtulat quartò, vt iidem ſacerdotes ſeu Præfecti ſacrorum amictum geſtent peculiarem quo diſcriminentur à cæteris,& officij ſtatusq; ſui admoneantur. Obſeruatum eſt hoc diligẽter ſub legiſlatione Moyſis,& apud Romanos. Nam cum laici pileo non vterentur,vt indicat Tranquillus ſcribens Cęſarem ſolitum reducere comam capitis ad ſinciput ne caluus appareret, ſacerdotes tamen vtebantur,vnde dicti ſunt Flamines quaſi filamines,quod pileum haberent velut ex filis contextum. Adhæc ſi apud eoſdem prætexta induebatur nobilibus pueris, vt diſtinguerentur, & ex rubore purpuræ diſcerent in malefactis erubeſcere, multò credibilius eſt fuiſſe ſacerdotibus habitum proprium. Adhęc ſi partim ſtatutum partim vbiq; receptũ eſt diſcriminis gratia, vt ſeculares quidam vno vtantur alij alio. Neq; enim idem principum eſt qui ſubditorum, nec idem Magiſtratus & Senatorum, qui poſtremæ conditionis hominum,multo magis ab his omnibus differre habitu conuenit ſacerdotes,quorum diuerſus ordo & longeq; eminentior. Differebant certè ante Gregorij Magni tempora,quando veram fuiſſe Eccleſiam rectè omnia ſancientem Caluinus annuit. Legimus namque Stephanum Papam in habitu ſacerdotali fuiſſe occiſum anno CC.LX. Poſtea emerſerunt Ariani de quibus ita conqueruntur Epiſcopi in epiſt.ad Marcum Papam. *In tantum noſtra vaſtarunt Ariani,vt neq; veſtimẽta Eccleſiaſtica reliquerint.* Eiuſdem fermè ætatis S.Hier.hæc habet in c.44. Ezech. *Religio diuina alterum habi-*

Digitized by Google

habitum habet in ministerio, alterum in communi vsu. His antiquior Polycarpus ætate grandæuus martyrio coronandus detractis vestibus in linea quam hodie Rocquetum dicimus, relictus legitur. Neq; enim interiorẽ illam quæ carni adhæret cogitare debemus, cum vsq; eo spoliari, neq; necesse fuerit ad inferendam ei mortem, neque eius ætati morumq; grauitati congruum. Sit ergo conclusio peculiarem amictum esse debere sacris operantium, nec peculiarem solum, sed splendidum etiam & pretiosum. Si namq; elegantissimę erãt quibus vtebatur in veteri lege Pontifex Exod. 28. & 31. si prætereà laicus ipse Magistratus assumere magnificas solet ad status gradum & authoritatẽ coram subditis conseruandam, atq; in symbolũ acceptę à Deo in eos potestatis, vt Herodes ille de quo Act. 12. *statuto autem die vestitus veste regia, &c.* id est, vt interpretatur Iosephus, *tota ex argẽto mirabili opere contexta, quæ radiis orientis solis percussa, & diuinum quendam fulgorem emittens venerationem cum honore incutiebat aspicientibus,* multo magis sacro sunt Magistratui concedẽdę. Li. 19. Ant. cap. 7.

Postulat quintò, vt sacerdotum Iudices & Prępositi, à quibus scilicet, dirigi, doceri, commoneri, & cum delinquunt puniri debent, eiusdem sint ordinis, hoc est, sacerdotalis, & non laici. Hic me sentio in periculoso loco versari, nec ferulam facilè vitaturum Iurisconsultorum quorundam, qui vt scioli videantur, aut Principum gratiam assentando ineant, suggerunt obnoxios esse illorum tribunalibus non seculares modo, sed etiam sacerdotes. Hoc certè non est cum sanctis Patribus animo sententiaq; concurrere, non sobrietatis & veritatis verba loqui, sed ponere scandalum, & quasi Cerastem, vt in Prouerbio est venenum effundere. Thesim non probabo deducto argumento ab Aarone & Leuitis, qui à solo Moyse puniebantur, & puniri poterant. Nam vt Moyses sacerdos erat extraordinarius Psal. 98. & sacrificabat & sacerdotes creabat Exod. 40. Leuit. 8. ita princeps erat temporalis, quare inde neque pro nobis neq; contra nos peti potest argumentum. Potius ergo assertionem hanc stabiliam testimonio Scripturarum, & sanctorum Patrum, & Imperatorum, & ratione clarissima Apostoli verba sunt 1. Tim. 5. *Aduersus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus vel tribus testibus.* Obsecro cuius est accusationẽ recipere nisi Iudicis? cum ergo declaret Apostolus posse Episcopũ eam recipere aduersus sacerdotem (erat enim Timotheus Episcopus Ephesiorum)

siorum) nec restrictioné vllam apponat palàm est cęcutire nolentibus Episcopum esse verum propriumq; Iudicem sacerdotum, à quo proindè & non ab alio puniri debeant. In vetusto illo Concil. Mileuit. c.19. sic loquuntur Patres qui eo conuenerant. *Placuit vt quicunque ab Imperatore cognitionem Iudiciorum publicorum petierit honore proprio priuetur.* Similia habet Carth.3.can.9. Agath.can.32. Chalc. c.9. Apud Ruff. lib.10. hist. c.2. negat Imperator Constantinus datam sibi potestatem iudicandi sacerdotes. & Theodoricus Rex Augustanum Episcopum perduellionis reum iudicare noluit, sed remisit ad Iudicem suum Mediolanensem Archiep. teste Casiod. li.1. ep.9. Fridericus II. in prima sua const. perpetuam tulit legem ne clerici ab aliis quàm Ecclesiasticis iudicentur. Rectè profectò. Certum quippe est sacerdotes respectu laicorum quorumcunq; esse Pastores Ioan.21. Actor.20. Ephes.4. Hebr.13. 1. Petr.5. & Patres 1. Cor.4. Gal.4. & Doctores Matth. vlt. & Angelos Malach.2. Docemur autem à natura dedecere, vt iudicentur & puniantur Pastores ab ouibus, Patres à filiis, Magistri à discipulis, Angeli ab hominibus, anima à corpore. Deinde possunt sacerdotes iudicare & punire principes temporales Christianos, quando Ecclesiæ diuinoq; cultui perniciem afferũt, multum ergo absunt ab eo, vt contra posint vel debeant ab illis iudicari. Consequentia patet. Probatur antecedens tum quia vt iam vidimus Pastores sunt, Patres, & Doctores respectu illorum. Est auté Pastorum, Patrum, & Præceptorum iudicare & punire subiectos sibi. Vnde Gregor. Naz in orat. ad Imp. ait: *Lex Christi vos meæ potestati, meoq; subiecit tribunali.* Et Valentinianus Imperator cum de Episcopi cuiusdam electione ageretur dixisse fertur sacerdotibus electoribus. *Talem in Pontificali sede constituite, cui & nos qui gubernamus imperium sincerè capita nostra submittamus, & cuius monita dum tanquam homines deliquerimus necessariò veluti medicamẽta curantis suscipiamus.* tum quia Christus illis vniuersim ait in persona Apostolorum, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis & quorum retinueritis rétenta sunt*, constat autem remittere seu absoluere, & retinere seu condemnare actus esse iuridicos. Sed & reipsa iurisdictionem in foro externo exercuerunt erga eosdem principes seculares. Samuel deposuit Saul, & Ieremias cap.1. constituitur super gentes & regna, & Innocétius Papa Arcadium Imperatorem à sacra communione submouit, quia consenserat, vt S.Chry-

Digitized by Google

S.Chrysostomus à sua sede pelleretur, & Ambrosius Theodosium propter cædem Thessalonicensem. Iterum ergo dico, cum Iudices sint laicorum, non debere eos à laicis iudicari. sic enim colligit Q. Metellus apud T. Liuium dec.3. *Non obliti sumus Censores vos moribus nostris præpositos esse, & nos à vobis admoneri & regi, non vos à nobis debere.* Tandem si legem tulit Seuerus teste Spartiano ne senatores ab aliis quàm senatoribus iudicarentur, quanto æquius vt sacerdotes non nisi à sacerdotibus? quis non videt religionis honori consuli, si qui eius curam gerunt, nec iudicio vulgi sint obnoxij, nec eorum quos vulgus assumit in principes, qui proindè plus iuris quàm vulgus ipsum habere nequeunt? At nonne Constantinus aliquando Iudex fuit in causa Athanasij, & Martianus in causa Aeluri Clerici, qui occiderat Proterium Episcopum Alexandrinum, & Iustinianus ipse in alios quosdam sententiam tulit? Nonne prætereà ex hoc sequitur magnum incommodum, Romanum videlicet Pontificem Clericorum caput Iudice cariturum. Respondeo Iudex fuit Constantinus in causa Athanasij sed vrgente necessitate, & in bonum eiusdem Athanasij, qui & inutiliter appellasset ad Romanum Pontificem cuius authoritatem contemnebant Ariani, & imminentem sibi mortem ab illis iniquissimis accusatoribus vitare vix poterat, nisi innocentiæ suæ coram Imperatore ipso fidem faceret. Simili de causa Paulus appellauit Cæsarem ob Festi Iudicis iniquitatem ad Iudæos hostes suos capitales manifestè inclinantis. Martianus Aeluri Iudex fuit, sed habito prius consensu Episcoporum, & quorundam Iustinianus, sed iam depositorum, cum in Nouel 83. scribat non se prius aliquid posse in Clericum, quàm sit ab Episcopo exauthoratus. Summi Pontificis Iudex in foro conscientiæ proprius & Confessarius quem eligit, in foro autem externo nullus in terris (quandiu per hæresim manifestam Pontifex esse non desinit) vt Marcellino respondit Synodus 180. Episcoporum his verbis, *prima sedes à nemine iudicatur*, nec mirum cum in persona Petri immediatè à Deo supremam iurisdictionem acceperit non ab hominibus. Temporalium principum alia est ratio, quia eorum nullus nec in se, nec in aliquo antecessore suo est immediatè suam à Deo consecutus, sed ab hominibus vltrò illum & successores eligentibus, vel in eum & hæredes consentientibus, & potestatem sibi

reſeruantibus, qua eum puuire, ac etiam deponere in certis caſibus poſsint.

Poſtulat ſextò, vt ſacerdotes illi Hierarchiam conſtituant, hoc eſt, quædam ſit inter eos ſuperiorum, inferiorumque diſtinctio. Nam ſi vt iam vidimus, alij ab aliis iudicari debent, ergò alij ſuperiores eſſe debent alij inferiores. Deinde *quæ à Deo ſunt ordinata ſunt*, Rom. 13. Tertiò in veteri lege talis erat ſubalternatio atque diſtinctio. Quartò hæc eadem diſtinctio multitudoque ſacerdotum ad religionis ſplendorem atque magnificentiam multum facit. Poſtremò religio multis conſtat partibus inæqualibus, quæ proindè ad vitandá confuſionem à multis obiri debent diſtinctis in certos gradus. Vt ea ratione ordo Clericorum manui ſit ſimilis, quæ non idcircò infirmior eſt, quod in digitos ſit diſſecta, ſed ad operandum agilior.

Poſtulat ſeptimò vt creentur, viſitentur, caſtigentur, & examinentur ſacerdotes idque à ſuperioribus ſuis Clericis non à Laicis. Creari debent ſiue inſtitui, quia ſcriptum eſt *nemo aſſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*. Ideò autem à Laicis fieri non debet hæc inſtitutio, quia fabrorum duntaxat eſt tractare fabrilia, & indecens prorſus vt oues ſibi Paſtores eligant, atque præficiant, & filij Patres, & Magiſtros diſcipuli, quibus ſi hoc concederetur, profectò cum vt plurimum diſcoli ſint, & ad ineptias irreligionemque potius quàm religionem facti, talem ſibi citò quærerent, hoc eſt, impium irreligioſum, atque vt loquitur Apoſtolus prurientem auribus. Sicut homo produci non poteſt à non homine, ita nec ſacerdos à non ſacerdote inſtitui. Vnde Aaronem & Eleazarum non quiuis ſed Moyſes ſacerdos creauit ſacerdotes, & Paulus Epiſcopus Timotheum, Titumque Epiſcopos. Diœceſim propriam circumeundi & ſubiectum Clerum viſitandi exemplum præbuerunt Paulus & Barnabas dicentes Actorum capite decimo quinto: *Reuertentes viſitemus fratres per ſingulas ciuitates quomodo habeant*. Et Dominus in monte Oliueti ad diſcipulos venit, eoſque de ſomnolentia increpauit, & ad vigilantiam orationemque eſt adhortatus. Nihil dubium quin vbi viget religio, ibi maximè zizania ſua ſuperſeminare conetur Diabolus, ob id ire & redire debent, qui ei præſunt, & ſuperſtitiones, vitia ſacerdotum, cæteraque adulterina germina

ſtirpi-

Digitized by Google

ſtirpitus reuellere priuſquam adoleſcant, non in ſpeciem viſitare ſed ſeriò, non id ſolùm curare, vt quæ recta ſunt ſanciantur, ſed multo magis vt executioni mandentur, non expeditionem hanc ſanctam committere auaris quibuſdam Vicariis ſua tantum quærentibus, ſed ſibi vnis ſeruare, & Hecubam imitari quæ reiectis nutricibus Hectori filio propria dabat vbera, ſicut & Theſſalonice Antipatro,& Penelope Telemacho, & Imperatrix Imperatori Honorio; non denique correctionem morum inchoare à minoribus ſed à maioribus exemplo Ioſeph,qui ſaccos fratrum ſuorum natu maiorum prius explorauit Geneſ. 44. Quod ad examen ordinãdorum cum religio florere vel proſtrata iacere ſoleat,prout ſacerdotes & alij qui ei dedicantur apti vel inepti,digni vel indigni fuerint, explorari accuratiſsimè debent, quicumque ad ſacra miniſteria ſeſe offerunt, vel offeruntur. Quid enim ſi magnis animi corporiſue laborent defectibus? Vtique blaſphemare facient inimicos nomen Domini, religionem ludibrio contemptuique exponent,infirmos à diuino cultu auocabunt, & quidquid peccabunt, in conſcientiam redundabit perfidi promotoris. Quid ſi ſint aſini? vtique aſini pergent eſſe,quantumuis Leonum exuuiis triumphent & induantur. Ad rigidum itaque examen vocandi ſunt, & magno delectu pauci de multis aſſumendi,indigni fortiter remittendi, & danda opera,vt ſolidi ſint Examinatores,ne aliàs aſinorum labra ſimiles lactucas habeant,& cæci cæcos in foueam trahant.

Poſtulat octauò,vt qui mancipantur Religionis miniſterio à bello,à cauſis forenſibus, à mechanicis occupationibus alienos ſe præbeant, quo exactius miniſterio illo perfungantur. *Nemo militans Deo*,inquit Apoſtolus 2. Tim.2. *implicat ſe negotiis ſecularibus*, id eſt,*implicare debet*. In quæ verba S. Chryſoſt. *Dicta ſunt quidem iſta ad Timotheum,dicuntur autem per illum quoq; Magiſtris omnibus & diſcipulis.* Cautè porrò vſus eſt Apoſtolus implicandi verbo quo addictio magna ſignificatur, ac ſi dicat non prohiberi Clericos aliquando exigente neceſsitate vel charitate, & ad bonum finem ſecularia aliqua tractanda ſuſcipere, cum Chriſtus ipſe audiuerit accuſantes adulteram ac pro ea iudicauerit, & idem Apoſtolus 1.Corinth. 6.conſulat fidelibus, vt potius ad ſapientes Eccleſiæ hoc ad ſacerdotes lites ſuas deferant, quàm ad tribunalia ſecula-

Digitized by Google

cularia, & Augustinus in eiusmodi nonnunquam sese occupauerit, vt fatetur in lib. de oper. Mon. cap. 29. & post illum Possidonius. At ex professo & quasi semper hoc facere, tales profectò non decet, ad quod insinuandum Christus Luc. 12. Definire noluit exortam inter hæredes quæstionem, & Apostoli dicunt Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis.*

Postulat nono eandem ob causam, vt cœlibes sint non vxorati, quia videlicet par est vt sacerdotes Euangelicæ, hoc est, perfectissimæ legis statum seu genus illud vitæ profiteantur, in quo exactè & sine impedimento seruire Deo possint; talis autem est cœlibatus teste Apostolo 1. Cor. 7. Vxorabantur in lege veteri, sed ita vt sacrificij tempore ab vsu coniugij sui abstinerent, à quo proindè perpetuo abstinuissent, si iuge habuissent sacrificium, cum ergo nostrum iuge sit iuxta Malach. cap. 1. cœlibes postulat sacerdotes, ad quod facto ipso insinuandum, Christus horum sacerdotum primus perpetuò perfectissimeque cœlibatum coluit, & consuluit, amplamque mercedem proposuit iis qui se sequendi gratia proprias vxores relinquerent, dicens: *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem aut vxorem propter nomen meum centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.* Quibus autem magis hoc consuluisse videri potest quàm futuris sacerdotibus, quos ad religionis munia in procinctu semper oportet esse? Apud ipsos Athenienses Hierophanta quo purior esset atque in munere suo expeditior euirabatur, & cicutæ sorbitione postquam in Pontificem fuisset electus, vir esse desinebat, æternaque debilitate fiebat castus, vt scribit Hieronymus. Cicero rogatus ab Hirtio vt post Terentiæ repudium vxorem duceret, negauit dicens non posse se vxori simul & Philosophiæ dare operam: ecce autem plusquam Philosophia hic, sancta inquam veraque religio, cuius perfectè obiri partes omnes longè est consultissimum. Hominis cogitationem mirè deprimit, nec sursum ferri sinit, sed ad se trahit vsus veneris & cura rei familiaris. Vbi autem vsus major & frequentior quam in coniugio? Videtur ad tempus sedare concupiscentiam, sed acuit illam vt breui post recurrat ardentior, *addere ligna foco non est extinguere flammam.* Vbi cura illa maior, quàm vbi suppetit cum vxore proles varia? huius promouendæ studium

Exod. 29. Leu. 24.

Matth. 19.

Ad Ageruchiam.

Digitized by Google

dium flabellum est auaritiæ, quæ causa est cur Turcarum Imperator nunquam alios, quàm Eunuchos thesauris suis præficiat. His adde sacerdotum coniugia temporale potius damnum Reipublicæ afferre quàm emolumentum. *Ad incrementum populi duo requiruntur*, inquit Boterus, *procreatio & educatio. Multitudo quidem coniugum maximam sibi partem vendicat, minus tamen fæliciter altero requisito destituta. Vndè planè in eam ego Boterus abeo sententiam propagationi humani generis nihil accedere ex coniugio sacerdotum & monialium. Licentia nubendi quam sibi sacerdotes Germaniæ & Angliæ sumpserunt, multitudini populi nihil addunt, adauctus est coniugum numerus, at educandi commoditas nihilo facta est locupletior.* *Lib.8. de politia c.4.*

Postulat decimò, vt qui sacris præficiendi sunt insigni aliquo ritu initientur, & solenniter Deo consecrentur. Nam si variis cęremoniis templa materialia eidem dedicari conuenit vt demonstratum est lib.1. esto loca tantummodo sint in quibus sacra fiunt, multo magis ipsos sacerdotes, quos constat in eadem sacra longè nobiliori modo quàm templa influere. Plenus est Leuiticus iis, quæ in consecratione Aaronis & filiorum eius, ex Dei pręcepto sunt obseruatæ. Extant in eodem libro multa de consecratione Nazaræorum. Notum est vnguentum illud pretiosum quo inungebantur non modo sacerdotes sed etiam Reges & Prophetæ 3.Reg.19. & quo in alios quodammodo viros mutabantur, & toti populo venerationi erant, velut eo ritu discreti à communi cœtu hominum, & Deo adscripti præ cæteris, vndè Christi Domini & vncti dicebantur. Non quod esset virtus in cassia, Cynamomo, & odoribus aliis commixtis oleo, sed quod iis positis velut symbolis, Deus aliud quoddam vnguentum spirituale superadderet, hoc est, vnguentum gratiarum, quibus cum accedebant rectè dispositi, fiebant ad munia sua peragenda aptissimi. Si digna erat lex illa cuius sacerdotes cum tanto apparatu dedicarentur, nonne multo magis nostros conuenit insigni aliquo dedicari? nostros inquam qui vt Christus sacerdotes sunt secundum ordinem Melchisedech, & Prophetæ insinuantes nobis ex verbo Dei diuina mysteria & quæ ventura sunt, & denique Reges vt potè à Spiritu sancto in Christi grege positi regere Ecclesiam Dei Acto.20. propter quod illorum sacerdotiũ regale dicitur 1.Pet.2. At interdictus iam vsus est Iudaicorum rituum, est fateor nec

iisdem

Digitized by Google

iiſdem iam vti licet, ſed quid vetat quin ſimilibus aliis vel etiam auguſtioribus ? Ergone quia abundarunt externis cæremoniis velut emblematibus nos omnibus deſtituemur? Haud dubiè obſeruanda eſt naturæ lex quauis ætate, etſi autem Moſaicæ legis proprium fuerit ſacerdotes dedicare iis quæ in Leuitico deſcribuntur, vniuerſim tamen aliquibus eos & perſonas, reſque alias auguſtiſsimas initiare ad legem ipſam naturæ pertinet, quæ cauſa eſt cur etiam hodie Imperatores, Reges, Doctores, Magiſtri artium non ſine aliquibus ad gradum ſuum prouehantur.

Poſtulat vndecimò vt eorundem magnus ſit numerus, non quod totum ſit in multitudine ſitum, cum gemat Iſaias dicens cap. 9. *Multiplicaſti gentem non magnificaſti lætitiam*. Sed quod inter numerum ſacerdotum, & Deum cui ſeruiunt, & religionem cui præſunt debeat eſſe proportio. Eſſe autem non poſsit, quandiu numero pauci ſunt. Magnos quippè & magna decent & multa. Quamobrẽ de opulento Patre ſuo exclamat prodigus ille *quanti*
Luc. 15. *mercenarij in domo patris mei*, id eſt, quàm multi. Ex 12. tribubus integram vnam, hoc eſt, Leuiticam ſibi cultuique ſuo dedicari voluit Dominus, in qua ab anno vigeſimo & ſupra numerata ſunt hominum 23000. Num. 26. Poſtea autem ſub Rege Dauid 38000. qui omnes circa vnum Dei cultum in templo Salomonis per vices ſuas ſingulis hebdomadis occupabantur, ex iis ſex millia cæteris præficiebantur, Ianitorum erant 4000. cantorum totidem, reliqui, hoc eſt, 24000. ſacerdotibus inſeruiebant. 1. Paral. 23. Qui quidem ſacerdotes cum eſſent duntaxat de familia Aaron, à cõmunibus illis Leuitis diſtinguebantur, & in 24. diſtributi ordines per vices ſuas ſingulis item hebdomadis ſacerdotio fungebantur.

Vt autem dicam in genere quantam eorum multitudinem eſſe oporteat. Tot in primis eſſe debent, quot ſunt diſcreti actus ſeu functiones religionis, ne aliàs domus Dei deterioris conditionis ſit, quàm Regiæ terrenorum Principum & Capitolia, in quibus miniſteria miniſtris reſpondent ſingula ſingulis, vel quã fabrorum officinæ, quibus inſtrumenta nihilo pauciora ad manum ſunt quã propoſita opificia. Præterea tot eſſe debent vt præter eos qui certis alligati locis formaliter actuque Paſtoris munus obeunt, proſtent alij quidam ab eo immunes & liberi, atque

ad

Digitized by Google

ad expeditiones promptiſsimi. Habet namque Chriſtus extraneas multas oues, quæ nondum ex ouili ſuo ſunt, quas interim oportet adducere Ioan. 10. adduci autem commodè non poſſunt à Paſtoribus, quos iam ſibi vendicant oues primitiuæ & apud ſe retinent. Accerſenda itaque aliorum quorundam opera, hoc eſt, emiſſariorum qui id præſtent, quales ſi defuerunt in lege veteri nihil mirum, erat ſiquidem ad vnum contracta populum, Lex verò ſeu Eccleſia Euangelica præcipuè gentes reſpicit, & omnes fines terræ, ſicut ſcriptum eſt Pſal. 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ.* Eſt inſuper velut caſtrorum acies ordinata; in acie autem præter ſtationarios milites, non paucos videre eſt factos ad excurrendum, exercitui certè vniuerſo perutiles & neceſſarij. Conſtet itaque Eccleſia ex aliquot talium manipulis neceſſe eſt, paraturis religioni viam, atque ad eius complexum gentes adhuc incultas & ſedentes in mortis vmbra diſpoſituris. Adhæc qui munus ipſum paſtorale obeunt, premuntur ſæpenumerò tot tantiſque occupationibus, vt alieno planè adminiculo, ad prædicandum Dei verbum, ad diſpenſanda Sacramenta, ad viſitandos infirmos, vbi præſertim numeroſiſsimus eſt populus, indigeant. Corrixantur rurſus inter ſe non rarò Paſtor & populus, euenitque frequenter vt pertæſus ille, minus ſit in munere ſuo accuratus; hic verò quæ ab illo dicuntur minus boni conſulat, quouſque ira deferbuerit, quod dum fit & expectatur, percommodè licebit aliorum Clericorum vti opera in procinctu ſtantium. Et quamuis nihil interueniret diſsidij, quia tamen non facile diſcedit idem populus à falſis ſuis opinionibus cupiditati propriæ fauentibus, iuuerit præſtò eſſe aliquos, qui interdum illius doctrinam corroborent, vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Adde quod per ſe delectet varietas, & occurrat ſatietati. Difficile eſt Paſtorem etiam ſolertem, acutum, & ſi vis encyclopedia conſpicuum, non ſæpè eandem terram reciprocare. Faciamus eſſe perſpicaciſsimũ; ſemper tamen iuxta Opticos plus viſuri ſunt oculi quàm oculus. Quicumque ſuppetias allaturus ſuperuenerit, aliquid haud dubiè ſecum afferet, quod priori illi etſi fortè peritiori nunquam fortè in mentẽ venit, & interdum velut olitor magis opportuna loquitur. Nam & Gen. 38. plus valuit oratio Iudæ apud fratres

suos ad liberandum Ioseph, quam oratio Ruben qui alioqui primogenitus erat,& prius eum liberare conatus fuerat.

Postulat duodecimo vt vnus inter omnes primatum teneat, qui pręcipuè religionis iura interpretetur, omnes in officio contineat, peccantes puniat, negligentes stimulet, omnibus inuigilet, in expeditionem mittendos mittat, reuocandos reuocet,

Vtrisque

Et premere & Laxas posit dare iussus habenas

Talis haud dubiè si desit, non potest religio diu subsistere, sicut neque exercitus qui duce caret, nec Respublica quæ Principe. Vndè Azarias Dan.3.in Babylone captiuus cum dixisset, *non est in tempore hoc Princeps & Dux & Propheta*, adiecit, *neq; holocaustum neq; sacrificium, neq; oblatio, neq; incensum, neq; locus primitiarum coram te, vt possimus inuenire misericordiam tuam*, quasi insinuans extinctionem hanc religionis pendere à defectu primarij vnius Antistitis, aut si fortè subsistat, nequaquam perget esse sui simlis, sed pro cuiusque arbitrio formam nouam induet, fietque quod scriptum est Iud. 17. *In diebus illis non erat Rex in Israël, sed vnusquisq; quod sibi rectum videbatur hoc faciebat*. Sed de hoc satis, iam enim multa diximus. l. 3. cap. 1. §. 1.

Postulat decimotertiò ne publicæ desint scholæ, in quibus velut in lapidicinis formentur & expoliantur qui ad Ecclesiæ, religionisque vocandi sunt gubernacula, & successuri senioribus, qui semper viuere morte prohibentur. Neque enim discendi tempus erit quando actu præesse oportebit diuino cultui, ob idque ad tam eximiam præfecturam accedere debent multo ante instituti. Vile profectò respectu nostri erat Mosaicæ legis sacerdotium, & tamen ne ab ignaris insulsisque gereretur, habuerunt Iudæi principio suam Cariath-Sepher, id est, ciuitatem litterarum de qua Iud. 1. & Abelam, quæ per Prosopopęam sic alloquitur Ioab 2. Reg. 20. *Sermo dicebatur in veteri prouerbio, qui interrogant interrogent in Abela & sic proficiebant. Nonne ego sum quæ respondeo veritatem in Israël & tu quaris subuertere ciuitatem, & euertere matrem?* Habuerunt postea Gamalieles & scribas in lege doctissimos, à quibus futuri sacerdotes erudiebantur. Videns illorũ exemplo primitiua Ecclesia quàm sit res ista seria, eidem tantum inesse pondus, vt omnia fermè complectatur, operã dedit vt plura extarent litera-

Digitized by Google

literaturæ sacræ domicilia vt Athenæ ad quas eo fine cõcesserunt S. Basilius & S. Greg. Naz. & Alexandria vbi magnus ille Panthenus Professorem egit, sicut etiam Origenes, & Cæsarea Cappadociæ, & Constantinopolis præsertim sub Constantino magno, qui si humaniorum literarum Professores non eo vocauit solum, sed magnis prætereà muneribus & priuilegiis affecit, vt demonstrat illa ad Volusianum edita constitutio quæ incipit, *Medicos & Grammaticos*, &c. multo magis profectò pro sua singulari erga Deum pietate curauit ne sacri desiderarentur. C. l. 1. de Medic.

Tandem Ecclesiam paulò antè cum exercitu seu ordinata castrorum acie comparauimus; quis verò nescit militiæ ipsi temporali vt diu vigere possit & conseruari, ducendarum coloniarum vsum esse per necessarium? quis ignorat quantum olim studij apud Græcos & Romanos positum in eo fuerit, vt Iuuentus in palæstris inque campo Martio exerceretur in omnibus quæ facere strenui milites solent, & ibi poneret militiæ suæ tyrocinium, sine quo prauè omnino infœliciterque versatura in re tanti videbatur. Sed & prouidentia ista hodiè in Imperio Turcico maxima est omnium præsertim Constantinopoli, Adrianopoli, Alexandriæ, & Damasci. Quibus in locis ingenti cura probantur, & ad bellum strenuè gerendum præparantur, qui futuri sunt Ianizeri, de quibus Cuspinianus. *Hi impuberes adhuc ex toto imperio leguntur à Conquisitoribus, atq; aliquandiu militari disciplina sub Magistro in publicis gymnasiis instruuntur.* In Tract. de mil. Turc. instit.

Postulat decimoquartò, vt cum difficultates & quæstiones multæ circa Dei cultum & populi fidelis directionem occurrere soleant, Synodi passim legitimè & cum authoritate indicantur ac celebrentur, vt factum legimus Apostolorum tempore Act. 15. vtque in iis circumspectè magnoque ordine procedatur, & controuersiæ omnes finem accipiant, hoc quia per se clarum est probatione non indiget.

Postulat decimoquintò, vt quo maiori in honore, existimationeque sit religio, & populi fidelis affectum magis ad se rapiat, ad eum multa dicantur de Dei magnitudine cui per illam seruitur, de maiestate & perfectione, de diuinis mysteriis quæ nobis reuelare dignatus est, de summa sua in nos charitate, de ingenti mercede quam seruis suis in cœlo parat, vicissim autem de gra-

Digitized by Google

uissimo æternoque supplicio quod sine dubio manet eos, à quibus vt par est non colitur. Vnde Leuit. 26. & Deut. 28. expositis omnibus ferè scriptæ legis partibus, Deus ipse contestatur populum dicens. *Ego sum Dominus Deus vester custodite Sabbatha mea & pauete ad sanctuarium meum. Ego Dominus si in præceptis meis ambulaueritis, dabo vobis pluuias temporibus suis, &c. quod si non audieritis me, vt non faciatis ea q̃ à me constituta sunt, visitabo vos velociter in egestate & ardore, &c.*

Postulat decimosextò, in eundem finem, vt quemadmodum vasa & res alias sacras contingere non licet omnibus, cum scriptũ sit Num. 4. *Cum inuoluerint Aaron & filij eius sanctuarium, & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Cath vt portent inuoluta, & non tangent vasa sanctuarij ne moriantur.* & Exod. 20. *Constituesq; terminos populo per circuitum, & dices ad eos cauete ne ascendatis ad montem nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem morte morietur.* ita diuinæ literæ in quibus sacrosanctæ fidei religionisque nostræ continentur arcana, non prostituantur omnibus, sed profanis indignisque claudantur dicente Domino Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neq; proiiciatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi diripiant vos.* In cuius rei symbolum, volumen sacrum in lege scripta nequaquam peruium erat cuilibet, sed in angustissima tabernaculi parte recondebatur, & à solo summo sacerdote legi poterat Deut. 31. In eundem finem vsus est Christus parabolis, & caliginosas siue obscuras voluit esse scripturas sacras, non ex inuidentia, aut insipientia, aut defectu prouidentiæ vt blasphemi quidam cogitant, sed ex magna potius prouidentia, vt videlicet ab ea lectione arceantur ignorantes & profani, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Quanquam hoc etiam factum sit, vt maioris meriti sit laboriosè quæsita in eis veritas, & maioris voluptatis reperta, & nos quidem humilitatem exerceamus requirentes illarum intelligentiam ab iis quos Christus in Ecclesia sua Doctores dedit ad consummationem sanctorum; illi verò charitatem.

Porrò modus non prostituendi eas indignis damnũ potius q̃ vtilitatem ex lectione reportaturis duplex est. Primus Codices sacros inclusos tenere, ne in illorum veniant manus, sicut videntur fuisse in templo includi soliti tẽpore S. Io. Chrysost. De templis enim loquẽs Hom. 33. in Matth. ait, *Hic & lectulus est valde illo præstantior.*

tior, diuinarum enim scripturarum requies, quoniã lecto suauior est. Secundus ne in vernaculam linguam transferantur, aut translatæ aliis quam probatis ad lectionem idoneis concedantur. Ipsius Augustini tempore peragebatur in Africa latinè diuinum officium, & Euangelium legebatur, & confessio fiebat tum generalis tum priuata. Quæ omnia coniectare licet ex facto, quod idem Antistes contigisse narrat serm.36.de verbis Domini. Legerat lector verba illa Christi *confiteor tibi Pater*. quibus auditis mox cœpit populus pectus tundere, quasi ad peccatorum suorum vocatus confessionem. *Quare hoc fecistis,* inquit Augustinus, *nisi quia audistis confiteor tibi Pater? confiteor audiuistis, quis est qui confitetur non attendistis, nunc ergo aduertite.* Sanè si patrio sermone scriptum fuisset Euangelium, nihil tale fecisset populus, quia eo loco verbum *confiteor* laudare significat, vt docet idem Augustinus ibidem, & sic translatum in linguam illam patriam æquiuocationem omnem sustulisset. Post reditum populi è Babylone corrupta erat communis lingua Hebraica propter conuictum extraneorum, sicut Italica lingua est corrupta latinitas, & tamen legebantur libri sacri vt prius 2.Esdr. 8. nec prima fronte à plerisque intelligebantur, propter quod & Leuitæ & Esdras ipse ibi dicũtur functi officio interpretum. Tandem Patres Laodiceni Concilij quos non latuit, quid de hac re sentiret vniuersa primitiua Ecclesia, legem tulerunt in can.59. vt à peregrinis & vernaculis translationibus abstineretur. Qua porrò ratione scripturam vernaculè reddi nõ decet, ita nec diuinum officium peragi, nec publicas preces recitari. Neque tamen idcircò desinunt esse vtiles & efficaces. Nam si verba magica esto non intelligantur effectum habent suum dæmone occultè operante, quanto magis operante Deo habere sacra poterunt?

Postulat denique, vt in Religionis fauorem, & ad honore afficiendos fideles, qui ad finem vsque in ea perseuerauerint illorum corpora piè sepeliantur, sacro in loco recondantur, & ab externa iniuria illęsa conseruentur. Est sanè species ista officij actus quidã religionis (cui tamen hactenus peculiare caput non asignauimus, quia perpauca de eo dicenda sũt.) Primò quia protestatio fidei ad Religionem pertinet, vt dictum est l.2.c.1.§.2. sepelire autem mortuos protestatio est futurę resurrectionis, quam fide credimus. Nisi enim resurrectura crederentur amicorum corpora,

perindè esset illa brutis animantibus deuoranda proiicere, atque in sepulchris honorificè collocare. Secundò cum animabus quę Deo seruierunt honor habetur per honorificam sepulturam corporum, quibus olim vsæ sunt velut organis, & sociis, & domiciliis, Deus ipse colitur ea lege qua serui hono: redundat in Dominum. Tertiò cum corpora fidelium per specialem sepulturam ab aliis, vt digna ab indignis separantur, ex consequenti Deus cui seruierunt, magnus super omnes Deos gentium, longeq; dignissimus esse significatur. Quartò reuerentia exhibita rebus sacris Deum ipsum respicit; exhibetur autem Sacramentis quando corpora fidelium, quæ iis quondam initiata sunt, non abiiciuntur vt profana, sed honorificè reconduntur vt sancta. Quintò testis est Cicero li. 2. de legib. apud Romanos Pontificum duntaxat fuisse, quæ ad sepulturas pertinebant decernere, quia nimirum sepelire mortuum ad religionem pertinet. Vnde Vlp. l. vlt. ff. de mort. inf. sepulchrum vocat locum religiosum & l. 1. ff. de fer. docet religionis interesse vt sepulchra exornentur. & l. si sponsus ff. de donat. inter vir & vxorem, scribit quod pro sepultura datur censeri religioni consecratum. & apud ipsos Mahumetanos capite plectuntur vt religionis violatores, qui sepulchrum aliquod effringunt vel aperiunt; quam ipsam legem tulere ante eos Gordianus & Iulianus Imperatores.

Adeò quadrant hæc omnia religioni Catholicæ, vt quodnam in ea perfectius eluceat facile non sit definire. Attingam singula eodem ordine quo sunt posita.

§. 2. Primò apud nos tam sacerdotes quàm alij qui religioni præsunt, insigniaque ac propria illius munia obeunt ordinem à laico distinctum efficiunt, vt fatentur aduersarij, atque ita distinctum vt neque Laici obeant vel obire se posse aut debere credant, quæ ab illis ex proprio instituto fiunt, & inter religionis actus primas tenent, cuiusmodi sunt sacrificare, sacramenta conficere & administrare, Ecclesiæ ministros instituere, &c. neque vicissim illi quæ Laicorum sunt propria, non mechanicis artibus operam dare, non negotiari, non bella gerere, non in reos capitis sententiam ferre. Dixi quæ inter religionis actus primas tenent, quia reliqui omnibus etiam Laicis conceduntur, vt orare, Deum laudare, vouere, &c. immò interdum imperantur: augustiores autem,

Digitized by Google

vt sacrificare, Sacramenta conficere, &c. voluit Deus à certis tantum Ministris ad hoc consecratis proficisci, partim vt talium actuum dignitas magis appareret, partim vt ipsius Dei maiestas inde esset conspectior, non promiscuos, sed certos sibi ministros vendicantis, & quidem solenni ritu ad eiusmodi ministerium consecratos. Sed inquies nonne Laici quoque apud vos baptizant atq; ita Sacramentum conferunt? Respondeo baptizant quidem sed in necessitate tantum non habente legem, & postulante iuxta verissimam doctrinam sancti Augustini in epistola ad Fortunatum, vt absentibus Clericis Sacramentum illud sine quo ait Christus Ioan. 3 neminem ingressurum regnum cœlorum, periclitanti puero à quouis conferatur. At non extra necessitatem, nec in necessitate solenniter, id est, adhibitis cæremoniis, quod sufficit ne absolutè & simpliciter dici possint Laici Sacramenti huius administratores.

Secundò, eidem ordini Clericali sacris præposito Laici nostri omnes primas deferunt. Quoties publicè procedunt, præeunt Clerici, hi verò sequuntur esto Reges sint & principes. Quoties celebrantur Comitia, illi quid sentiant eloquuntur primi. Quoties ad Imperatorem Electores conueniunt, Ecclesiasticos ad dextram habet ad læuam seculares. Quoties ferè mensæ accumbitur in more habent Laici Clericis habitum gestantibus, & mores eo dignos præseferentibus primos accubitus vltrò deferre. In horrea si messis conditur, antè omnia fit satis iuri Clericorum, penduntur illis decimæ, priusquam ex agro Dominus vel spicam auferat. Si ad summum Pontificem scribunt literas, dignantur eum Patris nomine ipsimet viri Principes, quo aptius nullum seligi potest ad profitendam illius præminentiam. Ipse vicissim in rescriptis suis dilectos filios vocat, quo eos inferioris ordinis esse confirmet & commonefaciat. Quid dico Pontificem? etiam Religiosi paulò insigniores ab iisdem simili voce compellantur. Si decernit Magistratus secularis legem aliquam, præcauet ne id faciat cum præiudicio alicuius Ecclesiasticæ, memor verborum Iustiniani. *Leges ciuiles sacros canones sequi non dedignantur.* Vnde refigit eas postquam cum his non cohærere factus est certior. Exemplum statuerat Ferdinandus Hispaniarum Rex ne bona stabilia transire possent ad moniales ordinis S. Dominici Ma-

Auth. de Cler. apud Prep. §. penult. & ll. 6.

ci Madridij; quamprimum tamen admonitus est à Gregorio IX. id repugnare Eccles. iuribus irritum fecit quod decreuerat. Ediderat Franciscus Primus Galliarum Rex pragmaticam illis æquè aduersantem, sed refixit eam expostulatione audita Leonis Decimi.

Tertiò fœminis apud nos aditus omnis præcluditur ad Religionis præfecturas & officia vt constat, credimusque hoc interdictum niti iure diuino iuxta doctrinam S. Thomæ in Addit. ad 3. part. quæst. 39. articul. 1. ne quidem licet illis ad altare ascendere, aut Presbytero sacris operanti ministrare cap. 1. de cohab. Cler. & mul. nec sacris virginibus pallas tangere can. sacratas dist. 23. At nunc complures sunt Abbatissæ, & quidem iuxta eundem sanctum Thomam supra quæst. 19. art. 3. excommunicandi potestate præditæ, & olim erant Presbyteræ & Diaconissæ? Quis item nescit fœminam aliquando assumptam ad Patriarchatum Constant. & Ioannem VIII. Pontificem Romanum fuisse fœminam? Respondeo Abbatissas præfici non Religioni sumptæ pro principali Dei cultu de quo hic loquimur, sed pro ordine cœtuque sacrarum virginum sub regula viuentium, & Presbyteras & Diaconissas sic dictas, non quod sacrificarent aut seruirent altaribus, sed quod vxores essent virorum qui postea ordinati sunt in Presbyteros & Diaconos, vel quod essent ætate prouectæ vt Presbyteri, vel quod vt illi in Ecclesia obirent pia quædam ministeria, verbi gratia, custodiebant portas per quas in templum fœminæ solæ ingrediebantur ex Ignatio epist. 12. lauabant defunctorum corpora ex Epiphanio hæresi 79. puellas sanctè instituebant, &c. Non dicit S. Thomas posse Abbatissas excommunicare suas subditas, sed tantum punire ac dirigere. Fœminam aliquando prouectam ad sedem Constant. fateor. Id enim exprobrauit eiusdem loci Archiepiscopo Leo IX. epist. 1. cap. 23. sed cum id errore factum sit, & per summam fœminæ illius simulationem alienum sexum mentientis, & contra sacros can. nihil habet virium. Idem responderi posset obiectioni de Papissa Ioanna si verum esset, quod de ea scripsit Platina cum quibusdam aliis, sed falsum reuera est, vt demonstrat Onuphrius in Plat. & Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. cap. 24.

Quartò

Digitized by Google

Quartò amicitur Clerus noster propriis vestibus. Exemplum. Summo Pontifici peculiaris est corona triplex, quia vniuersalis est Christi vicarius, eumque repræsentat. Christus autem tria gessit officia, quibus coronæ decerni solent. Fuit enim sacerdos Psal. 109. & Rex Psal. 2. & Doctor Isa. 30. Archiepiscoporum proprium est pallium, sicut galerus Cardinalium & purpura, de quo pallio extant non pauca in c. antiqua. de priuil. quod quia pelle suffulcitur agniculi, admonet vt illius innocentiam & mansuetudinem moribus suis præseferant; galerus autem rubeus & purpura, vt parati sint ad fidem tuendam, sanguinem vitamque profundere. Episcoporum propria mithra est, cum baculo pastorali & annulo. Mithra seu cydaris bicornis est, vt scientiam vtriusque testamenti capitis sui ornamentum esse debere cognoscant, baculo vtuntur vt minimè dissimulanda, sed castiganda commissi sibi Cleri, gregisq; reliqui delicta intelligãt, annulo autem vt desponsatæ sibi Ecclesiæ memoriam nunquam deponant, nec curã & patrocinium. Sacerdotum & inferiorum Clericorum extra sacra habitus communis est pileus quadratus, cum talari tunica nigra, vel pallio oblongo cui subsit tunica ad suras vsque protensa. Quem habitum si diu abiiciant, & pœnæ graui erunt obnoxij, & priuilegio non gaudebunt Clericali c. Episcopi, & c. fine ornatu 21. q. 5. Dum autem operantur sacris amictum habent, albam, cingulum, &c. quorum omnium mysticas significationes fusè prosequuntur Durandus & Suarez 3. p. q. 83. a. 3. sect. 2. Quid plura? etiam choralibus pueris suus est habitus proprius, itemque matriculariis, esto propriè Clerici non sint. Veste quippe distingui debent à Laicis & vestiri superpellicio ex decreto Conc. Coloniensis c. 13.

Quintò habet Clerus noster proprios sui ordinis Iudices à Laicis distinctos à quibus cum peccat puniatur, vel ex eius licentia ab aliis. Quod proprios habere debeat etiam diuino iure definitum peremptoriè est à variis Pontificibus & Conciliis vt à Bonifacio VIII. in cap. quanquam de Cens. à Joanne VIII. in cap. si Imperator d. 96. in Concil. Lateran. sub Innocentio III. cap. 43. in alio Lateran. sub Leone X. sess. 9. in Colon. p. 3. cap. 20. in Trident. sess. 25. cap. 20. de reformat.

Digitized by Google

Receptum idem præterea eſt & agnitum communi conſenſione & vſu ipſorum Laicorum, apud quos ante infœlicia hæc tempora in quibus partim auaritia, partim hæreſis Eccleſiæ iuribus & bonis quidquid poteſt detrahit, nulla fuit de hac re difficultas, cum non ignorarent ipſorum etiam Leuitarum Iudices in lege ſcripta fuiſſe Leuitici generis (Habebant enim proprias ciuitates, & ſeparata ab aliis domicilia, Deuter.10. Ioſ.21. communes autem cauſæ à Iudicibus propriis cuiuſque ciuitatis, & vt loquitur ſcriptura intra eius portas commorantibus iudicabantur, Deuter.17.) tanto autem æquius eſſe vt hoc priuilegio gaudeant Sacerdotes legis gratiæ, quanto eſt ipſa præſtantior. *Nunc quippè & ordo clarior Leuitarum, & dignitas amplior Seniorum, & Sacratior vnctio Sacerdotum*, vt loquitur S.Leo, ſermone octauo de paſsione Domini. Cum præterea viderent quàm eſſet indecens conſecratas Deo perſonas à profanis iudicari, Patres à filiis, Magiſtros à diſcipulis caſtigari, iuxta illud Gregorij Magni in epiſt. ad Hermannum Metenſem Epiſcopum. *Quis dubitat Sacerdotes Chriſti Regum & Principum, omniumq́ fidelium Patres & Magiſtros cenſeri? Nonne miſerabilis inſaniæ eſſe cognoſcitur, ſi filius Patrem, diſcipulus Magiſtrum ſibi conetur ſubiugare, & iniquis obligationibus illum ſuæ poteſtati ſubiicere, à quo credit non ſolùm in terris, ſed etiam in cœlis ſe ligari poſſe & ſolui?*

Petiuerat ſuppliciter Venetorum Dux ab Alexand.III. vt in ditione ſua Iudex eſſe poſſet Clericorum in cauſis pecuniariis, vt habetur in Tom.3. Concl.p.2. agnouit itaque iudicium hoc nequaquam ad ſe de iure pertinere, quanto minus criminale? Vetuſtior eo Carolus Magnus in ſuis Capitular. lib.5.cap.33.& 34. poſt diligenter conſultos Leonem Papam, & Epiſcopos, & regni Miniſtros ſtatuit, & declarat alios Iudices non eſſe Clericorum quàm Clericos, hoc eſt Epiſcopos. & Conſtantinus, vt iam dictum eſt ſuum non eſſe declarauit eos iudicare, ſed ab iis potius iudicari.

Sextò perſpicua, & in oculis omnium poſita eſt eorundem Clericorum noſtrorum Hierarchia, quam niſi agnoſcerent Caluinus & Beza impugnandam non ſuſcepiſſent ille quidem, lib.4. Inſt.cap.5,n.13. hic verò in epiſt.1. Eminet in ea ſummus Pontifex vniuer-

vniuersalis Christi Vicarius ordine sibi subalternans Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Sacerdotes simplices, Diaconos, Subdiaconos, Acoluthos, Lectores, Exorcistas, & Ostiarios. vt nihil dicam de Collegio Cardinalium, de Ordinibus Regularibus, de Capitulis, in quibus pulchra quoq; graduum inuenitur diuersitas. Extat in eadem potestas inæqualis tam ordinis quàm iurisdictionis. Ordinis & Confirmationis Sacramenta Episcopi soli regulariter conferunt, & qui iis supereminent, reliqua inferiores Sacerdotes, vt definit Trid. Syn. sess. 25. Absolutam iurisdictionẽ in omnes Christiani orbis partes habet solus summus Pontifex B. Petri successor, cui vni ac soli dictum est indefinitè, Ioan. 21. *Pasce oues meas, pasce agnos meos*, & Luc. 22. *Cõfirma fratres tuos.* Reliquorum iurisdictionem certi fines circumscribunt. Nec obstat quod Episcopi successerint Apostolis, quibus datum fuit vbilibet obire quæ sui erãt muneris, quia non successerunt in tota iurisdictione (principio namque decuit, vt Apostolis liceret quocunque ire, & Euangelium circumferendo quascunq; occasiones arripere faciendi Christianos, sic tamen vt vbiq; crearent, & ponerent Episcopos non quorum pariter munus esset mundũ peragrare, aut toti mundo præesse, seruatum hoc est solis Petri Successoribus, sed qui residerent, & stationarios belli Duces imitarentur, Christianosq; iam factos assiduè excolerent, vndè Paulus Titum solis præfecit Cretensibus, Ephesiis Timotheum) sed successerunt in tota potestate ordinis quæ cum nobilissima sit ac præcipua, sufficit vt absolutè illorum Successores censeantur, & Episcopatus pro Apostolatu accipiatur, vt Actor. 1. *Episcopatum eius accipiat alter.*

Septimò, à Solis Ecclesi. eliguntur, visitantur, examinantur, & promouentur. Non quod non contigerit aliquando creari Antistites & alios ab Imperatoribus, sed vsurpatio ista fuit nullo iure subnixa, vt patet ex decretis Gelasij & Callixti, 16. quæst. 7. cap. 23. & sequent. quibus similia habentur in distinct. 63. can. 1. & sequent. Et quamuis canon qui incipit *nosse* populi consensum requirere videatur, quando periculum est ne tumultuetur, non tamen idcircò eligendi, assumendiq; potestatem. Sic enim loquitur. *Sacerdotum est electio, & fidelis populi consensus adhibendus est, quia docendus est populus non sequendus.* Obediunt & accommodant se his

canonibus hodierni quoque Reges & Principes pro sua pietate atque modestia, non minus quàm Honorius & Theodosius sic rescribentes Præfecto Illyrici c. de summa Trin.lib.6. *Omni innouatione cessante canones Eccles. qui vsq; tunc tenuerunt, seruari præcipimus,* aut quam Valentinianus & Martianus sic loquentes c. de sacros. Eccles.lib.12.& 13. *Omnes pragmaticas sanctiones quæ contra Eccles.canones editæ sunt robore suo vacuatas cessare præcipimus.* Nominant quidem nonnulli ad prælaturas & prioratus conuentuales, sicut & Patroni Ecclesiarum ad Ecclesias quas fundarunt, sed præterquã quod hoc ius concessum sibi est ab Ecclesia, hæc nominatio non est institutio, sed mera oblatio repulsæ obnoxia, si digni non deprehẽdantur ab eadem Ecclesia, qui offeruntur. Adhæc quotannis semel vel quouis saltem biennio visitantur & visitari iubentur Ecclesiæ non à Laicis, sed à propriis Episcopis. C.Trid.sess.7.c.8.& sess.24.cap.3. idq; admodum accuratè ad Dei gloriam & salutem animarum. Præcipitur insuper vt delectus magnus habeatur ordinandorum, nulloq; modo admittantur quos merito excludit, vel morũ corruptela, vel turpis ignorantia, vel natalium defectus aut corporis, dist.24.can.5.dist.46.can.7.& 8.Conc.Trid.sess.23.c.7.& 14.sessione autem 6.cap.3.irritas declarat collationes omnes beneficiorum factas indignis & inhabilibus.

Octauò, vetantur sub grauibus pœnis secularia exercere munia, distinct.88. canone 3. vt negotiari ibid.can.9. vt procuratorem agere rerum ciuilium canone 5.vices agere Dominorum temporalium, venari cum canibus, tabellionatum exercere, lib.3.& 6.decret.tit.ne Clerici vel,&c. in aulis Principũ diu versari non substante necessitate, tit.de Cler.non resid. alea ludere, comam alere, virgatis ac profanis vti vestibus, tabernas frequentare, vacare poculis,&c. tit.de vita & honest.cler. Quæ licet ita sint, tamen cum vrget necessitas, aut ita postulat charitas quæ debetur, pupillis, viduis,& pauperibus, tractare possunt Clerici secularia aliqua negotia præsertim ex licentia vel commissione Episcopi, dist.88.can.1.& 6.

Nono profitentur omnes vitam cœlibem, quo sint ad seruiendum Deo expeditiores. Hanc professionem non negant quidem aduersarij, temerariam tamen vocant, & vi extortam, & ab omnium Clericorum moribus alienissimam. Sed quo iure temerariam

Digitized by Google

rariam, cum probata sit superiore 5. esse religioni maximè consentanea, & consulat illam Christus dicens: *Sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat.* Et non nitantur cœlibes viribus propriis, sicut nec Salomon cum diceret Sap. 8 *Sciui quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det.* Sed Dei auxilio qui ait: *Petite & accipietis,* Luc. 11. Et apud quem non est impossibile omne verbum, Luc. 1. Qui vbi dedit velle dat & perficere, Philip. 1. & 2. Esto in cœlibatu pergant circumferre carnis concupiscentiam, cur tamen ad eam frenandam non sufficiat in illis diuina gratia, sicut in Apostolo, 2. Cor. 12. Si illius compescendæ solum remedium esset coniugium, quomodo diceret idem Apostolus, 1. Cor. 7. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem? quomodo virginitatem ipsam consuleret? quis nescit coniugio eiusque vsu non sedari concupiscentiam, sed magis irritari, longeq; esse facilius nunquam tentatis carere voluptatibus quam vsurpatis, sicut durior est egestas quam præcesit opulentia, quàm quæ fuit à principio? Quo item iure vi extortam, cum sic Episcopi semper alloquantur, quos promouent ad Subdiaconatum: *Fratres dilectissimi ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendi, iterum atq; iterum considerare debetis attente, quod onus hodie vltrò appetitis. Hactenus enim liberi estis, licetq; vobis pro arbitrio ad secularia vota transire, quod si hunc ordinem susceperitis amplius non licebit à proposito resilire, sed Deo cui seruire regnare est famulari, & castitatem illo iuuante seruare oportebit, atq; in Ecclesia ministerio semper esse mancipatos. Proindè dum tempus est cogitate, & si in sancto proposito perseuerare placet, in nomine Domini huc accedite.* Qua denique veritate omnium mores ab ea professione discrepare? Aliquos cœlibatus sui vincula infringere, sicut est probabile, ita omnes spurcitiæ se dare, vt contendunt aduersarij (alios ex se metientes) omni vacat veri specie, vereque licet hoc ipso tempore dicere cum Athenagora: *Reperire est apud nos permultos, & viros & mulieres, qui in cœlibatu consenescunt spe illa adducti, quod in tali genere vitæ conuersari prolixius cum Deo possunt.* Et: *Qui forum stupri constituerunt, & iuuentuti ludos aperuerunt omnis fœdæ voluptatis, ac libidinis ne masculis quidem parcentes, de eisdem flagitiis nos quoq; insectando criminantur, probris afficientes cœlibatus cultores.* *In orat. pro Christ.*

Decimo inaugurantur omnes præsertim autem Pontifices, Episcopi, & Sacerdotes multis solennibus sacrisque ritibus, qui

Digitized by Google

habentur in Pontificali Romano, & hic ne breuiter quidem perstringi commodè possunt; tàm autem sancti sunt plenique maiestatis, vt eos solus improbaturus sit qui fuerit improbissimus, omnia etiam sanctissima contactu fœdo inquinans, dapes ore polluens, & vestigia fœda relinquens. Admiscentur iisdem orationes piissimæ quibus Antistes, quos initiat officij sui grauissimis verbis admonet, diuinaque eis charismata comprecatur, vt cum ad Sacerdotes ait: *Seruate in moribus vestris castæ & sanctæ vitæ integritatem, agnoscite quod agitis, imitamini quod tractatis, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra à vitiis & concupiscentiis omnino procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei, sit odor vitæ vestræ delectamentum Ecclesiæ Christi, vt prædicatione atque exemplo ædificetis domum, id est, Ecclesiam Dei, quatenus nec nos de vestra prouectione, nec vos de tanti officij susceptione damnari à Domino, sed potius remunerari mereamur.* Et infrà: *Tu Domine super hos famulos tuos quos Presbyterij honore dedicamus, munus tuæ benedictionis infunde, & grauitate actuum & censura viuendi probent se seniores, his instituti disciplinis, quas* Tito *& Timotheo Paulus exposuit, & in lege tua die ac nocte meditantes quod legerint credant, quod crediderint doceant, quod docuerint imitentur, iustitiam, constantiam, &c.*

Vndecimò, præter immensam ac penè innumerabilem eorum multitudinem, qui partim Episcoporum partim Parochorum personas sustinent, velitant complures alij ex Regularibus Ordinibus, præmittuntur ad parandam viam Domini, Religionis fines amplificant, errantes animas fœlici Christi iugo subiiciunt ad omnia parati. Hoc nemo nescit aut negat.

Duodecimò, præest illis omnibus, & præesse debere creditur vnus Romanus Pontifex B. Petri successor, vt demonstratum est lib. 3. cap. 1. § 3. & cum præsit, de omnibus quæ ad religionem spectant curam gerit, schismata præcidit, cõtrouersias dirimit, interrogationibus respondet, omnes in officio continere studet, pro tempore & loco opportunas leges condit, zelum temperat eorum, qui pietatis studio ad barbarorum terras vela dare gestiunt, eo mittit magno delectu quos in hunc finẽ nouit aptissimos, &c.

Decimo tertiò, præter simplices, seu vulgares scholas pleræque nobis Academiæ per celebres sunt, pleraq; Collegia, in quibus qui aspirãt ad dignitates, & ecclesiastica munera doctrinam, &

& bonos mores imbibere commodè possunt. Inter Academias excellunt hodie Parisiensis, Bononiensis, Coloniensis, Louaniensis. Complutensis, Salmanticensis, Eborensis, Moguntina. Herbipolensis, Ingolstadiensis, Dilingana, Mussipontana, Duacensis, &c. & Concil. Tridentinum statuit in sess. 23. cap. 18. vt singulæ Ecclesiæ Cathedrales, ac metropolitanæ, & his maioribus aliæ pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum ipsius ciuitatis, & diœcesis, vel eius prouinciæ si ibi non reperiantur, numerum, in Collegio ad hoc propè ipsas Ecclesias, vel alio in loco conuenienti ab Episcopo eligendo alere ac religiose educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. Quo etiam loco præscribit in quo sancta hæc educatio sit posita, quid in ea obseruandum quid vitandum. Vnus Gregorius XIII. vt exemplo Antistitibus vniuersis, tàm pium ac religiosum opus commendaret, fundauit in vrbe seminarium Germanicum, quin etiam amplissimo dotauit censu.

Præterea erexit ibi anno Pontificatus sui secundo Hungaricum, anno quinto Neophitorum, in quibus etiam Chaldæi & Armeni instituuntur, Anglorum quoque & Græcorum. Anno nono Vienense in Austria. Pragense in Bohemia, Grecense in Styria, Omolucense in Morauia, Branspurgense in Brussia, Mussipontanum in Lotharingia, quod posteà Duacũ translatum fuit. Anno vndecimo, Vilnense in Lituania, Claudiopolitanum in Transyluania. Fuldense in Franconia, ac demum in vltima Iaponia Fuanense, Arimense, & Anzuganense. Ad quæ quidem seminaria vix aliqui admittuntur, nisi quibus animus est clericandi vt vocant, ob idque præcipuè in sacris religiosisque institutis exercentur, donec formetur in eis Christus, & in lucernas euadant ponendas supra candelabrum in domo Domini; simul tamen humanioribus quoque disciplinis imbui solent, cuiusmodi sunt, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Mathematicæ. Nec refert quod à Gregorio magno interdici videantur Clericis lib. 9. epist. 48. vbi Episcopum quendam eo nomine seuerè arguit, quod Grammaticam profiteretur. Ad hoc respondet Gratianus in distinct. 37. can. *Turbat acumen.* Episcopum illum reprehensum non quod eiusmodi peregrinas scientias didicisset, sed quia contra Episcopale officium pro lege Euangelica Grammaticam populo ex-

lo ex-

lo exponebat. Iam verò qui in Academiis & Seminariis illis eam docent Episcopi non sunt, sed seculares vel Clerici, iuxta instituti sui rationem hoc munere fungentes inter cætera, quod licet ratione obiecti adeò spirituale, & religioni affine non videatur, est tamen ratione finis ad quem ordinatur, studium nempè Theologicum, ad quod reliqua omnia tanquam inferiora & ancillaria diriguntur; educatio item pia Iuuentutis, cuius egregia captatur occasio, cum studia hæc alia eius propria pertractantur. Tacco quod supra dicebam, etiam quæ secularia sunt ex charitate attingi posse à Clericis, quando id non repugnat aliis eorum muniis. At quomodo charitas non sit gratis docere literas illas à quibus præclara multa ingenia paupertate abstrahuntur? Nisi in eis vtilia quædam extarent, non diceret Spiritus sanctus Eccles. 9. *In terram alienigenarum pertransibit sapiens bona enim & mala in omnibus tentabit.* Nec testaretur S. August. lib. 3. Conf. cap. 4. Se lecto Ciceronis Hortensio à rerum vanarum spe, & curarum terrenarum desiderio ad sapientiæ amorem, & ad cœlestia contemplanda, & diligenda fuisse traductum, nec de Iustino Martyre legeremus, quod à gentilismo recesserit propter lectam nescio quam Platonis sententiam. Non fuisset eruditus in omni scientia AEgyptiorum Moyses fidelissimus Dei famulus, nec citasset ex Gentilibus sententias aliquot Apostolus. 1. Cor. 15. & Tit. 1. Nec S. Hieronymus, tàm multa ex illorum penu deprompsisset, si vel interdicta essent simpliciter, vel adduci nequirent sine pollutione candoris rerum sacrarum, vt ei obiiciebatur. Ad quod respondet non indè contaminari sacra, sed extorqueri de manibus hostium gladium, & Goliath superbissimi caput proprio mucrone truncari: *Sunt videlicet ab aduersariis petita testimonia ad fidem validiora*, inquit S. Basilius in orat. de Natiuit. Christi. Vnde & Daniel ac socij in Chaldæorū libris versati sunt eodem Hieronymo teste, in cap. 1. Dan. non vt contentas in iis vanitates sequerētur, sed vt subindè damnarent eas ac conuincerēt, quod certè aliter facere nequiuissent, sed risui patuissent omnium si Matheseos, v. g. ignari aggressi fuissent aduersus vana perniciosaq; Genethliacorum dogmata disputare. Accedit occurrere vulgò in scripturis quam plurima, quæ explicari ab imperitis liberalium artium minimè possunt, v. g. quomodo in horologio Achaz linearum vmbra descendere potue-

potuerit 10. gradibus, quale horologium fuerit eſſeque debuerit, vt hoc fieret, quid graduum nomine ſignificetur, quanta fuerit retroceſsio, id eſt, quot horarum, quodnam diei tempus antemeridianum an pomeridianum.

Decimoquartò, habet apud nos ſummus Pontifex, & habere creditur auctoritatem cogendi ſynodos etiam generales, tàm ad componenda quæ occurrunt in fide controuerſa, quàm ad Eccleſiaſticam diſciplinam, & religionem nitori ſuo primo reſtituendam, qua quidem auctoritate ſic vtitur, vt præter quam plurima Concilia prouincialia, hucuſque celebrata ſint minimum 17. generalia quorum poſtremum fuit Tridentinum. Cum autem celebrantur, mirum quanto cum ordine, & quàm rectè gerantur vniuerſa. Indicitur primum ab Apoſtolica ſede ſynodus, proferuntur cauſæ illius grauiſsimæ, locus & tempus definiuntur, iubentur intereſſe Ordinarij qui poſſunt, & alij quorum intereſt. Secundò, à Legato vel Oratore aliquo præſtantiſsimo, quem Pontifex vel Cardinalis qui eius vice præeſt ſynodo, conſtituerit, admonetur grauiſsimè cœtus vniuerſus, vt quorſum venerit, quanti momenti rem propoſitam habeat, qualis de cœlo Cenſor ſit interuenturus, ſeriò ſecum cogitet, vnam Dei gloriam & animarum ſalutem ſibi præſtituat, & non niſi paratiſsimus ad dicendam ſententiam accedat. Tertiò, indicuntur preces publicæ, & admonentur omnes, vt non ſolum in conuictu & conuerſatione modum ponant, ſed etiam iugi oratione, pietatis operibus, ſacrificij oblatione, vſuque ſacramentorum diuinam opem conentur accerſere. Mandatur prætereà ſelectiſsimis Theologis, vt quid de litigioſo vno religionis fideiue articulo ſit ſentiendum diligenter expendant, inſtitutis ad hoc priuatis publiciſque colloquiis & diſputationibus, ac tandem quid iuxta ſcripturas ſacras, iuxta ſuperiora Concilia, & ſacros canones & dicta Patrum concluſerint, conſtituta die Epiſcoporum cœtui renuntient, vt ab iis approbetur, ſi in Spiritu ſancto congregatis videatur approbatione dignum, vel reprobetur ſi ſecus. Qui tamen Epiſcopi non ita fidunt illorum indagini, quin ipſi etiam per ſe, & priuatos Doctores ſuos quid de propoſita re ſentiendum ſit diligenter inquirant, ne aliàs tentent Deum, & medium aliquod

Vuu ad

ad veritatem certò eliciendam prӕteriiſſe videantur. Haud dubiè rationi in primis conſentanea eſt, & ad hunc finem accommodatiſsima prӕſtantiſsimorum Doctorum interrogatio, eo quod vniuſcuiuſque in ſua arte iudicium magni eſt faciendum. Scio Caluinum pro ſua maledicentia, eos non doctiſsimos ſed bardos ac Bœotos vulgò fuiſſe ſcribere, prӕſertim qui Tridentum conuenerunt. Id de Soto probat, quia *Sot* gallicè ſtupidum ſignificat. O Achilleum argumentum contra virum maximè, qui ex Gallia oriundus non erat, nec vnquam fortè Galliam adiuerat. De cӕteris vnde id habet? Ergo ſtupidi fuerunt Staniſlaus Hoſius, Didacus Couarruuias, Paulus Iouius, & ex Theologis Franciſcus Torrenſis, Alphonſus Salmeron, Alphonſus à Caſtro, Simon Vigor, Claudius de Sainctes, Michaël de Medina, Ioannes Heſſelius, Cornelius Ianſenius, Benedictus Arias Montanus, qui omnes inter cӕteros & Concilio interfuerunt, & perdoctis ſcriptis ſuis ſeculum noſtrum illuſtrarunt?

Decimoquintò, prӕcipua fidei noſtrӕ myſteria, & accepta à Deo beneficia quotannis ſolenniter, publicè, magnaque religione & decentia recolimus. In Decembri filij Dei in terras aduentum commemoramus, & concionando multa dicimus de ardentiſsimo illius deſiderio, quo Prophetӕ olim ſanctiſsimi tenebantur, vt melius intelligamus quanto ſimus obſtricti beneficio nos, quibus conceſſum eſt ampliſsimo illo fructu potiri. Cum dies natalis Chriſti adeſt, toti ſumus in admiranda, prӕdicanda nobiſque congratulanda tanti Regis in prӕſepio quondam iacentis humilitate. Calendis Ianuarij ſpectamus oculis mentis, & deſcribimus inflictum illi vulnus, & circumciſionis myſterium, in quo noſtrӕ redemptionis opus proprij ſanguinis effuſione auſpicari voluit, obidque Ieſu nomine tunc temporis inſigniri. Paulo poſt in Magis Chriſti adoratoribus vocationis noſtrӕ primitias agnoſcimus. Sequitur initio Februarij tempus illud in quo idem Dominus deliteſcens prius in ſtabulo ſiſtitur in templo, & ſe tanquam cœleſte iubar Simoni viro ſanctiſsimo, Annӕ viduӕ, aliiſque non paucis videndum prӕbuit tanto cum gaudio, quanto ſenem illum perfuſum legimus. Quӕ quidem omnia vt arctius in mente defigerentur, Eccleſia ſolenni pompa & celebritate

britate & lucernis accenſis in oculo & conſpectu conſtituit. Iam vero cum ieiunij tempus appropinquat, quod ille ad 40. dies produxit, toto illo multa de hac corporis maceratione diſſerimus, & pro noſtra virili cum ipſo ieiunamus. tum quia exemplū dedit nobis, vt quemadmodū ipſe fecit ita & nos faciamus; tum vt ſacroſanctam Euchariſtiam, vbi Paſcha venerit purè ſuſcipiamus. Sub eiuſdem ſpatij finem eundem Chriſtum animis in cruce contuemur, ludibria, contumelias, diros cruciatus, mortem deniq; ipſam cauſa noſtra perferentem. Atque in hoc argumentum noſtra latè excurrit oratio. Et quoniam pro nobis crucem ſubire voluit, ne peccato ipſum denuo crucifigeremus, nec regnaret peccatum in noſtro mortali corpore, ſed vt peccatis mortui iuſtitiæ viueremus, multa tunc de peccati malitia eloquimur, quæ nos in perfectum illius odium deducant, vtpotè quod tantos labores ipſimet Dei filio attulit. Sequitur Paſchæ dies, in quo exultabundi laudibus, hymnis, pompa celebri illius à morte excitati victoriam, & triumphum prædicamus. Non ita multò poſt eiuſdem in cœlum aſcenſum mente ac verbo recolimus, vt intelligamus eſſe nobis cum illo ad beata illa tabernacula ſummis conatibus anhelandum. Nec prætermittimus immenſum illud beneficium, quo Spiritus ſanctus Chriſti diſcipulos amore, & linguis igneis inflammauit, qui frigida ſubinde hominum corda incenderent, Chriſtum deniq; imitantes qui Sanctorum ſuorum memoriam perfectè retinet, eoſdem in cœlis ineffabili hononore afficit, eandem nos memoriam in terris debita veneratione proſequimur. Sed præcipuè admirandum diuini numinis ſacrarium ſanctiſsimam Virginem Mariam colimus, illiuſque opem afflictis proſtratiſque rebus fidenter imploramus.

Decimoſextò, ſacra profanis patere non ſinimus, ſed quantum expedit clauſa tenemus, ne alioqui vileſcant, & in ipſis religio. Templa extra diuinum officium vix reſeramus, maximè partem præcipuam quæ chorus dicitur, & ſacramenta, & libros, & veſtes ſacras incluſas tenet. Ad virgines Deo ſacras, quæ Moniales vocantur, aditus ſecularibus omnibus ſub graui pœna interdicitur, illæ viciſsim Monaſterij ſepta egredi prohibentur. Eandem

dem ob cauſam viuunt ſegregati, qui Regulam aliquam profeſsi ſunt, vel ſolitudinem, ne cum mundo conuerſantes ab illo inquinentur, cui propter Chriſtum renuntiandum putauerunt. Aut ſi vt ei proſint, ineant iuxta inſtitutum ſuum cum illo conſuetudinem, attendunt ſibi & attendere iubentur, vti vſque ad aras hoc fiat, ne conſuetudo illa modo careat, ſed ſatis ſit vt impleatur quod ſcriptum eſt: *Recupera proximum tuum ſecundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Ad hæc diuinum officium vernacula lingua non peragimus, nec ſcripturas ſacras ex hebræa, græca aut latina in eam conuerſas vulgo legendas damus, quia id Chriſti & Sanctorum vetat inſtitutio, eſtque propter multa inconueniens vt vidimus, quidquid in oppoſitum calumnientur & garriant aduerſarij, nunc dicentes pugnare nos cum præſcripto Apoſtoli, 1. Cor. 14. ignotæ linguæ vſum in Eccleſia improbantis, nunc cauſantes priuari à nobis populum iure ſuo, & fructu maximo atque neceſſario, quem ex lectione verbi Dei, ſi vernaculè redderetur perciperet, nunc metu nos percelli ne ſi legeret illud, errores noſtros detegeret. Sed enim non loquitur citato loco Apoſtolus de diuinis officiis, in quibus offertur ſacrificium, hoc eſt de Miſſa, ſed de concione, quam vult fieri lingua patria, vt ædificetur & inſtruatur, & dicere poſsit Amen ſuper benedictione, id eſt, piè approbare vera quæ audiet, ac velle facere quæ conſulentur bona; non autem peregrina. vt fiebat ex toto, vel magna ex parte à curioſis quibuſdam, & vanis vt ſcioli viderentur, eſſentque admirationi populo. At nonne vult orationes quibus plena eſt Miſſa intelligi ac proindè vernaculè recitari? Reſpondeo vult intelligi, ſed ab illo qui orat, ob id enim ait: *Si orem lingua ſpiritus meus orat, mens autem mea ſine fructu eſt.* Sacerdos autem eſt qui orat in Miſſa, eidemque peregrina ſeu ignota non eſt latina lingua. Quod ad populum nullo ſuo iure priuatur, quia vel legere nouit vel non. ſi nouit proponitur illi vernaculè in Catechiſmo ſummarium omnium quæ credere tenetur, & facere ex ſacris depromptum literis, cætera eidem à Concionatoribus pro vt fert occaſio vernaculè redduntur & exponuntur. ſi non nouit ſuperflua eſt reſpectu eius vulgaris tranſlatio. Deinde ſi neceſſaria illi eſſet hæc lectio, debuiſſet Deus indere omnibus legendi ſcientiam, ne alias non

Eccleſ. 29.

ſatis

Digitized by Google

ſatis omnibus proſpexiſſe videretur. Adhæc vel populares qui legere norunt, eam per ſe poſſunt rectè ac ſufficienter intelligere, & interpretari vel non. ſi poſſunt, ergo fruſtra Deus dedit illis doctores Epheſ. 4. à quibus docerentur, & falsò ſcripſit Caluinus ad verſic. 27. capitis 13. Act. quod *tametſi Dominus per ſcripturam illuceat, non omnibus tamen ſint oculi.* Si non poſſunt, ergo ad vitandum erroris periculum conſultiſsimum, vt ab illius lectione arceantur, & præmanſum ac concinnatum ex ea cibum à ſapientibus accipiant. Poſtremò ſi ideo apud nos vernacula biblia populo interdicerentur, ne errores noſtros deprehenderet, latina quoq; interdici deberent, quia qui ex eo latinè norunt, non minus ex latinis intelligunt, quid in iis contineatur quàm ex vernaculis, immò melius tum quia latina lingua vt præſtantior eſt, ita significantior, tum quia difficile eſt interpretem omnia quæ interpretatur perfectè reddere. Atqui non interdicuntur, ſed ſolùm monentur, lectores caueant diligenter, ne ad ea legenda accedant, cum intentione interpretandi motu proprio quæ legerint, & interpretationi huic adhærendi. Tandem quid proderit populo habere & legere biblia vernaculè, ſi neſciat eſſe legitimè conuerſa, & ſcripturam ex qua conuerſa, ſunt eſſe canonicam? hoc autem ſcire non poteſt ex translatione illa vernacula, quæ eſto ponatur eſſe legitima, & quæuis eius dictiones à lectore intelligi, non tamen idcirco ſententiæ ex iis compoſitæ, ſed tam obſcurè remanebunt quàm ſunt in lingua ipſa Latina, Græca, vel Hebraica.

Poſtremò, quæ ſpectant ad ſepulturas pręclarè ſunt apud nos conſtituta. Si fidelem aliquem notoriè in peccato mortali obiiſſe conſtat, vt fieri ſolet quando impœnitens, vel in flagranti delicto moritur, ad Eccleſiaſticam ſepulturam non admittitur, ne cũ illo reliqui communem quietis locum habeant in hoc ſæculo, quem habituri non ſunt in futuro; & qui ſe Dei filios fore ſperãt, cum Diaboli mancipio non requieſcant. Sin autem probabiliter ſeu prudenti præſumptione piè ex hac vita diſceſſerit, in templo vel cœmeterio ad hunc finem conſecrato reconditur, pro illius anima funduntur preces, & offertur ſacrificium (fundi enim & offerri poſſe demõſtratum eſt, lib. 1. cap. 10. §. 2. & cap. 13. §. 2. & 3.)

Digitized by Google

ad ſupplendas caſtigationes illas ſpontaneas quæ admiſsis delictis debebantur,& vix vnquam ſufficienter ob humanam luuntur fragilitatem & negligentiam. Crux præfertur,vt Chriſti crucifixi ſeruum fuiſſe qui vident, intelligant, lumen accenditur vt eundem in vera illius fide obiiſſe ſit indicium, luſtrali aqua feretrum aſpergitur, vt dignetur diuina miſericordia illius eſſe refrigerium, & pœnas ſi quas luit, reſtinguat aut minuat.

§.3. Apud Mahumetanos autē quam partem eximiæ huius diſpoſitionis mihi aſsignaueris?

Primò, qui Religionis curam gerunt ordinem à Laicis diſtinctum non conſtituunt. quis enim magis illam geſsit quam ipſe Mahumetus? quis interim eo profanior, & ſæcularibus negotiis magis implicatus? neq; enim per aliũ bella & iudicia ciuilia vt Moyſes p Ioſue & ſubalternos Iudices adminiſtrauit,vt in iis tantũ eſſet quæ ad Deũ pertinent, ſed per ſe. Sed & hodiè Mahumetani ſacrificuli in profanis & ſæcularibus occupationibus toti ſunt,vt infrà videbimus, & poſſunt miniſterio ſuo relicto mercaturam,& artes alias vrbanas ex inſtituto profiteri,& contra qui iam illas profitentur ad illud aſſumi,quod ſanè oſtendit,non eſſe hos duos ſtatus inter ſe diſtinctos, quia ſtatus dicit cõſiſtentiam in certo vitæ genere,& tranſitum ſaltem reciprocum excludit ad aliud. Tandem Imperatores ipſi quos nemo dubitat eſſe profeſsione Laicos diſpenſant cum volunt in iis quæ Religionis & legis ſunt. Exemplum diſpenſauit Sulthan Murathes, vt contra Azo.3.& 13. vinum biberetur, teſte M.Cruſsio in Annotat. ad hiſtor.Conſtant.& Solymannus ſecum vt contra eandem Azo. duceret Roſam Chriſtianam Cypriam in vxorem.

Secundò, iidem ſacrorum Pontifices, & ſacrifici ſunt pleriſque Laicis,ac ſaltem Imperatore ipſo inferiores; ab iſto namque creatur ipſe Muphty ſupremus omnium, & cum placet deponitur,nec ab illo vnquam aditur ſed illum adit,nec illum cum iter faciunt præcedit ſed ſequitur,quæ omnia non leuia ſunt inferioris gradus argumenta.

Tertiò,licet in eo laudabiles ſint quod fœminas omnes procul arceant,ab omni miniſterio quod ſacrum reputant,in hoc tamen non ſunt,quod ſacris nullas vel aliquas tantum intereſſe patiantur,vt ex variis auctoribus declaratum eſt lib.1.c.14.§.penult.

Quartò,

Digitized by Google

Quartò, illorum Sacerdotes habitu non diſcriminantur à Laicis, *eorum Eccleſia*, inquit Reginaldus lib. 2. Caluinoturc. c. 3. *non differunt à communibus domibus, vt nec Sacerdotes quoad veſtitum à cõmuni populo.* Idem ſcribit Septemcaſtr. cap. 13.

Quintò, iiſdem ſacrificulis nõ aliud tribunal eſt, in quo cauſas ſuis ventilent, & vincant aut vincantur, immunes abeant aut puniantur, quàm quod aliis, hoc eſt merè profanum & ſęculare, vt ſcribit idem Reginaldus ibid. c. 16. dicens, *quoad Iuſtitiam ciuilem, ipſi quoq; Miniſtri ſubiiciuntur poteſtati ciuili.* Aſſerit hoc ipſum Nicolaus de Nicolai, lib. 3. Nauig. c. 14.

Sextò, ex iis Hierarchia nulla vera ac præclara poteſt reſultare. Primò, quia Hierarchia tres minimum gradus poſtulat inæqualis perfectionis, inter eos autem duos ad ſummum inueniuntur, ſiquidem idem Guill. Reginaldus loco proximè citato, omnes ſummo Pontifici ſubiectos pares facit, ſic dicens in perſona Michææ Turcæ quem inducit loquentem. *Apud nos quanquam reliqui miniſtri ſunt æquales; Mophtij tamen vt in omnes ſui ordinis poteſtatem habet, ſic Eccleſiaſtica ipſe ſolus gubernat.* Non quod Cadiſlekeri duo multo illuſtriores nõ ſint Cadyis, & Moderis, & Antippis, & Imanis, & Sophis, & Meizinis, & Religioſis ipſis, hoc eſt Imaileris, Calenderis, Deruiſeris, & Torlacheris, ſed quod horum munia non ſint ſibi mutuo ſubalterna, nec à ſe mutuo pendeant, quod ſatis eſt vt quoad communem independentiam dicantur æqualia, & hierarchiam veram non conſtituant. Cadileskeri & Cadyj iura dicunt litigantibus, Modeci Xenodochia adminiſtrant, Antippi aliquid ex Alcorano legunt pręſente populo, Imani geſticulationibus illum ad deuotionem excitant, Meizini è turricula plebem ingenti clamore ad Meſchitas vocant, Religioſi non vt noſtri triũ nuncupatione votorum, communi aliqua profeſsione colligantur, ſed omnino diſparati viuunt, alij enim choreis ac tripudiis dant operam, alij ſtipem colligunt, alij diuinationibus vacant, alij furtis & impudicitiis, &c.

Septimò, à ſe mutuo non eliguntur ſed à Laicis, ſummus quidem Pontifex, qui olim Calipha nũc Muphty dicitur ab ipſo Imperatore, ſicut & Cadileskeri ac Cadyj, reliqui à populo. *Eliguntur Sacerdotes à populo*, inquit Septemcaſtr. ſuprà *ſtipendium autem accipiunt à Rege, vxores habent & habitum vt ſæculares.*

Octauò,

Octauò, in occupationes maximè profanas & seculares incumbunt, Muphtyj quidem Cadileskeri & Cadyj in iudicia causarum tam criminalium quàm ciuilium, vt scribunt Cuspin. in tract. de militari Turc. instituto, & Postell. lib. de Turc. iustitia, reliqui in cæteras de quibus Septemcastr. suprà. *nec multum meditationibus nec studiis literarum vacant, sed vxori, liberis, familiæ. Iumenta enim curant, mercantur, vsuram capiunt.* Addit idem Cuspin. in lib. de Relig. Turc. *Venationi incumbunt, aucupio, & canibus operam nauant, nihil est eis illicitum.*

Nonò, omnes vxorati sunt, vt iam vidimus, religiosis aliquot exceptis, qui vt castitatis specie & austeritatis facilè populum ad benefaciendum inuitent, annulo ferreo veretrum perforant vt Deruiseri, vel vt vagis libidinibus liberè vacent, à coniugio abstinent vt Torlacheri.

Decimò, nullo solenni ac sacro ritu dedicantur, sed ad sua ministeria simpliciter absq; vlla cæremonia assumuntur, perindè ac si vocarentur ad præfecturam militarem. Auctores quidem non legi qui hoc dicerent, suspicari tamen cogor, quia nec apud illorum aliquem, nec in Alcorano ipso aliqua ritus alicuius vsurpandi fit mentio.

Vndecimò, pauci numero sunt, quia ad religiosa gentis illius exercitia pauci sufficiunt. Sacrificia propriè sunt quorum vt par est peragendorum gratia multitudo requiritur sacerdotum, potius quàm sepultura, aut legis promulgatio, vt videre est apud auctores qui scripserunt de Iudæorum sacris & Romanorum. Et certè pauci multis sepeliendis sufficiunt, sicut & præclarus Doctor vnus multis erudiendis. Sacrificia autem priuata quilibet pro se offerri curant, idque sæpè eum actus nobilissimus Religionis sit. Mahumetani autem vix illa in vsu habent vt vidimus, cap. 13. §. 4. libri primi, nec in iis offerendis sacerdotum vtuntur opera, sed ipsimet bestias incidunt, quas sacrificant. Ad crebras orationes quas fundit populus nihil opus est multitudine sacerdotum, satis illum conuocat vlulatu suo Meizinus vnus, satis obseruat orantem Imans vnus, satis initium cantui dat vnus Sophus, ad legendum explicandumque multis Alcoranum Antippi multi non desiderantur. Habent Imaritia seu Xenodochia multa

Digitized by Google

multa sed reguntur, & regi possunt à Laicis, idem iudicium de Carauansariis, hoc est peregrinorum hospitiis.

Duodecimò, nonnullas quidem Academias & scholas habent, si Ioanni Bohemo credimus, sed in quibus politicæ tantum leges explicantur. Immò secundum Lonicerium lib.1.hist. Turc.cap.10.ea ferè meta est studiorum vt lingua vernacula legere discant & scribere, cum interim de scholis hic sermo sit, in quibus qui destinantur & vocantur ad sacerdotia, instituì ac velut in palæstra exerceri in omnibus ad religionem pertinentibus, possint.

Decimotertiò, etsi nonnunquam Synodos celebrent, quia tamen summus illorum Calipha nec auctoritatem habet nec habere creditur, certo definiendi controuersias de fide ac religione, & quid omninò tenendum sit aut faciendum determinandi, vt demonstratum est lib.13.c.1.§.4. Synodos habere non possunt, quales hic quæruntur, & ad religionis bonum sunt necessarij.

Decimoquartò, Nullas habent solennitates & tempora, in quibus altissima recolant fidei mysteria, aut insignia à Deo accepta beneficia; sed illud duntaxat in suo Paschate quo affectus est Isaac, cum ei morti proximo substitutus est aries & immolationi destinatus. In mense autem Maio prosperum Mahumetis euentum, quod quondam camelo vectus amissam diuque perquisitam vxorem tandem repererit, vt scribit Cuspinianus. O murem ridiculum.

Decimoquintò, etsi nullo modo templa sua extraneis patere sinant, & in eis repertos statim dilanient, licet rursus Alcorani librum quo nihil credunt sanctius, Arabicè solum vt scriptus est, retineant, nec illum in linguam aliam conuerti patiantur, quia nihilominus in Antippis suis scientiam aliam non requirunt quàm eiusdem linguæ Arabicæ præter vernaculam, hoc est, in iis à quibus explicatur & legitur, fit vt cum ad veram scientiam id non sufficiat, conuincantur quæ sacra putant indignis committere.

Decimosextò, in sepulturis suis superstitiosissimi sunt. Namque vt scribunt Menauinus & Lonicerus, cadauer in medio atrij dum adhuc calet collocatur, non supinum aut resupinum, sed incumbens in latus dextrum, & à sacrificis cingitur chorda

Digitized by Google

inserta globulis ex ligno aloes, inuertitur postea ter quaterúe, & calente aqua sæuoque abluitur. virga item admouetur capiti, superaddito serto ac floribus. Hinc ad templi fores primum, deinde extra vrbem ad sepulchrum defertur. Præfert aliquis amicorum defuncti pileum, & equi caudam in summitate hastulæ, teste Claudio Guichardo lib.3.de funerib.c.7. vbi addit portari omnes ad sepulchrum non præcedentibus pedibus sed capite, cum tamen ratio naturalis contrarium suadeat. Loco pullarum vestiū gestant qui funus agunt segmenta duo coloris glauci hinc inde pendentia instar manicarum, vt idem asserit. cui colori quid cum funere? Equos Dynastarum ducunt præeunte cadauere, & immisso in nares puluere cogunt sternutare, vt ingemiscere videantur Theuet. lib.10. Cosmogr. cap.10. quid insanius? Omnium sepulchra fornicant, vt posit se cadauer in genua componere redditurum vitæ totius rationem Angelis duobus statim post inhumationem eo descendentibus, quibus si satisfecerit requiescit suauiter vsq; ad diem iudicij, iisdem eius caput & pedes toto illo tempore molliter sustinentibus; sin minus ab illis torquetur & torqueri creditur vsq; ad eiusmodi diem; & quidem vnus ferrea illi palea ictum impingit tam validum, vt vi pedes aliquot protrudat intra terram, alter detrusum depressumq; educit vncis ferreis vt percuti rursus à priore illo, detrudiq; posit Bellon. l 3. de singul. c.5. Quid fabulosius?

§.4. Magis adhuc incomposita, indigesta, indispositares est Nouantium.

Primò, non sunt Prædicantes ordine statuque distincti: à Laicis. Nam & Lutherus communis illorum Parens distinctionem hanc deridet, immò in lib. de captiuit. Babylon. contendit fideles omnes esse æquè Sacerdotes, quo nihil aptius dicere potuit ad distinctionem illam tollendam, quam etiam reprobat Caluinus lib.4. Instit. c.4. n.9. Et certè cum apud Sectas Prædicantes secularia tractent, vt infrà videbimus, & seculares spiritualia, adeo vt Prædicantes ipsos creent & instituant, vt similiter ostendemus, cum rursus hi posint cum illorum statu permutare suum communi iure, reipsaq; sæpè permutent, & contra, satis apertè constat confundi alios cum aliis, nec vnos constituere propriè ordinem & statum vnum alios alium, quia status stabilem homi-

Digitized by Google

hominum conditionem significant, in qua ad senectutem vsque permanere debeant, vt docet Cicero in oratione pro Cornelio Balbo.

Secundò, eos Laici honore & auctoritate antecellunt, quod probo nō solùm quia in solennibus quibusq; actibus solent eos præcedere, vix dignantur illos apertione capitis, horrent ex illorum familiis vxores & maritos filiis & filiabus suis quærere, sed etiam quod illos creent, iudicent, puniant, & cum opus videtur deponant. Quo vno argumento vti solemus cum populum vniuersum Rege ipso etiam creato superiorem esse dicimus, quia nempe à populo creatur, & rationabili subſtante causa deponi ab eodem poteſt.

Tertiò, patent quælibet ipsorum miniſteria ipſiſmet fœminis. In Lutheraniſmo quia id docet Lutherus in lib. de Miniſtris Ecclesiæ inſtit. ibiq; exprimit quæ ſint eiuſmodi miniſteria omnib. communia, videlicet prædicare verbum Dei, baptizare, Euchariſtiā conſecrare & adminiſtrare, cōſcientias ligare & ſoluere, tandemq; concludit, *& ſi quid maius eſt, collatum eſt omnibus etiam mulieribus.* In libro verò de abrog. miſſa priuata ſcribit hanc totam poteſtatem factam cōmunem omnibus per baptiſmum: In Caluiniſmo autem, quia Proteſtantes Angli Caluiniſtæ ſunt, horum autē iudicio Regina caput eſt Eccleſiæ etiā in ſpiritualibus, quod fieri non poteſt niſi adminiſtret præcipua religionis miniſteria. Item quia Caluiniſtæ ſolis ſcripturis inſiſtunt, hæ autem nullibi docēt ab omni miniſterio ſacro arcēdas fœminas, ſed ad ſummū à prædicatione, 1. Cor. 14. ex quo ſi inferre velis, ô Nouator arcendas ex conſequenti ab adminiſtratione Sacramentorum, reſpondebūt in odioſis non valere argumētum à ſimili, ſi inſtes debere omnia ordine & honeſtè fieri, procontabūtur ex quo ſcripturæ loco didiceris hoc eſſe contra ordinem & honeſtatem. Sed præcipuè mactabunt te cum ſic argumentabuntur. Hæc Chriſti verba; *Hoc facite in meam commemorationem*, ad omnes diriguntur ad quos hæc alia, *Bibite ex hoc omnes*, quod etiam agnoſcit Lutherus citato loco, ſed vos, ô Prædicantes hæc poſteriora ad omnes prorſus fideles extēditis, etiam ad nos fœminas, ergo in memoriā Chriſti facere nobis licet, quod Chriſtus fecit, nempe Euchariſtiam adminiſtrare, quanto magis baptizare? Præter fœminas ipſos quoq; ſpurios ad

ſacra miniſteria admittitis, & eandem ob cauſam admittere debetis, quod interim valdè eſt indecorum (adeò vt mundus has odioſas perſonas capaces nolit eſſe ad ſuccedendum in regnis & hæreditatibus) & Dei verbo contrarium dicentis, Deut. 23. *Non ingredietur Manzer, hoc eſt de ſcorto natus in Eccleſiam Domini vſq; ad decimam generationem.*

Quartò, habitũ à Laicis diſtinctũ non habent, nec habere debent iuxta doctrinę ſuæ capita; quia videlicet peculiaris nullus iis in ſcripturis præſcribitur. Et quamuis probarentur habere, certũ tamen eſt quod alio non vtantur cũ miniſteria ſua obeunt, quàm cum non obeunt, & tamen vti deberent alio, Regum exemplo & Iudicum, qui longè alio amiciuntur cum in throno ſedent & ſententias legesq; ferunt, quàm aliâs. Chriſti ipſius peculiaris maieſtas erit, cum ad iudicandum veniet.

Quintò, creantur à populo, iudicantur, puniuntur, deponuntur à Magiſtratibus ſecularibus. hoc clariſsimum eſt, & à Caluino conceditur lib. 4. Inſtit. cap. 11. §. 15. nec confirmationem deſiderat. quàm autẽ abſurdum? an non eſt aliquem dare quod non habet? quia populus ſeipſum non poteſt miniſterio præficere, & quia non poteſt, Præfectos interim creat abſurdo maximo dat locum. Hoc argumento ſalsè Meſſenios riſiſſe fertur Philippus Rex Macedon. Nam cum illorum Legati narraſſent ei, decreuiſſe Rempublicam propter rerum à ſe geſtarũ gloriam & magnitudinem in Deos ipſum referre, tum Rex ita quæſiuit habetne veſtra Reſpublica poteſtatem faciendi Deos? habet inquiunt. Et Rex, *Facite ergo primum voſipſos Deos.*

Sextò, Hierarchiam nullam veram conſtituunt. Primò, quia illam impugnant præcipuè autem Caluinus lib. 4. Inſtit. cap. 3. §. 8. & cap. 4. §. 2. Ergo illam habere videri non poſſunt. Secundò, quia Hierarchia nõ minus ordinata quædam ſeries eſt ſupremorum, mediorum, infimorum, quàm Categoria generum, ſpecierum & indiuiduorum, proindeq; tres nimirum diſtinctos & inæquales gradus poſtulat. Apud Sectarios autem vnum duntaxat communiter reperias, videlicet Prædicantium ſeu Miniſtrorum, namq; Superintendentes non vbiq; ſunt nec eſſe debent ſecundum Lutherum, qui vt vidimus omnes vult eſſe poteſtate & iuriſdictione pares, nec ſecundum Caluinum qui ſimiliter citato loco Sa-

Google

co Sacerdotes Episcopis æquare nititur. Quod ad Diaconos, cũ in sectis non habeant aliud munus, quàm seruare & dispensare eleemosynas ex Calu. ibid. §. 5. & cap. 5. §. 16. 18. 19. dici non possunt subiecti Ministris subiectione requisita ad Hierarchiam, qui videlicet includat connexionem ministerij inferioris cum superiori, sicut est connexio scientiæ subalternatæ cũ subalternãte. quid enim custodiæ eleemosynarum cum prædicatione verbi aut administratione sacramenti? Taceo vt in Categoriis sic in Hierarchia inferiores plures esse superioribus. Apud sectas autem pauciores Diaconos quàm Prædicantes.

Septimò, visitationes nullas in vsu habent, nec mirum cum visitare sit superiorum, Prædicantes autem Superiorem nullum ferunt, sed Papam agit quilibet in sua Ecclesia. Quod ad examen, examinantur quidem sed à quibus? Præceptores à futuris discipulis, opiliones ab ouibus; examinantur enim ab iis à quibus creantur, quandoquidem examen via est ad creationem, creantur autem à populo iuxta doctrinam Caluini lib. 4. Inst. cap. 3. §. 11. & seq.

Octauò, intricant se Ministri illi Pseudoeuangelici negotiis secularibus, quod sic probo: negotia secularia & mundi auocamenta de quibus loquitur Apostolus 2. Timoth. 2. dicens: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* Sunt militia, agricultura, mercatura, sollicitudo curaque administrandæ rei familiaris, &c. vt te docebunt Caluini commentaria in hæc ipsa verba. Sed Prædicantes omnes consuetudine recepta & quasi inuiolabili lege, hæc omnia vel eorum saltem aliqua profitentur & exercent, ergo secundum Caluinum, & rei veritatem Prædicantes omnes profitentur, & exercent negotia secularia. Maior propositio certa est, minor autem vix incertior. Nam quod ad militiam, Zuinglius ipse belligerando occubuit, Rex ille Anabaptistarum diu Monasterij in VVestphalia bellum administrauit, Lutherus maximam rusticorum colluuiem ad arma impulit, postea autem in illam Nobiles, Caluinus, Beza & Stolones alij linguarum suarum flabello perniciosum ignem illum excitarunt, quo complures Galliæ & Belgij vrbes conflagrarunt, enses acuerunt quibus infinitæ penè hominum multitudini adempta vita est, & terra inebriata sanguine. Quod ad agriculturam & artes alias mechanicas, alij

Digitized by Google

rura colunt, alij ceruisiarij sunt, multi piscationem ex instituto exercent non pauciores venationem, &c. Quod ad familiæ administrandæ curam, maior esse non potest, quàm cum vxor ducitur & proles multiplicantur; tunc omnem ferè cogitationem ad se rapit, sicut etiam voluptatis coniugalis vsus penè continuus, ambæ vehementer ab occupationibus aliis mentem auocant, vt à militia teste Cleopatra quæ infatuauit Antonium, & ab humanis studiis vt ex Cicerone audiuimus §. 1. postulato 8. quanto magis à diuinis? cur hanc ob causam maximè seculares & profanæ, & religionis ministro indignæ non videbuntur? Iam verò quotus quisque Prædicantium non est vxoratus, gignitq; filios & filias? album coruum citius repereris, quàm illorũ aliquem cœlibem, cuilibet continentia vlcus est, cuius contactum nequit sustinere. Immò si eum vellet colere, vulgò non sineretur, tùm quia hoc ipso in suspicionem veniret Catholicæ professionis, tùm quia tanto magis verendum esset, ne insidiaretur & inhiaret alienis vxoribus, quanto sciuntur omnes esse salaciores. Nempè cum Hæretici omnes abhorrent à continentia, tum ij maximè qui capita & incentiua sunt Hæreticorum, exemplo & verbo alienam concupiscentiam magis magisque inflammantes, atque auocantes à studio cœlibatus.

Nono coniugati sunt omnes, vt iam iam docui.

Decimo, ordinantur & instruuntur sine vllis sacris ritibus aut certè cum insufficientibus. Nam quod ad ieiunium & orationem ritus non sunt ipsius ordinationis sed dispositiones præuiæ, vt taceam quàm rarò, & in speciem duntaxat ieiunent & orent. Quod ad impositionem manuum à multis eorum Ecclesiis non recipitur, præsertim cum Caluinus lib. 4. Inst. cap. 3. num. 16. scribat nullum illius extare præceptum. Deinde nõ est sufficiens, quia communis est Pastoribus, Doctoribus, & Diaconis iuxta eundem ibidem; ritus autem plures esse debent respondentes variis gradibus ac muniis. Sed neque proprius cum etiam secularibus impositæ sint manus (suas enim imposuit Christus infantibus, Matth. 19. & Apostoli ægrotis Marc. vlt. & Iacob suis nepotibus Genes. 48.) qui tamen non idcircò in Ecclesiæ ministros consecrabantur.

Vnde-

Vndecimò, tàm exiguo numero continentur vt minore nequeant. Paucas habent Ecclesias, ad quas velut ad centra remotissima infœlix grex venire cogitur. In pagana qualibet vnicus solet esse Prædicās cum vno Diacono, in vrbana autem duo, tres, vel quatuor ad summum Prædicantes.

Duodecimo, nullus inter eos Primatum tenet, præterquam apud Anglos Protestantes Rex ipse vel Regina, vt demonstratum est lib.3.cap.1. §.vlt.

Decimotertiò, scholas esse Ecclesiæ necessarias in quibus ornentur doctrina congruisque moribus futuri Ministri agnoscit Calu.lib.4.Inst.cap.4.§.9.& tamen Sectæ eiusmodi nullas apud se possunt ostendere, non VVirtembergæ, non Lypsiæ, non Tubingæ, non Geneuæ, non Tiguri, &c. Scientia namque requisita in Ecclesia Philosophiæ peritiam requirit & Theologiæ, illam vt Paganos qui ratione tantum nituntur, & argumentis à natura petitis posit reuincere, & contra illos sua tueri; hanc verò vt solidè versetur circa fidei principia, & sinceram aucupari posit diuini verbi intelligentiam, qua filios suos imbuat, atque in veritate stare doceat. Iam verò quis solidam Philosophiam apud Nouantium Magistros se inuenire posse speret, quam principio volebāt abolitam & artem vocabant captiosam? qui prætereà ineptissimè argumentari solent. & innoluere se contradictionibus, & infinities petere principium assumendo vt verū quod negatur, & vt falsum quod asseritur, & responso accepto mox locustarum more ad alia transire, instantiis destituti, & alia incurrere vitia, quæ eos in Dialectica nunquam seriò versatos fuisse testantur? Exemplum, quæ ineptior argumentatio, quàm Eucharistiam non continere verum Christi corpus, quia cum sit sacramentum non est verè res illa quæ dicitur sed signum rei. quasi vero repugnet signū rei cū re ipsa coniūgi, vt cum Rege sceptrū & purpuram? cum incipiente vel desinente pluuia iridē? cum oculo ægrotante liuorē? quæ maior contradictio quàm tūc per fidem iustificari aliquem, cum se credit esse iustū? Nam si iustificatur per fidē, ergo iustitia ipsius est fidei effectus fideq; posterior; si rursus credere debet se iustum, ergo iustitia obiectum est fidei, atq; ita fide prior. Est sanè cur rideant se mutuò dicantq; illud Senecæ: *Nemo nostrum in altum desten-* *Epist. 6.*

descendit, summa tantum decerpimus, & exiguum tempus impendisse Philosophiæ satis abundeq; occupatis fuit. Solidam Theologiam minus adhuc apud illos reperias, tùm quia singulare ad eam præparamentum studium est Philosophicum, quo vt par est tingũtur nulli vel paucissimi, tùm quia ex scripturis sacris magna ex parte petitur, non quomodolibet sed rectè intellectis, & legitimo sensui suo redditis, cuius sensus certa asignatio, non à priuatis aliquibus petenda est, sed ab Ecclesia quã eadem scriptura columnam vocat firmamentumque veritatis, & quam Christus audiri iubet sub anathemate, Matth. 18. non à Laicis, sed ab iis quos idem Christus in eadem Ecclesia sua Pastores posuit, & Doctores ad consummationem Sanctorum, vt non circumferamur omni vento doctrinæ Ephes. 4. non denique à Nouatoribus, sed à vetustis sanctisq; Patribus, de quibus Deut. 32. *Interroga Patrẽ tuum & annũtiabit tibi, &c.* Et Eccles. 8. *Non te prætereat narratio semiorum ipsi enim didicerunt à Patribus suis, quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dabis responsum.* Atqui nec Ecclesiam nec Patres re vera curant, sed priuatis potius iudiciis suis subiiciunt omnia, quia sicut scripturam quam opinionibus suis contrariam vident vocant apocrypham; sic illos vbi ab iisdem dissidere conspiciunt errasse causantur.

Decimoquartò, nulla vnquam generalia Concilia celebrarunt, sed tantum nationalia vt vocant vel prouincialia, vt quid ad fœlicem religionis progressum ac splendorẽ requiratur perpenderent. Nec mirum, nam nec Caluinistæ omnes, v.g. nec Lutherani, &c. vnum quoddam habent visibile caput, cuius auctoritate certo tempore, ad certum locum in hunc finem conueniant, sed sui iuris sunt omnes, quales perdifficile est in vnam conspirare sententiam.

Decimoquintò, si resurrectionis Dominicæ mysterium ac beneficium excipias, quod more nostro recolunt die Dominico, nulli alteri vel publicè profitendo, vel ad gratam memoriam reuocando, solennitatem vllam asignant Sacramentarij, vt nihil mirum videri debeat, si nec de Deo altè sentiant, nec erga illum studio ardeant, à quo accepta beneficia tàm frigide considerant.

Decimosextò, quàm sunt in rebellionibus, seditionibus, & aliis Diabolicis molitionibus suis contegendis prudentes, tàm sunt in diuinis arcanis ac mysteriis vulgo exponendis faciles. Ad verna-

Digitized by Google

vernaculas ſcripturas ſacras quemlibet etiam mulierculas admittunt vt conſtat. Quæ vna cauſa eſt, cur apud pleroſque ſint AEſopo ipſo viliores, & tanquam commune ſtabulum laſciuiæ pateant beſtiarum omnium. Quaſi autem hoc parum eſſet, verſu prætereà vernaculo diuinas literas interpretantur, vt Pſalmos Dauidicos, quod conſtat eſſe periculoſiſsimum: verſus ſiquidem cum ligata coactaque ſit oratio, reddere non ita propriè poteſt quod ſoluta loquitur.

Poſtremò, quoad ſepulturas irreligioſiſsimi ſunt. Nam multis defunctorum corporibus ac cineribus illuſerunt, etiam illorum proh nefas, quorum ſanctitatem pleriſque miraculis teſtatus eſt Deus, vt ſancti Irenæi & Bonauēturæ Lugduni, ſancti Martini Turonis, ſancti Hilarij Pictauis. Ne hodie quidem talium oſſa quieſcere ſinunt, ſed vbicumq; reperta deteſtantur & infeſtant, cum tamen quæ brutorum ſunt animantium, intacta relinquant. Adhæc mortuos ſuos aſini ritu ſepeliunt, profano ſcilicet in loco, ſine cruce, ſine luce, ſine precibus, diuina planè prouidentia, vt qui crucem ſalutis noſtræ organum ſemper oderunt, à ſalute excidiſſe monſtrentur, & qui Catholicæ lumen fidei tanquam veſpertiliones ſemper refugerunt, miſsi probentur in tenebras exteriores vbi erit fletus & ſtridor dentium, & qui orationibus pro defunctis ſemper detraxerunt, nullos pro ſe apud Deum interceſſores habeant, ac per quæ peccauerunt per hæc puniantur, qui denique ritu pecorum in vnam carnis licentiam ſe totos effuderunt, vt pecora profanum in locum abiiciantur. Rurſus pleriſque in locis Nobilium cadauera ad tumulum, cum tympanis & fiſtulis multis æneis proſequuntur, illaſq; glandibus vacuas in ea non ſine magno bombo exonerant. quid profanius? immò quid inutilius, niſi fortè proſit, vt proceloſi homines fuiſſe doceantur, aut terreantur Dæmones ne infœlices illorum animas attingere audeant. Verùm *facti ſunt vt neminem timeant, cor illorum induratur quaſi* Iob.41. *lapis, & ſtringitur tanquam malleatoris incus non fugabit eos vir ſagittarius.* Conuincuntur tandem ex ore ſuo ſuperſtitioſi (quatenus eoſdem mortuos ſuos aliquali honore tametſi admodum exiguo afficiunt, in nobis autem ſuperſtitionem interpretantur, quod noſtris noſtrorumque reliquiis honorem habeamus) & ex Vi-

ctore Vticenſi ſcriptore antiquiſsimo à moribus Eccleſię veteris, prorſus alieni in qua non ſine hymnis fideles ſepeliebantur. vnde ait lib. 1. de perſ. VVandal. *Quis ſuſtineat & poſſit ſine lachrymis recordari, dum perciperet noſtrorum corpora defunctorum, ſine hymnorum ſolennitate cum ſilentio ad ſepulchrum deduci?* Ite iam Pſeudoeuangelici, & de Dionyſio facite nobis Traſybulum, hoc eſt, ſummam confuſionem inordinationemque veſtram, deinceps ſi iure poteſtis, præclaram diſpoſitionem, & diſciplinam Eccleſiaſticam appellate.

De pace & proſperitate temporali effectu 4. & nota 31. veræ Religionis.

CAPVT IV.

§. 1. *Quid pacis & proſperitatis nomen in præſentia ſignificet.*
2. *Magno iure cum religione vera coniuncta eſſe creditur.*
3. *Cum Catholica noſtra quàm benè cohæreat.*
4. *Quàm malè cum Mahumetana.*
5. *Et cum Pſeudoeuangelica.*

§. 1. PAcis ac proſperitatis vocabulo intelligimus hoc loco iucundam & tranquillam vitam, ſeu amicam, ſuauem, & pacatam hominum ſocietatem ac conſuetudinem, cuius aduerſaria ſunt bellum, fraus, dolus, ſæuitia, odia, rixæ, contentiones, æmulationes, diſſenſiones, inuidiæ, rapinæ, timores, homicidia, vaſtitates, & his ſimilia. quo ſenſu vſurpauit illam S. Dionyſ. cap. 11. de diu. nom. & Euſeb. lib. 3. hiſt. cap. 23. & M. Tullius Philip. 2. ſub finem vocans eam, *tranquillam libertatem*, opponenſque legali ſeruituti. Et in Orat. de lege agraria cum ait, *Quid enim eſt tàm populare quàm pax, qua non modo ij quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur.* Atque vt verbo dicam Auctores penè omnes, quatenus bellum faciunt ei contrarium, cui & nos illam opponimus.

Iam

Digitized by Google

Iam verò quod ea effectus quidam ſit religionis. Probatur, §. 2.

Primò, quia Deus promittit illam cultoribus ſuis. Prouerb. 1. *Qui autem me audierit abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur timore malorum ſublato.* Vndè & Salomon Sap. 7. profitetur bona omnia temporalia (inter quæ pax inſignem tenet locum) veniſſe ſibi cum religione, quam eo loco ſapientiam vocat, quod rem doceat præſtantiſsimam hoc eſt Dei colendi rationem, reſpectu cuius ſapientia quæuis alia momenti nullius eſt, propter quod ſcriptum eſt Hierem. 9. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, ſed in hoc glorietur qui gloriatur ſcire & noſſe me.* Eandem religioſis communi velut afflatu vaticinati ſunt veteres, vt Atheneus libro duodecimo cum ait:

Semper eris fœlix venerans gens numina diuûm
Donec plus ſuperis fueris venerata virum quem.
Intima ſeditio tunc, & tibi prælia ſurgent.

Secundò, quia valet argumentum à Chriſto à religionem per quam colitur, quandoquidem ibi eſt vbi colitur Matth. 18. *Vbi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorũ.* Sed Chriſtus pacem ſecum attulit Pſal. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis.* Et Hieron. in cap. 2. Iſa. *Veteres ſi reuoluamus hiſtorias inueniemus vſq; ad 28. annum Cæſaris Auguſti in toto orbe terrarum fuiſſe diſcordiam; orto autem Domino omnia bella ceſſauerunt, ſecundum illud Iſaiæ non leuabit gens contra gentem gladium ſuum* (nec obſtat quod ſcriptum eſt Matth. 10. non veni *pacem mittere ſed gladium*, quia de materiali gladio non loquitur, ſed de ſpirituali ſeparatione fidelis à fideli, pij ab impio, religioſi ab irreligioſo, ſpiritualis ab animali, &c.) ergo & religio.

Tertiò, belli populum vnum exagitantis cauſa duplex eſt extrinſeca vna, intrinſeca altera, extrinſecam voco extraneorum propriam nequitiam innoxium illum infeſtantium; intrinſecam verò egeſtatem aut vitium proprium, quo fit vt membra eius inſurgant in inuicem, & inteſtinas ſimultates exerceant. At religio vtramque cauſam excludit, primam quidem quia facilè à Deo impetrat, vt nequitia illa vel omninò vel breui compeſcatur, & in nihilum recidat ad confuſionem hoſtium Leuit. 26. *Cuſtodite ſabbatha mea, ſi in præceptis meis ambulaueritis, &c. dabo pacem in finibus ve-*

ſtris, dormietis & non erit qui exterreat, auferam malas beſtias, & gladius non tranſibit fines veſtros. perſequemini inimicos veſtros & corruent coram vobis, perſequentur quinq; de veſtris centum alienos, & centum de vobis decem millia, cadent inimici veſtri gladio coram vobis. Hinc eſt quod tàm Conſtantinus, quàm Carolus magnus, & Theodoſius vt religioſiſsimi erant, ita leui negotio hoſtes ſuos omnes profligarunt: ſecundam verò quia promittit Deus ibidem fore, vt procul abſit egeſtas omnis, quæ mater eſſe ſolet cædium & latrociniorum innumerabilium. ſic enim loquitur: *Dabo vobis pluuias temporibus ſuis, terra gignet germen ſuum, & pomis arbores replebuntur.* Et Matth. 6. *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Facit item religio vt quo purius Deo ſeruiant, immaculatos ſe à peccato cuſtodiant, ſicut autem vbi regnat peccatum varia emergũt bella partim vindice Deo, ſecundum illud Abacuch 3. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ.* Partim vitio peccatorum neſcientium mutuam pacem colere Prouerb. 13. *Inter ſuperbos ſemper iurgia ſunt.* Ita vbi eſt procul, omnia ad pacem & concordiam diſponuntur, ſicut ſcriptum eſt Luc. 1. *Pax hominibus bonæ voluntatis.*

In Extrau de offic. Caſt. Quartò, Religio inclinat homines non ſolùm vt Deum colant, ſed etiam vt benè colant, ſed cum ſit Deus pacis non poteſt benè coli ſine pace, vt eleganter ſcripſit Ioannes vigeſimus ſecundus, ergo Religio hominem inclinat vt pacem colat, nec niſi coactus ad bellum procedat. Maior propoſitio certa eſt. Probatur minor, tùm quia bellum luctu complet omnia, difficile autem eſt hominem lugentem & ſeculari affectum triſtitia diuino cultui operam dare Leuitici decimo: *Quomodo potui comedere eam (victimam) aut placere Deo in cæremoniis mente lugubri?* Et Iudæi in captiuitate lugentes reſpondent interrogantibus, *Cantate nobis canticum de canticis Syon*, reſpondent inquam, *quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* *Pſal. 136.* tùm quia ſi humanas res ipſas meditantem oportet tranquillitate vti, ob idque Philoſophaturus Plato cum ſuis Academiam elegit à negotioſis ac perſtrepentibus Athenis ſeparatam, & Poëta ait.

Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quærunt
Me mare me venti, me ſera iactat hyems.

Quan-

Quanto magis diuinas? oportet ſanè ſicut ſcriptum eſt, *vacate & videte quoniam ego ſum Dominus.* Quis autem magis iſtas meditatur, quàm vir verè religioſus, de hoc vno ſollicitus quomodo obſequatur & placeat Deo? quid verò hanc animi tranquillitatem magis impedit quàm bellum? quare vt concludam vir verè religioſus ſeriò paci dabit operam, & bellum auerſabitur, in quo nec ſe, nec alios nouit poſſe diuino cultui ſatis intendere. *Pſal. 45.*

Poſtremò ad introducenda bella, & diſturbandam pacem, magnam vim habent cupiditates quæ modo carent. *Vnde bella & lites in vobis?* Quærit ſanctus Iacobus capite quarto, & reſpondet - *Nonne ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris?* atqui diuinorum obſeruatio mandatorum quam religionis partem eſſe conſtat, homines mouet ad tuenda naturæ iura, ad benefaciendum omnibus, ad lædendum neminem, ad vitam quietiſsimè traducendam. *Dei præcepta,* inquit Lactantius, *quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonſtrant. Da mihi virum qui ſit iracundus, maledicus, effrenatus, pauciſsimis Dei verbis tam placidum quàm ouem reddam. Da cupidum, auarum, tenacem, iam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam tibi plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis, iam cruces & ignes, periculum omne & taurum contemnet, Da libidinoſum, adulterum, ganeonem, iam ſobrium, caſtum, continentem videbis. Da crudelem & ſanguinis appetentem, iam in veram clementiam furor illius mutabitur. Da iniuſtum, inſipientem, peccatorem, continuò, æquus, prudens, & innocens erit. vno enim lauacro malitia omnis abolebitur.* *L. 3. de falſ. ſap. c. 26.*

Iam de religione noſtra Catholica hoc certò, fidenterque iactare poſſumus, illam quantum ex ſe eſt, pacem circumferre, & temporalibus etiam benedictionibus populos cumulare à quibus ſuſcipitur. In nullum vi armorum eſt introducta, nec iuxta ſacros canones introduci debet aut poteſt, vt vidimus ſupra capit. ſecundo. §. 3. Quocumque pedem intulit procellas ex ſe nullas excitauit (ſed reſtitit ad ſummum iniquis aggreſſoribus, & quæ ſua erant recuperare ſtuduit, & interdum repreſsit impedientes ne iure ſuo vteretur, cuiuſmodi eſt Euangelium vbique promulgandi facultas à Chriſto ſupremo orbis §. 3.

Domino collata his verbis, Marci vltimo; *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, quæ omnia licent naturæ lege) in legitimum Principem ſubditos non armauit, non in Patrem filios, nec in Dominum ſeruos; ſed ita potius motos fluctus compoſuit, vt hac ipſa de cauſa latiſsimè in vtraque India hoc noſtro ſæculo ſeſe extenderit. Viderunt enim Principes ſeculares qui exercent principatum, à nullis ſe religioſius, fidelius, & tranquillius coli, quàm à ſubditis qui Euangelio à Concionatoribus noſtris imbuti ſunt. Quibus proinde poteſtatem non ægrè concesſerunt illud quolibet circumferendi. Equidem Caluinus è contra illam criminatur velut auctorem bellorum omnium. *Quis neſcit*, inquit, *Romanenſes flabella eſſe concitandis bellorum motibus, quocumque illorum afflatus penetrauerit?* Sed eſt profectò cur reſponſum accipiat, *non ego turbaui Iſraël, ſed tu & domus Patris tui (Lutheri) qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.* Ità eſſe palàm faciam, §. vltimo. In præſentia dicere ſufficit, vacare veriſimilitudine Eccleſiam noſtram quæ vt vidimus, bellum aggreſsiuum tam ſeuerè interdicit, tamq; reprobat, amantem pacis, publicæ perturbationis fuiſſe cauſſam. Nam & Cœlij filios iudicauit Senatus videri non poſſe occidiſſe Patrem, quia inuenti ſunt dormientes: tantum autem flagitium non permiſiſſet eos quietem capere, ſi eius fuiſſent auctores. Quæro prætereà quinam iſti bellorum motus à Romanenſibus concitati? Non alios profectò dicturus eſt, quàm quos in illum & gregales illius excitabat populus Catholicus, quem Romanenſem & Papiſticum, & Papæ fæcem appellare ſolebat; ob id namque ſcribit in gratulatione ad præcentorem, *tota Cleri Papalis colluuies violenter nos infeſtando omnia conturbat.*

In præfat. Antid.

3 Reg. 18.

Atqui hæc quæcumque bella in illum & gregales illius geſta, non tam Eccleſiæ Catholicæ quàm illi ipſi adſcribi debent, vt demonſtro argumentatione iſta ſyllogiſtica. Reipublicæ perturbatoribus, iniquis aggreſſoribus, ſubditis filiiſque rebellibus & immorigeris imputari bella debent quæ aduerſum illos geruntur. Sed Caluinus & Caluiniſtæ fuerunt Reipublicæ perturbatores, iniqui aggreſſores, ſubditi item filiique rebelles & immorigeri, ergo iis vnis geſta aduerſum eos bella imputari debent. Maior propoſitio eſt per ſe nota; & inſinuatur ſatis

verbis

verbis illis Domini ad populum suum rebellem & recalcitrantem *perditio tua Israël.* Minor confirmatur, quia (vt de religione & fide nihil adhuc dicamus) in Galliis, in Belgio, & finitimis prouinciis perpetrarunt politica scelera omnis generis, & insectanda bello, & seuerissima morte vindicanda, vt docuimus, lib.2.cap.2.§.5. & lib.3.cap.2.§.5. & supra cap.2.§.vltimo, perturbarunt ab imo publicam pacem, vbique seditiones excitarunt, cædibus omnia repleuerunt, vrbes arcesque complures incenderunt, publicum ærarium auerterunt, legitimos Dominos suos immanibus armis & conuitiis grauissimis insectati sunt. Sed multo adhuc sceleratius fuit religionem ipsam conuellere, qua nihil melius à Deo datum, nihil inuiolabilius custodiendum, qua item prostrata benedictionem à Deo expectare non potest Respublica, sed maledictionem. Atque hinc ansam arripiam demonstrandi, fuisse eos aggressores omnium iniuriosissimos, quandoquidem vi doloque aggressi sunt, hac ipsa religione tam vtili ac necessaria Catholicum illum populum spoliare, in cuius possessione pacifica erat à compluribus sæculis, immò à principio. Hoc autem quantum malum sit, & quanto vindicandum supplicio, docebunt te verba illa, Deuter.13. *Si tibi voluerit persuadere frater tuus dicens, eamus & seruiamus Diis alienis quos ignoras tu & Patres tui, non acquiescas tu nec audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies.* Deinde si aggressor iniquus est idemque morte dignus, qui conatur corporis vitam multis eripere reipsaque eripit, tanto certè magis qui spiritualem, quanto est ista præstantior. At spiritualis pendet à fide, immò si illos audimus in ea sola consistit; fidem autem eidem eripere modis omnibus conati sunt, iustissimo ergo bello fecerunt se obnoxios, nec illius causam in alios quàm in se vnos debent reiicere. Nec est quod respondeant fuisse fidem illam totam falsam & euanidam, cum hoc sit principium petere, & nunquam euincere potuerint quod calumniantur & garriunt, & populus Catholicus in iusta præsumptione sit ac fuerit esse verissimam, vtpotè antiquissimam, & virtuti maximè consentientem, & quamplurimis illustrem miraculis. Fuerunt deniq; subditi ac filij rebelles & immorigeri, quia eo ipso quo Caluinus & Hæresiarchæ alij in Ecclesia Catholica baptizati sunt, illius filij & sub-

Osee 13.

ſubditi euaſerunt, ſicut & Chriſti cuius illa eſt ſponſa, ac proinde
illius cenſuris ac pœnis in caſu quo peccarent facti ſunt obnoxij,
quam ſi cauſentur non fuiſſe veram Eccleſiam, ridiculè vt antè
principiũ petent, eodem quo prius modo refutabiles, & indigni
quibus credatur, ſicut non crederetur ingrato filio, qui matrem
ſuam prætenderet vxorem veram non fuiſſe ſui patris, illa autem
affirmaret. Quomodo autem nõ peccarunt, qui illam audire ne-
glexerunt, grauiſsimis conuitiis affecerunt, illius doctrinam im-
pugnarunt, cõtrariam pertinaciter amplexati ſunt, omnia deniq;
illius ſacra quantum per poteſtatem licuit, ſubruerunt? Haud du-
biè profeſsione illa pertinaci doctrinæ contrariæ, fecerunt ſe hæ-
reticos; Hæreticum quippè definiunt, *qui contra verum Dei verbum
probè intellectum pertinaciter aliquid ſentit.* Admittatur in præſenti hæc
definitio. huiuſmodi autem verbũ nulli prudenter videri poteſt
ab aliquo melius intellectum, quàm ab eadem Eccleſia, cui &
Chriſtus illud concredidit, & Apoſtolico ore teſtimonium per-
hibuit, quod eſſet columna firmamentumq; veritatis, 1. Timot. 3.
Quam rurſus audiri ſub anathemate iuſsit, Matth. 18. Et docendã
promiſit omnem veritatem, Ioan. 14. & 16. Quis porrò iure nega-
rit puniendos hæreticos? Sunt profecto puniendi, & vi ad officiũ
compellendi, vbi nihil prodeſt clementia, vt doctiſsimè fuſeque
proſequitur S. Aug. epiſt. 48. & 50. & Caluin⁹ ipſe curauit Geneuę
Seruetum velut Hęreticum extremo affici ſupplicio, cuius etſi vi-
deri nolit auctor præcipuus, communi tamẽ iudicio habitus eſt,
vt fatetur, cui reſiſtere non volens ait, *ſed quatenus ſum progreſſus non*
tanti intereſt. Dicat fortè aliquis, eſto Eccleſia veſtra ob cauſas al-
latas iuſtè potuerit Caluinum, & ſimiles quos baptiſmo initiaue-
rat, aciebus inſtructis perſequi, & arbitrariis pœnis ſubiicere, non
tamen nos illorum nepotes in eiuſmodi Eccleſia minimè bapti-
zatos, ſed in reformata illa cuius ſunt Fundatores. Reſpondeo, ſi-
cut ſolus rebellis filius non ſubiicitur matri propriæ cuius in do-
mo natus eſt & educatus, ſed etiam eius filius in tertiam & quar-
tam generationẽ, ſic Romanæ Eccleſiæ ſubiectum credere ſe de-
bet non Caluinus ſolum, ſed etiam quiſquis ex illo per baptiſmũ
deſcẽdit. Sicut rurſus ſi colonus ſim, & tu homo extraneus bobus
mei vtaris, ad colendum agrum Domini mei, quem meæ cõmiſit
induſtriæ, nec boues idcircò tui fiunt, nec fructus quẽ ferit ager,
in mea

De refut. err. Seru.

in mea deſinet eſſe poteſtate, & iure colligi meſsis tempore, & poſt meſſem excuti ac repurgari. ita in poteſtate ſunt Eccleſiæ quoſcunq; Caluinus & Prædicantes alij per hæreſim extranei baptizandos ſuſceperunt, quia baptiſmi adminiſtratio cum Sacramentum ſit Chriſti credita propriè eſt Eccleſiæ.

Præter hæc omnia tam doctrina Catholicæ Eccleſiæ, quàm qui ab ea mittuntur ad inferendam aliquo religionem à procellis excitandis alieniſsimi ſunt. Nam quod ad doctrinam, vnicè inculcat obſeruationem mandatorum Dei, quæ vt vidimus conducit in primis ad pacem, clamat neminem eſſe à tali obligatione liberum, acceptas iniurias minimè vlciſcendas, ſed diuinæ committendas ferulæ, eſto cuique liceat in iudicio quod ſuum eſt repetere, & illati ſibi damni compenſationem poſtulare, eadem ratione ignoſcendum hoſtibus qua ignoſci nobis à Deo volumus, ſuperiores legitimos Dei habendos loco, ſeu parendum iis propter Deum, & tanquam Dei vicem gerentibus, itaque nefas eſſe in eos rebellare, alicui vim afferre, aliquem circumuenire, aut fortunis ſuis ſpoliare, ſi quid oblatum aut mala fide fuerit acquiſitum, non id ſolum reſtituendum, ſed damnum etiam vniuerſum inde reſultans reſarciendum. neque enim dimitti peccatum niſi reſtituatur ablatum, aliis non faciendum quod ſibi fieri nemo boni conſuleret, cōpeſcendum habendi ſtudiū, quia qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & in deſideria multa & nociua quę mergunt hominem in interitum, radicem omnium malorum eſſe cupiditatem, quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis, bello gerendo, ſeu inferendo ſubeſſe debere cauſam iuſtam, intentionem rectam, auctoritatem legitimam. Cauſæ iuſtæ tunc ſolum, eſſe locum, quando aduerſarius iniuriam aut damnum à ſe illatum compenſare negligit, aut ſuos punire ſubditos qui illud irrogarunt, aut vim inferre parat ad quam propulſandam arma etiam offenſiua & aggreſsiones videntur neceſſariæ. Intentionem rectam dici, cum eiuſdem aduerſarij temporale damnum non quæritur, vt in eo ſiſtatur, ſed vt emendetur, & deinceps fiat cautior, & indemnis ſeruetur cum ſuis qui belligerat. Auctoritatis verò legitimæ nomine intelligi mandatum vel conſenſum Principis aut Rei-

publicæ Superiorem non recognoſcentis. Denique quantumuis magno quis iure nitatur non prius bellum inferendum, quàm illud per Caduceatores aduerſæ parti manifeſtauerit, ſimul inuitauerit ad pacificam ſatisfactionem, paratus oblatam admittere. Quod verò ad Clericos qui religionem plantatum eunt, abſtinere iubentur ab armis omnibus reipſaque abſtinent, doctrinam illam inculcant, inteſtina bella diſſuadent, nunc dicen-
Pſal.67. tes cum Pſalmographo, *diſſipa gentes quæ bella volunt*, nunc cum A-
Gal.5. poſtolo, *vtinam abſcindantur qui vos conturbant*, pacem è contra ſtu-
Pſal.75. dioſè commendant, velut diuinæ ſedis præparationem ſicut ſcriptum eſt, *& factus eſt in pace locus eius*. Quibus certè omnibus fit, vt nulla ratione dici poſſint incentores malorum, ſed publicæ potius auctores pacis ac tranquillitatis, & quantum ex ſe eſt pacem cum omnibus habeant, proſperitati etiam temporali por-
Rom.10. tam aperiant; & digni ſint de quibus ſcriptum videantur, *quàm pulchri pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.*

§.4. Mahumetiſmus contra totus eſt in perturbando profligandoque humano genere, nec Auſter vnquam tot poſt ſe relinquit imbres, quot ille cædes, luctus, calamitates. Nihil ei pace & vicinorum regnorum proſperitate grauius, nihil immani aſſiduoque armorum vſu gratius, & cum ita ſæuit, blanditur ſibi, arbitrans gratiſſimum ſe Deo præſtare obſequium, & repoſitam in cœlo habere mercedem maximam. Namque Azoaræ 19. verba ſunt, *militantes & ii à quibus iuuantur gratiam peccatorum promerentur, & paradiſum habebunt*. Et 32. *Prædatum vel expugnatum profecti maximam à Deo mercedem accipient*. Sufficit hoc, vt probentur Muſulmanni illi omnes Harpyiarum digni nomine, ſiue Harpyiæ dicantur ἀπὸ τῆς ἀέλλης, id eſt à procella quod turbulento impetu irruant, ſiue ab εἷλαν ἄλλο, id eſt alienum tollens, & præterea Ethnicis eſſe omnibus deteriores, quorum nomine Drances hanc fundit precem.

11. Aeneid. *Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.*

Bellis adeò delectantur, inquit Septemcaſtrenſis, *vt quando congregatur exercitus incredibili promptitudine, pari ſtudio concurrant, nec quieſcant prius quàm ſe in albo legi viderint. Ire crederes non ad prælium ſed ad conuiuium, immò impatientia abeundi tempus expectare nequeunt, ſed illud*

Digitized by Google

illud anteuertunt. Vnius assumpti loco offert sese qui relinquitur, & ni pariter assumatur, non vulgari se infortunio credit affectum. Inter milites cæteros Aconiziæ sunt fatales dicti. *Hi sine stipendio militant,* inquit Cuspinianus in Tract. de milit. Turc. instituto, *semperq; agmen præcedunt prædabundi quintam prædæ partem Imperatori debent manubiarum nomine sunt hi circiter 40000.* Postellus in lib. de Turc. Iustitia hos vocat Aquangis, & dicit esse minimum 50000. Ridiculum proindè, ex hisce immanibus Imperatoribus plerosq; dici Solyman seu Tseulimã, hoc est Salomones, alios Sultan Selym, seu Principes pacis. hæc siquidem mera est Antiphrasis, quo modo montes dicuntur à mouendo quod minimè moueantur, & Parcæ à parcẽdo quod minimè parcant, & lucus à lucendo quod minimè luceat.

Sed quo planius adhuc magisq; in specie nouerimus sectam illam exitialem reuera esse factamque ad reliqui orbis desolationem, conuenit nos præcipuè obtutum dirigere ad Christianos illos, qui in Turcico imperio mortem potius quàm vitam degunt. Superat sanè illorum miseria omnem dicendi scribendique vim & facultatem, quam mihi Tullianam hoc loco expeterem, vt stertentibus Europæis sensum aliquem tantæ calamitatis darem, ne fortè & ipsi veniant in eundem locum tormentorum. Eiusmodi Christiani aut tributarij sunt, qui nempè vitam ibi à parentibus liberis acceperunt, aut serui, nempe vel à victoribus in bello capti, vel à Turcicis latrunculis intercepti, qui turmatim quotannis ad finitimas ditiones prædatum exeunt. Si tributarij, ab iis quouis anno exigitur quarta pars fructuum tam ex agris & pecoribus, quàm ex quæstu prouenięns. Singuli prætereà quotquot in familia vna numerantur, singulos Ducatos pendunt. Quod si parentes soluendo non sint, coguntur liberorum aliquem pretio distrahere. Huic tributo admodum certè oneroso coniunctum est alterum omnium grauissimum. Nam quarto quoque anno vel vt scribit Cuspinianus tertio expeditæ aliquot turmæ equitum peditumque peruadunt imperium, & ex eorundem Christianorum filiis quartum quemque eligunt & abducunt. qui nimirum robustior, venustior, aut aliis naturæ dotibus instructior appareat, abductumque paulò pòst circumcidunt, & vel militiæ suo adscribunt tempore si aptus

videatur, vel in mechanicis occupant. Si à quoquam parente celetur filius vel aufugiat, dirissimis tormentis exercetur parens donec illum sistat. Vix autem celare potest, quia πρωτογερὸς, seu pagi Prætor Musulmannus semper est, eique incumbit sub graui pœna obseruare, quot cuique Christiani filij nascantur & filiæ, & tanquam aliud agenti indolem explorare singulorum. *Nemo verbis explicare potest,* inquit Septemcastrensis, *quibus lachrymis, quo singultu ac gemitu hanc pignorum suorum abstractionem miseri parentes prosequantur. Pater filium quem in Christi cultu educauerat, ad militiam Satanæ rapi videt vt Christum oppugnet, sed nihil prosunt eiulatus.* Si sunt serui venduntur numerata pecunia Mercatoribus & Lanistis, qui magno numero subsequuntur exercitum, atque ab eis vinciuntur cathenis ferreis tam productis, vt nunc 12. nunc 20. aliquando etiam 30. vel 60. vinciendis sufficiant. Mox manibus quoque iniiciuntur manicæ, atque ita vno passu alios ab aliis dirimente abiguntur & procedunt. Ingruente nocte sua pedibus accedunt vincula. *Supini omnes*, inquit Lonicerus, *aërisque iniuriis expositi iacere coguntur. Sed longè grauiores iniuriæ quas à nefandis abactoribus istis accipiunt. Auditur enim per totam noctem eiulatus tristissimus vtriusque sexus adolescentium infandæ vim veneris patientium, tanto furore exerceri solitam, vt nec sexennis ætas miseros à tali vexatione & calamitate defendat.* Paruuli autem & adhuc pueri portantur in saccis, vt scribit idem Septemcastrensis, capite sexto. Vix ad constitutas ciuitates perueniunt, cuiusmodi maximè sunt Constantinopolis, Alepus, Alexandria, &c. cum ad forum publicum talibus destinatum mercibus iisdem cathenis colligati, & tædio, laboribus atque inedia consumpti brutorum more venalium deducuntur, nudantur, attrectantur etiam in partibus quas videri pudor vetat, probantur, circumaguntur, ad cursum incitantur, & rationales creaturæ insignitæ Christi charactere, eius denique inæstimabili redemptæ sanguine modico pretio venundantur, inspicientibus patre & matre filij, viris vxores, vxoribus viri, nutricibus paruuli inter eos futuri quos Græci ἀπάτορας καὶ ἀμήτορας vocant. De se vno testatur Barthol. Georgeuiz. in præfatione quod vt iumentum aliquod oppidatim, vicatim & plateatim venum ductus sit, adeò vt ad grauissima variaque rustica negotia septies sit venditus.

Lib. 2. de relig. & mor. Turc.

Si qui

Si qui inobedientes, verba pono Cuspiniani, *aut verecundi pudenda tractari recusauerint, colaphizantur & flagellis caeduntur. hic filius venditur matre vidente, hic mater abducitur in confusionem filij, hic marito erubescente vxor vt scortum illuditur, alterique viro traditur, hic vxor maritum videt aratro alligari, hic paruuli è sinu matris rapiuntur.* Ibidem nec dignitatis, nec sexus, nec ætatis minima habetur ratio, miles, paganus, sacerdos, plebeius, nobilis, ignobilis, doctus & indoctus, pius & impius, vel pari taxantur pecunia, vel ille maiore quem melius ad labores natura finxerit. Cæteri quantumuis nobiles, aut ingenio pollentes reputantur telluris onera, nihili fiunt, perpetuo ludibrio sunt, ministeria omnium sordidissima vilissimaq; obeunt, pannosi quouis tempore incedunt, vix siliquas habent quas fami opponant. Ibi crebrò vir nobilis & delicata matrona, quibus olim serui magno cũ apparatu obsequebãtur, vili pretio seruilem conditionem subeunt, spe omni abiecta solatij & libertatis. Si minus quis laborauerit, quàm præscriptum est, tunditur vt asinus, eique inter verbera passio cruxque Christi improperatur, omnibus iniuriis aëris interdiu exponitur, æstui, frigori, grandini, pluuiæ, ventis ac niuibus, & nunc quidem baiulum agit, terram arat, molendina torquet, nunc bestias curat ea semper lege, vt sub noctem certum pensum referat, de residuo quod sæpè nullum est viuat. Eundem Dominum suum si quando verbo factoue offendat, neruis cæditur inquit Ioannes Boterus 3.p.Rel.lib.2. vel ei oleum infunditur ardens, aut seuum, aut laridum. Prouecta nocte in antrum tenebricosum, & graueolentia pedoreque horridum cum sociis abducitur, vbi in compedes mittuntur bini & bini, resonat infœlix carcer lamentis & eiulatibus, horrent capilli omnibus, & concrescit sanguis ob mala præsentia. Inde educuntur summo mane luridi, laceri, fæculenti, & ad labores emittuntur solitos. Aliàs circumducuntur per niues & saxa, nec prius miseria exitum reperit quàm vita. Nemini cuiuscumque sit ætatis & conditionis illud obtingit beneficium, vt in itinere si ægrotet, illum herus apud hospitem in diuersorio curandum relinquat, sed flagris potius & scuticis vt pergat, impellitur. Quod si illum omninò vires deficiunt, iumento imponitur, cui si insidere nequeat, alligatur ei in transuersum sarcinæ more aut manticæ, morientem

In Tract. de domest. Tur. mor.

tem barbarus detractis veſtibus in proximam foueam aut vallem canibus,lupis ac vulturibus eſcam futurum abiicit. Ex captiuis pueris ſolent elegantiores Imperatori ſeruari, quos cum ſuo præficit Gynicæo perfectè euirat ô immanem crudelitatem, ſic vt nulla in iis reſtent virorum indicia, teſte Barthol.Georg.capite vigeſimo nono. Quod ad captiuas mulieres præter omnis generis libidinem cui proſtituuntur & patent, ſpurciſsimis plerumque miniſteriis addicuntur. Comitantur inter alia heras ſuas cum aquæ vaſculo,ad ſeceſſum euntes, hoc dixiſſe ſufficit. In ſumma autem, adeò miſeranda & acerba eſt ſors omnium, vt mortem nemo ei non anteponat. Loquentem audiamus Cuſpinianum loco citato: *Serui itaque nihil aliud cogitant,aut nulla aliã de re colloquuntur, niſi de conſilio fugiendi. Heri hoc animaduertentes cibum ſubtrahunt,ne viaticum parent. Rarò autem fuga elapſi euadunt, præſertim qui vltrà mare adducuntur. Plerumque enim aut morbo & inedia,aut fluminum profunditate,aut ferarum dentibus,aut opilionum contis pereunt,aut ad heros proprios quaſi fugitiui retrahuntur. Valdè namque ſolliciti ſunt Turci requirendi inueniendique profugos. Si retrahi contigerit fiunt nouiſſima illorum peiora prioribus. Prima vice duplicatur miſeria. Si reducantur iterum affliguntur ſine vlla commiſeratione, abſcinduntur multis aures nares vel labra, vt deformes appareant,vſtulantur aliis pedum nerui.* Omiſit hic auctor flagellationem, cuius tanta eſt atrocitas, vt in Lotharingia indigenam vnum poſt captiuitatem annorum viginti trium, opera & beneficio Legati Franciæ liberatum non viderim ſolùm, ſed ſæpe etiam ſim allocutus, cui ictus vnus oculum eruerat. Nam prima vice fruſtra fugere tentauerat, reſtitutus autem Domino ſuo immani ſtatim fuit verbere cruentatus. Idem referebat hero cuicumque licere lege patria ſeruum ſuum, qui tertio retrahitur priuare vita perindè ac pecus domeſticum. Sufficiunt hæc ſpero, vt quàm ſit diabolica religio, & ſecta illa tota nemo non videat.

§.5. Quid ſi Lutheraniſmum, Caluiniſmum, & Europæas alias dicam æquè exitiales fuiſſe Europæ caniculas? nihil niſi verum dicam & probatione facillimum. Nam vt ſpiritualia damna ſileam, quæ ſecum inuexerunt, carnis libertatem, neglectum bonorum

norum operum, de salute propria certa præsumptionem, arrogantiam, inobedientiam, contemptum sanctorum Patrum, & Atheismum, in quem ferè omnes desinere solent, vt ostendimus libro primo, capite secundo, §. vltimo, & perfidiam vt iam sit,

Vix socer à genero; vix hospes ab hospite tutus.

Et inuenire sit paucissimos, quorum oratio, frons, oculi non mentiantur, & complures fabulas quas veritati supposuerunt. Vt enim in fabula, sic in secta nulla ex recentioribus, nec veræ nec veri similes res continentur, blanditur vtraque imprudentibus, vtraque allicit & capit incautos. Exemplum, quis verisimile dicat & non somnium, Deum peccati esse causam atque auctorem, quod toties interdicit, & se admodum seuere dicit puniturum? magnam ab eo partem ab illo conditam, vt periret in æternum? impossibiles esse leges ab eo latas? Negat Caluinus verbum vt Deus est, esse à Patre, an non hoc est fabulam inducere execti Cœli à Saturno filio, ne vis vlla inesset Cœlo generandi specieque sibi similem producendi? Lutherus seruum fingens arbitrium nonne tibi fatalem Parcarum necessitatem legisque perpetuæ, & æternæ vim quam Stoici Pronœam appellabant, videtur in Ecclesiam introducere? Tradunt Zuuinglius & Caluinus ex eo quod Christus in cœlum ascenderit consequens esse, vt amplius non sit nobiscum, nonne hoc idem valet, ac si Thetis apud Homerum flebili narraret Achilli abesse à cœlo Iouem ad præstantes AEthiopas profectum? Contendunt quando prædicandi vsurparunt officium, fidelem amplius nullum fuisse superstitem, qui saltem se proderet, se vnos velut Abrahamos à Deo positos, à quibus noui gignerentur. Hoc autem fabulæ Deucalionis finitimum est reparantis cum Pyrrha humanum genus iactis post tergum lapidibus. Vt inquam silentio ista sepeliam, & de temporalibus duntaxat perturbationibus & calamitatibus loquar, amoliti primũ estis ô sectarij superiorum potestatem, qui subditos frænent, & quibus sublatis prorumpitur mox in omnem lasciuiam, audet quisquis quidlibet, & equi more taurique indomiti cæcus præcepsque fertur quocumque eum appetitus impulerit. Quid non est ausus populus absente Moyse Exod. 32. dumq; herum præsentem non habet seruus ille Euangelicus nonne percutere incipit conser-

conseruos suos Matth. 24. quid non facit apud Horatium imberbis Iuuenis custode remoto? Vide tandem quid subiiciat Virgilius postquam de AEolo dixit:

Luctantes ventos tempestatesq; sonoras
Imperio premit, ac vinclis & carcere regnat
Sceptra tenet mollitq; animos, & temperat iras.

Addit inquam quod sequitur, & ad rem nostram facit.

Ni faciat maria ac terras, cœlumq; profundum
Quippè ferant rapidi secum verrantq; per auras.

At palàm est Anabaptistas dominationem omnem refugere & detestari, atque inter alia docere nulli ne Principi quidem vtendum esse gladio. Reliqui etsi id non apertè tradant, satis tamen insinuant eo ipso, quo religionis prætextu sectatores suos à legitimorum Principum obedientia liberant, vt vidimus libro secundo, capite quarto, §. vltimo, & patet ex verbis illis Caluini libro quarto Inst. capite decimo tertio. §. vltimo: *Deinde vt demus fuisse obligatos cum ignoratione Dei & errore impliciti tenerentur, nunc postquam veritatis notitia sunt illuminati, simul Christi gratia liberos esse dico. Nam si tantam efficaciam habet crux Christi, vt à legis diuinæ maledictione qua vincti detinebamur, nos absoluat, quanto magis ab extraneis vinculis, quæ nihil sunt quàm captiosa satanæ retia, non eruet? Quibuscumque ergo Christus Euangelij sui luce affulget, non dubium est, quin ab omnibus eos laqueis expediat, quibus se per superstitionem induerant.* Adhæc date mihi ô Nouatores si potestis vestrum aliquem in quamcumque prouinciam ingressum, cui confestim non successerint motus grauissimi, & à quibus si qui fortè præcesserant, non fuerint quasi flabello quodam aucti maximis incrementis. Date Imperatorem, Regem, vel Principem vobis fide, religioneque dissimilem, quem exauctorare, & è sua ditione si fortè in eam vobis aditus patuit excludere non sategistis. Date Magistratum à vobis dissentientem, cui in dissoluendis clandestinis ac periculosis molitionibus vestris molestiam penè continuam non attulistis? Et ne sim longior, cedo prouinciam quam adeuntes calamitatibus variis non oppressistis, multo magis quàm Verres Siciliam? De vobis Anabaptistis res est nota lippis & tonsoribus, testes sunt procellarum vestrarum Monasterienses, testis egregia illa Munsteri vestri adhortatio

tio in epistola ad Fratres tumultuantes: *Agite, agite, agite, ne moueamini misericordia, tempus est, commouete in pagis metallorum fossores, agite dum ignis calet, curate ne gladius vester à sanguine frigescat.* Et vestrarum ô Lutherani centum illa rusticorum millia, quæ instigante Luthero vestro vno sunt cæsa prælio. & Carolus V. cuius imperium ab imo perturbastis, immò in quem conuitia mille, sicut & globos æneos coniecistis, ita vt captiuo Saxoniæ Duci sic eum salutanti: *Ego potentissime & inuictissime Cæsar me tibi captiuũ reddo,* respondere coactus sit, *nunc ita quidem me compellas, cum antea secus feceris, & cum Landgrauio tuo me per derisum Carolum Gandauensem appellare consueueris.* Et aliquando Ingolstadium, hoc est, ad præsidium fortissimum se recipere, quod ni citò fecisset, certissima aditurus erat vitæ pericula. Testes Magistratus multi etiam ex iis, qui in eadem erroris naui vobiscum sunt, vt Arustadiensis, qui Ioachimi Morlini Prædicamentis molimina, & petulantiam ferre nõ sustinens, coactus est ei suggestu interdicere, immò etiam illum à se dimittere teste Vlenbergio in causa vigesima secũda & Magdeburgensis, qui tædio affectus factionibus Tilemanni Heshusij Prædicantis, & sociorum omnes intempesta nocte curribus impositos aliò deportari curauit anno 1562. & Ienensis à quo abactus, & sarcinas colligere suas iussus est Simon Molerus, sicut & à Thuringo Illyricus & VVigandus, & ab Augustano Millerus. Modestiam omnem ac pietatem initio prætexebant, sed decursus temporis larnam sustulit, cauda de vulpe testata est, & apparuit sub pennis illorum similibus pennis struthionis meros latere accipitres.

Vos vero Zuuinglianos, vt Zuuinglius vester nihilo minus ad tempestates ciendas factos esse ostenderet, bello interesse voluit, in quo & occubuit. Vos denique Caluinistæ atrocia ac funesta gerendo bella præclaræ illius religionis vestræ quam reformatam dicitis, fundamenta posuistis. hoc me docuit Beza ipse vester in præfatione translationis noui testamenti sic scribens: *Geneuæ anno à Christo nato 1564. Decemb. 19. quo die ante biennium Gallica nobilitas Illustrissimo Principe Condensi Duce, non procul vrbe Druydum fortissimè præliata prima restituendæ in Galliis Christianæ religionis fundamenta fœliciter suo sanguine Deo consecrauit.* Quocumque pedem intulistis ibi publica reliquistis signa tristitiæ, sed præcipuè in Gallia & inferiore Germania. Quæ ibi templa vobis peruia non incendistis,

ſtis, ſpoliaſtis, euertiſtis? quas vrbes luctu non cumulaſtis? quos agros Chriſtiano ſanguine non perfudiſtis? quæ publica æraria non auertiſtis? quibus virginibus etiam Deo ſacris vim non intuliſtis? quæ tormenta in eos qui aſtipulari vobis nolebant non expediuiſtis? quot phalariſmis alios ad immanem mortem, alios ad deſperationem adegiſtis? quos Regis Officiales torturis, & ſi quid grauius dici poteſt non ſubieciſtis?

De Rege ipſo Carolo IX. quid dicam? an non illum & Meldis intercipere, & Lutetiæ Pariſiorum de medio auferre, cum tota ſtirpe regia paulo antequam in feſto ſancti Bartholomæi corriperemiſi, accuraſtis? certo certius vtrobique actum erat de illius capite, niſi illum diuina prouidentia interpoſitis fidis ac fortibus Heluetiis ex priore illo diſcrimine liberaſſet, Lutetiamque reduxiſſet: In poſteriore autem nefandam veſtram coniurationem ei reuelaſſet, vt merito has, & alias ſimiles inſidias, v. g. Amboſianam, quas ei tendere non deſtitiſtis, ſecum ipſe reputans, Pſal. 128. crebrò ſententiam hanc in ore habuerit, *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea, etenim non potuerunt mihi. Dominus concidet ceruices peccatorum.* Quæ prophetia ſingulariter poſtea impleta eſt in Admiralio illo veſtro Caſparo Colinæo, cui caput demeti iuſsit, & corpus truncum ſuſpēdi pedibus ad montem falconium prope Lutetiam. Rurſus quoties in libris, qui tunc in lucem à vobis magno numero edebantur, legere fuit hanc ſententiam, *non veni pacem mittere ſed gladium*, adeò boni Scripturæ interpretes ab initio fuiſtis. & quod de ſimplici diuortio fidelium ab infidelibus dictum erat, hoc ad immanem gladiationem transferre didiciſtis. Quod ad maiorem Britanniam incredibile quoq; eſt, quantum ibi ſanguinis Genius ille veſter fuderit, quot ſpeluncas latronum ex ſacris locis fecerit, quot Deo dicatas opes expilauerit, quàm multos ſolum vertere coëgerit, quàm immanem lanienam toto præſertim regno Elizabethæ exercuerit, quot Catholicorum turmas in carceres coniecerit, quàm miſera ibidem fuerit antiquæ nobilitatis partim interfectæ, partim in exilium eiectæ conditio; quæ verò ſuperfuit publicis honoribus priuata in ignobili otio, & ſordidis artibus contabuit, & homuncionibus aliquot de lapide emptis, atque ad immeritas dignitates euectis ſeruire atque adulari coacta eſt. Plebs verò ab eo tempore intolerandis tributis

tis adeò exhausta & exinanita, vt scribat Cardinalis Polus lib. 3. de Primatu, plus ab illa exactum, quàm exegerint superiores Reges post Guillielmum Normannum Ducem annis circiter 500. Mortuo Eduardo eius insulæ Rege, succeßit in eius locum iure hæreditario Maria soror, & abolitam sub eo Catholicam Religionem Ecclesiæ Anglicanæ restituit. Ea verò non longè post defuncta quid accidit? irrepsit Caluinismus. sed quibus paßibus? quo effectu? Reclamabant cum toto Clero Episcopi, & cum aliter vinci non posse viderentur, alij carceribus sunt mancipati, vbi præclaram obiuere confeßionem, alij in exilium relegati, exuti alij omnibus Eccl. dignitatibus, alij deniq; crudeliter interfecti; vt verè fuerit rerum status, quem in sua tempora incidisse gemit his verbis Hieronymus in epist. ad Heliod. *Quot matronæ, quot Virgines Dei hi belluis fuerunt ludibrio, capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diuersorum officia Clericorum, subuersa Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, Martyrum effossæ reliquiæ, vbiq; luctus, vbique gemitus, & plurima mortis imago.* Sed neque vicinam Scotiam grando ista Caluinistica reliquit intactam. Neminem latent Iacobi Stuarti Caluinistæ & sociorum perduelliones, seditiones, factiones contra Mariam Reginam legitimam, & hodierni Regis matrem, quæ vt præsentibus se periculis eriperet, coacta est immigrare in Angliam, nesciens quod sic fumum cum flamma commutaret. Grauißima profectò pericula fuisse oportuit, quæ illam proprio regno excedere compulerunt. Adhærebat ei summus Magistratus, quod videntes quidam Caluinistæ: *Controuersia inter eos agitata est in domo priuata,* inquit Buchan. lib. 16. histor. Scot. *Possent ne illam per vim reducere. Ministri consenserunt posse.* At fortè immunis saltem à procellis omnibus fuit filius ibi relictus, & Caluinismo infectus à teneris vnguiculis. Quis enim credat Caluinistas ita factos ad vexandum eos à quibus religione dissentiunt, vt etiam Regum in sectã suam iurantium quietem perturbare non exhorrescant? & tamen credendum est, adeò alienos facit eos spiritus quo afflantur, ab omni superiori potestate. Nouit Rex ipse quod eloquimur, quantum bilis & aceti, quantum temeritatis atque audaciæ, quantum tyrannidis & impudentiæ, quantum seditionis & inquietudinis in Ministris suis senserit, & comminantibus sibi, & Regiam pote-

Digitized by Google

statem pro arbitrio circumscribentibus, vt vix fas ei fuerit iis inconsultis legem aliquam ferre de tigno vel stillicidiis. Fortè adhuc Polonia miserior, quam hæresum omnium recentiorũ theatrum quoddam, vel emporium fuisse non abs re dixeris; tot autem concussam motibus, vt cimbam mihi referat mediis in fluctibus concitatis vndique, vacillantem, sed præcipuè exagitatam Caluinianis Africis, postquam eo pedem intulit nebulo ille Stancarus Caluini quondam discipulus. Hungariam nefas est præterire, cui Caluinismus instar quoque terræmotus fuit, adeò concussit partem eius occiduam. Et certè ei ac Lutheranismo adscribere magna ex parte possumus ac debemus, iniurias & damna à
1.Mach.2. Turcis illata seculo superiore. Docuit namque Lutherus nefas esse magno huic Dei flagello resistere. Vndè sicut Antiochus audiens Iudæos Sabbathi religione prohiberi pugnare in sabbatho, bellum iis intulit quo tempore festum illud celebrabant, non sine ingenti strage populi Dei; sic Solymannus de illa Lutheri doctrina certior factus Hungaros inuasit magna spe fretus victoriæ, non respondentes ei nec lapidem mittentes, nec opilantes loca occulta, sed nimia simplicitate dicentes: *Moriamur omnes in simplicitate nostra, & testes erunt super nos cœlum & terra, quod iniustè perditis nos*, 1.Mach.2. Prætereà tàm ipse, quàm Caluinus Europam implentes bellis intestinis, & sic obstantes ne in vnum coirent Principes Christiani aduersus gentem illam barbaram, immò multum eam commendantes Turcicis progressibus multũ haud dubiè profuerunt, vt non abs re idem Solymannus multum se Luthero debere sæpè agnouerit. Neque verò vel primum tàm facilè de Hungaria triumphasset cæso in acie Rege Ludouico, vel postea tam paruo labore Albam regalem, Strigonium, & alias eiusdem regni munitissimas vrbes Ferdinando Regi eripuisset, nisi Germani Principes Lutheri Euangelio vnicè intenti vicinos suos neglexissent.

Immò nisi eosdem Principes idem Lutherus edocuisset non multum referre, vtrum illæ ciuitates essent in imperio Turcarum, aut Papistarum, quin etiam sæpè prædicabat Euangelio fore perniciosius si Papistarum, quàm si Turcarum vires augerentur, eo quod Papistæ vetere instituto solam suam religionem in prouinciis

ciis sibi subiectis tolerent: Turcæ verò Religiones omnes æquè permittant. Non deniq; alibi tot in Europam procellas excitasset, quot & quãtas magno animi mœrore ad memoriam reuocamus. Nam si vnum Mahumetem II. excipias qui Constantinopolim nobis abstulit, qui Trapezuntinum quoq; inuasit imperium, vna cum 12. regnis & vrbibus 200. Albaniam item, Salaminam, & insulas complures mediterranei maris occupauit, qui deniq; capta Hydrunte summo terrore Italiam affecit vniuersam; Illo inquam excepto vix alium quàm hunc Solymannum reperies, qui grauius afflixerit rem Christianam, adeò solerter occasionem arripuit, quam ei Lutherus ministrauit. Ne porrò Caluinismus in Anglia eidem furori Turcico minus fauere videretur, vix Maria diem clausit extremum, cum eius soror sacramentaria Ordinem Equitum Rhodiensium erectum ad defensionem Christianæ fidei, & ad opponendum se Turcis pro domo Dei penitus extinxit. Sed & à Caluinistis Gallis initum consilium de iis contra Carolum IX. accersendis, testis est Matthæus de Launoy. Quo sane facto Hypocrate deteriores sunt & Themistocle, quorum ille nec pretio nec promissis magnificis adduci potuit, vt Artaxerxem Persarum Regem patriæ hostem sanatum iret: hic verò ne cum eodem Artaxerxe ad quem confugerat contra propriam patriam pugnare cogeretur, mortem sibi consciuit in Magnesia, tam procul aberant, vt illius portas hostibus aperirent.

Verùm fortè Euangelicus furor totus iam deferbuit, vt nihil vltrà timeri debeat, fortè illius occasione nihil amplius Europæ nostræ à Turca imminet mali. Neutrum tibi Lector facilè persuaseris. Sicubi Nouantes continent se hodiè intra pellem suam finesq; modestiæ, id non fit quod eis manus ad cædem, & publicã rerum euersionem non pruriant, sed quod nondum se satis viribus instructos sentiant, ausuri quidquid animo destinãt, vbi fuerint auctiores. *Occasione duntaxat opus est improbitati*, inquit Aristoteles lib. 2. Rhet. ore suo benedicunt, sed corde maledicunt, nunquam metuendi magis quàm cum vulpinam pellem induunt. *Sicut feles*, inquit Aug. epist. 144. *insidiantur muribus non cum strepitu, sed molli & suspenso gradu; ita filij huius sæculi comica facie agunt tragœdias.* Isti sunt Ioab qui sub amicitiæ, & osculi specie apprehẽsum Amasam gladio percutiunt. Leones etiam dormiendo caudam agitant, &

iugum venerit Turcicum, verendum esse ne qua ratione Sectarij in occiduam huiusmodi multas discessiones inuexerũt, occiduos Christianos inde nolentes sapere, nec damno alieno cautos fieri, sed hæreticis potius sibilis aures dare, in idem tandem exitium trahant. Hactenus de perturbatione & calamitate quæ ex bellis oritur multa satis.

Videamus iam num insuper illorum exortum & progressum multa alia mala sint consecuta, quæ spectare oculis minus reuera sit optabile quàm mori. Sunt profectò quamplurima omnisque generis. Nunquam temporum anni tanta inæqualitas, tot lites & latrocinia, tot cædes & duella, tot Scribæ & Pharisæi, tot corruptelæ iudiciorum forensium. Nunquam in pueris & adolescentibus tantum astutiæ, fraudis, pertinaciæ, inobedientiæ, petulantiæ & procacitatis, nec in militibus tantũ licentiæ ac perfidiæ, nec in Palatinis tantum vanitatis, dissolutionis, inuidentiæ, proditionis mutuæ, simulationis, cupediarum, inanissimorum sumptuũ, nec in coniugatis tanta nuptiarum immaturitas, tot infidelitates & diuortia, nec inter ciues tantum simultatis, nec in confœderatis & contrahentibus tantum malæ fidei.

Omne nefas fugere pudor verumq́, fidesq́,
In quorum subiere locum fraudesq́, doliq́,
Insidiæ, & vis, & amor sceleratus habendi.

Excreuit ad summum vsurarum iniquitas, vt non paucos videre sit, ô portentum, qui singulis diebus mutui augent interesse siue auctarium secundum proportionem Geometricam. Sæpè affines & consanguinei sibi inuicem extranei sunt & barbari. In peccatoribus nunquam indolentia maior, currunt præcipites in vitium, sicut equus impetu vadens ad prælium, frons meretricia facta est illis, nescierũt erubescere, gloriantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis; vix est qui seriò agat pœnitentiam super scelere suo, peruersi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. Nulla olim tanta rerum caritas, nihil iam circumfertur vilis pretij, ad intolerabile prouexit quidlibet auri sacri fames, vt quæ olim obolis nunc Regalibus comparentur. Postularet ratio, vt eiusmodi pretium incrementa & decrementa caperet, prout annona carior esset aut vilior; & ecce in eodem consistit gradu, quantumuis terræ bona multiplicentur, & bene-

fica

fica natura frugibus agros oneret. Quidquid extorquere venditor ab emptoribus potest, iustum putat. Luxus nunquam maior, in victu, vestitu, satellitio, & dotibus, in supellectili domestica, in conuiuiis, choreis, alea, & eiusmodi vanitatibus. Vrbanos ac ciues æmulantur agricolæ, ciues sericis sese amiciunt perinde ac Nobiles, è quibus qui minoris sunt notæ videri Comites volunt, hi Marchiones, qualibus parum est in suo gradu excellere, nisi etiam fulgeant more Principum, stipantur Principes vt Reges, & fortè Regibus orbis vnus terrarum non sufficit sicut nec Alexandro. Politicæ res nunquam minus benè constitutæ, sortiuntur officia publica non meliores aut peritiores, sed nequiores magisq; imperiti si modo opulentiores, qui scilicet plures possint aureos Soles, vt Romulus aues ostendere. Scientiarum cultores nunquam arrogantiores, vix eas delibare incipiunt, cum sibi videntur Apollines, nec alia manare quàm poëtica mella, & gemmas loqui, & proferre sententias ære perenni dignas folioq; Sybillæ. Quidquid effutiunt ac probant, sanctum est, quod respuunt inexpiabile, aliena contemnentes ad miraculum vsque suspiciunt quæ sua sunt, vnicum iudicium suum credunt instar esse omnium, Lydiumq; veri lapidem, cum Magistri videri velint vniuersorum, nullius volunt esse discipuli, nullius obeliscum, censuram & contactum ferunt, soli Argi sunt & Aristarchi. Norunt quomodo in præterito lino verbum habeat vel conquinisco, absoluti Grammatici sunt, euaserunt versificatores, hoc ipso se Poëtas arbitrantur. Possunt inter loquendum nec in solœcismos impingere nec in barbarismos, exæquant se perfectis Oratoribus. Respondere valent interrogati quinam & quot sint numeri circulares, quadrati aut cubi; quid hemitonium maius, diœsis, διάπασῶν, in quo secundum Opticos differat à reflexione refractio, & reflexio à perpendiculari, à reflexione ad perpendicularem, quid rhombus, rhomboides, helix, circulus, parabola, quid eccentricus, epicyclus, apogeum, perigeum, perfectam sibi videntur Mathesim, hoc est Arithmeticam, Musicam, Geometricam, Opticam, & Astronomiam consecuti. Si Betæ vel Origani vires perspectas habeant Dioscoridi pares se faciunt. Quisquis ferè aliquam lienis inflãmationem cyclamino curare, aut iecoris affectioni epithymo, vel polypodio didicit occurrere, haberi gestit Galenus vel Hypo-

Hypocrates. Si familiæ ercifcundæ, vel alium quempiam iuris titulum audiuerit, & Pandectas seu Digestum, Codicem item, Authenticas, Nouellas, Bartolum, Iasonem, Baldum, vel Accursium possit nominare, mox se circumspicit, & miratur vt iuris peritissimum. Tributa tam multa penduntur, vt locum nominare possim, in quo & matres paruulos suos occiderunt, quod se omni re domestica à feris exactoribus spoliatas alere illos posse diffiderent; & rustici in eandem coniecti penuriam ex furfuribus panem & ardosiarum puluere sibi pinsuerunt. Merces, panni, opificia ferè omnia fucata, caduca, infirma, adulterina. Typis mandatur quidquid lubet, libelli etiam famosi, obscœni, hæretici, superstitiosi, vix vllus librorum Censor, quem vbiq; oporteret esse accuratissimum. Etiam ad ipsa humana corpora extendit sese temporum nostrorum infœlicitas. Nunquam homines tam non homines vtpotè pusilli, infirmi, delicati, valetudinarij vt quocumq; te vertas, miseriarũ videre sit cumulos inductos à Pseudoeuangelicis, vt vel inuitus agnoscas quia istud est semen cui maledixit Dominus, ait enim Matth. 7. *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Sed ais nonne factum est occasione Sectarum (quod suo etiam tempore factum notat Aug. lib. in Genes. contra Manich.) vt oscitabundi Catholici torporem excuterent, & quam profitebantur veritatem acrius propugnarent? factum sanè ita vt quod notat Alphonsus à Castro, lib. 1. cap. 4. plures viros doctos nunc Ecclesia possideat, quàm habuerit superioribus aliquot sæculis. Respondeo id non Sectis, sed diuinæ prouidentiæ tribuendum elicienti ex malis bona.

* *
*

Digitized by Google

De miraculis effectu vltimo & nota vltima veræ Religionis.

CAPVT VLTIMVM.

§. 1. Miraculorum nomine quid intelligendum.
2. Quomodo & quo iure ad Religionis effectus reducantur.
3. Quàm illustris sit iis Religio Catholica.
4. Cum Mahumetana nec de vno possit gloriari.
5. Sicut nec Pseudoeuangelica.

§. 1. MIraculorum nomine intelliguntur opera supernaturalia, quæ scilicet naturæ viribus, nec ab Angelo, nec à Diabolo, nec ab homine vel alia creatura; sed à solo Deo, aut certè non absq; singulari eius adminiculo fieri possunt, teste Augustino qui ait in Psalm. 76. *Tu verò magnus Deus faciens mirabilia fecit Moyses, sed non solus, fecit & Helias, fecit Heliseus, fecerunt & Apostoli, sed nullus illorum solus. Illi cum facerent tu cum eis, tu quando fecisti, illi non tecum. Non enim tecum fuerunt cum fecisti, quando & illos tu fecisti. Tu es Domine qui facis mirabilia solus.* Ex eo autem quod supernaturalia sint ideoq; insolita, prodigiosa videntur, suiq; admirationem excitant in inspicientibus, atque hinc illis nomen.

§. 2. Iam quod Religionis effectus meritò dici posint ostendo 3. argumentis.

Primum, miracula effectus sunt fidei tanquam causæ finalis, ergo & Religionis. Probatur antecedens quia cum fides sit argumentum rerum non apparentium, vt loquitur Apostolus Heb. 11. Mentium nostrarum captum longissimè superat ob idq; constabilienda est cœlestibus, diuinis, & supernaturalibus signis, per quæ ratio etiam repugnans conuincatur, atque intelligat omni ex parte verum esse, reuerenterque suscipiendum, quod ab illa proponitur. Signis non indigent humanæ scientiæ, quia veritatis euidentia quam parit partim sensus à quo dependent, partim propor-

proportio quam habent cum naturali lumine intellectus instar est signorum, sufficitque vt eo inclinetur idém intellectus ad assensum. At neque fides neque obiectum eius sub sensum cadit, sed naturale lumen quodcunque excedit, miraculis proinde opus, quæ euidentiam illam suppleant, & quia fiunt in gratiam fidei, vtique effectus illius sunt. Probatur verò consequentia, quia religio supponit & exigit fidem, ita vt loquens Apostolus Rom. 10. de inuocatione Dei, quæ manifestè pars religionis est, dicat, *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt?* Et certè prius est per fidem cognosci Deum quàm coli.

Secundum, fides est propter religionem, sed miracula sunt propter fidem, vt vidimus, ergo multo magis propter religionẽ. Maior propositio confirmatur, quia Deus credi & sciri à nobis vult non vt in ea notitia cõquiescamus, sed vt ea præiacta in diuino eius cultu nos exerceamus, vnde Apostolus Rom. 1. Vehemẽter in eos inuehitur, qui contenti notitia illa tantæ maiestatis, vlterius progressi non sunt, *Cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt.* Deinde religio fidei actum imperat, Si ergo miracula sunt propter fidẽ, multò magis propter religionem, sicut à B. Augustino scriptum est lib. 10. de ciuit. c. 12. *Quæcunque miracula siue per Angelos, siue quocumq; modo ita diuinitus fiunt, vt Dei vnius in quo solo vita beata est, cultum religionemq; commendent.*

Tertium in Ecclesia Dei plurima fiunt miracula, quæ iuxta communem hominum apprehensionem atque iudicium, non tam eo directè pertinent, vt certus aliquis fidei articulus confirmetur, quàm vt ad exhibendum Deo cultum assurgat mens & excitetur. sint exempli loco quæ Laureti fiunt, & non nisi ab impudentissimis negari possunt. Fidei arrticulus qui per ea stabiliri posse videtur, non est alius quàm B. Virginem colere opus esse bonum, licitũ, & Deo gratum. Sed cum de hac veritate nemo dubitet qui loca illa adit, superuacaneus facilè alicui Deus videretur, si confirmationis illius minimè necessariæ gratia tot signa congereret, quod ne sentiamus verisimilius est tot ibi tantaq; fieri, vt prodigiosis & optatis curationibus inflammentur homines ad colendum in sacrosancta matre sua humani generis communem reparatorem, atq; ad adiiciendum fidei realem honoris exhibitionem, quam maximè salutarem esse tot exempla declarãt.

Digitized by Google

Est autem hic diligenter animaduertendum, quod tametsi miracula in rigore iuris nō sint necessaria personis & locis, in quibus iam plantata fides ac religio est, & fibras egit, tum quia illum qui iā certus est, vltrà certiorari nihil necesse est iuxta iuris regulam, tum quia Christus, Ioan. 4. & Luc. 11. vehementer nonnullos increpat, qui in simili casu noua postulabāt; nihilominus ad bene esse vt loquuntur, & ex abundanti, atq; maiorem eiusdem religionis commendationem, noua quædam succedentibus etiam tēporibus fieri conuenit, & haud dubiè fiēt, sic prouidente Deo, præsertim cum, *Segnius irritent animos demissa per aures*
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Nam neq; nos decet opes plurimas aliaque superflua petere, non tamen idcircò ea planè deesse sinit Dominus, sed passim dat affluenter, vt quondam Salomoni & non improperat. Christus item eiusq; discipuli non vnicum ediderunt, quod interim sufficere poterat, sed vt constat quamplurima. Nemo dubitat quin à Christi ætate penderet tam Ecclesia superiorum sæculorū quàm sequentium, hoc est tam Mosaica, quàm nostra ista Euangelica, quia quod ista factum à Christo credit, illa faciendum credidit, esto minus explicitè quàm nos; sicut ergo illi propria fuerunt miracula præter illa quæ in dicta Christi ætate patrata sunt, ita & huic propria quædam esse conuenit. Tandem fundata iam erat Religio vera in Africa, & Italia, Augustini & Gregorij Magni temporibus. interim tamen tam ille lib. 22. de ciuit. cap. 8. & serm. 7. de Sanctis, quàm iste in suis Dialogis multorum meminit quasi recentium. ita vt quod scribit ille in lib. de vera Relig. cap. 25. & iste homilia 29. miracula iam non fieri, intelligi necessariò debeat, quod iam non fiant ita frequenter ac prius, non autem quod nullo modo.

§. 3. Miraculis abundare Catholicos ad fidei suæ dogmata & religionis mysteria confirmanda tam est extra dubium vt ingenuè concedatur ab Aduersariis, singulatim à Caluino in c. 24. Matth. vbi ait; *Papistæ miraculis suas superstitiones confirmant.* Sed enim conantur illa infirmare idque triplicia via, quam vbi intercluserimus sarta tecta manebunt, & qui ea eleuare conantur, non alios quàm calumniatores, & obfirmatæ malitiæ viros esse constabit.

Primùm

Digitized by Google

Primùm ergo dicunt aliqui, conficta fuisse ab historicis & Patribus à quibus recitantur. Verùm hoc multis modis refellitur. Namque in primis incumbit his maledicis interpretibus quod dicunt ostendere, hoc est, non verè facta fuisse sed conficta, quippè *actore non probante reus absoluitur*, quando autem ostendent? non prius sane quàm vel pepererit mula, vel mare vites tulerit. Secundò, esto fortè historici eiusmodi in cæteris sint, vel fuerint profligatæ conscientiæ, vnicè tamen profitentur omnes veritatem colere, hancque professionis suæ partem omnium primam ac præcipuam esse intelligunt, sine qua nullius nominis futuri sunt, ita fit vt eos finxisse quod scripserunt minimè sit probabile, sed figmentum merissimum. Tertiò, quia non vnicus sed complures perhibent prodigiis illis testimonium, & ita quidem vt quæ scripto prodiderunt, alius nemo mendacij insimulauerit, difficile autem est ne dicam incredibile omnes in mendacium vel plurimos conspirasse, quidquid sit de singulis. Quartò, quia magna ex parte claruerunt miraculis, & Sancti fuerunt (quo etiam epitheto donantur ab Aduersariis) & viri boni, quid autem talibus cum fuco ac mendacio? nihil prorsus. Ob id enim Quintilianus oratorem vult esse virum bonum, quod illum velit à mendacio abhorrere, hoc autem in primis vir bonus faciat. Quintò, quia historici & Patres illi æquè ignorarunt hodiernos Catholicos & Sectarios, proindeque videri non potest venisse iis in mentem, vt falsi aliquid literis proderent, quo Catholicę causæ contra ius patrocinarentur, contrariam vero infirmarent, sed partes potius egisse eos integerrimorum Iudicum vt Areopagitarum, qui de capitalibus causis sententiam pronuntiabant tanta integritate, vt noctu atq; in tenebris non interdiu causas cognoscerent, quo non dicentes, sed quæ dicerentur duntaxat spectarent. Sextò, quia iidem Sectarij conantur non raro eorum aduersum nos testimonia conuertere, ex quo sic argumentor. His miraculorum nostrorum testibus aduersum nos iure se vti credunt, eos igitur à mendacij suspicione liberant, ne aliàs productores videantur falsorum testium. Sed fortè respondebunt falsos fuisse testes in iis quæ pro nobis dixerunt, veros in iis quæ pro se. Atenim semel malus semper præsumitur malus in eodem mali genere secun-

Lib. 12. Inst. Orat. cap. 1.

dum iura, & mendax id tantum lucri facit auctore Aristotele, vt ei postea fides non habeatur, etiam dicenti verum. Legis partem vnam repudiare non licet admissa alia, sed vel totam repudies oportet vel totam inficieris. Idem de historia iudicium, quandiu saltem aliter quoad partem nullam narratur ab alio.

His argumentis conuicti alij calumniam aliam cudunt, & historicos quidem bonæ fidei fuisse concedunt, sed non eos à quibus miracula illa acceperunt, ab illis enim istis impositum, illos somniasse, quæ isti vera esse rati scripto posteris prodiderunt, aut si vtrisque bona fides fuit interuenisse saltem præstigias dæmonis iusto Dei iudicio illudentis vnis & aliis in pœnam errorum ac superstitionum quibus constricti tenebantur. Verum ne hi quidem quicquam proficiunt.

Nam quod ad eos qui imposuisse dicuntur Historicis, quo argumento probantur fuisse impostores? quanta improbitas atque audacia tantam accusationem omni probatione destituere? Deinde historici non ab vnico, sed à multis de prodigiis illis certiores facti sunt, quos omnes mentitos dicere, nimis est impudentiam suam manifestare. Tertiò, sæpenumerò iidem historici non auriti tantum testes fuerunt eiusmodi prodigiorum, sed etiam oculati vt Augustinus supra, tales autem paulo antè à mendacij fraudisque suspicione vindicauimus. Quartò, nulla proferri causa potest propter quam videri queant studuisse prætentis illis fraudibus. nam qui testati sunt, verbi gratia, miraculum se vidisse ad contactum sacrorum pignorum, in tempora inciderunt, in quibus nemo virtutem impugnabat sanctarum reliquiarum. quorsum ergo illius asserendæ gratia confugissent ad ficta miracula? In magna inuidia apud vicinos suos erat C. Furius Cresenus quod cum illi nullos ex agris propriis fructus, ipse maximos ex suis perciperet, quo autem in odium traheretur accusari cœpit, quod iniquis artibus in agros suos fertilitatem induceret, in alienos sterilitatem. Verùm vt se purgaret apud Albinum Curulum satis habuit omne instrumentum suum rusticum optime præparatum, filium validum, graues ligones, vomeres ponderosos,

Plin. lib. 18. cap. 6.

sos, boues saturos in forum afferre ac dicere: *Artes meæ improbæ Quirites hæ sunt.* Sic est cur viri illi boni, qui miracula ediderunt, & à Nouatoribus omnium inopibus suggillantur velut vsi fraudibus, est inquam cur prolatis precibus quas ad Deum fuderunt, & firma fide, & vitæ sanctimonia, & inuocatione Sanctorum & vsu sacrarum reliquiarum, dicant, hæ fraudes nostræ sunt, hi doli, atque mendacia. AEquè insulsum quod de prætentis dæmonis illusionibus additur, primò, quia probandæ sunt, nec sufficit vt prætendantur. Secundò, quia si Nouantes signum vnum par nostris facerent, & nos audirent dicentes, vel confictum fuisse, vel dæmone illudente patratum, minimè curarent dictionem nostram, sed pergerent illud pro vero venditare, & extollere, & ad aures deferre omnium, nec ergo curare nos conuenit illorum tergiuersationes & calumnias. Tertiò, quia miracula illa nostra cedunt ad magnam Christi Sanctorumque gloriam, vtpotè in quorum nomine, vel ad quorum inuocationem fiunt, non ergo patrata sunt operante diabolo, nisi fortè fateri velimus, vti velle diabolum potestate sua ad honorãdos quos maximè odit. Quartò, quia non potest diabolus facere opera supernaturalia, vt per se constat. prodigia autem illa fuerunt supernaturalia: nunc enim prænuntiata sunt certò futura contingentia, secundum omnes circumstantias, vt à Pio V. victoria contra Turcas ad Echinades insulas parta duce Ioanne Austriaco, nunc in suscitandis mortuis, & illuminandis cæcis regressus datus à priuatione ad habitum, nunc sine vlla applicatione actiuorum ad passiua sanitas reddita, &c. Quintò, lustralis aquæ vsum, & crucis signum abominatur vehementer malignus ille spiritus, cum ergo miracula illa his interuenientibus, & præcipuè signo isto sæpissimè facta sint, profectò videri non possunt profecta ab astu dæmonis. Sextò, per illa abactus sæpè dæmon est, aut ergo non fuit illorum auctor, aut si fuit, nullius roboris extitit Christi argumentatio conantis, à simili calumnia vindicare huiusmodi abactiones, à se imperatas, ac dicentis diabolo adscribi non posse opus quo fugaretur: cui autem fidelium inualida videatur tanti doctoris ratiocinatio? Septimò, quia pari iure detrahi posset aliis quibuscumque miraculis de quorum veritate nullus ambigit, ac prætendi

tendi ab iis non abfuisse præstigias satanæ; eodem quippè modo se habuerunt vna quo alia, vtrobique palam certoque constitit de morte, de cæcitate, de morbo alio antecedente, & similiter de consequente effectu mirabili eoque constante, puta de illuminatione oculorum, de vita, de incessu recto, & expedito. Postremò, dicere Catholicos erroribus ac superstitionibus fuisse implicitos, in quarum pœnam permissi sint circumueniri à diabolo, est inconcesso pro concesso vti, & ridiculè principium petere, atque id proferre quo calumniæ subiici posset quodcumque opus bonum.

Desinant ergo Nouantes adscribere miracula nostra dæmoni, quibus & torquetur sæpè & confunditur, id si deinceps pergant facere, expectent ex ore nostro verba illa sancti Ambrosij serm. 91. *Perfidia incredulorum Hæreticorum tanta est, vt tolerabilior sit diaboli confessio. Audistis clamantes dæmones, & confitentes Martyribus, quod pœnas ferre non possunt. Ariani verò negant Martyres posse torquere diabolum.*

Secunda via aduersariorum ad miracula nostra obscuranda petitur ab incerto fine ob quem Deus illa fecit, quibus religionem fidemq; nostram confirmari dicimus. vndè scitis inquiunt, fuisse hunc finem Deo propositum? Percontamur vicissim ô Sectarij vnde scitis alium? Equidem vult Deus interdum miraculis prodere hominis alicuius sanctitatem; vult nonnunquam & ille, & sanctus patrator miraculi incurabiles morbos depellere, vel alia ratione beneficentiam erga miseros exercere. Verùm in vtroque casu interuenit tacita, & implicita ipsius fidei religionisque confirmatio. In primo quidem quia ibi nulla vera est sanctitas, vbi religio vera locum non habet, quandoquidem in tantum quilibet sanctus est, in quantum religiosus: In secundo verò, quia qui edit miraculum verum, vel nullo vtitur ritu suæ religionis proprio cuiusmodi est in nostra inuocatio nominis Christi, signum crucis, aqua benedicta, admotio reliquiarum, oblatio, votum, &c. aut aliquo, si nullo, in eo saltem fides vera requiritur, velut dispositio, & condignitas virtutis miraculorum. Vndè Chri-

ſtus Matth. 17. ait: *Si habueritis fidem ſicut granum Sinapis dicetis monti huic, &c.* Ac ſi dicat fides eſt conditio ſine qua non. Ibidem adſcribit defectui fidei quod diſcipuli eius Energumenum quendam curare nequiuerint. Si aliquo, poteſt quidem patrare miraculum vera fide deſtitutus, ſed interim fidei ac religioni veræ per illud teſtimonium perhibetur, quatenus non fit niſi hoc interueniente ritu, qui cum ſit talis religionis proprius, & illam repræſentat, & fidem qua nititur. Sic Marci 9. quidam in nomine Chriſti eiiciebat dæmonia, qui tamen eum non ſequebatur, vt egregiè annotauit S. Auguſtinus libro octoginta trium quæſtionum, in 73. Sic Iulianus Apoſtata ſigno crucis diabolum in fugam conuertit, vt ſcribit Theodor. libro tertio, hiſtor. cap. 3. Et S. Gregorius Nazianzenus oratione prima in Iulian. cum ergo eadem miracula quæ in tutelam noſtram proferimus, vtroque vel alterutro ſint patrata modo, conuincuntur omni ex parte facere ad religionis fideique noſtræ commendationem.

Tertia via eſt defectus hodiernus miraculorum. Multi enim, quia nulla vnquam viderũt fieri, ex præſentibus metientes quidlibet, aliis quoque in locis vbi non ſunt nulla fieri colligunt, atque ita de religionis noſtræ veritate minus benè ſentiunt, quia aliqua quouis ſeculo in ea quæ vera eſt, patrata iri didicerunt. Mihi autem tantum abeſt, vt nulla occurrant huius temporis quæ depromam, vt potius in media luce verſentur penè infinita. Paucorum interim narratione vitandi cauſa tædij contentus ero, ſelectorum ex innumeris quæ noſtra ætate contigerunt, & fiunt in vtraque India, ac rurſus Laureti in Italia, ad montem Serratum in Hiſpania, apud Andegauenſes in Gallia, ad templum ſancti Philippi in Sicilia (vbi quouis anno die illi ſacro multi dæmoniaci curantur, adeo vt anno 1541. 200. penè fœminæ ad ſanitatem abactis ſpiritibus malignis redierint, atque hoc ſe vidiſſe ſcribit Faſellus Decad. 1. de rebus Sicul.) Monachij in Bauaria ad reliquias ſancti Bennonis, & OEtingæ in eadem prouincia. Item in Heluetia ad beatam Virginem in Eremo, in Belgio ad beatam Virginem Halenſem, & Apricollis, quorum duorum locorum diuina prodigia totidem libellis complexus eſt Iuſtus Lipſius,

vir pietate doctrinaque clarissimus, sacra illa fragmenta colligens ne perirent.

Primum sit quod Lauduni in Campania, circa annum Domini 64. contigit, & à Ioanne Bolesio, Doctore Parisiensi fusè describitur in libello quem de hac re edidit. Ibi Nicolaa Energumena Episcopo oblata, vt à dæmonio liberaretur, diuino consilio diu, hoc est, duos annos in ea calamitate vitam egit, vt scilicet priusquam immundus ille spiritus, cui nomen erat Beelsebuth, abscedere cogeretur, de eius præsentia nihil dubitationis apud quenquam remaneret. Confluxerunt illuc toto illo tempore plurima Gallorum millia, ex quibus Caluinistæ complures erant spe freti nihil planè laudis, multum dedecoris ad nostram seu Catholicam religionem ex Exorcismis illis peruenturum. Data primùm opera, vt à Notariis publicis totius negotij progressus in acta publica referretur. Prodidit se diabolus frequenter tribus illis modis, qui solent esse inter omnes in eiusmodi re certissimi. Arreptitia namque illa literarum nescia non ad varias tantum linguas exquisitè, appositè & vniuersim respondebat, sed variis etiam expeditè loquebatur. Pleraque occultissima singulatim, & per partes ita describebat, ac si coram fuissent exhibita. Parum illi erat nunc 15. nunc 20. robustissimorum hominum viribus obluctari, euadebat etiam superior. Nihil dicam de horrendis vlulatibus, de totius intumescentia corporis, de membrorum contorsionibus, de ore spumante, de aspectu in primis truculento, & id genus aliis, quæ in hoc infœlici obsessorum genere solent concurrere. Postquam exempta omnibus fuit ambigendi occasio, & communi ore vulgabatur, aut neminem planè aut istam esse Energumenam, adhuc tentata res est fortius Ecclesiasticis Exorcismis. Adiuratur solenniter ab Antistite malus Genius, vt se prodat, & socios in nomine Domini Iesu, qui venturus est iudicare viuos & mortuos, & seculum per ignem, simulque aperiat, quam ob causam in miserandum illud corpus aditum sibi fecerit. Sic adactus nihil non agit quo detrectet imperium, furit, spumat, dentibus stridet, blasphemat, adiurantem execratur. Tandem tamen vrgente mandato quidquid rei est manifestat. Cæterùm immobiliter ibi consistendi ius sibi arrogat,

Digitized by Google

gæ,ob diris factas paternas deuotiones. At contrà solum vertes inquit Antistes. Tu quidem superbus ac fortis armatus vtcumque iam in pace custodis atrium tuum, sed habemus in sanctissimo Eucharistiæ sacramento te fortiorem, qui superueniens vincet te, & vniuersa arma tua auferet in quibus confidis, & spolia tua distribuet. Non vana & irrita, sed efficax plenaque veritatis fuit ista comminatio: postmodum enim indicto die vndique confluentibus, quasi ad publicum iudicium hominibus (& reuera iuridicè iudicandus erat Princeps mundi huius, & de sua possessione exturbandus) eductum est sanctissimum illud, & venerabile sacramentũ, ad cuius præsentiam dici non potest, quanto furore cœtus ille tartareus in afflictissimo sit corpore debacchatus; quanta trepidatione simul, & commiseratione affectos se senserint quotquot aderant, quot ab iis lachrymas extorserit luctuosissimum spectaculum, quomodo fideles omnes in cœlum manus tollerent. His peractis Antistes sacris amictus vestibus Clero comite Eucharistiam in manus accepit, & ad Energumenam conuersus alta voce ait. Immunde spiritus Ego in virtute sanctissimi huius sacramenti in quo Christi Domini nostri, ac velis nolis tui corpus verè, realiter, & substantialiter contineri firma fide credimus, & tu ipse diffiteri non audes sed credis, & contremiscis iubeo tibi ac præcipio, vt à corpore Nicolaæ huius quod inuasisti, cum sociis tuis omnibus non rediturus abscedas, signum abitionis tuæ manifestissimum edas, & quodnam illud futurum sit palàm pronunties. Ille his auditis eiulationes, & clamores horrore ipso horribiliores iterans ac multiplicans, ad iteratum multoties imperium respondit tandem se abiturum, & quidem effractis nemine non vidente fenestris templi vitreis. Benè est inquit Antistes, ergo iam iam in nomine Domini nostri Iesu Christi, qui iudicaturus est seculum per ignem, & in virtute huius sacramenti, egredere, proculque abscede, nec moram feceris. Vix fecerat dicendi finem cum grex ille tenebrarum Nicolaam crudelem in modum exagitatam deseruit, & intolerabili fœtore relicto per contritas fenestras illas vlulatu se magno proripuit. En tibi lector epitomen historiæ gestarum ibi rerum, adeò certæ, exploratæ, omnique dolo ac suspicione vacuæ, vt ex

aduersariis plurimi Ecclesiæ nostræ à qua illos hæresis auocauerat fuerint restituti, quorum vnius consuetudine aliquando familiariter vsus sum apud sancti Michaëlis in Lotharingia. Pertinaces alij nihil vnquam reperire potuerint quo miraculi magnitudinem obscurarent, quod tamen fecissent libentissimè si consuetæ suæ criminandi, contradicendique libidini potestas aliqua respondisset.

Alterum sit illud quod recitatur à Ioanne Baptista Fiklero, in libro cui Theologia iuridica titulus est. Scribit is anno 1569. venisse Salsburgũ Regularem quendam Ordinis sancti Benedicti, natione quidem Gallum Cisalpinũ, nomine verò Nicolaum 50. annorum è Galliis ob furentem Caluinistarũ rabiem profugum mendicata victitantem stipe, multorum ac magnorum Præsulum testimonialibus literis communitum, iter in Italiam sibi præfigentẽ, cui de cætero à furiis illis Gallicanis præcisa vltra medium lingua fuerat, sicut & totum ferè corpus plagis cruentatum, & tamen egregiè, distinctè, perfecteque loquebatur, hominumque illorum immanitatem commemorans circumstãtes omnes in admirationem rapiebat: *Huius ego præcisam linguã vidi*, inquit Fiklerus, *in cœnobio sancti Petri vna cum Prælato quodam pio, & aliis honestis viris eodem misello Dei loquente magnalia*. Fuerunt vtique singula verba, quæ sic edebantur magna miracula (neque enim naturaliter distincta seu articulata formari vox potest nisi feriente priores dentes extremo linguæ integræ, cuius vix tantillum præcidi potest quin statim blæsitas sentiatur) & totidem pro nobis, & contra Caluinistas diuina testimonia totidemque sententiæ quibus ferinam sectam illam bonus ille vir damnabat, nostram autem confitebatur sanctam, prout Spiritus, qui linguas infantium disertas facit, dabat eloqui illi.

Tertium sit recens infinitorum Indorum, tàm Orientalium quàm Occidentalium conuersio, quæ nisi admiratione digna videatur, quid videri possit nescio. Nam profectò minimè humanarum est virium homines, qui terræ toti prius affixi erant, & cupiditatum suarum inueterata mancipia, totos se dare contrariis studiis videlicet Christi obsequio, atque vt significantius loquar, seipsos exuere, in seipsos armari, sibi ipsis bellum indicere, de seipsis triumphare, hæc profectò mutatio est dexteræ excelsi,

digitus

Digitized by Google

digitus Dei hic est, hanc mundi conuersionem reponit sanctus Augustinus libro 22. de ciuit. Dei, cap. 5. inter præcipua miracula. Et certè dilemmate isto vti possumus, aut populi illi barbari ad Christi fidem nullo interueniente miraculo conuersi sunt, aut aliquo interueniente, si aliquo, est mihi quod volo, si nullo, hoc ipsum magnum est miraculum potuisse eos conuerti sine miraculo, cum multi eo etiam posito non conuertantur. Sicut scriptum est; *Cum tanta signa fecisset coram eis non crediderunt in eum.* *Ioan. 12.*

A Mahumete Musulmannorum omnium Pseudopropheta nullum vnquam editum fuisse, multo minus ab aliquo eius sequace clarissimè constat ex Azo. 14. & 20. vbi negat sibi à Deo datum aliqua facere, atque ita loquentem inducit eum; *Tunequaquam ad incredulos cum manifestis miraculis venies.* Atqui manifesta sunt de quibus agimus, quæ scilicet nihil habeant dubietatis. His expressis auctoritatibus corruunt quæcumque illi adscribuntur, vel inquam non contigerunt, cum prædictioni Dei non possit subesse falsum, ille autem nullum à Mahumete patratum iri Alcorano ipso teste prædixerit, aut si contigerunt vera miracula non sunt, verbi gratia, non erat diuina exstasis quam patiebatur, sed epilepsia seu morbus comitialis, non fuit Spiritus sanctus columba illa quæ dicitur ventitare solita, atque in aures eius rostrum suum inferre quasi aliquid suggestura, sed volucris nostris similis, tametsi edocta variis illecebris & longa consuetudine ad humerum subeundum, & grana in aure scrutari. Nam & Sertorius tanta arte ceruam priuatim instituisse legitur, vt ad nutum quoque ad se veniret, quo quidem astu consilia sibi esse cum Diis quasi eam delegantibus comminiscebatur. Aucupes item vix pugnum ostentant, cum Accipitres etiam procul insidentes ad se vocant & alliciunt. S. 4.

Ex multis eius vaticiniis de futuris contingentibus vix vnum verum. Prædixerat in Azo. 2. suos semper victoria potituros, & tamen ipsemet tam malè ab hostibus in pugna exceptus fuit, inquit Demetrius Sidonius, vt è conflictu dentes miserè contritos, & laceram faciem victoriæ loco retulerit. Illius autem posteri sæpenumero fusi fugatique inter alios Mahumetus II. alio- *In confut. leg. Sarac. cap. 7.*

qui omnium ferè generosissimus ac bellicosissimus, quando à Ioanne Hunniade fractus cum suis copiis est accepto ad papillam vulnere, vt nunquam postea de illa clade aut dicere, aut audire quidquam voluerit, sed quoties illius recurrebat memoria fortiter barbam vellicabat, inquit Cuspinianus in vita illius, suspiria ducebat cum gemitu, & hunc execratus diem inter atros computabat. Prædixerat moriens breui se post mortem cœlos aditurum, quod diu expectantes amici, tetro tandem odore coacti ferrea arca quam sibi ille adhuc viuens pro monumento parauerat, cadauer sepelierunt, cum homines magnete lapide in tholo templi extructo fallere cogitasset, vt videlicet eius simulachrum ferro pendere in aëre videretur. Sed ad hanc fraudem non peruenit nec peruenire potuit, quidquid in oppositum aliqui scriptum reliquerint de Mausolei Medinensis libramento ac pensilitate. Immò Antonius Mænauinus, & plerique alij à quibus describitur non ferreum faciunt, sed ligneum vel lapideum, proindeque ex materia conflatum cuius in aëre suspendendæ capax non est magnetis lapis. Addunt illud terræ cohærere, & oscula ei multa infigi à populo superstitiosè eo confluente, ac rursus tentatum aliquoties à Persis per subterraneas specus, vt Mahumetis cadauer inde ablatum in Persidem transferretur, ac ne aliquando id fiat, ingenti cura locum illum à plurimis fortissimisq; militibus custodiri.

§.5. Restant Nouatores à quibus iure nos postulare miracula ostendemus primùm, deinde quibusnam se tueātur expendemus. Syllogismo autem isto vtimur, qui extra ordinariè à Deo missi sunt vel missos se esse gloriantur, meritò ab iis miracula exigimus, sed tales sunt Sectarij, se inquam extraordinariè à Deo missos iactant & gloriantur, igitur merito ab iis miracula exigimus.

Maiorem propositionem confirmo.

Primò exemplo eorum qui extra controuersiam extraordinariè, seu immediatè à Deo missi sunt, verbi gratia. Christi, Moysis, Prophetarum, Ioannis Baptistæ & Apostolorum. Christus vt constat miraculis claruit, & Ioan.2. Instantibus Iudæis vt aliquo ostenderet in qua potestate publicè doceret, prædicaret.

ret, argueret, cum neque Sacerdotis, neque Doctoris ordinarium haberet officium, non reſpondit nihil eſſe opus aliquo, neque dixit ſufficere quod ſibi Moyſes & Prophetæ perhibuiſſent teſtimonium, ſed protulit futurum reſurrectionis ſuæ prodigium. Moyſes item multa edidit, vt liquet ex toto ferè Exodo, & ſimiliter Helias, Heliſæus & Prophetæ alij (neque enim minus aliis quàm duobus aliis fuerunt neceſſaria, vnde præſumendum eſt nonnulla quoque ab his edita) tametſi neque doctrinam nouam afferrent nec cultum nouum. S. Ioannis Baptiſta quamuis nullum fecerit (quia non expediebat, ne ei homines & non Chriſto attenderent, vt notat S. Thomas) circa ipſum tamen facta ſunt plurima, quod cumulatè ſatis fuit ad fulciendam eius vocationem. Fecerunt denique multa Apoſtoli vt ex libro Actorum conſtat, & cap. 10. Matthæi, vbi eos ſic Chriſtus alloquitur; *Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leproſos mundate, Dæmones eiicite.* De Apoſtolatu ſuo ſcribens Paulus ait; 2. Corinth. 12. *Signa Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patientia, in ſignis, & prodigiis, & virtutibus.*

3. p. q. 38. a. 2. ad 2.

Secundò, auctoritate ſapientum quales erant Iudæi illi, de quibus Ioan. 2. Non alij certè quàm naſuti & eruditi adire Chriſtum, & interrogare ſolebant, aut etiam præſumebant, ob idque nunquam tanta fiducia interrogaſſent ac petiuiſſent, vt ſigno oſtenderet ſe Dei auctoritate facere quod faciebat, niſi probè intellexiſſent eos qui extraordinariè illam iactant omninò debere prodigio aliquo illius fidem facere. Talis item erat Moyſes quem conſtat ex cap. 4. Noluiſſe ire ad filios Iſraël, & ſe ad illos à Deo miſſum aſſerere niſi poſtquam inſtructus fuit virtute miraculorum, clarè innuens ſic miſsis vocatisq; aliqua eſſe neceſſaria.

Tertiò, auctoritate ſeu teſtimonio ipſorum Nouantium. Nam Zvvinglius tom. 2. folio 52. 53. 54. Dignos iudicat eos qui ſine miraculis iactant vocationes eiuſmodi, qui cum Chore, Dathan, & Abyron viui deſcendant in infernum, & Lutherus in epiſt. ad Senatum Mulhuſanum de clanculario concionatore ait: *Acceſſat eum ad ſe Senatus etiam præſente omni populo ſi fieri poteſt, & quærat ex eo quis eum huc miſerit aut vocauerit ad docendum. Id procul*

dubio

dubio Senatus non fecit. Quod si tum dicat se à Deo atq; ipsius spiritu missum esse quemadmodum Apostoli probet hoc miraculis & signis editis, vel nolite ferre vt concionetur. Nam vbicunq; Deus ordinariam mutare vult, ibi semper miracula facit.

Quartò, ratione quod videlicet aliàs, id est nullis miraculis veris editis, nebulones quilibet possent se à Deo sic missos esse gloriari, & infinitas animas in interitum pertrahere, quod sanè pati pugnat cum diuina prouidentia.

In Tract. de necess. ref. Eccles. At minorem propositionem vulgò concedunt iidem aduersarij, præsertim verò Caluinus vt cùm ait: *Cum Deus initio Lutherum & alios excitauit, qui nobis facem ad reperiendam salutis viam prætulerunt, & quorum ministerio fundatæ sunt, & institutæ nostræ Ecclesiæ dicimus, &c.* Et certè cum in terris neminem possint ostendere Duces hi Nouantium à quibus missi sunt, ad vocationem seu missionem extraordinariam necesse habent confugere.

Probo secundò, iure nos ab illis miracula quædam exigere, si religio fidesque vera penes illos habitet, quia nimirum in ea quæ vera est enitere semper debent aliqua, vt superius demonstratum est, §. 2.

Tertiò, quandiu religio perfectè non est propagata iisdem eget adminiculis respectu locorum ad quæ nondum penetrauit, quibus principio indiguit respectu eorum, quæ iam illam profitentur. Nam & sanitas nondum introducta in corpus ægrotantis Titij, iisdem eget præparamentis quibus in Sempronio indigebat priusquam curaretur. At quamplurima adhuc supersunt loca siue populi ad Lutheri, Caluini, & aliorum id genus Pseudoapostolorum religionem nondum traducti, omnes videlicet Magellanici, omnes Americi, omnes Indi Orientales, omnes Asiatici, omnes Afri, & Europæorum pars maxima, hoc est orbis ferè totus, quid namque aliud quàm pugillus terræ est, quod superest? Sicut ergo hæc ipsa Religio cum primò plantari cœpta est coruscare miraculis debuit, ita nunc quoque debet.

In Tract. de vera Eccles. ref. rat. & in ep. ad Franciscum I. His argumentis conuictus Caluinus rimam quærit. *Refecimus*, inquit, *Ecclesiam veterem, non extruximus nouam, ideoq; miraculis non indigemus.* Et alibi: *Quod miracula à nobis postulant, improbè faciunt*

tiant non enim recens aliquod Euãgelium cudimus,sed illud ipsum retinemus, cuius confirmandæ veritati seruiunt omnia, quæ vnquam & Christus & Apostoli miracula ediderunt. Verum facilè est hanc rimam obstruere.

Primò,quiuis somniator extraordinariè se missum garriens posset responsione simili eludere necessitatem, qua teneretur faciendi miraculum,& satisfaciendi iis, qui nollent ipsum sine aliquo recipere.

Secundò,quia Caluinus manifestè petit principium,dum assumit prædicare se idem prorsus Euangelium eandemq; religionem,cuius satores fuerunt Apostoli.

Tertiò,quia lib.3. cap.4. §.vlt. euidenter ostendimus sectam quamlibet, præcipuè autem Caluinianam dogmatis ritibusque nouis abundare.

Quartò,quia Helias, Helisæus, & Prophetæ alij ad Dei populum venerunt cum miraculis,& tamen neque fidem nouam, nec nouum Dei cultum annuntiabant.

Quintò, quia idem Caluinus apertè scribit in epist. ad Sadol. ante hodiernas sectas veram Ecclesiam fidem & religionem penitus interiisse. vnde sic argumentor, quod penitus interiit, perinde se habet, ac si nunquam fuisset; sicut ergo vera fides ac religio si nunquam fuisset, miraculis indigeret vt plantaretur, ita profectò miraculis indiguit emergentibus sectis, vt replantaretur & reædificaretur. Vnde & videmus quod quando penitus destructum est aliquod ædificium eodem modo proceditur idemq; obseruatur in reædificatione.quod in ædificatione, ducuntur fossæ vt prius, iaciuntur fundamenta vt prius,eriguntur sensim lapides vt prius,&c.

Postremò reprehensione in quouis, & graui pœna dignum est publicum sibi munus vsurpare cum scriptum sit, Hebr.5. *Nemo assumit sibi honorem*; id est assumere debet, ergo & prædicandi officium, quale vt constat augustissimum est maximeque publicum. Vel ergo rei sunt Lutherus, Caluinus, & alij qui eo motu proprio functi sunt, vel si nolunt rei videri,nec illud proprio exercuisse arbitrio, sed diuino moti imperio,debent imperij huius fidem facere;facere autẽ non possunt nisi editione miraculorum.

aliquod ergo edi ab illis debuit, vt essent à culpa liberi, nec ipsi solum, sed etiam quicunq; ipsis adhærescunt.

Nunc videamus quibus subnixi prodigiis glorientur.

Lutherus in Psalm. 44. sic scribit: *Papistæ dicunt me nullis miraculis doctrinam meam confirmare, quibus respondeo hoc esse miraculum, & quidem maius miraculis vnquam factis, quod doctrina mea in tam breui tempore se dilatauerit.* Sed hæc stolidissima & intolerabilis iactantia est, tum quia dilatatio hæc fuit hactenus permodica, ne quidem ad tertiam Europæ partem extendens sese, tum quia mollissimam & Epicuræam eius doctrinam constat esse, vt vidimus lib. 3. cap. 6. §. vltimo, quam ob id adeò mirum non est aliquousque sese diffundere, vt è contra valdè sit mirum, quod non breui recepta sit à toto ferè humano genere ad mollitiem prono, sicut admiratione dignum videretur si tota stuppa igni applicita non statim flammam conciperet. Miraculo certè non tribueret Lutherus quod Mahumetismus latè proserpserit. quare hoc? nisi quia vi nititur, & voluptates quasque proponit? Adde quod miraculum sit effectus quidam rarus, vnde quidam interrogat,

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus? aut quis
In Meroe crasso maiorem infante mamillam?

Prolectari autem multos à Lenocinante doctrina qualis Lutherana est, penè sit quotidianum.

Secundò, tentauit Lutherus cum aliis nonnullis futurorum prædictionem, quam constat speciem quandam esse miraculi, verum nihil minus quàm euentus respondit euentus. Anno M.D. XXV. in lib. contra Thomam Muncerum affirmauerat post biennium non futurum amplius Papam, nec Cardinales, nec Moniales vllas aut Presbyteros. Dixerat rursus morti proximus, teste Pomerano.

Pestis eram viuus moriens tua mors ero Papa.

Et ecce adhuc hodiè, id est, post tot annos stat viuit & floret Papa, viuunt Cardinales, Presbyteri, Moniales, stat Romana Ecclesia nunquam auctior, cum Lutheranismus ex eo tempore factus sit contractior. Sic prædicere tentauit Maximilla se defuncta consummatum mox iri sæculum, vt scribit Epiphanius hæresi quadragesima octaua, quod interim stat adhuc & stabit. Promiserat

miſerat ſuis Zvvinglius certam victoriam in bello Tigurino aduerſus Cantones Catholicos, ſed occubuit in illo ipſemet, & Tigurini terga verterunt. Quanquam eſto viciſſent nihil miraculi habuiſſet vaticinium, quia longè plures erant, plures autem vincere nihil eſt mirum. Anno M. D. XXXIII. alij quidam Euangelici certum ac fatalem diem ad totius orbis interitum conſtituerunt, tanta ſtulti populi credulitate, inquit Alanus Copus, vt quidam à terra colenda, & aliis conſuetis operibus abſtinuerint, ſed adhuc ſtat orbis, & Sol in circulos ſuos reuertitur. Beza in vita Caluini Prophetam illum facere nititur, quod ille Geneuæ laborans podagra, inſtante conflictu apud Druydas, & ſlante toto biduo Borea vehementiſsimo viſus ſibi ſit per quietem audire tympana bellica, ſtatimque poſt coniectauerit magni aliquid geri. Quis hic riſum contineat? Dicenti quidam mirantique calceum ſuum noctu arroſum à muribus, reſpondit Socrates ſpecies quidē aliqua foret prodigij, ſi ex aduerſo calceus mures arroſiſſet, verum cum hi ſoli damnum illi attulerint, nullus iuſtæ admirationi eſt locus. Eodem modo ſi in ſummo noctis ſilentio viſus ſibi fuiſſet Caluinus crepitus audire militarium tormentorum, & in dies à variis tabellariis factus non fuiſſet certior de ſtatu & diſcrimine rerum Gallicarum, non omnino defuiſſet admiratio. Verùm cum è contra biduo toto flauerit vehemens Boreas, & ex compluribus literis Caluiniſtarum qui apud Druydas pugnaturi conuenerant, coniicere certo potuerit, aut etiam audire tempus, ſiue diem pugnæ illi conſtitutum, facile fuit congreſſum & tormenta bellica ſomniare. Conformantur enim ſomnia internis rerum formis ſeu imaginibus, & conditioni temporis, & rebus extrinſecus adiacentibus. Hinc fœda ac libidinoſa inter dormiendum facilè cogitant, quicumque interdiu fortes hauſerunt ſpecies rerum impudicarum, & vulnerari ſe in bello vel à quocunque hoſte credunt, quoſcunque in lecto aculeus, vel eiuſmodi aliquid afflixerit. Taceo nihil ſingulatim à Caluino prophetatum, ſed vniuerſim dictum magni aliquid geri, quæ ſanè aſſertio quouis tempore non ægrè verificatur. Dial 6. cap. 33.

Tertiò, non deſunt qui doctrinæ ſuæ fructum miraculo adſcribant.

Digitized by Google

scribant, Caluinus inter alios cuius hæc sunt verba in tract. de vera Eccles. reform. ratione. *Paulus cum Apostolatum suum voluit confirmare, non tam miracula à se facta protulit, quàm prædicationis suæ fructus, quod & nos dicere possumus de tot regnis & prouinciis, quæ Euangelium per prædicationem nostram susceperunt, nec putamus à nobis requiri posse firmiorem ministerij nostri confirmationem.* Sed enim palàm est orationem hanc totam hominis esse perplexi & fluctuantis. quid enim? an negare vult recitata ab Apostolo miracula quæ ediderat in Apostolatus sui stabilimentum? recitauit sanè Actor. 15. 2. Cor. 12. & alibi velut diuina quædam signa quæ prædicationi suæ vim contulerunt afferendi fructum, & quamuis nulla fecisset nec commemorasset, eiusmodi tamen prædicationem. hoc est ardua proponentem non mollia & Caluinisticæ dissimillimam à multis recipi, atque in fructum adolescere magnum fuisset prodigium. Præterea impensè vt video delectatur Caluinus hyperbolicis locutionibus cùm ait; *Quod & nos dicere possumus de tot regnis & prouinciis quæ Euangelium per prædicationem nostram susceperunt.* Quis eum non crederet 10. aut 12. regna cogitare? Ecce interim nullum erat Caluini tempore, sed neq; iam est (exceptis fortè Scotico & Anglicano) in quo non multò plures numerentur Catholici, vel alij quàm Caluinistæ, quod Caluinismum recepisse dici posit. cum à potiori parte fiat denominatio.

Quartò, vendicat sibi Caluinus lib. de scandalis sub finem miracula omnia, quæ ab orbe condito extiterunt, idque iure si ei credimus, quia doctrina quam profert clarè ostendit se fuisse illis omnibus comprobatam. Afficit me procul dubio stupore hominis impudétia, verbis duntaxat garrientis, & illudentis lectoribus, ac si stipites essent non valentes horum verborum inanitatem cernere. Dic nobis Caluine, quomodo doctrina tua luculenter ostendit se fuisse illis omnibus confirmatam? Si ita esset nemo nostrum eam non amplecteretur eadem ratione qua nemo nostrum repudiare solet, aut potest quæ in media luce versantur & euidentissima sunt. Neque enim intellectus noster sui iuris est, nec ita se accommodare valet voluntatis quantumuis peruersæ imperio, vt falsa repudiare & reiicere queat, quæ sunt perspicuè vera, sed iis statim assentitur, vt clarum est in primis Geometriæ principiis.

Deinde

Digitized by Google

Deinde, quomodo non consideras posse nos simili artificio, & quoscumque alios tibi aduersarios doctrinam suam, seu antiquam, seu nuperam confirmare, ac prætendere nullis eam prodigiis quibus stabiliatur indigere? nec tamen hac illorum responsione tibi satisfactum diceres.

Quintò, miraculum deducunt alij à diuinis quibusdam curationibus. Nam Elizabetha Angliæ Regina professione Caluiniana strumosis compluribus sanitatem restituit, quam humana remedia non poterant. Annulos item ad diem parasceues solenni ritu consecrauit, quos gestando homines à comitiali morbo liberabantur. Respondeo, hanc gratiam curandi strumosos, & epilepticos Anglicanis Regibus à Deo concessam facile credo, & apud Polydorum Virgilium lib. 8. hist. Anglic. testatum reperio. Reginis autem ipsis nequaquam. Vndè nec in Gallia strumosis mederi Reginæ solent, sed tantum Reges. Secundò, etsi ad Reginas extenderetur, eam tamen cum hæresi perseuerasse vix mihi persuadeo, ob idque ab eadem Elizabetha hæretica fœmina strumas ademptas, vel annulos efficaciter consecratos, non prius in animum inducere decreui, quàm à testatis omni exceptione maioribus id accepero. Tertiò, quamuis aliquos à morbis illa verè liberasset, nihil id Caluinistas iuuaret, quoniam vim illam Caluinismi occasione non accepit, vtpotè qua præditi iam erant eius Antecessores, nihil minus quàm professione Caluiniani, sed religionis potius nostræ Catholicæ, catholico ritu adhibito, & meritis ac precibus S. Eduardi, vt satis insinuat idem Polydorus loco citato. Vndè miraculum inde resultās huic eidem religioni nostræ solidè patrocinatur, sicut & dæmonis abactio facta à Iuliano Apostata signo se crucis muniente, vt supra retulimus.

Sextò, argumentātur nonnulli pro miraculis, ab insigni constantia & suorum numero Martyrum. Caluinum audi: *Iam quanta securitate nos ei doctrinæ nomen dare par est, quam tot sanctorum virorum sanguine sancitam ac testificatam videmus?* Desine Caluine vir nugacissime toties tamque futilibus næniis ludere, & alliga cordi tuo semel verum illud Augustini pronunciatum in Psal. 34. *Martyres non facit pœna sed causa.* Nempè aliàs Martyres dicendi essent nebulones innumeri ob sua scelera grauissimè torti. Nā vt Regulum, vt Q. Mutium Scæuolam & Romanos alios taceam, qui aucupandæ

Lib. 1. Inst. c. 8. § Sit.

Digitized by Google

humanæ gloriæ cupidine dira pertulerunt supplicia; Vt Asdrubalis vxorem prætercam, quæ capta Carthagine in rogum tribus cum filiis irruit, & mulieres illas duas, quæ apud Solinum litigabant coram Iudice, quæ prior post mariti communis obitum flammis se traderet; illum quoque Sparunum adolescentem, qui ne clamando furtum proderet, à vulpecula quam sub pallio occultabat, arrodi sibi ventrem sustinuit, quousque moribundus concideret. Vt Mahumetanos sileam, de quibus facile nemo crediderit, quàm non refugiant mori. Vt Circumcelliones missos faciam, qui eodem teste Augustin. lib. 2. contra epist. Gaudentij, cap. 19. vltrò sese Magistratibus offerebãt, vt ab iis occiderentur, eodem fine Ethnicos in se lacessebant, in illorum conuiuia tumultuariè irruentes. Vt Hieronymum Olgiatum non attingam ciuem Mediolanensem, qui cum ob interfectũ Galeacium Sfortiam à summo humero vsque ad medium pectus carnificis falce diuideretur, nec verbis nec voce mutata vitam simul cum oratione finiuit. Vt recitat Baptista Fulgos. lib. 3. dictor. memor. cap. 3. Vt inquam ista omnia silentio premam, plus certè est multoque horribilius hominem sibiipsi violentas manus afferre, quàm id libenter ab alio sustinere. Hoc autem in multis potuisse diabolum frequenter experti sumus, qui seipsos aut submerserunt, aut suspenderunt, aut pugione confecerunt. Patet itaque nec pœnam quantumuis grauem, nec tolerantiam quãtumuis insolitam per se satis esse ad veri rationem martyrij, sed spectãdam causæ æquitatem siue iustitiam. Eam ob rem non omnium qui patiuntur regnum cœlorum esse dixit Dominus, sed qui patiuntur propter iustitiam, & Propheta in Psalm. 34. non rogat, *Exurge Domine & intẽde iudicio meo in pœnam meam*, sed *in causam meam.* Non in id quod mecum habet latro commune, sed in illud quod beati & sancti persecutionem patientes propter eandem iustitiam. Addit sanctus Chrysostomus orat. 1. aduers. Iud. *Prædonibus raduntur latera idem patiuntur Martyres, facta sunt eadem, cæterum animus & causa cur hæc fiunt, non est eadem.* Quocirca illud perquirendum superest, sintne aliquando Sectarij, & inter alios Caluiniani propter Christi cultum deportati, vstulati, interfecti. Certus sum autem horum neminem his malis obnoxium factũ, quod Christum coleret, quod piè viueret, quod virtutem adamaret, sed quod in Deum manifestè

festè impius existeret, sanctos blasphemaret, damnatos quondam errores ab inferis reuocaret ac defenderet, Ecclesiæ sanctæ Doctores contemneret, publicam sibi potestatem munusque arrogaret, turbaret Rempublicam, Maiestatem humanam læderet, in eam rebellaret, seditiones excitaret, prædas ageret, cædes exerceret, Magistratui non obediret, defunctorum sepulchra violaret, schismaticis se coniungeret de quibus S. Cyprian. *Tales etiamsi occisi in confessione nominis Christi fuerint, macula ista nec sanguine abluitur, nec passione purgatur. Esse Martyr non potest, qui in Ecclesia non est, &c. Et infra, ardeant licet flammis, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ, nec religiosæ virtutis exitus, sed desperationis interitus, occidi talis potest, coronari nõ potest.* Ob eãdẽ causam apud Euseb. sancti Martyres cum Hæreticis nec torméta pro Christo pati volunt, nec sepeliri, sed seorsim iuxta illud Psal. 42. *Discerne causam meã de gente nõ sancta.* Deinde Caluine, qui sunt illi tui tàm multi, tamq; illustres Martyres, qui vt doctrinam tuam defenderent ceruices gladio suas supposuerunt, quinam cum possent non aufugerunt, aut pretio non redemerunt? quod nam illustre dederunt specimen patientiæ? Ista ista nostris vnis relinquenda sunt, de quibus Edmundus Campianus Anglus & ipse Martyr: *Omnes custodiæ nostræ refertæ sunt Catholicis, noua parantur, de suis Martyribus iam tacent. Superamus enim causa numero dignitate omnium. Afferimus pro aliquot Apostatis aut Sutoribus exustis Episcopos, Regulos, Equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam iuuentutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris planè extra numerum.* Et certè qui capita Martyrum Catholicorum in regno illo vno recensent commemorant Cardinalem vnum, Cancellarium vnum, Archiepiscopos 3. Episcopos 18. Abbates & Priores Regulares 4. Conuentus integros 4. Decanos Cathedralium Ecclesi. 13. Archidiaconos 14. Canonicos 60. Rectores Collegiorum 15. Reginam vnam. Comites 8. Barones 10. Equites 26. Nobiles 400. fœminas 120. laicos inferioris ordinis sine numero.

In lib. de simpl. Prel.

Cum porrò nulla vera vobis miracula sint ô Sectarij, quid superest nisi vt iisdem vos verbis alloquar, quibus coætaneos suos S. Augustinus lib. 13. contra cap. 6. *Vos conuenio ô Hæretici, qui in hodiernum vsq; diem nullum omninò signum edere nullum miraculum verum facere potuistis. Hæc autem Ecclesia Catholica quam impugnatis miseri, multa*

Digitized by Google

in Christi nomine ac virtute signa facit vbi necessitas & publica vtilitas id exigit. Si igitur nec scripturarum auctoritas, nec antiquitas, nec miraculorum potestas, nec morum sanctitas, nec rationis veritas vos commendat, abite confusi & redite confessi.

Dicam amplius etsi aliqua immò multa vera edidissetis, non tamen idcircò aut vos recipiendi essetis, aut religio & doctrina vestra.

Primò, quia scriptum est Deut. 13. *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atq; portentum, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi eamus post Deos alienos quos ignoras, non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris.* Ecce, lector, miraculum certam videlicet contingentis ac futuri euentus prædictionem, qua tamen non obstante iubet Deus quemlibet in auita fide & religione immobilem stare.

Secundò, quia miracula quibus olim confirmata est religio & fides nostra, apparent non fuisse minus vera, immò cum sint vetustiora ac probata longe pluribus, quæ autẽ priora sunt tempore, habeantur iure potiora, maior est ratio cur propter illa fidem & religionem auitam retineamus, quàm propter recentia aliqua repudiemus.

Tertiò, quia verum vero non est contrarium, ita fit vt cum hactenus vetusta illa semper sint vera habita summa consensione omnium, talia videri non posint contraria, hoc est, quæ in confirmationem doctrinæ religionisque contrariæ dicentur edita.

Quartò, quia sicut ille ipse qui edit miracula, sed infringit charitatem & schisma in Ecclesia facit nihili est faciendus iuxta illud S. Augustin. tract. 13. in Ioan. *Teneamus ergo vnitatem fratres mei, præter vnitatem & qui facit miracula nihil est*, ita nec religio & doctrina quam prædicat, nec proinde complectenda.

Quintò, quia Galat. 1. vetat Paulus credi Angelo de cœlo venienti, si aliud euangelizet Galatis quam acceperant, sed talis Angeli auctoritas minor non est quàm miraculi, ergo ex consequenti vetat rationem haberi miraculi, per quod stabiliri videbitur doctrina vetustæ contraria.

Sextò, quia esto sciretur miraculum nouum seu patratum à Nouatore verum esse miraculum, censeri tamen non deberet à Deo relatum ad confirmandum mendacium, seu doctrinam nouam

uam (quæ cum vetuſtæ ſeu Catholicæ aduerſetur, de cuius veritate non licet ambigere, alia quàm falſa videri non poteſt) ſed ad aliquem finem alium, non ſecus ac miraculoſa ſuſcitatio Samuelis facta non eſt ad necromanticam ſeu nefariam Pythoniſſæ artem commendandam, ſed ad confuſionem Regis Saul. Quare vt concludam iſto non obſtante miraculo recipiendus nō eſſet eius patrator, ſed tanquam lupus deuitandus, ſicut à S. Ignatio ſcriptum eſt in epiſt. ad Hieronem: *Quiſquis dixerit præter illa quæ ſtatuta ſunt, etiamſi fide dignus ſit, etiamſi ieiunet, etiamſi virginitatem ſeruet, etiamſi ſigna faciat, lupus cenſeatur ſub ouis pelle ouium corruptionem moliens.*

Sed quid ago Sectarij? Ergone vos miraculis vacuos abire ſinam? Dicam quæ vobis ſunt propria, non allatura decus ſed ſempiternam execrationem ac vituperium. Vidiſtis impij iuſtificationem diuinum quoddam opus eſſe planeq; eximium, iſtud facere præſumitis dicentes, quicumq; vos ſequitur, eo ipſo iuſtum eſſe, deq; ſalute ſua ſecuriſsimum. Verum audite quid dicat Dominus Iſa. 5. *Væ qui iuſtificatis impium.* Et Prou. 17. *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterq; apud Deum.* Et Iſa. 3. *Popule meus qui te beatum dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorū diſsipant.*

Secundò, magnum viſum eſt de paucis multa de paruis magna facere, ita vt tunc inſigniter ſe prodiderit Chriſti potentia cum panes & piſciculos paucos pares fecit eſſe alendis aliquot hominū millibus. In eundem vos modum Cleri noſtri vitia mirè extollitis, elephantos de muſcis facitis, quam plurima de veſtro additis, incerta pro certis recitatis, paucorum crimen ad omnes extenditis: quanta iniquitas?

Tertiò, plauſibile fore viſum eſt ſi eiuſdem Chriſti more poſſetis aliorum mortem cum vita commutare. Et ille quidem verè mortuos ad vitā reuocauit, vos verò vita verè præditos vita ſpoliaſtis. Caluinus quidem gregalem illum Geneuenſem, qui corruptus pecunia mentitus eſt mortuū, vt Caluini iuſſu prætereuntis ac iubentis ad vitam rediiſſe videretur, teſte Hieronymo Bolſeco quondam Caluiniano, in vita ipſius. & in Polonia ille eius diſcipulus, qui miſerū alium hominem nomine Matthæum, ad eandem improbam ſimulationem illectum pecuniis de viuo fecit mortuum teſte Turr. lib. 1. de dogmat. & rurſum alius nomine Mameracus in Chauly Picardiæ oppido, qui ira percitus quod

Ecce Energ-

Energumenum curare nequiuisset, culeo clam insutum in Isaræ amnis profundum aggrauantibus saxis demersit, vt scribit Faius in Energumeno pag. 56.

Quartum Anabaptistarum est proprium, nefanda scilicet illa quam inter se exercent scortatio. Illam enim ipsimet miraculo tribuunt huiusmodi verba vsurpantes, *Concupiscit spiritus meus carnem tuam, veni itaq; & faciamus mirabilia.*

Atque hic meta sit horum 4. librorum, superest vt te bone Lector bene valere iubeam, rogemque ex animo vt hæc nostra de religione dicta dignè suscipias, & quæ desunt ideò amputata ac prætermissa existimes, quod necesse fuerit fines, & cancellos aliquos in re penè infinita ponere, ac meminisse verborũ S. Ioannis Chrysostomi homil 3. in Genes. *Magna est huius thesauri abundantia, & larga fontis huius spiritualis vbertas. Nec mireris dilecte, si hoc nobis accidat, etiam qui antè nos fuerunt, pro viribus suis aquas inde hauserunt, & similiter qui post nos futuri sunt, idem attentabunt; neq; sic totum euacuare poterunt.*

CODI-

CODICILLVS MONITORIVS, AD RESIPISCENTES.

Documentum I.

Vt qui reſipiſcere cogitat, quam maximè ſe in hac cogitatione ſtabiliat.

SVPPONIT hic Codicillus velle Sectarium qui ſuperiora legerit, eiuratis erroribus ſuis ad Catholicam religionem, à qua hactenus vixit alienus, pedes ſuos conuertere. Ei ergo ante omnia auctores ſumus, vt ſeſe in ſaluberrimo iſto conſilio quoad poterit noctes & dies confirmet, atque ad illud in opus deducendum accerſitis vndique incentiuis comparet. Non hîc interquieſcet, non ſtertet inimicus, ſed zizania ſuperſeminare conabitur, & quo retineat volentem AEgypto excedere, omnis generis vncos adhibebit. Aderit vna momentum ſuperioris conſuetudinis, à qua ægrè ſemper receditur, vndè & *ſenis difficile eſt mutare linguam*, inquit S. Hieronymus. Hic dedocendus eris quod quidē laborioſius eſt quàm doceri; propter quod Timotheum tibicinem præſtantiſsimum ſcribit Quintil. lib. 2. cap. 3. exigere ſolitum mercedes duplices ab iis, quos ineptus alius inſtituiſſet. Nimirum pertinacius hærent quæ deteriora ſunt, *facile in peius mutantur bona*, vt idem admonet lib. 1. cap. 1. *Nunc quando in bonū verteris vitia?* Sed an idcircò nihil conabimur, vt efficaciter reſipiſcas? Immò iuxta præſcriptum Eccleſiaſtici cap. 29. recu-

Digitized by Google

perabimus te ouem perditam ſecũdum virtutem noſtram attendentes ne incidamus. Te itaque commonefacio, te obteſtor per illam charitatem, qua Deus ſic dilexit mundum vt vnigenitum ſuum daret, & qua idem Dei filius in ara crucis ſanguinem ſuum pro nobis effudit abundè, per ſalutem quoque animæ tuæ, vt in ſeriam cogitationem illam, quam iniecit tibi Spiritus ſanctus toto incumbas pectore. Multum tibi præſtitit Deus iniecto reſipiſcendi deſiderio, nõ fecit taliter omni nationi. Infœlices aliquos videre eſt, nunquam ad piam hãc voluntatem peruenientes, ſemper interim legentes, diſcentes, & altercantes ac ſi contentionis ludus inter homines exerceretur, in quo nihil planè referret cui quis parti ſe traderet, aut ille vnus à cœleſti Agonotheta coronãdus eſſet, qui pertinacius veritati refragaretur. Multum inquam hoc beneficio te ſibi obſtrinxit, eſt cur eius acceptione læteris, ſed non indormias, reipſa tibi actuque reſipiſcendum, hunc iam à te fructum expectat, quem niſi protuleris mittetur ſecuris ad radicem, excideris ſuo tempore, & in ignem mitteris. Ergo age, *diſcurre, feſtina, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de inſidiis aucupis.* Vult & non vult piger, vult inefficaciter, non vult efficaciter, & amicus inſolidus omnia ſe velle dicit amici cauſa, ſed tot promiſsis nullum tãdem reſpondet obſequium. Mulieres aliquæ cõcepto fœtu ad partum vſque veniunt, ſed non eſt in illis virtus pariendi. Hos ne imitere etiam vide. Opere completo ſanctum propoſitum, cuius tibi es conſcius, atque in hoc poſitam eſſe rei ſummam habeto perſuaſum. Non hic de reduuia quæritur, opus eſt operum, negotium negotiorum, cætera omnia ſecunda & tertia. Aut æternæ vitæ hic tibi iacienda ſunt ſemina aut mortis. Vitæ quidem ſi patefactam irreligionem tuam longiſsimè in poſterum valere iubeas; mortis verò, ſi vt iumentum in ſtercore ſuo, ita in ea velis computreſcere dicens cum deſperabundis illis: *Pax erit nobis, ambulabimus in prauitate cordis noſtri.* Si parum tibi videtur ſummo bono deſtitutũ ſummo conflictari malo, ne conſiliis meis acquieſcas, ad clamorem obſurdeſcito, admonitionem repudia. Sin autẽ hoc tantum eſt, vt tibi vel leuiſsimum infortunium ſi tamen æternum ſit, omni ratione fugiendum putes, vide iterum atque iterum, ne aut perniciosiſsima cęcitate labores, qui rẽ tanti non aſpicias, aut ſi ad-

Prouerb. 6.

Deut. 29.

ſi aduertis, mortales omnes improbitate ſuperes tuiq; incuria; quippe qui ad infœlicitatem omnium maximam vltrò ſcienterque procurras. Nihil omnino eſt quod vlterà alienum te à ſanctiſsima religione noſtra retinere debeat, quam deſcripſi tibi in totis 4. libris numeris omnibus abſolutam, & cuius dignitatem ſecum reputans Richardus à S. Victore exclamat. *Vtinam attenderent Pagani cum quanta conſcientiæ ſecuritate pro hac parte ad diuinum iudicium poterimus accedere. Nonne cum omni fiducia Deo dicere poterimus. Domine ſi error eſt à teipſo decepti ſumus, nam iſta tantis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, & talibus quæ non niſi per te fieri poſſunt. Et certè à ſummæ ſanctitatis viris ſunt nobis tradita, cum ſumma & authentica atteſtatione probata te cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* Nihil viciſsim quod prætentæ illi tuæ affigere, vtpotè quam perſpicuè demonſtrauimus peſtilentiſsimis ſcatere principiis, & vno verbo nihil habere cum religione vera ſimile præter vſurpatitium nomen. Hanc eius fœditatem, atq; mendacium cum Deus te videre fecerit, quàm inſuper te velit & iuſtum ſit ab ea recedere, ni receſſeris quid futurum ſit attende. *Seruus ſciens voluntatem Domini, & non faciens plagis vapulabit multis.* Ergone videbis meliora, & vel deteriora ſequeris, vel inhærere perges deterioribus? Non ſic Plato, qui cum principio ad poëticam animum adieciſſet, verſus ſuos auerſatus eſt videns eſſe Homericis inferiores, poſteà cum Tragœdiis ſcribendis dediſſet ſeſe, Socrate ſemel audito lõgè anguſtiora tractante, inſtitutum illud tragicum cum Philoſophico commutauit, vt ſcribit AElianus lib. 2. cap. 30. Colitur aliquo tempore impudica meretrix ab Amaſiis, quandiu virens flos iuuenilis pulchritudinis occultam tegit fœditatem, quæ vbi primum flore illo abeunte, ſe per rugas fœtidumque halitum prodere incipit, mox deſeritur, nec pluris fit, quàm ſtercus ſolet. Ita te conuenit de Sectæ tuæ deformitate ac irreligione certiorem iam factum eius amoribus nequaquam vltra implicari. At frueris ei adhærendo commoditate, iucunditate, vel re alia temporali. Vt ita ſit, quid tibi conferet tota iſta fruitio, ſi ſupplicia ei ſuccedant ſempiterna? *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* An non tibi inſtar omnis boni erit rei benè geſtæ recordatio, & probè actæ vitæ cõſcientia, hoc eſt pax illa, quæ teſte Apoſtolo exuperat omnem ſenſum?

Lib. 1. de Trinit.

Luc. 12.

Matth 16.

Contrà, quænam tibi solida esse poterit iucunditas, quando tacitè reprehendit te cor tuum, quod ne terram perderes cœlum stultus & campsor pessimus perdidisti? Quod nullũ virtutis signum valens ostendere, in malignitate tua consumptus sis? quod ex duobus bonis minus, ex malis totidem maius eligẽs? quod spretis grauissimis illis Dei comminationibus, *Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tendet, & in eo parabit vasa mortis.* Cyclopum more didiceris inter media hæc tonitrua omnium maximè formidabilia stertere. Hæc cum ita sint, redi præuaricator ad cor, ad auitam fidem, & Catholicam religionem Dominam tuam sicut Agar ad Saram dicente Angelo, *Reuertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.* Falleris & vehementer quidem, si alibi te reperturum credas, vbi requiescat pes tuus, & diuinæ consolationis pinguedine sagineris. Hanc sola tibi ministrabit religio Catholica, hæc sola mons Dei est, mons pinguis & coagulatus, quid montes alios suspicaris coagulatos? Si nihil te iure detinet, quid adhuc hæres? cur non soluis funem, immò præcidis? Perpende obsecro quàm infœlicem exitum in hac etiam vita peperit Antesignanis tuis error ille multiplex, quo te imbuerunt. Extincti alij in lecto reperti sunt, vt Lutherus & Oecolampadius, alij in bello occubuerunt vt Zvvinglius, alios pedicularis morbus abstulit mentione ipsa formidabilis vt Caluinum. Recede si mihi credis à schismate impiorum hominum, ne inuoluaris in peccatis eorũ, & absorbeat te abyssi puteus cum Chore, Dathan, & Abyron. Noli putare extra pœnæ iactum te fore, si communis culpæ reus hinc discesseris. Nõ enim est acceptio personarum apud Deum. *Te miror Antoni,* inquiebat Cicero Phil. 2. *quod quorum facta imitaris, exitus non perhorrescis.* Noli vlteriorem hæresis, schismatis & tuæ postulare irreligiositatis euidentiã. *Eum qui certus est,* ait lex, *vlterius certiorari nihil necesse est.* Si iis quæ post tot tantosq; Ecclesiæ Doctores in medium adduximus non persuaderis, neq; profectò si quis ex mortuis resurrexeris credes. Itaq; iam non est cur sic Deo supplices. *Notam fac mihi viam in qua ambulem,* sed magis cur dictum tibi arbitrere, *hodie cum vocem eius audieris, nolito obdurare cor tuum,* ne iuret tibi Dominus in ira sua si introibis in requiem suam, & experiare aliquando quod scriptum est, *quia vocaui & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret, ego quoq; in interitu vestro ridebo &* sub-

Psal. 7.
Gen. 16.
Psal. 142.
Psal. 94.
Prouerb. 1.

by Googl

subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. Non est cur Diabolum imitere, cuius proprium constat esse adhærere immobiliter malo, sed adolescentis illius pœnitentiam, posterioraq; consilia exclamantis post substantiam suam dissipatam, *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Peccaui cum seductoribus meis, iniuste egi, iniquitatem feci, & scias quoniam nisi cum illo resipueris ad rhomphæam parabit te Dominus. Si ei auscultaueris, si quam tibi iniecit mentem ad opus retuleris, & facto probes quod destinas, gaudium erit in cœlo coram Angelis Dei, & ipsi de tanto beneficio in te, quasi in nos collato gratias Deo agemus, eritq; laus tua in Ecclesia Sanctorum: Sin minus lauabimus inter innocentes manus nostras tibi sociisq; dicturi, *cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis*, id est versauimus vos in omnem partem, errores vestros prodidimus, futura mala denuntiauimus, omnigenis incentiuis vsi sumus vt in salutis pacisq; viam pedes vestros dirigeremus, nec tamen quidquam profecimus, iudicet Dominus inter nos & vos, sanguis vester super vos. Erit interim solatio quod scriptum est, Ezech. 3. *Si autem annuntiaueris impio, & ille non fuerit conuersus ab impietate sua, ipse quidem in impietate sua morietur, tu autem animã tuam liberasti.* Demulcebit quoq; mœrorem nostrum insignis illa Augustini sententia qua significat sibi quoq; cum obstinatis fuisse negotium. *Nulla excusatio iam remansit, nimium dura, nimium Diabolica sunt hominum corda, qui adhuc tantæ veritatis manifestationi obsistunt.* vos item prouocabo cum Tertull. ad futuri iudicij metum, ad illum inquam Iudicem qui *nec gratia præuenitur, nec misericordia flectitur, nec corrumpitur pecunia, nec pœnitentia mitigatur.* Quiq; ait;

Maledictus furor eorum quia pertinax.

Luc. 16. / Matth. 11. / Epist. 152. / L. de præsc. cap. 44. / Gen. 49.

Docu-

Neque emolumentum tibi paritura ſunt quæ illius cauſa pertuleris, paruum aut mediocre, ſed longè maximum: Scriptũ quippè eſt, *beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*, quod regnum dum expectabitur, cuicumq; mœſtitiæ opponet ſe conſolatio multiplex (non ſecus ac Nepenthes herba ab Homero prædicata addita poculis omnem conuiuij triſtitiam diſcutiebat) facietq; vt dicas, *ſecundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam, & ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita abundat per Chriſtum conſolatio noſtra.* Conſolatio erit quod teipſum viceris, & pro Chriſto abnegaueris. Nam ſi viciſſe alios tàm iucundum eſt & glorioſum, vt neq; Olympionicis apud Græcos, neq; triumphum agentibus apud Romanos quidquam fuerit expetibilius; quid de te Athleta dicendum erit reportante arduam de teipſo in ſummi ac præcipui momenti re victoriam? Conſolatio erit, quia tibi magnam mercedem illam in cœlo repoſitam videbis, de qua Luc. 10. *gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis*, Pſalm. 121. *In domum Domini ibimus*, 1. Pet. 3. *ſi quid patimini propter iuſtitiam beati*, Hebr. 10. *rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam*, 2. Tim. 4. *bonum certamen certaui, &c. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.* Tob. 4. *Fili mi pauperem quidem vitam agimus ſed multa bona habebimus, &c.* Conſolatio erit quia translatum te ſenties à deſerto infrugifero, à loco horroris & ſolitudinis, à terra tenebroſa & operta mortis caligine, terra miſeriæ & tenebrarum, vbi ſicut in inferno nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, ad montem pinguem & vberem, ad paradiſum voluptatis, vbi lignum eſt vitæ, lignum item ſcientiæ boni & mali, ad agrum cui benedixit Dominus, ad Regiam Salomonis, & iure tuo cantabis, *in conuertendo Dominus captiuitatem Sion facti ſumus ſicut conſolati, magnificauit Dominus facere nobiſcum facti ſumus lætantes* conſolatio erit, quòd *in loco ſpiritualis paſcuæ te collocauerit, animam tuam conuerterit, deduxerit te ſuper ſemitas iuſtitiæ.* Conſolatio erit quod Chriſtus quem tibi niſi volenti nemo poteſt eripere, inſtar futurus ſit bonorum omnium temporalium. *Ille mihi totum eſt*, dicebat Aug. Serm. 19. in Io. *ſi eſuriero panis mihi eſt. ſi ſitio aqua, ſi in tenebris iaceo lumen. ſi nudus ſum veſtis immortalitatis.* ob idque dicturus (ſi fortunas tuas videns religionis cauſa diminutas fleueris, aut ingemueris)

Pſal. 97.
2. Cor. 1.
Pſal. 125.
Pſal. 22.

mueris) quid fles? Et quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego tibi melior sum, quã millia auri & argenti? quid suspiras amissum, quod ea conditione acceperas, vt aliquãdo dimitteres?

Sufficere possent ac deberẽt meditationes hæ spirituales, quibus animo conualesceres, nullumq; temporale dispendium saluti tuæ anteferres, sed volo insuper humanis tecum rationibus cõtendere. & in nullo eorum quæ à te principio posita sunt aliquid esse ostendere, quod multum sit metuendum, aut à proposito rei benè gerendæ auocare te debeat. Pallere te dicebas ad hæreditariæ iacturam successionis, sed præterquam quod magis te decere
Psal. 15. oportebat, *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*, quamcumque pro Christo perdideris, restituet illam tibi magno cum fœnore, & quidquid propter illum dimiseris, accepturus es pro eo centuplum. & vitam possessurus æternam. Consulens Amasiæ Regi Iuda vir quidam sanctus ne secum habere vellet improbos milites quos talentis 100. conduxerat, atq; ex illo audiens, *quid ergo fiet de 100. talentis?* Apposité respondit, *habet Dominus vnde dare tibi possit multo his plura*, 2. Par. 25. Nihil tibi prodesse potest vniuersum mũdum lucrari, siue iure hæreditario siue quocumque alio, si ea via facias animæ tuæ detrimentum. Imitandus itaq; Moyses, qui et-
Hebr. 11. iam regiam spernens hæreditatem, *grandis effectus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores æstimans diuitias thesauro Aegyptiorum improperium Christi.* Exilium times, & tamen exul ac peregrinus es velis nolis vbicumque es. Omnes in hac lachrymarum valle exules filij Euæ sumus, & peregrinamur à Domino. Qua te censura perstringeret Anaxagoras, qui vbicumq; bene esset, patriã suam dicebat esse? Iam verò tibi melius esse nequit, quàm si tecum sit Dominus, erit autem in exilio, qui ait Psalm. 90. *Cum ipso sum in tribulatione*, & 2. Reg. 7. *Fui tecum in omnibus vbicumq; ambulasti.* Idem Abraham de Vr Chaldæorum eductũ per omnes peregrinationis suæ vias illæsum custodiuit, & Iacob fugienti in Mesopotamiam ante faciem fratris sui Esau semper adfuit, & Ioseph Aegyptiis venditum in vinculis non dereliquit, & statim post resurrectionẽ suam peregrinis duobus Comitem se præbuit. Cum Themistocles pul-
Plut. in Apopht. sus primum Athenis & mox tota Græcia venisset ad Persarum Regem ditissimus ab eo factus est: Magnificaq; dona intuens quę ab illo

by Google

illo acceperat exclamauit, ô pueri perieramus nisi periissemus, cum tàm benè ei successerit exilium, quid vetat ex tuo quoq; tibi commodum aliquod insperatum accedere? Notum quoq; illud Anaxandridæ responsum ad quendam qui deportationem ferebat acerbè. Ne exhorrescas exulare à ciuitate, sed à iustitia. Quo responso sensit eos nequaquam miseros esse qui præter meritum vel ob peculiares quasdam animi dotes in exilium mittuntur ab improbis, quibus innocentia semper cõsolatrix assistit. Dic mihi an ægreferunt, & non potius gaudio resiliunt sapientes, cum à Regib. vel Reginis ad distantissima legantur loca? Ibi reipsa exulant procul à patria, à Laribus, ab amicis, sed quia hoc causa fit Regis, & magnam haud dubiè mercedem repositam habet, libenter suscipitur, & honorificum existimatur. Reginas Religione vera illustriores paucas mihi dabis aut nullas, cuius proinde causa si te exulare contigerit, eius te legatum apud exteras nationes cogita, & omne gaudium existima. Cadere times à pristinis honoribus, sed longè grauius est orbari vita quã honore vel officio, & tamen verus Dei cultor dici non potes, nisi ita sis animo comparatus, vt vitam ipsam propter illam cum opus fuerit deponas. Leuissima iactura est vmbræ cuiuslibet. nihil verò aliud quã vmbræ sunt honores vitæ præsentis, fallaces, vani, inanes, inconstantes, bonis malisque communes. Quod ad principem, si te oderit quod ei fias religione dissimilis, nihil hoc te cõturbet, quia nihil facies quod non ipsum facere primùm oportuit. Non aliis quàm iustis legibus obligaris, iustæ porrò videri non possunt quæ diuinis aduersantur, & cauent ne quis à malo sese statu ad bonũ trãsferat. Parendum est hominibus, sed Deo magis, reddenda Cæsari quæ Cæsaris sunt, sed vicissim quæ Dei Deo, illa oportuit facere, ista non prætermittere. Omnium quoad fieri potest vitanda sunt odia & offensiones, sed Dei magis, quem sæpè offendimus, dum ad eius creaturam nimis respicimus. Vndè Apostolus *si hominibus* ait *placere cuperem Christi seruus non essem*, & Christus longè antè præmonens quàm procliue sit viros bonos à quibus colitur, in odium incurrere plurimorum dicebat Matth. 10. *Eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*. Obediendum est Principibus quatenus Dei gerunt vicem; tunc autem illius Vicarios sese non exhibent sed Tyrannos, cum iniqua illique contraria præcipiunt. Gal. 1.

Digitized by Google

Ob id ne carnifex quidem obtemperare debet Iudici inquit S.
2.2.q.64. a.6. Thom. cuius sententia continet eiusmodi errorem, manifestum scilicet atque intolerabilem; alias culpa vacarent tortores Martyrum. Nec excusationem inuenit apud Deum populus, qui in superstitionem Ieroboam, seu vi aut metu reuerentiali, seu sponte
Psal.26. consensit. *Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum*, veniet tempus cum illos ipsos iudicabis, qui te oderunt, insectantur, aut deprimunt propter melioris frugis studium. Ad fortunas tuas venio quibus non te ita destitui patietur Dominus, quin det tibi escam in tempore, & quærenti primum regnum Dei & iustitiam eius cætera adiiciat. Nouit prolis educationem parenti incumbere, & alimenta deberi liberis. Leg.1.ff. de Iust. & iur. ipse autem Pater tuus est, negare seipsum non potest. Anglos illos bonos interroga, qui sub toto fermè regno Elizabethæ Reginæ hoc est annos plus minus 35. opum suarum iacturam fecerunt, & patria excedere coacti sunt ne fidem perderent, num iis aliquid defuerit, quando sic sunt tuendæ religionis gratia peregrinati? Mox respondebunt nihil, seq; experimento didicisse quod scriptum est,
Psal.54. *iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet.* Quid ergo dubitas modicæ fidei? Confide confide, panem tibi ad manducandum præstabit. Sed demus quo te vndique conclusum teneam, si resipueris opes tibi omnes abiiciendas, parum est quod necesse habeas religionis causa earum abdicationem ad tempus modicum anteuertere, imò dignum quod in lucro reponatur, tùm quia sic necessitas fit virtutis occasio, tum quia maturè præcidũtur moestitiæ, quę turmatim occurrunt morienti, qui charissimis opibus
Eccl.41. suis prius orbari non didicerit, *ô mors*, inquit ille, *quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in diuitiis suis.* Certè nihil aliud opes quàm sarcinæ sunt, quàm spinæ, quàm lenocinantes quisquiliæ; ita fit vt quo diutius eas retines vel cumulatius amplificas, eo magis teipsum graues & laceres, & amittẽdarum augeas metum, & augendarum sollicitudinem. At dicta lex à natura est, vt omnes vitæ consulant suæ. Dicta fateor, sic tamen vt dum corporis vitæ consultum cupis, animæ ipsi non accersas interitum; plus enim est anima quàm corpus, & dum perituræ carnis tuæ curam geris, summi Dei cultum non negligas, quo nihil tibi debet esse antiquius. Demus prætereà coacta viuendum stipe, sic vixerunt viri

etiam sanctissimi, vt Lazarus & ij de quibus Apostolus. *circumierunt in melotis in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti quibus dignus non erat mundus.* Et nos omnes quantumuis Imperatores & Reges mendici sumus stantes ante ostium magni patris familias & diebus singulis clamantes: *panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Propter quod Dauid Rex Psal.39. mendicum se vocat & pauperem, sed neq; alium Christum ipsum quam mendicum fuisse dixero, qui de se pronuntiabat Luc.19. *Filius hominis non habet vbi caput reclinet.* Io.4. *mulier da mihi bibere* Matth.25. *Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c.* Demus deniq; futurum vt isto mortis genere, hoc est, mendicitate ex hac vita cum Lazaro discedas, an parum tibi videtur si post mēdicitatem porteris cum eodem ab Angelis non dico in sinum Abrahæ, sed in regnum cœlorum omnium bonorum aggregatione perfectum? Parum refert quomodo hinc abeas, si irreuocabili constitutum decreto est vt abeas, sicut & quomodo fluuium necessario superandum traiicias equone, vel ponte, vel cimba, vel more natantium. Ad hæc cum Deus creator omnium sit vitæ mortisq; tuæ Dominus, contentus esse debes, vt de tua quod expedire iudicabit id faciat, & tuo viuendi desiderio diuinam anteferre voluntatem. Ducemq; illum imitari, quem sic Poeta Didonem apud inferos inducit affantem. Hebr.11.

per sydera iuro
Per superos, per si qua fides tellure sub ima est
Inuitus Regina tuo de littore cessi,
Sed me iussa Deûm.

Quocirca vt finiam, cum tàm multis quæ retuli spiritualibus commodis reparanda compensandaque sint damna quæcumq; temporalia, & quamuis cum nullis in caduca ista vita commutarentur, ea sint in se tenuissima vilisque pretij, quousque ob res paruas humiq; reptantes tergiuersabere, atque inter fabulas ludes, & à plausibus plebis nescio cuius attollere? Emigra hinc, vir efficere, somnia proiice, vmbram protere, vana hæc oblectamenta plus fellis habentia quàm mellis relinque, & vt cum Nazianzeno loquar in epist. ad Eudoxium, *ne studeas inter graculos excellere, cum aquila esse possis.* Valeant opes si opus sit, splendores, elationes, nugæ aureæ, ad Deum contende, progredere, animo volita, apprehende vitam æternam, nusquam spes tuas siste, quousque ad

 portum

portũ religionis veræ peruenias. Ac nos mihi crede laudabis, nũc quidem parcius, postea autẽ vberius, cum in eo rerũ statu quem tibi polliceor, teipsum conspexeris, ac non inanem consolationẽ, nec mentis figmenta, sed rerum veritatem hæc esse senseris.

Væ interim diuitibus multis, qui cum nullo negotio possent te tuiq; similes à noxio isto metu liberare, quo detineris in statu perditionis, opem suam conferre negligunt. Væ inquam vobis, qui quotannis perperam tantum pecuniæ in Parasitos & histriones impenditis, in choreas & ludos, in talos & tesseras, in canes, equos, & accipitres, in cupedias & ædificia, in vestes & odores. An data vobis penula vt sic eam æstate deteratis? An non consultius foret Deoque gratius, vobis autem tùm vtilius tùm honorificentius, tot inaniumq; partem sumptuum, imò totos iis destinare, qui prohibentur rerum penuria, quominus à sectis suis apud quas vtcumque sustentantur, recedant? Quam multis ex vobis perfacile esset, absq; notabili vllo status sui detrimento, aureos mille anno quouis in hoc pium opus erogare? Hoc si fieret, complures ab interitu reuocaretis, qui hoc adminiculo destituti, in stercore suo vt iumenta computrescunt, grauiter haud dubiè expostulaturi de vobis in die districti iudicij, qui aliàs reciperent vos in æterna tabernacula. Sed heu surdis canitur, vt non abs re Psaltes
Psal. 81. post illa verba, *egenum & pauperem de manu peccatorũ liberate* addiderit, *Nescierunt neq; intellexerunt, ambulant in tenebris.*

Documentum 3.

Vt neq; ad Prædicantium querelas, & terriculamenta, neq; ad affinium, aliorumq; verba respiciat.

Qui obseruat ventum non seminat. Instituit nos his verbis Ecclesiasticus cap. 11. vt egregium aliquid molientes maturè discamus inanium hominum surda aure præterire dicteria. Nimirum quid aliud sunt verba quàm voces, & voces quàm sonus, & sonus quàm aër elisus? Sicut ergo

Digitized by Google

ergo reprehensione non caret, qui flantibus quibusque ventis plus æquo tribuens non seminat, ita nec ij qui hominum dicacitate non sapientium ea quæ sunt Spiritus Dei, à præclaris facinoribus quæ facienda susceperint,& cogitatione destinauerint dimouere se sinunt. Non sinebat sanè Apostolus sed verbositatem illam pede proterens dicebat Gal. 1. *Si hominibus adhuc placere cuperem, Christi seruus non essem, & mihi pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die.* Cæterùm inter eos quorum ministerio vt te in Babylone retineat vsurus est Diabolus, primum sanè locum sortituri sunt affines tui & Prædicantes, vt impleatur quod scriptum est Matth.10 *Inimici hominis domestici eius.* & Dan.13. *Egressa est iniquitas de Babylone à senioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum.* Sed inter affines, fœminei præcipuè sexus accerset operam, vt olim Adamum expugnaturus, cuius vbi primum blandimenta senseris monstra te virum, certa viriliter, resiste fortiter, assensum cohibe, suggestionem execrare. Ac tecum reputa, quid idem primus parens ab irato mox Deo audiuerit, *quia audiuisti vocem vxoris tuæ maledictus eris*, Genes.3. si instare pergat vxor, si neptis aut filia, attolle supercilium, & composita ad seueritatem fronte dicito, Dodonæum cymbalum tace obmutesce, tánquam vna de stultis mulieribus locuta es. ——*colum*

I cape cum calathis, & stamina pollice torque

Te si piget imitari noli aduersari, vt socio suo dicebat Aulicus ille Imperatoris apud Augustinum L. 8. conf. cap. 6. *Noli prohibere benefacere, si potes & ipse benefac* Eccl.33. *magna abusio*, inquit S. Bernardus, *domus ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi, & hoc ab iis qui in incendio sunt.* Sic Thomæ Mori constantiã filia quam vnicam habebat, lamentis suis labefactare non potuit, sic eo antiquior S. Thomas Cantuariensis non respexit ad carnem & sanguinem, sed in Authorem fidei, atq; in sancto proposito stetit immobilis, tùm priuatis tùm suorũ spretis incõmodis. Hoc eodem cõsilio cõmuniret te si adesset S. Hieronymus qui minori in re sic Heliodorum alloquitur. *Quid facis in paterna domo delicate miles? vbi vallum? vbi fossa? vbi hyems acta sub pellibus? licet paruulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine & scissis vestib. vbera quib. te nutrierat mater ostendat, licet in limine Pater iaceat, per calcatum perge patrẽ, siccis oculis ad vexillum*

crucis

crucis euola, solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. Nunc tibi blandis soror vidua haret lacertis. Facile rumpit hac vincula amor Dei & gehenna timor. At contra scriptura pracipit parentibus obtemperandum. Sed quicumq; eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis vt me perimat, & ego de matris lachrymis cogitabo. Aries iste pietatis quo fides quatitur, Euangelij retundendus est muro. Mater mea & fratres mei hi sunt qui faciunt voluntatem Patris mei qui in cælis est. Si credunt in Christum faueant mihi pro eius nomine pugnaturo: si non credunt mortui sepeliant mortuos suos. Tandem amicitiæ etiam secularis si vera sit lex est, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Amicum dilige sed vsque ad aras. Amicus sit Plato, amicus Aristoteles, magis tamen amica veritas.

Prædicantium assentationibus quæ similiter principio non deerunt, pari tibi erit virtute resistendum. Cómemorabunt propensos suos in te animos, & quam apud illos nactus es authoritatem, tuas item extollent naturæ dotes, vt his laudibus quasi coccineis vinculis si fieri posit tenearis obstrictus. Tunc imitare dicentem

Dicunt me vatem sed non ego credulus illis
Non ego sum numen, quid me immortalibus æquas?

Quin etiam cuilibet obiice illud ex Euangelio, *vade post me Satana scandalum es mihi quia non sapis ea quæ Dei sunt.* In aliquo forte pretio apud me essent eiusmodi laudes ab aliis profectæ, à vobis autem in nullo prorsus. Hærent menti meæ Senecæ verba. *Laudes ab improbis & scurris proficiscentes cum fucatæ sint & insynceræ modis omnibus cauendæ sunt, nec oportet ab ijs sic affici, vt afficiuntur sues dum fricantur & titillantur, vt nos ipsos facile præbeamus vtendos, cuilibet volenti deiicientes nos & ad scalpturam accommodantes.* Postquam autem illorum assentationes & vanas causationes ita retuderis, sæuos conflictus & contumelias expectare te iubet exemplo suo idem Hieronymus ad Ruffinum sic scribens. *Quandiu non renuebam laudationem tuam, sequebaris vt Magistrum, fratrem & Collegam vocabas, postquam verò non agnoui laudes tuas, & me indignum tanti viri praconio iudicaui, vertis stilum & omnia prius laudata vituperas, de eadem re dulce proferens & amarum.* Quo circa pectus tuum aduersus hæc iniquæ indignationis tela confirmes velim quod quidem satis superq; fiet, si vt luna constanter progrediens in motu suo ab ortu ad occasum canum latratus

Lib. de Vitiosa Ver.

tratus

tratus, sic tu illorum dicta omnia surda aure prætereas; reuera enim responsione vel minima indigna sunt ne dicam attentione. Aut si aliquid loquendum putes, forti nodo cuneũ oppone fortiorem. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur, aspero asperè. Neque enim genus hoc hominum ratione vel suauitate flectitur, sed vt Diabolus magnanimitate terretur & fide. Scriptum est, *resistite Diabolo & fugiet à vobis.* Dic ergo importuno cuilibet. Apage Minister Tartari plene omni dolo, & omni fallacia, fili Diaboli, inimice omnis iustitiæ subuertere non desinens vias Domini rectas. Alcidem vt video vis agere, sed non ego vecordem illum qui natura meticulosus, audita eius fama in specum sese abdidit, deindè cum fortè prospiciens vidisset prætereuntem, & pharetram audiuisset vtcumque stridentem immodico metu exanimatus est, & in saxum diriguit. Agamemnonem potius me senties, quem M. Tullius sic dictum scribit, quod in egregiis cœptis constans esset ab ἄγαν & μένειν id est valdè manés. Quanquam vix magna constantia mihi opus esse video, aduersum te hominem nauci, cuius molestos latratus compescere possem offa vna vel altera, adeò quæris tantum, quæ tua sunt, nec aliam ob causam insultas mihi defectionem molienti, nisi quia metuis ne sectariis aliis exemplo meo ad cor redeuntibus nido vacuus relinquaris & pabulo. Sed vt ad minas & conuitia tua redeam, si mihi conuitiari parum tibi videtur, Boream cieto vel Africum quo magis sis obstreperus, Acheronta moue. Cerberi rictus accerse, licebunt tibi per me hæc omnia. Interim longè antè denuntio fore, vt iis commouear nihilo grauius quàm mugitu bouis strenui milites solent. Verba crepato si lubet saxea, ferrea, ignea, horrifica, aliud non erunt quàm verba. Conatus & consilia conuitiis mea prosequeris, verùm pugili satis est si probari se viderit Agonothetæ, à quo solo se intelligit coronãdum. Hæc de verbis dicta sint, quæ in me iacis & iacies. Vulnera, & mortem, & mediocrium fortunarum orbitatem, si mihi insuper per te tuosue attuleris; ne sic quidem labefactabis animum. *Affatim diues est qui cum Christo pauper est*, vt Heliodoro scribebat Hieronymus. Nec frangi nec contristari pugil potest iis, quibus tentari virtutem suam, & parari sibi coronam ac triumphum intelligit. Mors & vulnera caminus sunt, in quo suorum constantiam vt aurum

probat altissimus, vt inueniat dignos se, & tanquam holocausti hostiam accipiat. Ita ergo fiet, vt quo maius mihi damnum afferre studebitis, magis ad æternam & immarcessibilem coronam prouecturi sitis, pro quo beneficio libenter vobis aureos 20. vt olim S. Cyprianus carnifici à quo iugulandus erat, si mihi essent numerarē. quod interim beneficium quia præter mentē vestram cōtinget, ad nullam vobis mercedem ius tribuet, sed faciet vt suo tempore Neoptolemi vindictam sentiatis, & impleatur quod scriptum est Luc. *Deus non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die & nocte, & patientiam habebit in illis? dico vobis quia cito faciet vindictam illorum.*

Sequuntur damna spiritualia, fulmen mihi vestrum anathema inquam seu excommunicationem intētas, vna cum indignatione Dei omnipotētis. Ne isto quidem me conficto terrore moraberis. Anathemata vestra tam parùm me mouent, quàm innocentem capitalis sententia à Iudice profecta cuius nulla sit authoritas. Nullam vobis esse demonstrarem, si tàm clarum id esse nescirem, vt Sol merito eius comparatione obscurus videatur. Quis enim dedit vobis hanc potestatem? Et quia eius defectu fulmina illa vestra irrita sunt, suaq; raucedine fracta mox concidunt spectris illis simillima, quæ in agris ponuntur ad terrendas auiculas, contemni magno fortiq; animo debent. Aut si timeri ea vultis dicite, quis sapientum ea reformidauit? Vel quid vnquam aduersi contigit iis, quos Censurarum vestrarum bruto fulmine percussistis? Eorū certè nemo ne reduuiam quidem est passus. Vos ipsi estis in quorum caput vsurpatitiæ istæ censuræ redundabunt. Nam & Salmoneum ob similes ausus grauibus in inferno addictum suppliciis, testis est illa Poëtæ sententia

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur olympi

Benè prophetauit de vobis Psalmus 63. *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum*, id est, similia sunt vulnera quæ anathematizando infligitis inefficacibus paruulorum iaculis, minimeq; periculosis aut lethiferis. Porrò cum me à cœtu vestro excluseritis, beneficio vobis obligabitis sempiterno, & tanquam AEschines alter in exilium eiectus, eam mihi libertatem gratulabor qua scilicet

Digitized by Google

ſicet à rabioſo cane, ſic ille Athenienſem Rempublicam appellabat me liberatum videbo. Is ego ſum, cui nihil magis in votis, quàm nihil commune habere vobiſcum, in ſacris maximè. Itaq; dùm me excludetis, & abſque ſynagoga facietis, cura ſimul liberabitis extricandi me à vobis, quæ me alias non parum ſollicitaſſet. Inueniam ne dubitetis aliam Galatheam, & quemadmodum cóſortio me veſtro indignum iudicabitis, vos ego viciſsim meo, dicamque cum Seneca, *vobis diſplicuiſſe eſſe laudabile, ac multo periculoſius demeruiſſe vos quàm offendiſſe, & vtilius inimicos habere quàm amicos.* Tales me ſemper hoſtes inſequantur. Rogo qui eſtis vos, & vnde veniſtis, vt ad ridiculam cenſuram veſtram vel tantum concuti aut perceili debeam? Non concutiar mihi credite, ſed magis in ſinu gaudebo memor Pſalm. 108. *Maledicent illi & tu benedices, qui inſurgunt in me confundantur, ſeruus autem tuus lætabitur.* Stat mihi aduerſum vos conſiſtendo Alpes imitari, non in quantum audito Cyclopum ſonitu inſolitis contremuere motibus vt Poeta commemorat, verum quatenus non ceſſere tonitruis, ſed mox iis ſpretis immobiles conſtiterunt: Et Q. Fabium cuius laus immortalis, quòd rumores non poneret ante ſalutem. O quàm multas & egregias ciuitates ne dicam potentes exercitus terror Panicus in exitium pertraxit. Nihil autem aliud eſt veſtro aut populari rumore conceptus metus, niſi Panicus, inutilis, & vanus. Nihil aliud veſter eiuſdemq; vulgi ſibilus & morſus, quàm anſerum. Sicut enim anſeres ſata & morſu lædunt & ſtercore, quidquid item tenerum contingere poſſunt vellicant & carpunt, ob idque à Marone improbi appellantur, & Aegyptiis hieroglyphicum fuere detrimenti; ſic cœtus veſter, ſic populus quidquid vitioſum eſt facilè commendat, quidquid virtutis vituperando contemerat, iudiciis damnat, conuitiis inſectatur. Mirata eſt, vidit, & riſit antiquitas ingentes naues valentiſsimis impulſas ventorum flatibus in medio mari à piſciculo ſiſti quem Echeneidē vocāt. Obiicerem me haud dubiè nihilo minori Ludibrio, ſi rationum momentis adductum grauiſsimis, & contendentē ad religionis veræ portū ſiſterēt rumuſculi & ſentētiæ ſiue dānationes veſtræ vaniſſimæ, nec litora ſinerēt ſalutis attingere. Ridiculo puero præberē me ſimilē, qui catellorū latratibus cōmoueretur, nec auderet iter

facere, qua alioqui faceret; aut homini nolenti rectè incedere, quia rideretur à claudo eo quod non claudicaret. Vt autem hos insultus vestros mirari desinam, facit mos vester insultandi ipsi etiam toti Ecclesiæ Catholicæ, cuius membris accedere gestio, ita vt cum S. Iob cap. 30. dicere cogatur, *nunc derident me iuniores, quorum Patres* (hoc est superiorum seculorum Hæreticos) *non dignabar ponere cum canibus gregis mei.* Quod ad numinis indignationem, quæ si à vobis recessero, me manet vt dicitis, nihil mihi rogo metuatis, nolite flere super me sed super vos ipsos flete. Versantur in littore mea omnia, si non aliunde sit periculum, *scio cui credidi & certus sum.* Socrati cum mortem intentarent Athenienses quasi malefactori & de Republ. pessimè merito. *Ego vero*, inquit, *ob mea in Rempublicam merita dignum me pronuntio qui toto reliquo vitæ tempore publicis impendiis alar in Prytanæo.* Sic tantum abest vt quam meditor salutaris resipiscentia reum me faciat apud Deum, vt me ex aduerso eximia inde corona ab eo donatum iri non dubitem. Nisi fortè acceptus ei non videatur, qui eiuratis superbissimorum Hæreticorum somniis, plus se omnibus scire, & Dei verbum melius intelligere gloriantium, religioni ac sententiis quas tot definierunt Concilia, tot comprobarunt miracula, tot tenuerunt S. Patres constanter adhæserit.

2. Tim. 1.

Documentum 4.

Vt animum non despondeat ob aliquas difficultates, quas secum affert Religio Catholica.

EXpediuimus in proximis 2. capitibus simulque deliniuimus difficultates illas quę dici possunt extrinsecæ, & occurrere solent Proselytis seu candidatis religionem veram ambientibus; nunc de internis dicendum, quæ nimirum à Catholica ipsa religione magis esse videntur; aliquibus namq; respersam esse ostendimus, nec aliàs veram posse iudicari, vt te docebunt quæ scripsimus l. 3. c. vlt. § 2. & 3.

Cauen-

Digitized by Google

Cauendum ipso in limine iniquissimum, idemq; falsissimum de eiusmodi difficultatibus iudicium, eas nempe superari non posse ab iis qui multo tempore sectarum assueti moribus, vanæ libertatis, inertiæ, malitiæq; callum contraxerunt, sicut scriptum est Hierem. 13. *Si potest Aethiops mutare pellem suam & pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* Augetur ista mea desperatio inquies, apprehensione partim odij, nauseæ, & fastidij, cui futurum me credo vobis Catholicis si resipuero; partim pœnarum quibus Ecclesiastici Canones subiiciunt eos, qui ad illam quasi postliminio redeunt. Heu quibus oculis me aspicietis, dum mentem vestram subibit cogitatio nihil à me prætermissum quo vos offenderem? Quomodo Canones illos non reformidē, quos propter seueritatem totidem tyrannidis articulos esse, non semel à Prædicantibus nostris audiui? Sunt quidem omnes hi Pseudoprophetæ, ad mentiendum, ad amplificandum proiectissimi, nec id me latet, vndè nihil tyrannidis inesse decretis illis facilè mihi persuadeo. At saltem rigida esse vt credam, adducor eo nomine quod sine fundamento aliquo non videantur in tam prodigiosam exaggerationem prorupisse. Fieri sanè potest vt triplex ista cogitatio, videlicet inolitæ consuetudinis, morosæ susceptionis, & præstandæ secundum iura satisfactionis à conuersione multos absterreat, vt miserum illum apud Turcas Christianæ fidei nostræ desertorem de quo Septemcastrensis cap. 21. *Illum in familiari collocutione interrogaui, quare hoc fecisti, aut quid te mouit? Nihil aliud respondere potuit quàm maledicta dies sit in qua hoc feci. Et ego, quare ergo non reuerteris ad fidem Christi? Tum ille retorto collo, & auerso vultu, non possum, non possum.* Atenim videat quilibet ne cum irreparabili damno suo, ibi trepidet timore vbi non est timor, ne vt damulæ stridentia reformidet arborum filia.

Sermocinemur primum de consuetudine mala. Ab ea profecto etiam inueterata qualis necessitati cognata esse dicitur, sufficiens deduci non potest tergiuersandi occasio. Fortis & potens est quis nescit, sed gratia Dei valentior, faciens etiam de lapidibus filios Abrahæ, & ingenerare potens contrariam consuetudinem, quæ priorem illam extrudat, vt cuneus cuneū. Vndè Augustinus in eiusmodi angustiis constitutus castam cōtinentiæ dignitatem introducebat irridentem se irrisione gratulatoria, & dicentem,

tu non poteris quod isti & istæ? An verò isti & istæ in semetipsis possunt, & non in Domino Deo suo? Dominus Deus eorum dedit me eis. Quid in te stas & non stas? proiice te in eum noli metuere, non se subtrahet vt cadas, proiice te securus, excipiet te & sanabit te. Idem in Psal. 48. eleganti similitudine ostendit modica cessatione à peccato redire gustum boni operis qui praua consuetudine abscesserat. *Persimile est peccatum vuæ acerbæ obstupefacienti dentes ne comedant escam bonam. Quid faciũt illi quibus dentes obstupuerunt? Temperant se aliquantulum ab vuis acerbis, & redeunt dentes ad stabilitatem suam, & incumbunt pani, ita qui aliquantulum temperat sibi ab iniquitatibus citò accedit delectatio iustitiæ, & facultas eam faciendi,* hæc ille. Angelus est cui conuenit post electionem inflexibilitas arbitrii, vt docet S. Thom. homini verò non conuenit, sed præsto semper est libertas in vtramq; partem. Quis vnquam exitialis veneni potum Mithridati Regi non innoxium modo, sed etiam iucundum fore credidisset? Vsque eo tamẽ illi vsu sapuit, & in naturam occulta consensione transiit, vt eo non secus ac succi optimi potionibus vteretur. Ita Catholici mores à quibus velut asperrimis alienantur sensus tui, leuigabuntur in dies magis ac magis, & fient vsu ipso iucundiores, tantum valet illa quæ à Græcis *ἄσκησις* dicitur, à Latinis exercitatio. Etiam auis capta si diu alatur in carcere, postea dimittatur, eo cupit redire. Furebat principio ira percitus Apostolus totam pectoris rabiem effundens in Christianos; breui tamen in eorum partes concessit cunctis stupentibus, factus de magno persecutore dux gregis & pastor, ac diuinorum mysteriorum fidelissimus dispensator; cuius etiam opera incredibilis eidem gregi facta est accessio, vt meritò ac per modum singularis prodigij, & speciminis diuinæ potentiæ prædictum videatur Gen. 49. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vespere diuidet spolia.* Ita reduci tibi eueniet, tempus erit quãdo mutatum te senties in virum alterum, & mirabũdus teipsum circumspicies quasi extra te positum, etiam sugentem mel de petra, oleumq; de Saxo durissimo. Mirabilis Dei dextera potens insipidam aquam vertere in vinum bonũ, & inter Leonis dentes formidabiles fauũ mellis ponere, & pro colocynthidibus farinam medicã in ollam infundere cum Propheta 4. Reg. 4. vt nihil superſit amaritudinis. Elegantissimè Seneca Epist. 51. *cogenda est mens vt incipiat, virtus non est acerba medicina, protinus enim delectat dum sanat. Aliorum remediorum post sanitatem voluptas est, philosophia pariter salutaris & dulcis* & epist. 23.

L. 8. Conf. cap. 11.

1. p. q. 63. art. 6.

cui

tui vitio Aduocatus defuit? non est quod dicas excidi nō posse. sanabilibus ægrotamus malis, ipsaq; nos in rectum genitos natura, si emendari velimus, iuuat. Facilis est ad beatam vitam via, inite modo bonis auspiciis, ipsisq; diis bene iuuantibus. Multo difficilius est facere ista quæ facitis, quid enim quiete animi otiosius? quid ira laboriosius, quid clemētia remissius, quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia libido occupatissima est. At malū meum cācro comparat Apostolus 2. Tim. 2. hunc autem morbum incurabilem facit Hypocrates lib. 6. Athor. 38. Ne sic quidem excusationem inuenies, de cancro enim loquitur Latente, & cui deest exulceratio. tuum autem si sacerdoti vt par est aperiatur hoc ipso latere desinit, & fit sanabile.

Sed maximè velim iniquam cogitationem illam deponas quæ futurum suggerit vt te fronte stoica, cōtracto supercilio, nec sine exprobratione Catholicus cœtus excipiat; imò excipiet humanissimè acceptarum iniuriarum immemor, teq; bono animo iubebit esse. Lege ciuili victori victus in expēsis condemnatur: at Ecclesia nostra nihil à te requiret molestiarum loco, quas ei attuleris, omnia missa faciet, hoc vno contēta si tui habueris rationē. *L. eū quem ff. de Iud.* Darij humanitatē pleriq; omnes prædicant, quod cum Metrocus filius Miltiadis Atheniensium bellum contra se gerentis à Darianis militibus interceptus in conspectum adductus fuisset, adeò nihil mali accepit, vt pulcherrimo etiam Palatio, diuitiis multis, possessionib. amplissimis ab illo donatus recesserit. Nihil minus faciunt Pontifices nostri habita ratione personarum, vt experti sunt superioribus annis ex Prædicantibus ipsis aliqui. Tantam enim mansuetudinem exhibuit illis Romæ Pontifex quem conuitiis anteà proscindebant, quantam sperassent nunquā. Vndè & gratias Deo egerunt de tali Pastore, qui in bono vinceret malum, malefacta benefactis vlcisceretur. Quin etiam solet eadem sedes libenter apud Principes ipsos temporales resipiscentibus patrocinari, vt constat ex rescripto illo Ioannis Papæ ad Imperatorem, *quia gremium suum nunquam redeuntib. claudit Ecclesia, obsecro clementiam vestram vt si pro deposito errore & praua intentione depulsa ad vnitatem Ecclesiæ redire voluerint, indignationis vestræ aculeos in vestram communionē receptis remoueatis, & nobis intercedentib. benigni animi gratiā donetis.* Nec dubium quin multo magis si quis se tibi molestum prçberet vel inhumanum sit cum increpatura seuerissimè senatus Romani exem-

exemplo qui C. Licinium Crassum eo vno fine creauit Prætorem, vt condemnaret M. Popilium Lænam alioqui consulem, eo quod Ligurinis qui se vltrò dediderant, immitem se atque crudelem exhibuerat.

Non est denique quod te pœnarum metus quæ in Canonico iure aduersus hæreticos & Apostatas latæ inueniuntur ab instituto sancto deterreant. Primò quia nonnumquam eiusmodi sunt, quibus teneris obnoxius esto non resipiscas, v.g. censura excommunicationis, qua non est dubium innodari ab Ecclesia, quotquot per baptismum sibi subiectos voluit ob grauia scelera innodari, de quorum numero est hæresis iuxta cap. *ad abolendam* Tit. de Hæret. Idem est de obligatione Catholicæ disciplinæ obseruandæ iudicium. Tenetur inquam quilibet Baptismo initiatus eiusdem Ecclesiæ decretis morem gerere dicente Apostolo Hebr. 13. *obedite Præpositis vestris & subiacete eis*. Secundò, quia sæpè continget vt in te locum non habeant, ea quæ pœnam habent propositam. Exemplum excommunicantur in illo capite *ad abolendam* hæretici non quilibet sed pertinaces qui scilicet naturæ lumine vel auditione de dogmatum suorum ab Ecclesia damnatorum falsitate satis commonefacti, recedere tamen ab iis nolunt. At defuit tibi fortè tanta hæc institutio, proindeq; pertinacitas. Spoliat Ecclesia Principes hæreticos dominio in subditos, quatenus eiusmodi eximit subditos à fidelitate & obsequio iis præstando cap. vlt. de Hæret. at fortè nullum geris principatum, nec Vasallos habes. Deiicit ibidem Hæreticos à publica dignitate, in qua fortè non es constitutus. Ad hoc genus dignitatum inhabiles declarat fautores hæreticorum in causa hæresis. c. quicumq; de hæret. in 6. tu esto hæreticus nullum fortè tali præsidio fulciuisti. Ibidem præcluditur via ad beneficia & officia publica filiis hæreticorũ prognatis tempore hæresis, & nepotibus eorundem per viam masculinam, vsq; ad secundam generationem; tu fortè neque eiusmodi nepos es nec filius. Tertiò, quia pœnæ quas alioqui lueres multiplici via tolli possunt, vt carentia Ecclesiasticæ per ipsam resipiscentiam merè liberam ac præuenientem accusationem iuridicã, aut si non præueniat cadentem tamen intra tempus gratiæ constitutum ab Inquisitoribus, vt docet Alphonsus à Castro lib. 1. de iusta punit. c. 21. Idem est de infamia iudicium si præsertim acce-

dat

Digitized by Google

dat declaratio Iudicis vt notat Azor lib. 8. Insti. mor. cap. 13. qu. 7. itemq; de morte. Neq; enim inferri solet sic sponte redeuntibus, imò ne iis quidem qui post tempus gratiæ accusantur apud Iudicem, & interrogati statim culpam suam agnoscunt priusquam conuincantur, & veniam petunt, aut qui vbi primũ conuicti sunt fatentur quod est, supplicesq; ad misericordiam admitti petunt cap. *excommunicamus* §. *si qui autem* extra de hæret. Talibus inquam grauis pœnitentia imponi debebit v.g. carcer perpetuus sed non mors inferri. Sin autem expectent Iudicis sententiam occidi solent & comburi, sed prius strangulantur si resipuerint, sin non resipuerint, viui cremari possunt, idque ita fieri prodest vt grauis hæc vexatio ad extremum si fieri posit det intellectum. Quod ad bonorum iacturam siue cõfiscationem remittitur facile ex gratia Principis, quando quis erroribus suis prius remittit nuntium, quam propter illos trahatur ad iudicium. Imò esto ad illud pertractus sit, potest ea in conscientia retinere, quousq; ore Iudicis hæreticus esse conuincatur & declaretur. Esto nõ inficier posse Iudicem à die commissi criminis de iis disponere, & eorum alienationes ante sententiam factas reuocare iuxta cap. cum secundum de hæret. in 6. Adde hanc cõfiscationem supponere pertinaciam in eo qui spoliatur.

Faciamus tandem tibi aliquid perferendum, est cur id boni consulas, si vel mediocri æquitate polleas, quid enim aliud debetur sceleri? Quod verò scelus si tale nõ videtur tum hæreseos tum schismatis? Culpam suam longe inferiorem pœnis aliquot temporalibus expiari adeò ægrè non tulit Rex Dauid vt Psal. 118. scripserit. *iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*, & in 102. *Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis.* 2.2.q.11. art.4. Pœna inter alias quæ vix te effugiet hæc erit, non concionaberis publicè, nec assumeris ad dignitates Eccl. quidquid sit de secularibus, si saltem relapsus sis, ne ad eas quidem quibus antea fungebaris vt docet S. Thomas nempe vix potest populus siue grex ouium ei planè fidere in omnibus, & toto reliquo tẽpore, quem lupum scit fuisse rapacem. Dubitat inquam num fortè de industria veritatem ad tempus dicat, vt postea commodius sagittet in obscuro rectos corde, & incautos pedetentim circumueniat, nec timeatur ab iis, à quibus venire cernitur in vestimentis ouiũ. Sed

Digitized by Google

neq; absurdo carere videtur, si Orthodoxis posthabitis, quales sat multi & quidem dignissimi facile possunt quærenti occurrere, publicis dignitatibus præficiantur ij, quos Orthodoxæ fidei multo tempore aduersatos fuisse constat. Præclarè S. Leo epist. 3. *Magno habeant beneficio si adempta sibi spe promotionis in quo inueniuntur ordine stabilitate perpetua permaneant.* Hæc dixerim spectatis iis quæ vulgò decent & solent accidere. Cæterùm tantus vir posset esse qui conuertitur, tot instructus naturæ & gratiæ dotibus, & tàm insignia dare specimina seriæ conuersionis, vt propter magnam illam quæ ad plures redundatura est vtilitatem, omni scandalo ac periculo vacuam, rectè cum illo à superioribus dispensetur. Nam & Paulus manè lupus rapax creatus est Apostolus. Sed hæc infrequentia sunt, inspicimus autem in eiusmodi rebus quod communiter fit, & fieri conuenit.

Documentum 5.

Ne à secta sua recedens infamandum se credat quasi nomine inconstantiæ ac perfidiæ.

DEflendi planè sunt, & multis quidem lachrymis non pauci, quibus eo nomine resipiscentiam dissuadet Diabolus, quod futurum suggerat vt eo facto plurimum honori suo detrahant, vtpotè inconstantes ac perfidi, qui violauerint fidem datam. Detraherent quidem si sancta fides esset quam abrumpunt, si pia, si religiosa, si ratione subnixa; quod si sese habere demonstretur contrario prorsus modo, reliquum erit vt vertatur laudi, quod vitio tribuitur. Rescindendam quippè in male promissis fidem, nec obligatorium esse contra bonos mores præstitum iuramentum apertè lex clamat, aliàs mactando, furando, calumniãdo fidem suam liberare teneretur, quisquis tot tantaq; patrare scelera in se reciperet, quo quid dici potest tum iniquius tum absurdius? Patriarchæ tuo siue sit Lutherus siue Muncerus, Bernardus Rothmanus, aut Nicolaus Ciconia, siue Zuinglius, siue Caluinus, non potuit esse dedecorosum, & in-

Digitized by Google

& inconstantiæ turpis argumentum quod resipisceret seu Romanæ se Ecclesiæ restitueret ergo nec tibi. Consequentia patet quia non est discipulus supra Magistrum, sufficit ei si sit sicut magister eius, si ergo talis resipiscentia fuisset in eo laude digna (proindeque non vituperanda nomine inconstantiæ atq; perfidiæ) & in te erit, ac contrà, si in te non sit nec in illo sanè fuisset. Probatur antecedens quia inconstantia in malam partem accipitur, videlicet pro recessu ab eo, in quo stare quis debuit. Iam sic argumentemur. Debuit Luther. Caluinus, &c. in Ecclesia religione, ac fide Romana perseuerare immobilis, ergo cum ab illa recessit turpis inconstantiæ ac perfidiæ crimen, grandeq; vituperium incurrit, siq; ad eam rediisset omnemq; contrariam professionem ac promissionem (qualis subsistere nullo iure poterat) abrupisset, vtiq; fecisset quod sui erat muneris, laudem sibi perperisset immortalem, & defectionis illius suæ labem eluisset. Probatur antecedens quia Ecclesia illa vera est Christi Ecclesia, vt iam peruicimus l. 2. cap. 1. §. 3. & cum in ea baptizatus fuerit, non solum Christo fidem dedit hosti eius abrenuntians, & per regenerationem spiritualem euadens illi in filium, sed etiam ex consequenti ipsimet Ecclesiæ, tùm quia qui se obnoxium facit sponso facit & sponsæ, qui illius monogami fit filius, istius ex consequenti efficitur, tùm quia Ecclesia mysticum est corpus Christi, & ipse caput Ecclesiæ, quo circa quisquis ei verè subest vt capiti, eo ipso pars siue membrum fit Ecclesiæ, pars autem omnis toti suo naturaliter est obnoxia. Iam verò cum Romanæ Ecclesiæ dederit fidem, cum ei se subiecerit, quomodo in eius gremio, & obedientia & subiectione, stare non debuit? & cum planè debuerit, quomodo obligatoriũ diuortium ab ea facere potuit, aut ab obligatione ei restituendi sese liberari? Neq; enim in rebus ipsis humanis, qui dedit alicui fidem legitimè, potest in eius præiudicium alteri sese obligare, nec si id faciat, & posteriorem hanc obligationem abrumpat, accusabitur à sapientibus inconstantiæ nomine, sed si non abrumpat, perfidiæ atque pertinaciæ. Etsi autem tu fortè nec in Ecclesia nec ab Ecclesia Romana baptismo sis initiatus, quia tamen per illum à quocumq; collatum vt Christi sic Ecclesiæ istiusmodi factus es membrum, quia sacramentum suscepisti cuius administratio ipsi propriè cõmissa est, & quo qui signantur sui efficiuntur, vt insinuat S.

eſt verbis illis Deut.11. *Omnis locus quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* AEquè ac ille ad reddẽdum te ei obſtrictus teneris. Quod ſi te reſtituere nolueris, id tantum lucri facies, vt dura ceruice & incircumciſo corde dicaris. Non eſt mihi crede, non eſt cõſtantia laudabilis, ſed Diabolica pertinacia nolle gradum à malo cognito reuocare, *Diabolicum* eſt inquit Aug *per animoſitatem in errore manere. Diaboli proprium à malo quod ſemel elegit nulla ratione diuelli.* Si conſtantia in malo laudem non meretur, conſequens eſt vt inconſtantia in eodem laude digna ſit non vituperio. Hoc modo inconſtans fuit Apoſtolus, hoc modo idem Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſius, Iuſtinus, & complures alii Sacroſanctæ fidei noſtræ à qua prius abhorrebãt, Duces & Magiſtri, nec tamen indè aliud quàm æternam ſunt gloriam conſecuti & benedictionem in ſecula ſeculorum. Ignominioſum nunquam eſt mutari in melius, vertunt ſe ægroti in eam partem quam ſibi credunt fore ſolatio, nec curant ſi ob id à morionibus quibuſdam rideãtur. Indignari ſoleo non mentior, cum te tuique ſimiles animaduerto in negotiis gerendis quæ ad corporis vel fortunæ res pertinent, excelſum infractumq; animum gerere; in iis verò quæ momẽti ſunt omnium grauiſsimi vmbras metuere, infirmiſsimis retinaculis cedere, nugatorum denique ſibilis commoueri. Quàm procul es à fortitudine martyrii. Sic turpiter inuertis omnia, vt vbi Leonem agere te oportebat, à mure & lepore nihil prorſus differas. Quid aliud eſt loquaculus populus quàm populus ? Quid aliud Miniſtelli, quàm Miniſtelli? Animantes apertè brutas, feras ac ſtolidas nominaſſe deſcripſiſſe eſt. Quanquam non omnes de populo factum ſint tuum improbaturi. Semper enim

Serm.12. de Verb. Apoſt.

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Sed faciamus omnes, augetur ſæpè ſtoliditas acceſsione plurium, cuius gratia ſi à recto deflectas tramite eris ipſe quaſi vnus ex illis, nec tibi iura vlla excuſare ſolita metuentem patrocinabuntur. De metu quippè loquuntur, qui cadit in conſtantem virum, ſeu cuius obiectum eſt mors, mutilatio, ſeruitus, deportatio, bonorum proſcriptio, vel aliud ingens malum, quale nullum in rumuſculo populari locum habet, qui vocula tantum eſt, vix nata cum deſinit, vmbra inanior, riuo fugacior, muſca imbecillior.

Digitized by Google

becillior. Potes à teipso discere hanc inanitatem. Faciamus rideri à te alium, cui eandem Deus quam tibi mentem iniecerit, facilè intelligis nihil esse cur censura tua conturbetur. Cur ergo non aliorum quoque censuras tibi negligendas putas? Visa Eclipsi solis ferunt penè exanimem concidisse gubernatorem nauis, qua Atheniensium Dux Pericles vehebatur, sed hunc metum ademit ei Pericles, eius oculos pallio obducens suo, & non aliter in sole deliquium illud euenire pronuntians. Edoctus tu similiter à teipso, & alienorum dicteriorum vanitatem ex tuis metiens, omnia surda aure præteri. Hoc fac & viues. Noueris sapientis vnius laudationi plus tribuendum, quàm sexcentorum stultorum ludibriis, qui vt cancri & stoliditate sua ebrij nec incedunt rectè, nec ferunt volentes incedere. *Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia*, ait Seneca, *plerumq; boni inepti & inertes vocantur, mihi contingat iste derisus*, & rursus. *Mouerer si de me M. Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si duo Scipiones ita loquerentur, nunc malis displicere laudari est. Non potest vllam authoritatem habere sententia, vbi qui damnandus est damnat.* Et iterum, *male de te loquuntur, mouerer si iudicio id facerent, nunc morbo faciunt. Non de me loquuntur sed de se, non quod mereor faciunt, sed quod solent; Quibusdam enim canibus innatum est, vt per consuetudinem latrent.* *Epist. 77. & in lib. de remed. fort.*

Sed fortè dicis volentem me resipiscere non tàm remoratur species metusque inconstantiæ, quam ignominiæ propter inscitiam, errasse quippe me fatebor, & facto meo eradam de mente hominum magnam illam ante conceptam de sapientia mea opinionem. O irreparabile damnum si te orbis terrarum non existimet sapientissimum. Quàm vanus es mi homo quàm vanus. quomodo non totus pudore ob vanitatem istam suffunderis? Nescis quantum debes veritati, tuum est profecto ei perhibere testimonium, *cum non omnes habere possimus primas prudentiæ*, inquit Augustinus, *habeant secundas modestiæ, vt qui non valuerunt omninò impœnitenda credere, pœniteant quæ nouerint credenda non fuisse.* Addit Hieronymus in epist. ad Ruffinum. *Melius est pœnitere facti tui, quàm & Martyrem in calumnia, & deceptum in errore persistere. Non erubescas de mutatione sententiæ, non es tanta authoritatis & famæ vt errasse te pudeat.* Illud ego abs te peto si diu vulgi errore circumuentus aut solem terra minorem esse credidisses, aut solem in cœlo stare *In Prolog. retract.*

Digitized by Google

immobilem, vel certè admodum lentè versari ab ortu in occasum; postea autem in Astronomicis optimè institutus apodicticè nosses vinci ab eo terræ molem multis partibus, nec cum illius pernicitate conferri posse venti alicuius impetum, an refugeres palàm asserere ac profiteri posteriorem hanc scientiam, ne prius errasse viderere? Non credo. Deindè quoties te alias errare contigit? Quid autē refert qua in materia à vero deflectas, nisi quod ab eo quo de agimus, tanto minus est recedendum, & vbi recesseris, tanto studiosius ad illud reuertendum, quanto maioris est ponderis? Adhæc quod iudicaturi sint homines errasse te prius, quid refert? An desistent iudicare si non resipueris? Pergent vtiq; nisi & ipsi obscuratum habeant intellectum, teq; insuper aut vecordiæ accusabunt aut pertinaciæ, qui è contra dicturi essent te quidem errasse prius sed sapuisse posterius, meliusque multo esse serò quam nunquam sapere, & prius duntaxat quàm posterius quoque in errore versari. Concludam adductis rursus Augustini verbis (boni consule quod tantum virum toties loquentem faciam, nec satiari posim eius testimoniis, facit hoc singularis eius pietas, pari cum eruditione coniuncta) ad cunctationem tuam castigandam aptissimis. *Tu autem frater quantum mihi videtur, si vanam gloriam hominum non attendas, & insensatorum contemnas opprobrium, qui dicturi sunt quare modo? Sine dubio transibis ad Ecclesiā.* Et infra. *Quid igitur adhuc dubitas tenere quod sentis? Vel aliquando sensisse, vel aliud defendisse confunderis, & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod vtiq; potius erubescendum fuit? Hoc est illud quod scriptura non tacuit, est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisq; prauam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse seipso iudice teneatur; ita descendunt in infernum viuentes, id est, suam perditionem sentientes Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisq; de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod te facere piget, illa perniciosa confusione superatum, ne tibi ab hominibus nescientibus quid loquantur obiiciatur illa Apostoli sententia, Gal. 2. si enim quæ destruxi, hæc eadem iterum ædifico, præuaricatorem me constituo, quæ si dici posset etiam in eos, qui veritatem correcti prædicant, quam peruersi oppugnabant, in ipsum Paulum primitus diceretur, in quo Ecclesiæ Christi magnificabant Deum, audientes quod euangelizaret fidem quam aliquando vastabat.* In epistola

Epist. 48.

autem

autem sequenti ostendere volens, quàm parum nos oporteat insulsorum verba hominum attendere ait. *In ipsum Christum non crederemus, si fides Christianorum cachinnum metueret Paganorum.*

Documentum 6.

Vt multas simul Religiones amplectendo vel quamlibet, nequaquam se credat Deo satisfacere posse, & salutem suam operari.

NOnnullos reperias qui pertæsi tot tantarumq; litium, quot à diuersarum sectarum seu Religionum Professoribus ventilari cernimus, nullã recipiunt, sed otiosorum more spectatorum inter se dimicantes, non sine improba voluptate aspiciunt, quasi aliena duntaxat, non sua res ageretur. Alios qui contra omnibus, aut certè pluribus adhærescunt, & ex omni ligno Mercurium fieri posse arbitrantur, Ego certè vtrosq; impiissimis quibusdam Atheis annumerandos non dubito, illos quidem vt per se liquet, hos verò quia Religio quęuis excludit damnatq; alteram, sicut & Deus verus quem vnaquæque sibi arrogat, Deos alienos. Ita fit vt qui plures simul amplecti studet, ab omnibus excidat, non aliter quàm qui duos sectatur lepores neutrum capit. Quod si hæc sunt Atheum agere, si impium esse, si omni religione destitui, fallitur nimis quisquis se credit varias simul profitendo posse Deo satisfacere, & salutem propriam operari, quæ fortè cogitatio permouit Achab Regem 2. Paralip. 28. vt cum adorare vellet Deos alienos ianuas templi veri Dei clauderet, quasi ratus se huic & illis nequaquam posse simul satisfacere. Rata stat Christi sententia Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis seruire,* quod tunc saltem & maximè locum habet, quando sibi aduersantur, iubentque contraria. Reipsa porrò diuersi sunt, quos diuersæ Religiones colendos suscipiunt, vtpotè, quæ de illis docent quam dissimillima, nullatenus valentia

Digitized by Google

valentia in vno eodemque concurrere, & leges admodum diuersas proferunt, velut ab iis profectas. Hæc dixisse sufficit ad simile illud explodẽdum, quo vti solent impij illi diuersarum sectarum æmulatores, à diuersis petito viis in eandem vrbem tendentibus. Non enim contrariæ sunt, cum vnus idemque terminus sit omnium, in cuius assequendi respectu posita est ratio & essentia viæ vt via est, sed ad summum disparatæ, ob idque nihil mirum si eodem deducant. Religiones verò ita diuersæ sunt, vt & sint etiam contrarjæ propter principia, dogmata, leges, ritusque dissimillimos. Sed faciamus vias illas esse quoque inter se contrarias ac repugnantes, assertionem meam constabilient, nam quemadmodum plures simul capessere nunquam poteris, ita nec religiones. Faciamus vicissim religiones non aduersari sibi inuicem, sed esse disparatas, satis hoc erit, ne quis in plures simul perfectè possit intendere, nec in cultum Dei consequenter. Nam & difficillimum est, impossibile dicere debui sorbere simul & flare, & religio quælibet suorum auribus illam perpetuo inculcat sententiã, *aut Cæsar aut nihil.* Adhæc cum horreamus omnes in fœmina quauis adulterium, præsertim si honestissimo viro suo datam fidem nebulone superinducto violauerit, quomodo Deo ac religioni veræ eum satisfacere posse arbitrabimur, qui spuriam aliam vereque Satanicam amplecti vna volet ac profiteri? Nonne potius excandescet summus ille Imperator? Omninò, sic enim per os

Iac.4. Apostoli cuiusdam sui loquitur. *Adulteri an putatis quia inaniter scriptura dicit, ad inuidiam concupiscit Spiritus qui habitat in vobis?* Non potuit Dagon consistere cum arca Domini, sed ea præsente in terra iacuit semel atque iterum, abscissis tandem capite, manibus ac pedibus, quo sane casu monitos nos Deus voluit, ne vnquam religioni veræ falsam iungeremus, sed tantummodo veram coleremus, detestari se quamcumque aliam. Equidem vt in hac vita vtcumque tibi bene sit, non adeò magni refert quam sequare, vt verò in alia summi interest, sicut dicebat Cytharœdus ille Alexãdro magno interroganti quid intersit si chordæ vnius loco pul-

Ælian. l. 3. c. 33. saret aliam, *nihil interest*, inquit, *futuri Regis secus futuri Cytharœdi.* Quanquam fallor cum te animo duplicem in hac saltem vita beatum esse posse insinuo, incurres potius in certissimum odium aduersarum partium, inter quas medius gestis viuere velut omnium

nium particeps, habebit te ſuſpectum quælibet, imò in occulto abominabitur, vt pote non ſibi fauentem, ſed turpiter ſimulando diſsimulandoq; tuis vnis ſtudentem cõmodis, idemq; tibi continget, quod habitantibus in mediis ædibus, qui perfunduntur lotio à ſuperioribus; idem rurſus quod veſpertilionibus, qui lacerantur à muribus & auibus, & quod Metio Suffetio qui accuſatus à Fidenatibus bellum inituris contra Tullum Romanorum Regem, occultè conuenerat cum illis ſe in pugna à Tullo ad illos tranſiturum, videns autem initio pugnæ eos terga vertere, & perfidiam ſuam volens contegere, impetum in eos fecit. quid accidit? A Fidenatibus accuſatus eſt proditionis contra Tullum, & à Tullo extremo affectus ſupplicio, nempe *cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus*. Notum ex Codice l. 9. de maleſ. & Mathem. Valentinianum Auguſtum ſui imperij initio dediſſe legem, vt quiſque quam vellet religionem coleret. Quid vtilitatis inde retulit? Duo eius filij iidemq; Auguſti factione & proditione Gentilium necati ſunt, Gratianus quidem à Maximo conſpirantibus cum eo Gentilibus ſenatoribus, & Valentinianus iunior laqueo ſtrangulatus. E contra Theodoſius quia ſola vera retenta falſas omnes religiones inſectabatur magna à Deo beneficia atq; adeò imperium accepit, ad illum enim à Valentiniano tranſijt. Iam ſi Valentinianus etiam in temporalibus tàm ſeuerum & iratum expertus eſt Deum quod variis fauiſſet religionibus, quid eum expectare cõuenit, qui multas amplectitur, aut ſine delectu quamlibet? Huc exitus pertinet Honorij Imperatoris, qui cum primum indulſit hæreticis atque Gentilibus, vt ſecurè & abſque timore legum, quam quiſque vellet religionem ſequeretur, hanc licentiam maxima confeſtim ſecuta ſunt mala, nempe clades vrbis & funeſta alia, quibus cautior effectus cum facti pœnitens eam reuocat, & laborat pro fide & vnitate Catholica, benè ei fluunt omnia. abſque armis perit inuaſor vrbis Alaricus. Haud dubiè ad religiones ſectaſque plures ſeſe conuertere, nihil aliud eſt quàm miſcere omnia, religionem veram extinguere, & in ſumma rerum omnium confuſione verſari. Vnde Iulianus vt Chriſtianam aboleret, induxit præfatam libertatem, qua videlicet quiſque cui vellet adhæreret, *eo modo putans Chriſtianum nomen perire poſſe de terris*, inquit Optatus Mileuit lib. II. & Auguſt. Eccl. 3.

epist.166 *Si vnitatem Ecclesiæ de qua lapsus fuerat inuideret, & sacrilegas diuisiones liberas esse permitteret.* Deus contra qua ratione Ecclesiam religionemque veram conseruatam voluit, quondam legem tulit ne extra Hierusalem offerrentur sacrificia, & Ieroboamo grauissimè succensuit, quod nouos creasset sacerdotes, festa noua instituisset, altaria noua erexisset. Et lex quæ de lepra per Moysem lata est, reiicit omne varium, & multis discretum maculis, perinde atque pollutum ac nefarium. Leuit.13. Eiusdem significationis gratia voluit Deus in eodem libro extra vsum esse, & immunda censeri animalia; quæ diuersa incolunt elementa vt Crocodylum, Larum, Cygnum, Struthionem. Sed & execratus est grauiterque afflixit Samaritas, eo quod vna cum vero Deo diuinis honoribus idola prosequerentur 4. Reg. 14. Simillimum quid faciunt, atque ita cœlestem supra se furorem accersunt, qui religiones varias approbant, profitentur & colunt. Conqueritur Apostolus 1. Cor.5. De quibusdam fratribus, qui simul eadē idola venerabantur & Deum, iubetque ne alij cum eiusmodi cibum accipiant, in quæ verba Chrysostomus *quomodo qui frater est idololatra potest esse*? Respondet *vt Samaritanis contigit, qui dimidia ex parte pietati adhærebant.* Quo autem magis adhuc intelligas, quantum detrimenti afferat religioni veræ falsarum admixtio (vnicam enim veram esse suppono ex lib.3.cap.1.§.2.) perpende quomodo modicum fermentum totam massam corrumpat, & consumantur à Lupinis sibi coniunctis pelles ouium, & columbarum pennas aquilarum pennæ exedant, si iuxta fuerint, & corrupta pars corporis si in ceram trahat in vitium, & hedera quas ambit plantas principio grauet, postmodum lædat; tandemque opprimat. Nihil verò aliud sunt falsarum Religionum Professores quàm lupi rapaces amicti vestimentis ouium, quàm milui quidam & accipitres, quàm Pseudoprophetæ à quorum fermento cauendum monet Dominus, & quorum sermo serpit vt cancer iuxta Apostolum. Si magis adhuc audire cupis, quomodo religio vna maximè alteri opponatur, atque ita illam destruat. Oppositio omnium maxima inquiunt Dialectici contradictoria est, hæc autem nullibi magis quam hic locum habet, vbi quod ait vna negat altera. Exemplum affert nostra Eucharistiam legitimè con-

secratam

Digitized by Google

ſecratam eſſe verum Chriſti corpus latens ſub panis ſpecie, Caluiniana autem ſignum tantum eſſe corporis Chriſti, & non corpus ipſum verum. Nonne aſſertiones iſtæ de materia Religionis grauiſsima pugnant è diametro? Et non minus ſaltem, quàm equi viuus & pictus de quibus S. Hieronymus, *verus equus camporum ſpatia tranſuolat, pictus parieti hæret in curru?* Illa ſanctos colendos & inuocandos eſſe contendit, eorum reliquias venerandas, admittenda cum purgatorio merita bonorum operum, & ſuffragia pro defunctis, & Miſſæ ſacrificium, & liberum arbitrium; Inficiatur hæc omnia quæcumque alia. Illa Deum abnuit authorem eſſe peccati, aſſeuerat contra tum Lutherana & Zuingliana, tum etiam Caluiniana. Atque vt Caluinum ipſum audias perhibentem magnæ huic diſcrepantiæ teſtimonium ſic loquitur, *dogmata fundamentalia Euangelium euertentia ſunt primatus Pontificis, inuocatio Sanctorum, liberum arbitrium, indulgentiæ, & cætera id genus, quæ nunquam niſi conulſa doctrina cæleſti ſtabiliri poterunt.* Conſtat euerſo Euangelio nullam iam eſſe religionem veram, cum ergo ſcribat his admiſsis dogmatis quæ repudiat, euerti Euangelium, nos contra iis repudiatis aboleri, manifeſtum eſt vtriuſque partis ſententia tantam interuenire oppoſitionem, vt vtramque religionem verã eſſe nullo modo ſinat, & maior excogitari nequeat, atque ita egregiè mentiri eos, qui noſtram inter & Pſeudoeuangelicas nihil aut parum diſcriminis interuenire affirmant, quod quidem dicunt non quaſi ita eſſe arbitrentur, ſed vt aucupum more alienam vocem ſubdolè imitentur, & cum reria explicabunt ſua ſuſpecti minimè ſint. Quocirca ſi veſani fuerunt Imperatores illi, qui flumina aut maria multum diſsita voluerunt perfoſsione coniungere, vt Demetrius perfoſsione Iſthmi Corinthienſis, Seſoſtris verò inciſione ſpatij quod à mari rubro Nilum diuidit, vt ſcribit Herod. lib. 2. (famam enim, operam ſumptuſque perdiderunt) quanto veſanior qui vnam facere ex religionibus multo ſeiunctioribus ſtudet? Imprudens quoq; meritò videbitur, qui aquæ ignem copulare nitetur, at nihilo maior religioni veræ cum falſa conſenſio. Et quamuis ſimul cohærere vtcumque poſſent, illa tamen quæ vera eſt id fieri iure ſuo quereretur, non ſecus ac matrona grauis ſe vocari vel compelli ad

Lib. 1. cont. Pelag.

L. 4. Inſt. c. 2. §. 1. 2. 3. 4.

meretricis consuetudinem, vt nihil dicam de Dominis quos directos vocant, qui esto sibi mutuò non aduersentur, quia tamen vnus non est alius, neuter consentit vt Feudatarius cuius obstrictam tenet fidem alteri eandem obliget. Quæ cum ita sint, cum religio Catholica totum requirat hominem, vide etiam atque etiam vt ei daturus nomen, alias omnes missas facias, vtpote eius & salutis tuæ hostes capitales, nec dubita has cum illa colere maioris esse molis, quàm cœlum simul terramque aspicere; esse item ignobilis, muliebris, fractique animi sibique metuentis, nec audentis sensa prodere, sed quibuscumque moribus vt cothurnus pedi solet, se turpiter accommodantis. Dicebat Helias ad Sacerdotes Baal 3. Reg. 18. *Vsquequò claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus sequimini eum, si autem Baal sequimini eum*, sic tibi à Religione vera dictum puta, vsquequo distraheris anima vaga? Si vera si sancta sum, me vnam sequere, sin minus abiice.

Et hæc quidem arbitror sufficere Lector, ne in posterum plures tibi sequendas putes, vt autem dissuadeam ne promiscuè quamlibet colas, nihil opus est argumenta multa congerere, istud sit instar omnium. Religio vera vnica est, vt supra vidimus, reliquæ omnes superstitiones sunt, & religionis indigna nomine, atqui sine religione vera nec Deo fit satis, nec æterna salus acquiritur, ergo quisquis Deo cupit satisfacere, atque ad salutem peruenire debet nō quamlibet, sed eam solam quæ vera est complecti ac profiteri. Rursus extra veram Dei Ecclesiam non est salus iuxta illud August. in lib. de vnit. Eccles. cap. 18. *Ad ipsam salutem ac æternam vitam nemo peruenit nisi qui habet caput Christum. habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in corpore eius fuerit quod est Ecclesia*. Sed vera Dei Ecclesia vnica est intimamque habet coniunctionem cum religione vera, igitur extra religionem veram nulli potest salus contingere. His adde absurdum magnū quod alias sequeretur concurrentibus scilicet in cœlo omnis generis hominibus tùm moribus tùm religione dissimillimis. Ridiculam semper iudicarunt sapientes cœnam illam ad quam Heliogabalus Imperator teste Lampridio 8. caluos vocauit 8. luscos 8. podagrosos 8. atros 8. surdos 8. prælongos 8. obesos, nec mirum, cui enim aspicienti etiam Heraclito risum non mouisset

Digitized by Google

tanta dissimilitudo? Quæ cum multo adhuc existat maior inter cultores religionum diuersarum, vicissim multo plus absurdi habebit cœleste contubernium, si ad illud omnes admittantur. Cum autem nō sit maior ratio, cur pateat potius vnis eorum qui falsas colunt quàm aliis, omnes ab eo excludi non est dubitandum, nec locum illum beatum parari aliis quàm veræ professoribus.

Documentum 7.

Ne resipiscendo procrastinetur.

NE *tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Eccl.5.
Saluberrima hæc admonitio est ad omnes, qui de cognitis erroribus suis abiiciendis consilium ineunt; in mora enim esse periculum, occasionem caluam ac semel perditam facile irrecuperabilem. Quo autem altius menti insigeretur addit Salomon cap.9. *Quodcumq; facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia sunt apud* Eccl.11.
inferos quo tu properas, ac si dicat, ad inferos properas quando ad tumulum, perpetuas tibi mors tendit insidias, instat à tergo, ademptura omnem benè gerendæ rei occasionem quocirca iam oblata vtere, & incerto relicto quod certum est tene. Cum semel occideris opus nullum æternæ vitæ meritorium facere poteris, ratio quidem aderit, & sapientia & scientia, non tamen quæ eiusmodi operis meritorij possit esse principium. Vide ergo moras vt omnes abrumpas, ne insidiatrix mors conatus tuos præueniat, & imparatum cogat ex hac vita discedere. Facturus transitum populus Israel ab AEgypto in Palestinam, à loco tenebrarum in terram in qua visurus erat lucem magnam, iussus est festinare, atque adeò ipsummet Agnum paschalem festinanter comedere Exod.12. Propositus tibi est eiusmodi transitus per resipiscentiam, ab errore seu irreligione tua inseparabiles tenebræ sunt, *error & tenebra concreata sunt.* Festina itaque ingredi in terram lucu- lentam lacte & melle manantem, in sanctam ciuitatem, in Ecclesiam Christi in qua eum verè colas. Cunctationes omnes aut

Digitized by Google

perniciosas existima, aut valde periculosas, loquentem audi Gregorium Theologum, *si semper hodiernum diem præteriens crastinum obserues malignus ille te paulatim his dilationibus surripiet, sicut eius mos est dicens. Mihi des tempus præsens Deo futurum, mihi iuuentam Deo senectam, mihi voluptatem illi τὴν ἀχρειστίαν, id est, rei nullius vsum. O quantum est penes te periculum? quot & quanti præter spem casus? aut bellum te absumpserit, aut motus terræ cooperuerit, aut mare exceperit, aut fera corripuerit, aut morbus perdiderit, aut potus largior, aut ventus præcipitans, aut equus abripiens, aut venenum ex insidiis paratum, vel etiam forte fortuna pro salutari datum medicina.* Audiendus quoque Augustinus in lib. de vera pœnit. cap. 71. *remedia conuersionis ad Deum nulla sunt cunctatione differenda, ne tempus correptionis pereat tarditate, qui enim pœnitenti indulgentiam promisit, dissimulanti diem certum non spopondit.* Mirum dictu humanis in rebus, quarum vix vllum est pretium, benè operandi ansam auidissimè statimque arripimus, si vela ventis danda secundis, si conserendæ cum hoste manus, si iacienda in terram semina, si sumendus potus medicus, si Rex alloquendus, si corpus phlebotomandum, si emendendum aut vendum. Et tu in negotio omnium principe cunctabere? Interrogatus Iulius Cæsar quomodo tantas res perfecisset, respondit μηδὲν ἀναβαλλόμενος, id est, nihil procrastinans &

Lucan. *Nil actum credens si quid superesset agendum.*

Plurimum quoque Græcis rebus contra Persas profuit celeritas, quod Græci hostibus perterrefactis non concesserint respirandi spatium viresque colligēdi. Mirum inquam filios huius seculi commodorum suorum occasiones tanto captare studio; tu autem tam inconsultus esse velis atque improuidus, vt quo tibi blandiaris, & salutarem conuersionem tuam diu multumque differas, in posterum tibi promittas annos plurimos, & ibi quidem, vbi ea cōditione nati sumus, vt omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra. Hosti similis mors est ex improuiso apparenti, lethalia in incertum iacienti tela, & insidias vbiq; paranti, in quas ij quoque incidunt, qui res suas maximè in tuto positas arbitrantur. Similis Apparitori qui debitorum res aufert in die qua non cogitant, similis lictori qui reum domo sua egredi ac Iudici sistere se iubet nihil tale suspicantem, similis denique portæ ciuitatis quam primo peregrinus ingreditur. Sicut enim dum

Digitized by Google

dum à vico ad vicum trãſit, dum incognita luſtrat compita, dum promiſcuè nunc ad dextram nunc ad ſiniſtram graditur, in portam ſolet prę̨ter expectationem incidere; ita in mortem mortales omnes velut in communem exitum. Intuere præterea brutas animantes ſtatim ad oportuna ſibi remedia confugientes, ad dictamum capras ſylueſtres, ad chelidoniam hirundines, ad feniculum ſerpentes. Plantas circumſpice non ante quieſcentes, quàm fuerint propoſitam ſibi à natura molem perfectionemque conſecutæ: Ipſa quoque elementa locum ſibi ab eadem natura deſtinatum ſubeuntia primo quoque tempore, non indigentia calcaribus non ſtimulis & incentiuis, ſed remotione ſola prohibentis. Mentem inſuper tuam ſubeant flagitioſi homines ad nequiter agendum, ad damnationem ſuam operandam impigri, vigiles, ſolertes, pertinaces, de quibus Dominus Gen. 11. *cœperunt hoc facere nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant.* Nonne dignus eſſes quem ſententiis ſuis condemnarent ſurgentes contra te in iudicio, ſi minus eſſes de prouehenda ſalute tua ſollicitus?

Enimuero concedamus te ad ſummam ſenectutem cui reſipiſcentiam tuam ſeruas, certiſsimè peruenturum, quid tum? ergone tunc primùm Deo ſeruire incipies? Ecquid aliud hoc erit, quàm Caini mores inducere deteriora Domino offerentis, hoc eſt legumina terræ, & non cum Abele primogenita gregis & de adipibus eorum? Neque enim aliud ſenectutem dixerim, quàm deterrimam, debilem, claudam, infirmam portionem ætatis noſtræ. O quantum aberras, ſi credis perinde eſſe quocumque modo reſipiſcas. Fructum facere te oportet dignum pœnitentiæ, atqui fructus eiuſmodi laborem poſtulat, & labor vires, ſenilis autem ætas caduca eſt, infirma eſt, & vſque eo inepta ferendis oneribus, vt ſcipione indigeat ipſa quo ſubnixa fulciatur. Lubet opportunam hic parabolam attexere. Rex quidam edixit, vt ſi quis beatos ſecum dies vellet agere, optimos quoſque fructus veniens afferret. Erant autem cui dam iumenta tria, & ex iis duo admodum vegeto corpore, & ferendis quibuſque ſarcinis aptiſsimo, ſtrigoſum tertium macies confecerat, & vis omnis deſtituerat, cumque incidiſſet in fructetum feraciſsimum, abſit inquit, vt duo illa iumenta formoſa ac vegeta ſarcinis grauem,

macro

macro huic potius seruabo illas, quid accidit? Aufugerunt illæ sibi relicta, nec vsquam inueniri ab inuestigante potuerunt. macilentum verò non prius onera sensit imparia sibi, quàm succubuit gemens sub pōdere; sic stultus dum duobus illis parcere voluit, & seridendum præbuit, & ab honorificentissima vitæ conditione excidit. Hæc tibi lector accommoda, & caue ne mutato nomine de te fabula narretur. Hoc certè non inficiabere, tanto operosiorem fore conuersionem tuam, quanto moras plures innexueris. quia quo magis differes, eo connaturalior tibi fiet improbitas, vi consuetudinis maioris, quæ natura est altera, minus conabere ab ea resilire, quia minus sentietur. Cum enim sensus perceptio sit in quadam immutatione, vt docet S. Thom. 1. 2. q. 29. a. 3. ex quo iam aliquid immutatum est, non ita sentitur sicut in ipso immutari. Vnde calor febris hecticæ quamuis reuera sit maior, non tamen ita sentitur sicut calor tertianæ, quia calor hecticæ iam versus est quasi in naturam & habitum. Sanè ita rem se habere docet nos vsus penè quotidianus, confirmari scilicet in dies consuetudines malas, tamque altas radices agere, vt tandem quælibet

Crescat in immensum viribus aucta suis

Memento obsecro sententiæ veteris

Si non es hodie cras minus aptus erit.

Atque etiam illius alterius, *difficile est annosam arborem transplantare.* Sicut globus niueus quanto magis antrorsum à pueris voluitur, eo plus niuium colligit, & plus negotij creat voluentibus, sic planè augetur in dies nequitia, nec aliud est amputationem eius differre, quàm difficultates difficultatibus cumulare. Erinacium tradunt quo longius partum differt grauius ab asperrima & succescente fœtus sui cute lacerari, & qui ad vsuram capiunt, nunquam differendo solutionem se onere leuant, sed alieno se æri magis magisque subiiciunt. Idem tibi eueniet, si sub finem duntaxat extrudere velis consuetudinem malam corroboratam multis frequentatis actibus. Hoc tandem interrogo, vtrum se tibi senio confectum Christus tradiderit, & non potius infantem, puerum, adolescentem, ætate florentem? Quod si primas & maximè vegetas ætatis suæ partes saluti tuæ dedicauit,

non

Digitized by Google

non te pudebit cultui eius tuæ deterrimas conſecrare? Venit ad te non vocatus, exultans vt Gigas ad currendam viam, tu ad vocantem non properabis? vocat te Rex temporalis, & accurris ſtatim, vocat te Deus Rex Regum & cunctaris? Ille te fortè vocat ad ſupplicium nec moram facis, vocat te Chriſtus ad regnum, ad cęſtis portum beatitudinis & tergiuerſaris? non illius voluntatem ad tuam inflectis, ſed mox ſequeris, Dei verò voluntatem cunctabundæ tuæ niteris accommodare. An non, hoc eſt, amuſsim aptare lapidi, & non amuſsi lapidem? Ergo moras frange, dum tempus habes operare bonum, ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos, continuò relictis retibus vocantem ſequere. *Neſcit tarda molimina*, ait S. Ambroſius, *Spiritus ſancti gratia*, qua proindè afflatus exurge inſtar beatiſsimæ illius Virginis, aſcende *in montana cum feſtinatione.*

Documentum 8.

Vt publicè ſi opus ſit hæreſim ſuam eiurare non refugiat.

IN duplici differentia eſſe poſſunt qui reſipiſcunt, aut enim fidem ac religionem veræ contrariam occultè tantum coluerunt, vel publicè, hoc eſt, ſcientibus omnibus vel plurimis loci incolis vbi degit; ſi occulte tantum, neceſſaria non eſt publica errorum eiuratio, quia publicè vindicari & expiari non debet, niſi quod publicum eſt & notorium partim vt vitetur ſcandalum, quod aliâs citò reſultaret, partim vt debita ſeruetur proportio, præterquam quod reſipiſcere nemo tenetur violando ius naturæ, quando nihil occurrit grauius propter quod debeat violari; ſed de iure naturæ eſt conſeruatio famæ propriæ, qua ſe priuat qui occulto errori palàm renuntiat, ſiquidem quamdiu occultus fuit habitus eſt orthodoxus, & in poſſeſsione exiſtimationis bonæ perrexit eſſe, quamdiu ergo vtilis non apparebit eius priuatio, vt vulgo non eſt, nec famam debebit ſuam prodigere per publicam illam renuntiationem, nec ad illam prodigendam admitti, ſufficiet ſi eiuſmodi errores confiteatur, deque iis ſe accuſet apud ſacerdotem qui poſsit ab iis abſoluere, ſique poſt vel ante abſolutionem

sacramentalem, eiuret eos corã duobus aut tribus testibus, si forte ab aliquibus sciatur in eos incidisse. Eiurationis porrò formula consistit in faciendo clara & intelligibili voce professionem fidei in loco sacro, aperto capite, & flexis genibus, & sub finem edendo iuramentum attactis Euangeliis velut sigillum quo obsignat coram Deo & hominibus hanc professionem, & contrariæ cuiuscunque repudium. Interim si nescit legere, satis erit si ad singulas sententias præeuntem sequatur, vel articulis singulis ordine lectis annuat, & sub finem iuret conceptis verbis. Quod si sectarius sit publicus ac notorius, consulere ac mederi debet conscientiæ suæ primò per Sacramentum pœnitentiæ, in quo absoluat illum ab hæresi sacerdos potestate præditus tollendi censurã huic coniunctam sceleri. Ab illo deinde requiritur publica fidei Catholicæ professio, & contrariorum omnium errorum abominatio, vt sic occurratur scandalo quod aliâs crearetur fidelibus, si misceri sibi lupos cerneret, priusquam constaret sibi de conuersione illorum solida; vt prætereà publica & notoria delicta publicè castigentur iuxta præscriptum illud Apostoli 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant,* vt rursus reliquo tempore sit cautior, nec facile audeat à fide publicè data iurataque resilire, vt denique facilè possit conuinci perfidiæ si postea relabatur. Personas in quarum manibus facienda est eiusmodi professio, oportet esse publicas, & pastores in populo agere quo præsente fiet, ad hos siquidem spectat spiritualibus præesse negotiis ad gregem pertinentibus, quid autem magis pertinet, quid plus momenti habet, quàm ei peregrinum qui prius hostis erat cooptare? Huiusmodi Pastores regulariter sunt Episcopus, Vicarius eius generalis, & Parochus; illi quidem ciuitatibus & locis vbi habitant, hic verò in sua Parochia ab illorum loco dissita. Nam si in ea versetur, & versaturus sit hæreticus qui conuertitur, haud dubiè talis parochiæ populus, ille propriè est, cui satis fieri, & à quo remoueri debet scandalum; cumque vt suppono absint Episcopus & Vicarius Episcopi, vulgò solet ipsi Parocho hæc cura demandari. Quod dico de sectariis omnibus notoriis deque publica fidei professione quæ facienda est, multo magis intelligi de iis debet, qui non solum notorij sunt, sed palàm insuper hæresim docuerunt, vel hæretica dogmata scripto commiserunt,

runt, vel aliter fuerunt in secta & errore cui abrenuntiant famosissimi. Immò tales in Cardinalium duntaxat, vel Nuntiorum Apostolicorum, vel Episcoporum manibus solent errores suos deponere, vt quo notior fuit illorum alienatio, vicissim ad plurium aures perueniat reconciliatio. Iidem si dogma nouum Catholicæ fidei contrarium verbo scriptoue docuerint, illud in specie detestari iubebuntur & debebunt iuxta canonem, *Ego Berengarius.* *De consecr. dist. 2.*

De Sectariis ista intellige non excommunicatis nominatim ob hæresim, nam qui propter illam sic excommunicatur, maiori cum solennitate & labore ab Ecclesia recipitur iuxta Pontificalis Romani sanctiones. Siquidem coram Antistite in pontificio sedente habitu, cui adsint aliquot sacerdotes induti superpellicio in genua procidendum est cum protestatione, quòd minimè causa & metu mortis, vel pœnæ alterius temporalis, sed veritatis solius amplectendæ studio velit resipiscere. Adhæc humiliter postulare debet admitti in Ecclesiam Catholicam promittendo se pœnitentiam prout præcipiunt sacri canones, subiturum. Item ad singulos articulos symboli Apostolici respondere se credere, & sectas erroresque fidei, religioni, & Ecclesiæ Catholicæ contrarias damnare, reiicere, & anathematizare (specialiter quos inuenit ipse ac docuit, si quos fortè inuenerit aut docuerit) cum expresso non recidendi proposito ac iuramento, dataque cautela de futuro, & vltrò obligando sese ad subeundas pœnas transfugis proponi solitas. Quibus peractis Antistes, cum Clero 7. Psalmos pœnitentiales recitat, & alias quasdam preces, tum ad sedem rediens pastoralem, absoluit Apostolica authoritate supplicem, absolutumque ac manu prehensum introducit in Ecclesiam dicens: *Reduco te in gremium sanctæ matris Ecclesiæ.* Profectò ne in ista quidem Pseudoeuangelismi eiuratione omnium grauissima quidquam inueniet iustus rerum æstimator, quod meritò graue, aut cum decoro & ratione pugnare videatur.

Digitized by Google

pides iacit,& alia omnia à ſana mente aliena facit & loquitur, & tamen præ ſe reliquos omnes inſanire clamitat. Quàm difficile eſt huic remedium afferre? Schiſma cum ſit charitati manifeſtè contrarium non diſpergenti ſed congreganti, tanto maius eſt malum, qaunto ipſa bonum. Irreligioſitas ſimiliter cum aduerſetur religioni tam infœlicem reddit irreligioſum, quàm iſta fœlicem Deoque acceptum religionis cultorem.

Iam verò quod hæreſis, quod ſchiſma, quod irreligioſitas mera ſit Pſeudoeuangeliſmus,cui nuntium remittere cogitas, & à quo percupio extricatum te cernere, nec tibi difficile poteſt eſſe perſuaderi,ſi vel parum docilis ſis, nec mihi oſtendere. Hæreſis dicitur doctrinæ nouæ electio, venit enim ab αἱρεῖσθαι quod eligere ſignificat. quando itaque diſſeminat, vel amplectitur & pertinaciter defendit aliquis doctrinam ei contrariam, quæ prius vniuerſim & magna conſenſione ab Orthodoxis recepta fuit, & per ſuam illam conatur vetuſtiorem hanc extinguere quaſi falſam ac ſpuriam,hæreticus propriè dicitur, & communi hæreticorum more pergit iudicio plus ſuo tribuere quàm omnium, & mira de ſe credere cum Simone illo Mago, qui vt hæreticus erat,ita aliquem magnum ſe dicebat eſſe Act.8. & vulgo iactabat teſte Hieronymo: *Ego ſum ſermo Dei,ego ſum ſpecioſus, ego Paraclètus,ego Omnipotens, ego omnia Dei*, & denique humanis inhiare laudibus, quarum quilibet tanto tenetur deſiderio, vt indè Auguſtinus hæretici definitionem contexuerit his verbis. *Hæreticus eſt qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, principatusq́ gratia falſas ac nouas opiniones vel gignit vel ſequitur.* Atqui hæc omnia in primos hodiernarum ſectarum Authores apprimè conueniunt. Doctrinam inuexerunt manifeſtè nouam, & ei repugnantem quæ prius per plurima ſecula immò ab ipſo Chriſti tempore in Chriſti Eccleſia erat receptiſsima, vt demonſtratum eſt lib. 3. cap. 4. §. vltimo, inuectam pertinaciter propugnarunt. tumuerunt prætereà omnes ingenti ſuperbia, vt vidimus lib.2.c.3. §. vltimo, verè ergo ac propriè fuerunt hæretici, ac proindè eorum gregales omnes, & tu vnus inter cæteros, cum eandem doctrinam ab illis hauſeris & ſuperioribus annis obfirmato animo retinueris, & tuendam ſuſceperis.

In cap.24. Matth.

In lib. de Vtil. cred. cap. 12.

Hæreſim ſemper ſchiſma ſequitur, eſtque ab illa inſeparabile,

Kkkk 3 cum

cum nihil aliud sit quàm sectio, & discessio tam ab Ecclesia quàm à visibili eius capite, quod profectò non est aliud à Romano Pôtifice vt declaratum est in eodem cap. 1. lib. 3. §. 1. & 2. Illi autem sectarum duces perspicuè fecerunt ab vtroque diuortium, nec diffitentur, schismatis ergo rei sunt, & teipsum reum fecerunt. Fuerunt denique & tu cum illis irreligiosissimi, nullam religionis partem purè ac solidè coluerunt, vt totis duobus primis libris fusè est demonstratum. Nihil itaq; restat, nisi vt & te fuisse agnoscas his 3. flagitiis hęresi, schismate, irreligione obligatum, & quo ea expiari conuenit, dolorem in sinu cordis concipias; nec illos audiendos putes, qui mutasse mentē dicunt sufficere, hunc proinde dolorem minimè esse necessarium. Illa quidem mutatio quæ aliter dicitur propositum vitæ melioris omninò requiritur, ait namque Dominus Ioan. 5. *Ecce sanus factus es iam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*, & scriptum est Deut. 17. *Dominus educens vos de Ægypto præcepit vobis vt non amplius per eandem viam reuertamini*. & Eccles. 21. *Fili peccasti non adiicias iterum.* & cap. 34. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid prodest lauatio eius.* addit S. August. in Soliloq. *inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, nihil prosunt lamenta si replicentur peccata*, & S. Cypr. lib. 4. epist. 4. *Habemus Aduocatum pro peccatis nostris Christum Dominum, si modo nos in præteritum peccasse pœniteat, & confitentes atq; intelligentes delicta nostra quibus Deum offendimus, de cætero ambulare in viis eius, & præcepta eius metuere spondeamus.* Sed non idcircò sufficit, vt te docebunt quæ iam scripsimus lib. 2. c. 6. §. 1. & 2. immò hæc duo ita inter se coniugata sunt, vt separari ab inuicem nequeant. Sicut enim si dolore atque tristitia verè te afficiunt quæ deliquisti, ea vt mala apprehendis cum doloris ac tristitię obiectum aliud non sit quàm malum, & quia mala esse cognoscuntur, ab iis in posterum cauere deliberas, quia similiter obiectum fugæ est id quod malum esse intelligitur; ita è contra quod in posterum deuitare statuis ideò solum videri tibi potest non repetendum nec prosequendum, quia apparet malū, at quod verè iudicatur & apparet malum, naturaliter sui odium menti iniicit, sique ei fortè anima subiacuerit reliquit in ea sui detestationem dolente non parum, quod illi se subiecerit, & subiiciendo damnis se multis implicauerit. Adde ꝙ vera mentis mutatio dici non potest, quando quæ prius tibi placuerunt, iam non displi-

Digitized by Google

diſplicent; namq; ſola abſtinentia ab antiquis operibus mutatio mentis nō eſt ſed operis, facileq; fieri poterit, vt ita mens illa ſuſpendat, & deinceps nolit facere, vt tamen iis delectetur reductis ad memoriā, quod ſatis eſt ne circa illa mutata videatur, aut affectū illorum exuiſſe. Vt ergo videatur, dolorē neceſſe eſt accedere, qui cum directè complacentiæ aduerſetur expellit illā, atq; ita mentē ab vno in alium transfert ſtatum, vt non ſolum non faciat quæ fecit prius ſed etiam nolit facere, nec ſolum nolit facere, ſed etiam ꝙ amplexata eſt vt bonū, nunc deteſtetur vt malū, nec deinceps fugere ſtatuat, niſi quia malū & abominatione dignū.

Hic interim duo aduertas velim.

Alterum, tripliciter induci quis poteſt ad dolorē de peccatis admiſsis concipiendum, videlicet ob damnū temporale (cuiuſmodi ſunt carcer, mors, mulcta, infamia, &c.) cui propter illa factus eſt obnoxius, & ob damnum ſpirituale ſeu ſupernaturale v.g ob excluſionem à regno cœlorū, ob damnationē æternam, &c. & ob Dei offenſam. Primū incentiuum bonum quidem eſt, nec quid quam habet vituperij, tum quia eo nos moueri vult Apoſtolus dicens Rom. 13. *Si malum feceris time, non enim ſine cauſa gladium portat*, tum quia eſt connaturale, contriſtamur enim omnes cōmuni quodam naturæ inſtinctu de damno temporali, deq; cauſa quæ illud peperit; nihilominus tam eſt imperfectus, vt eo placari non poſsit Dominus, nec adduci vt peccata remittat & gratiam conferat. Nimirum cum eiuſmodi remiſsio & gratia ordinis ſint ſupernaturalis, connaturalem ac proportionatam in reſipiſcente diſpoſitionem poſtulant, hoc eſt, ſupernaturalem; hic autē dolor obiectum habet temporale, ob idque ſupernaturalis cenſeri non poteſt, ſed temporalis, humanus, inferiorisque ordinis. Secundum incentiuū bonum quoq; eſt, ſicut & profectus ex eo dolor (quidquid in oppoſitū malè feriatus ſcribat Lutherus) cum ſimiliter horum ſpiritualium damnorum cogitatione moueri, ac concuti nos ſcriptura velit, vt Luc. 13. *Niſi pœnitentiā egeritis omnes ſimul peribitis*. Matth. 5. *Eſto conſentiens, &c. ne fortè tradat te aduerſarius Iudici*, &c. Apocal. 21. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum*. Rom. 2. *Theſaurizas tibi iram in die iræ*, ſed enim magnā quoq; imperfectionē includit, quatenus per illū homo non tam Deū quęrit, q̄ ſeipſum, odio habens peccatum commiſſum, non quia offenſa eſt Dei, ſed

quia

quia per illud reum se fecit suppliciorum æternorum, cõsequenter indignus est cuius intuitu Dominus dolenti reconcilietur, nisi forte contingat vna recipi aliquod Sacramentum, quod doloris illius defectum accessione sua suppleat. Solum itaque tertium incentiuum doloris, maximam laudem habet Deoque gratissimum est, per quod homo peccatum suum odit & detestatur, vt præcisè & formaliter offensa Dei est, cuius maiestas nullis erat iniuriis lacessenda, sed omni reuerentia cultuque prosequenda, & cui peccata rependere ineffabilium beneficiorum acceptorum loco iniustum nimis fuit & indecorum. Conceptus inde dolor contritio dicitur, quod sit ad frangendam humani cordis duritiem aptissimus, & indiuiduus comes est charitatis. Commendat illum præ alio quouis Caluinus ipse, dum ait, *Præterea non solum vindictæ formidine se coërcet pia mens à peccando, sed quia Deum patris loco amat & reueretur, loco Domini obseruat & colit, etiamsi nulli essent inferi, solam tamen eius offensionem horret.*

Calu. lib. 1. Instit. c. 2. n. 2.

Alterum in quo prudentiam tuam modumque requiro est, ne vt parricidij sui Cain, & Iudas sacrilegij, sic hæreseos, & schismatis, & irreligionis illius tuæ præteritæ grauitatem ita tibi ante oculos ponas, vt spem diuinæ omnis miserationis abiicias; maior quippè est Dei misericordia quàm nequitia tua, & vt loquitur Apostolus, *superexaltat misericordia iudicium.* Loquentem audi Augustinum serm. 50. de tempore. *Fortè cogitat aliquis tam grauia se admisisse peccata, vt iam Dei misericordiam promereri non posit. Absit hoc à sensibus omnium peccatorum. O homo quicumq; illam peccatorum multitudinem attendis, cur & omnipotentiam cœlestis medici non attendis? cum enim Deus velit misereri quia bonus est, & posit quia omnipotens est, ille contra se diuinæ pietatis ianuam claudit, qui Deum sibi misereri aut nolle aut non posse credit, eumq; aut bonum aut omnipotentem esse diffidit. Nemo ergo nec post centum peccata, nec post mille crimina de misericordia Domini desperet.* Et rursus in lib. de vtilitate credendi. *Ne desperando augeremus peccata propositus est pœnitentiæ portus, sicut ne sperando augeremus; datus est dies mortis incertus.* Et ante illum S. Ambros. in Luc. *Nemo diffidat, nemo veterum conscius delictorum præmia diuina desperet; nouit enim Deus mutare sententiam si noueris mutare delictum.* Et S. Ioan. Chrysost. Homil. 19. in Genes. *Nullum est peccatum quantumcunq; graue, quod illius misericordiam vincat, modo tempore debito pœnitentiam agamus & veniam petamus.*

Iac. 2.

Docu-

Digitized by Google

Documentum 10.

Vt hæreſim aliaque peccata ſuo legitimo Sacerdoti integrè ingenueque confiteatur.

QVIS legitimus Sacerdos dicendus ſit infra videbimus, id tantum nunc agitur vt oſtendamus præter dolorem de hæreſi, & aliis peccatis lethalibus quorum à Deo expectatur remiſsio, requiri iure diuino, vt peccator apud eiuſmodi Sacerdotem, accuſet ſeſe de illis in ſpecie in confeſsione, quæ ob id auricularis dici ſolet, quod homini Chriſti vicario ad aurem fiat. Hic fortè commouebere Lector, diuinum ius audiens. Quid inquies? obſtringit me Dominus vt ſcelerum meorum etiam arcanorum conſcium faciam Sacerdotem? nonne per ſemetipſum audit ſatis, videtque omnia? Bona verba quæſo, quietem te in præſentia & patientem habere cupio non procelloſum, & qui ad ſinapis conſpectum vel olfactum ſternutare incipias, nec adeò intractabilem, vt dicta prius reprehendas, quàm dicentis momenta expenderis. Poterat haud dubie Deus in iuſtificandis peccatoribus, & à peccato quouis liberandis, nec auribus vti, nec vllo alio interuentu Sacerdotum, quis hoc neſcit? Sedenim viciſsim velle potuit vt talis interuentus accederet, de qua eius voluntate ſi ſemel conſtiterit, obſtruetur os loquentium iniqua. Dominus enim cum ſit, licet ei quod vult facere, *Voluntati eius quis reſiſtet*, inquit Apoſtolus, *& ô homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic?* Rom. 9. Nos cum vniuerſa Eccleſia Catholica voluiſſe contendimus, & ex verbis illis Ioan. 20. euincimus, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Neque enim neceſſe eſt alia quædam habere, in quibus expreſsè & formaliter præceptum hoc detur ſub hac forma, *confitemini integrè & ſingulatim peccata veſtra Sacerdotibus*, ſed talia eſſe ſufficit, ex quibus Eccleſia Dei hoc præceptum manifeſtè colligat, & ad fidem ſalutemque pertinere iudicet ac decernat. Nam & Chri-

Digitized by Google

ſtus nunquam apertè dixit, *hoc eſt figura corporis mei,* & tamen Caluinus ratiocinatur & concludit ex verbis quibuſdam ſcripturæ & ſanctorum Patrum ad libitum detortis ita eſſe Chriſti ſententiam exponendam. Sed neque dici deberet Euchariſtia vel Baptiſmus Sacramentum, cum nuſpiam ſic appelletur, ſed ratiocinatione duntaxat eſſe colligatur. Non item admittendum foret peccatum originale, nec ipſa Trinitas, nec filij conſubſtantialitas eandem ob cauſam. Iam vide num ſolidiſsima ſit Eccleſiæ ratiocinatio circa verba illa deprompta ex cap. 20. Ioan. Cum Chriſtus in iis ad Apoſtolos eorumque ſucceſſores directis remiſsionis expreſsè meminerit, palàm eſt quod eos Iudices conſtituerit, remittere ſiquidem & retinere ſeu quod idem eſt abſoluere & condemnare actus propriè iudiciarij ſunt. Porrò de nulla cauſa iudicium verum ac legitimum fieri poteſt ſiue ad abſoluendum ſiue ad condemnandum, niſi planè cognita & perſpecta fuerit ſecundum partes omnes & circumſtantias; cognoſci autem ab hominibus non poteſt niſi iis ab ipſo pœnitente omnium conſcio detegatur, ſolius Dei proprium eſt penetrare per ſe corda hominum, quidquid in iis latet intueri, nullaque humana informatione indigere. Debet ergo pœnitus Sacerdoti confiteri, & ita quidem vt peccata ſua omnia lethalia ſigillatim & integrè aperiat, cum non ſit maior ratio cur vnum quam aliud manifeſtare debeat. Rem magis adhuc illuſtro, ſi à Iudice temporali quæras, cur informari ac totum cauſæ ſtatum habere perſpectum velit, profectò reſpondebit ita debere fieri, quia neque pro reo neque contra reum ferenda ſemper eſt ſententia, informatione autem præmiſſa facile eſt vtra ferri debeat, iudicare. At ſimiliter neque ſemper abſoluendus eſt pœnitens, neque ſemper non abſoluendus. Nam ſi ſemper eum abſolui Chriſtus voluiſſet, non dixiſſet *& quorum retinueritis retenta ſunt;* viciſsim ſi nunquam voluiſſet abſolui, non præmiſiſſet, *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Cum ergo vtrumque coniunxerit, conſcientiam pœnitentis præcognoſci voluit, indeque iudicium peti ſit ne abſoluendus nec ne. Quem admodum ſi Rex dicat pacis mediatori, ito quos articulos tibi proponendos approbaueris, approbo, quos reprobaueris ipſe quoque reprobo, indicat ſanè non omnes promiſcuè & ſemper admittendos, nec contra, omnes promiſcuè & ſemper reiicien-

Calu in reſut. Cathalam.

iiciendos, ſed iudicium cautè adhibendum, vt quid facto opus ſit, innoteſcat.

Nondum planè acquieſcit animus inquies. Primò quia ſolus Deus peccata remittit Marc. 2. & de Chriſto ſingulariter dicitur Ioan. 1. *Ecce qui tollit peccata mundi.* Secundò, quia fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora, Deus autem poteſt adeuntibus ſe peccata remittere, non ergo veriſimile eſt ab eo conſtitutum, vt Confeſſariis quibuſdam interpoſitis remitterentur, ne indè ſequatur conſtitutionem eſſe ſuperuacaneam. Tertiò, non defuerunt qui dicerent remittere peccata hoc loco nihil aliud videri, quàm remiſſa eſſe declarare. Quarto, quomodo Sacerdos ex confeſsione pœnitentis ratiocinari poteſt dignum eſſe qui abſoluatur? Quintò, quid reſpondebitur ad factum Nectarij quem ſcribit Sozomenus ſuſtuliſſe confeſsionem? Poſtremò cum quis publicè eiurat hæreſim, ab eadem abſoluitur, quid ergo opus eſt, vt eius iterum accuſet ſe in aliquo Sacramento, inque eo abſolui ab illa petat?

Reſpondeo, ſic iſta eſſe obiicienda, vt interim locus ille pro confeſsione ex Ioan. petitus obuerſetur ſemper oculis, & vim ſuã retineat, alias cum nullus ſit tam verus ac perſpicuus, quin ei opponi multa poſsint, (cum nihil ſit de quo probabiliter diſputari nequat in vtramq; partẽ) ſequeretur omnes vacillare, nec quidquam cõtinere ratum ac ſolidum, quod abſit vt ſentiamus. Puerorum eſt quidquid aliquo modo oppugnari vident, ab eo ſtatim recedere, vel eius ſuſpectam habere veritatem cum potius inuiolabiliter cuſtodienda ſit rei fides benè ſemel conſtitutæ, & contraria omnia ſolerter diluenda.

Ad primum ſolus quidem Deus peccata remittit vi propria, & vt cauſa principalis, non tamen id obſtat quo minus adſciſcere ſibi potuerit cauſam aliquam inſtrumentalem, cuiuſmodi eſt ſacerdos (nam & ille ſolus eſt qui baptizat in Spiritu ſancto Io. 1. & tamen in hac parte vtitur hominis miniſterio, ſolus qui mirabilia facere dicitur Pſa 71. & tamẽ omnia ferè facit interiectis hominib. ſolus qui dictus eſt loqui Moyſi facie ad faciẽ, interim nõ loquebatur ei niſi intermedia nube vel Angelo, vt notat S. Tho. 1. 2. q. 98 a. 3. ad 2.) ſic nec quidquã idcirco diuino honori detrahitur, ſed multũ potius adiicitur, eo ꝙ non neceſsitate adactus ſacerdotes vocat in cõmunionẽ tanti operis, ſed ex mero ſuo bene-

LIII 2 placito,

placito, ſecundum quod ita magnificauit facere cum eis, & honorare eos decreuit, rumpantur vt ilia Codri. Nam nec eidem honori ſuo detrahit ipſe, dum iam creaturas producit interuenientibus cauſis ſecundis, nec cum ægrotos ſanat adminiculo Medicorum, quo ſic vti vulgò decreuit, vt illud appellet ipſe neceſſarium dicens Eccleſ. 38. *Honora medicum propter neceßitatem*, ſicut & neceſſariam Apoſtolorũ prædicationem ad dilatandam fidem Rom. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?*

Ad ſecundum vera eſt propoſitio, modo quæ fiunt per pauciora, æquè commodè fiant ſicut per plura, aliàs non. At nego æquè commodè fieri remiſsionem peccatorum, quando nullum accedit humanum miniſterium, ſicut cum accedit. Nam cum non accedit, non honorat Chriſtus ſuam creaturam, non ita ſe accommodat humanæ conditioni quæ requirit vt frater iuuetur à fratre, non accipit pœnitens opportuna conſilia & remedia cõtra peccata, non ſatis intelligit qualem & quantam pœnam ſubire debet, vt ſit proportionata peccatis. Deus quippè immediatè iam non loquitur, & non eſt ipſius pœnitentis eam definire cum ſuſpectus ſit, & ſibi facilè blandiatur. Idem non ita eruditur, & in ſpem erigitur, viciſsim non ita humiliatur & confunditur nec conſequenter ita retrahitur à peccato inpoſterum. Nam cum ſenſibus conſtet, non ita erubeſcit aperire Deo inuiſibili peccata ſua; ſed & ſatis intelligit quod velit nolit iam ſunt ei manifeſta priuſquam ore, nutu, vel ſcripto indicentur. Cum ergo Chriſtus maximè inire voluerit rationem aliquam aptiſsimam, quæ peccatorem in futurum à peccato auocaret, decuit vt auricularem confeſsionem inſtitueret. Perſpicuum eſt ſanè longè meliores & deuotiores vulgò eſſe, qui ſæpè confitentur, quàm qui rariſsimè vel nunquam. Et in ſe nemo non ſentit cohiberi ſe multum ne peccet, cum neceſsitatem ſibi videt incumbere aperiendi Confeſſario ſuo quæ fecerit, & Norinbergenſes eiuſmodi confeſsione valere iuſſa tantam experti mox ſunt in omni ætate morum licentiam, vt nihil habuerint antiquius quàm illam modis omnibus reuocare, inter quos præſentiſsimum viſum eſt edictum Caroli V. quem proindè obnixe obteſtati ſunt, vt pro ſua authoritate illam vrbi ſuæ reſtitueret.

Diſce

Diſce tandem ex vno Cypriano ſermon.5. de lapſis confeſsionem faciendam non ſolum coràm Deo, ſed etiam apud ſacerdotes, nec ſolum de peccatis, ſed etiam de occultis: *Hi*, inquit, *quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti ſint, quia tamen de hoc cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confiteantur.*

Ad tertium interpretatio illa inſulſiſsima eſt & Caluino digna, cui ſolenne eſt, quidquid eſt ſolidum, & inſigne quoddam beneficium complectitur, exinanire atq; in vaniſsimum fumum reſoluere. Exemplum Chriſtus quod in cœna dedit corpus ſuum appellauit, ille non corpus verum fuiſſe contendit ſed figuram corporis. Item peccatorum remiſsionem ait non eſſe veram illorum abolitionem, ſed tantum non imputationem; & gratiam ac iuſtitiam affirmat nullam ineſſe homini iuſto, ſed illi tantum imputari eam, quæ in Chriſto eſt: ſic in præſentia docet peccata à ſacerdotibus nõ remitti verè, ſed declarari tantum eſſe remiſſa. De qua interpretatione quoties cogito, pudet me toties in ea moras ponere, adeò nihil plus quàm vmbra eſt, immò fumi vmbra vix dici meretur. Certè vehementer in ſole caligat, qui eius vanitatem non videt. Quorum enim Grammaticorum iudicio idem eſt peccata remittere, & remiſſa eſſe declarare? An Chriſtus cum Paralytico dixit, *remittuntur tibi peccata tua*, declarauit tantum eſſe Luc. 5.
remiſſa, & non potiùs verè proprieque remiſit? atqui in cap. illo 20. Ioan. profitetur mittere ſe Apoſtolos ſuos, ſicut miſſus eſt à Patre, hoc eſt, cum ea poteſtate prædicandi verbum, & miracula faciendi, & peccata remittendi; verè ergo ac propriè illa remitti ab iis voluit. Taceo quod ſi Caluinum interrogem, quando fiat hæc declaratio remiſsionis peccatorũ, reſponſurus ſit fieri, quando prædicatur verbum Dei. Ex quo ſequitur fruſtra in eodem capite factam fuiſſe mentionem poteſtatis remittendi peccata, vtpote quæ iam collata fuerat, eo ipſo quo iiſdem Apoſtolis iam collata erat facultas prædicandi.

Ad quartum dignus eſt abſolutione peccatorum, qui magno ſe eorum dolore teneri inſinuat, & ſe paratum ad ea quantum in ſe eſt expianda, & non abhorrere ab opportunis illorum remediis, nec refugere iis veniam dare, à quibus iniuriam accepit ſicut ſcriptum eſt Matth.6. *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra*, & damnum reparare quod intulit,

tulit,&c.atqui per confeſsionem auricularem,an & quomodo ad hæc omnia factus ſit,negotio penè nullo intelligitur,nulla autem alia via commodè ſatis ſciri poteſt. Sicut ille qui ingens damnum temporale patitur,atque inde grauiſsimè afficitur, non poteſt illud ſilentio premere, ſed mox multa cum indignatione aperit, & contra cum illud aperit argumento eſt quod id ægrè admodum ferat, & ſtomachus potu ciboue ſuſcepto quo læditur ſpontanea illum vomitione extrudit, & cum extrudit indicium eſt occultæ abominationis, ita cum de peccato agitur, ſi illud ſpirituali medico libere pandimus præſertim occultum, coniectura eſt non leuis quantum nos diſcruciet interius. Item ſicut temporalis medicus ex ægroto vel aliunde cognita eius infirmitate, & infirmitatis ſymptomatis quæ patitur, facile poteſt remedia præſcribere quæ non modo præſentem tollant, ſed futuræ etiam viam præcidant,ſic ſpiritualis. Item ſicut ille cum ægrotante de eius infirmitate verba faciens, occaſionem nanciſcitur & arripit interrogandi plurima ſcitu neceſſaria, vt apud ſe definiat qualiter ſe circa ipſum gerere debeat; ſic iſte ex pœnitentis ſui reſponſis de vitandis in poſterum cauſis proximis peccatorum quæ prodidit, de fraterno odio remittendo, de ablatis reſtituendis, &c. non ægrè coniicit quam mentem gerat, abſolutione dignam an indignam, quarum item ſit virium, & cuius pœnæ aut ſatisfactionis capacium.

Ad quintum multis ſanè de cauſis mirari ſoleo eorum ineptiam,qui vt aboleant confeſsionem qua de agimus, Nectarij Patriarchæ Conſtantinopolitani factum proferunt, hoc eſt, illius abrogationem. Primò quia fatentur quod ante ipſum perpetuo in vſu fuerit,ideoq; præpoſteri valde ſunt,qui confeſsionem reiicere malunt, quia ipſe vnus illam abrogauit, quàm retinere exemplo tot vetuſtiorum Chriſto & Apoſtolis vicinorum, à quibus quid iuris eſſet quidque tenendum facilè didicerunt. Secundò, quia vt ſupra demonſtrauimus ex cap.20.Ioan. confeſsio iuris eſt diuini,& ſic non abſurdus ſolum & impius fuit Nectarius, ſi eam ſimpliciter abolere voluit; ſed etiam quotquot Nouantes prætentæ huic abrogationi conſentiunt. Tertiò, quia Nectario ſucceſsit S. Chryſoſtomus, qui profectò ſi illam ab eo planè vidiſſet extinctam, nunquam extuliſſet illam magnis laudibus, nec gregi

ſuo

Digitized by Google

ſuo commendaſſet, aut certè magno fidelibus ſcandalo & offenſioni fuiſſet impiè reædificans quod ſanctè diſiectum fuerat, & valere iuſſum. Atqui ſolſicitè commendauit ipſam, nec ob id vnquam in alicuius offenſionem vel reprehenſionem incurrit, vt cum ait in ſerm. de Pœnit. & in homil. de Lazaro: *Non ego te in ſeruorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo. Non cogo te in medium prodire theatrum, nec multos adhibere teſtes, mihi ſoli dic peccatum vt ſanem vlcus.* Adhuc eo recentior fuit S. Auguſtinus, qui eiuſmodi confeſsioni velut ſuo tempore vſu receptiſsimæ non obſcurum paſsim præbet teſtimonium, vt lib. 2. de viſit. infirm. c. 4. ait enim: *Sunt quidam qui ſufficere ſibi ad ſalutem autumant ſi ſoli Deo, &c.* Et infrà: *Ergo ad te venire roges ſacerdotem, & fac ipſum conſcientiarum tuarum penitus participem, non ſeducat ſomniantium illa ſuperſtitio quæ in viſitando confirmat, quia ſaluat ſacerdote inconſulto, ad Deum peccatorum confeſsio. Nos autem non abnegamus, quin ſit ad Deum frequenter referenda confeſsio peccatorum, ſed teſtamur, & teſtatur illud ſana doctrina, quia prius eges ſacerdotis (qui mediator ſit ad Deum tuum) ſalubri iudicio.* Et infrà: *Aperi ei penetralium tuorum abditiſsima latibula. Non te pudeat coram vno dicere, quod te non puduit forſitan coram multis & cum multis facere. Ergo quæ mentem grauius exacerbant facinora Dei Angelo manifeſta, nihil obſcurum dicens, culpam nullis ambagibus inuoluens. Deſignanda etiam ſunt in quibus peccaſti loca ſi recordaris & tempora, &c.* Poſtremò, quia eodem Sozomeno teſte Nectarius ſimpliciter Confeſſarium non ſuſtulit, ſed publicum tantum, ad quem videlicet grauiora delicta deferebantur, vt ea ſubinde ex conſenſu Pœnitentis ſi Epiſcopo videretur, publicè aperirentur, vt idem Pœnitens ſic puniretur, & in poſterum cautior eſſet, ac cæteros exemplo ſuo à ſimili auſu absterreret. Videns porrò Nectarius grauiter offenſum fuiſſe populum audita Diaconi cuiuſdam ſcortatione, Pœnitentiarium ſeu Confeſſarium illum publicum vt publicum ſuſtulit, vetans ne deinceps ipſe, vel alius pœnitentium ſuorum crimina etiam grauia euulgaret. Et rectè ad occurrendum ſcandalo quod acciderat, tantum opus erat, vt dictus Confeſſarius ſub ea ratione tolleretur. Eat nunc Caluinus, & ſcribat: *Hic hic aures aſini iſti arrigant, ſi lex Dei erat auricularis confeſsio, qui auſus eſſet Nectarius eam refigere ac conuellere? Nectarium ſanctum Dei hominem, omnibus veterum ſuffragiis probatum hæreſeos ac ſchiſmatis accuſabunt?* En quomodo ſua fretus facundia ridiculus pugil laceſſit omnes,

Lib. 4. Inſt. cap. 19. §. 14.

omnes, & in arenam vocat. Certè ſi ex vno ſpectanda ſunt omnia, totus ineptus eſt & malę fidei. Nectarij enim factum fideliter non recitat, quod ſecundum quid tantum ſublatum eſt, oſtentat quaſi ſublatum ſimpliciter, & non videt eadem verba in ipſum retorqueri poſſe pro Auguſtino magno confeſsionis auricularis aſſertore, & centum Nectariis auguſtiore hoc modo: *Auguſtinum ſanctum Dei hominem, omnibus veterum ſuffragiis probatum hæreſeos aut ſchiſmatis accuſabit.*

Ad vltimum abſolutio quæ datur publicè Hæreticis reſipiſcentibus, non eſt à culpa hæreſeos, ſed à pœna ſeu Cenſura quæ illis propter eam impoſita eſt ab Eccleſia, & continet excommunicationem ſeu abſciſsionem à myſtico Chriſti corpore, qua ſubſtante capaces non ſunt percipiendæ abſolutionis ſacramentalis ab ipſa culpa ſeu offenſa Dei, quia ſacerdotis hanc remiſſuri ordo ac iuriſdictio ad Chriſti tantum membra extenditur, cuius ipſe eſt miniſter: non remunerantur autem inter Chriſti membra, qui per excommunicationem deſinunt eſſe in corpore eius quod eſt Eccleſia; Huic ergo corpori prius vniri & reſtitui debent à Paſtoribus Eccleſiæ (quibus ſicut in perſona Apoſtolorum & Hieremię dictum eſt: *Quæcunque ligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlo, & conſtitui vos ſuper gentes & regna vt euellatis & deſtruatis, &c.* quod pertinet ad excommunicationem; ita dictum eſt: *Quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cœlo, & conſtitui vos ſuper gentes & regna vt ædificetis & plantetis,* quod pertinet ad abſolutionem) vt Deo ipſi poſtea reconciliari poſsint beneficio ſacramenti culpam abolentis, & gratiam perditam reſtituentis. Patet itaque arcanam quandam abſolutionem reſipiſcenti eſſe neceſſariam, præter publicam illam quæ in publica erroris eiuratione interuenit, idque eſto publica illa ingẽtem cordis dolorem adiunctum habeat. Siquidem dolor iſte non valet ad expiationem culpæ, niſi in quantum vult Deus, cum ergo velit vti vidimus, vt deinceps remiſsio peccatorum in adultis baptizatis fiat miniſterio ſacerdotum, dolorem illum non acceptat ad iuſtitiam, niſi in quantum eminenter continet confeſsionem factam ſacerdotibus: continet autem quando quis dolendo de peccatis propter Deum, ſimul ſecum ſtatuit data occaſione peccata illa ſacerdoti confiteri, & ſic adimplere legem Chriſti: Ita ergo dolendo iuſtificatur, vt tamen ad confeſsionem

Matth. 18.
Hierem. 1.

nem

Digitized by Google

nem maneat obligatus. Sic leproſi verè à Chriſto ſanati ſunt, ſed in ordine ad Sacerdotes, vnde non niſi in via, ſeu ad illos ſe conferentes optatam corporis ſanitatem adepti ſunt. Sic contractus ciuiles in quibus apponuntur conditiones de futuro, vim quidem & effectum ſuum habent, ſed dependenter ab his conditionibus; ita vt ſi ſuo negligantur tempore reddant contractum irritum. Quare vt concludam, hæreſim erroresq; alios & delicta tua quantum occurrere cogitanti potuerunt, ingenuè aperi, præſertim verò grauiora, nec ægrotos illos imitere, qui cum laborẽt hepatis vitio, oſtendunt ſolum Medico vngues exulceratos, nec eos qui grauibus laborantes malis, amicum de nugis conſulunt.

Documentum II.

Vt idoneum & quam optimum ſibi Confeſſarium eligat.

QVandoquidem autem in mentionem de confeſsione incidimus, hic mihi admonendus es lector, & ſeriò quidem, delectum vt habeas quam optimi Cõfeſſarij ſeu Sacerdotis, cui te committas, & apud quem peccata tua deponas, inepto ſiquidem præeunte ambo in foueam cadunt. Si Medico ſimilis eſt Confeſſarius, vt ſupra ex Auguſtino dicebamus, itemq; Iudici vt demonſtrauimus, & Doctori, igitur & malo malus. At quid aliud expectes quàm detrimentum à malo Medico? quàm facilè cicutã tibi exhibebit pro chærephyllo, & morbi augebit vires quas oportebat retundere? Memento Areſiæ, qui dum laboranti cuidam dolorem articulorum mederi vellet, dolorem exacuit. Imperitum adhibere iura culpæ aſcribunt L. quod ſi nolit. ff. de ædil. edict. & inexpertũ ſic exhorruit antiquitas, vt non ſolùm eius præſcripta & contactum, ſed aſpectum quoq; lethalem diceret. vnde Mart. lib. 6.

Lotus nobiſcum eſt hilaris cœnauit, & idem
Inuentus mane eſt mortuus Andragoras.
Tàm ſubitæ mortis cauſam Fauſtine requiris?
In ſomnis Medicum viderat Harpocratem.

Perniciosissimum quoque esse ineptum Iudicem, & legis rerumq́ue nescium puto omnes intelligunt. Nunc ingentia scelera omninò inulta reliquit, nunc leuibus tantum pœnis punit, innocentes contra excarnificat, aut tollit in equuleum, & qui paruis tantum suppliciis expiandi erant addicit grauissimis more Draconis, qui etiam capite plecti iubebat, qui olera surripuissent. Quod ad Præceptores, non solent Sapientes vulgaribus, & muneri suo imparibus operam dare, sed præstantissimos quosque ambiunt & quærunt, quales si inuenerint, multum sibi gratulantur & gaudent. Quanto magis accuratus tibi quærendus est Confessarius, non humanam aliquam instillaturus, sed scientiam Sanctorum, quæ lucerna sit pedibus tuis tendentibus ad regnum? non iura dicturus ciuilia, sed à Deo profecta? non aliquos medicaturus morbos corporis, sed animi omnes? Hos palàm est curare multò difficilius, quia rarius & difficilius cognoscuntur, cum tamen ad curam morbi nihil magis impellere soleat, quàm quod mali sensum percipimus. Vbi nullus mali sensus est, nec eius remedium quæri potest. Animorum autem morbos difficilius percipi quàm corporum ex eo liquet, quod hi pulsibus arteriarum, vultusq́ue pallore deprehendantur; feruor quoq; insolitus, aut tremor, aut lassitudo hos solet arguere. Contra animi mala nullis se eiusmodi signis produnt, & præthereà plerosque ita fallunt, vt etiam pro malis non habeantur. Vnde fit vt febrem quidem nemo sanitatem dixerit, nec tabem quis appellauerit bonam corporis habitudinem, nec podagram pedum velocitatem, nec pallorem ruborem; vitiis tamen sæpè virtutum nomina imponantur, vt iræ fortitudo, amori amicitia, inuidiæ æmulatio, superbiæ magnanimitas, auaritiæ frugalitas, ignauiæ cautela, &c. quæ causa est cur tunc quidem confugiamus ad Medicos, cum ægrotamus corpore, quia de infirmitate nostra nulla est apud nos dubitatio, cum autem animo, negligamus, vel etiam oblatam medicinam respuamus. Quare vt concludam si curandis corporibus optimos duntaxat Medicos assignamus, quanto sollicitius animo tuo exquisitum Confessarium oportet te conquirere? Te quoque arbitror eo delectari, ad cuius imperium tuto possis,

ſis, abiicere ſcrupulos & inanes metus, eiusque ſententiæ ſecurè & cum tranquillitate acquieſcere, qui inſuper nec directè vnquam nec indirectè proditurus videatur peccata tua, quorum à te factus ſit conſcius. Huiuſmodi non ſunt æquè omnes, ſed alij aliis longè præſtant. Qui doctrina excellunt facilè iudicant vbi quis trepidet, vbi nulla iuſta interuenit cauſa metus, & qui prudentia, attendunt in conuiuiis ſibi, modico vtuntur vino, ſcientes nullum ſecreto eſſe locum vbi regnat ebrietas, & prius ad limam adducunt, quæ dicturi ſunt, quàm ad linguam. Ecclesſi.31. Quapropter magnum eorum delectum habendum, docent non raro ſcriptores Eccleſiaſtici, vt Origenes homilia ſecunda, in Pſalmum 37. *Tantummodo circumſpice diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum cui debeas cauſam langoris exponere, & compatiendi nouerit diſciplinam.* Sed neque omnes æquè poſſunt peccata remittere, quia etſi omnes ſint Sacerdotes, & in ordinis Sacramento æqualem poteſtatem acceperint, quia tamen hæc poteſtas ad iudicium ſpirituale exercendum dirigitur, requirit aliam quandam poteſtatem quæ iuriſdictio dici ſolet, prioremque illam extendit, vel reſtringit ad certos ſubditos ſiue reos & ad certas cauſas ſiue peccata iudicanda. Sic videmus in duobus creatis Regibus regiam poteſtatem prorſus eandem & æqualem, ex quo tamen non ſequitur regnum vnius tam latè patere quàm alterius. Fieri quoque poteſt vt ars ſtatuaria æqualis ſit & æquè perfecta in duobus ſtatuariis, nec tamen eſt conſequens vt vterque tot & æquè ingentes poſsit ſtatuas conficere, ſed ille plures & ingentiores, cui opulentia maior plura & ampliora dabit ligna, circa quæ induſtriam & artem illam ſuam exerceat.

Sicut in baptiſmo accipimus habitum fidei, ſed poſtea opus eſt vt adultis proponat Eccleſia, quæ Deus reuelauit, & credenda propoſuit dicente Apoſtolo, *fides ex auditu*, ſic non eſt ſatis eſſe ordinatum, oportet inſuper ad actualem abſolutionem impertiendam accepiſſe ab Eccleſia ſubditos quibus cõferatur & applicetur, quod quamdiu non fiet, tam parum poterit Sacerdos oblatos abſoluere (ſaltem extra tempus neceſsitatis) quàm Iudex Gallus Hiſpanos iudicare. Decuiſſe porrò vt inter Sacerdotes

talis inueniretur iurisdictionis inæqualitas, non est coniectare difficile. Nam hoc ordo postulat de quo Roman. 13. *Quæ à Deo sunt ordinata sunt*, hoc varietas illa Ecclesiæ de qua Psalmo 44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*, hoc vtilitas fidelium, quos experientia docet à grauioribus culpis non parum auocari, cum eas extra mortis articulum à vulgaribus ac inferioribus sacerdotibus remitti non posse intelligunt, sed adeundos Superiores, quorum in hoc spirituali negotio maior est auctoritas, hoc figura quæ in Moyse præcessit. Is siquidem grauiores tantum causas iudicabat, qui verò ei suberant, inferiores. Exod. 18. hoc denique dispositio Rerumpublicarum omnium temporalium, in quibus perspicua est tribunalium inæqualitas siue distinctio quoad iurisdictionem, estque ea fundamentum tot deuolutionum, tot item appellationum quæ fiunt ab inferioribus ad superiora, nec modicam sibi apud omnes conflaret inuidiam, qui eam de medio tollere niteretur. Sed & apud Hebræos duo erant tribunalia, vnum maius quod vocabatur Iudicium ex 20. Iudicibus compositum, alterum minus ex vno supra septuaginta, cui nomen erat Synedrium. In illo puniebantur minora delicta vt homicidium dignum sola strangulatione vel ense, in isto maiora vt homicidium, quod propter atrocitatem dignum erat lapidatione vel igne.

Vide itaq; qui resipiscis, vt sacerdotem tibi sedulo conquiras quoad fieri poterit, qui pius sit & prudẽs, qui probè intelligat quam iurisdictionem habeat, qui ea sit præditus quæ sese extendit ad absoluendum in foro conscientiæ ab hæresi, aliâs irrita erit absolutio defectu potestatis. Vbi porrò in talem incideris, ei te committe ac subiice, siue aliquid præscribat paulò acrius, quod in grauioribus morbis Medici omnes solent, siue non. *Etenim cuius quis in agendo seruat arbitrium, eundem habere & contra se Iudicem in eodem negotio dedignari non decet.* Tui etiam muneris fuerit, atque modestiæ priuatam scientiam deponere, atque in dubiis ei potius gerenti Christi vicem credere quàm tibi. Nam & Medicis interdictum est dum ægrotant curare sese, cui quidem interdicto paruisse legimus etiam peritissimos, vt Matthæum Curtium, de quo sic scribit Petrus Roisius. *Memini cum*

cum Bononiæ proximè studiorum causa essem, Mathæum Curtium præclarum nostra ætate Medicum, cum pleuritide laboraret, cui morbo ex sectione venæ succurri solet, quærentibus ab eo Medicis qui plurimi aderant, vtrum ad commune præscriptum secari venam, an ad suum vellet, respondisse ægrotum se tūc non Medicum esse. Affine est quod loco supra citato scriptum reliquit Origenes: *Si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum Medicum ostenderit & misericordem, si quid consilij dederit facias & sequaris. Si intellexerit & prouiderit talem esse languorem tuum, qui in conuentu totius Ecclesiæ exponi debeat & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari possint, & tu ipse sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est.*

Documentum 12.

Vt bona fide satis faciat seu imposita sibi à Confessario pœnalia opera fideliter obeat.

QVia semel cœpi ea tibi describere, sine quibus constare non potest perfecta conuersio, nō me pigebit, quæ de satisfactione hoc loco dicenda videntur, attexere. Est autem satisfactio opus pœnale factum in compēsationem, & castigationem delectationis illicitæ quam peccando Deumque offendendo percepimus. Hanc vt ostendam, tibique persuadeam ad meliorem redeunti frugem esse necessariam, docere sufficiet contra Prædicantes qui te educarunt in cathedra pestilentiæ, eam ne leuiter quidem pugnare cum Christi satisfactione, nec in ea quidquam latere superbiæ aut præsumptionis. Maximè enim duobus his nominibus illam impugnant, quod crucis Christi obscuret efficaciam, indicetque imperfectam fuisse & insufficientem, & quod magnam redoleat superbiam, si quis tanti se faciat, vt offenso Deo satisfacere se posse confidat. Sed non est valdè negotiosum his Momis satisfacere, si modo patientem aurem, ac iudicium si fieri possit, incorruptum accommodent. Infinitam diuinæ satisfactionis virtutem agnoscimus, confitemur, prædicamus, & propter hanc infinitatem nullo modo ex se nostrarū accessione indigere, hoc primum. Addimus quod esto non indiguerit, Dei tamen voluntas fuit (cui sese opponere

nemini licet) vt ei aliqualis nostra accederet. De hac eius voluntate multipliciter nobis constat.

Primò, quia Christus etiam pro primis parentibus satisfecit, & tamen præter hanc satisfactionem, debuerunt propriam aliquam propter peccatum suum pendere. *Vnde Adamo dictum est in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Euæ autem *cum dolore paries.* Satisfecit pariter pro populo Israël, & tamen cum is adorasset vitulum aureum, & intercedente Moyse eius peccati veniam à Domino impetrasset Exod. 32. Obstrictus mansit ad satisfaciendum, seu reus pœnæ temporalis subeundæ. Vndè postea sequitur: *Ego autem in die vltionis, visitabo & hoc peccatum eorum.* Idem de eiusdem populi murmuratione iudicium, pro qua exoratus à supplice Moyse Deus ait Num. 14. *Dimisi iuxta verbum tuum, attamen omnes qui non obediuerunt voci meæ, non videbunt terram, pro qua iuraui Patribus eorum.* Satisfecit pro Dauid, & tamen proprias ab illo pœnas repetiit, etiam post remissum peccatum quod perpetrauerat, totumque hoc gementi illi prædixit Nathan Propheta his verbis, 2. Reg. 12. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum non morieris; verum tamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius qui natus est tibi morte morietur.* Qui porrò sumus nos, vt in hac parte mitius agatur nobiscum, quàm cum illis, & illi quidem pœnas quasdam Deo post peccatum luere teneantur, nos autem ab omnibus immunes simus? quæ sententia noui testamenti euincit hanc prærogatiuam? immò multiplex illam destruit, vt illa 2. Timoth. 2. *Si sustinebimus & conregnabimus.* Et 2. Corinth. 1. *Sicut socij passionum estis sic eritis & consolationis.* Indicat enim vtraque regnum cœlorum proponi nobis sub aliqua pœnarũ perpessione velut sub conditione. Item illa Colos. 1. *Adimpleo quæ desunt passionum Christi,* quod non scripsisset Apostolus ni probe intellexisset, velle pati Christum, non in se solum, sed aliquid etiam in membris suis. Item illa Rom. 11. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne fortè nec tibi parcat.* Ostendit enim in luendis Deo pœnis apud ipsum valere argumentum à maiori ad minus, vt si non pepercit iis quibus maximè parciturus videbatur, tibi triobolari homini multò minus.

Secundò, quia Ioseph Patriarcha manifestè figuram & typum gessit Christi, is autem ita initio veniam dedit fratribus suis

sup-

supplicibus, vt interim Genesis quadragesimo secundo, mirè eos exagitauerit.

Tertiò, quia innumeri viri sancti de efficacia Dominicæ satisfactionis minimè dubij, vltrò à se pœnas post peccatum exegerunt. sic Dauid lauat per singulas noctes lectum suum, sic Petrus egressus foras flet amarè, sic Magdalena annos plurimos amaræ dedicat pœnitentiæ, sic Augustinus morti proximus legit non sine fletu septem Psalmos pœnitentiales, & filius ille prodigus præter dolorem, & emendationis propositum verbis illis expressum, *surgam & ibo ad Patrem meum*, præter confessionem quam insinuat cum ait, *dicam Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus*, addit quæ ad satisfactionem pertinent, *fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Quartò, quia sicut passus est Christus pro nobis, ita incubuit pro nobis operibus bonis, & sicut eius satisfactio nobis creditur esse necessaria, virtutisq; infinitæ, ita & opera bona. Sicut ergo non indè colligere licet exemptos nos esse ab obligatione bonorũ operum, cum scriptura protestetur palàm, adultum nullum saluandum, qui eis caruerit, verbi gratia, qui opera misericordiæ non exercuerit Matthæi vigesimo quinto, qui odium non remiserit Matthæi sexto, qui alienum non restituerit Matthæi vigesimo secundo, ad Romanos decimo tertio, qui non se humiliauerit Matthæi decimo octauo, ita nec consequens est, vt à satisfactionis lege liberos nos esse credere debeamus.

Quintò, quia ipsi Sectarum conditores huius satisfactionis hostes capitales interdum illam admittunt propria victi conscientia, vt Caluinus. Nam cum libro quarto Inst. capite decimo tertio, §. quarto dixisset: *Sunt autem quantum possum iudicare quatuor fines, ad quos vota nostra rectè dirigentur, quorum duos docẽdi gratia ad præteritum tempus refero, duos reliquos ad futurum.* Subiicit: *Ad præteritum tempus pertinent vota, quibus vel nostram erga Deum gratitudinem pro acceptis beneficiis testamur, vel ad iram eius deprecandam ipsi à nobis pœnam ob admissa delicta exigimus.*

Sextò, quia multipliciter decuit, vt aliquarum talium pœnarum obligatio nos maneret post peccatum, verbi gratia, vt sic in posterum saperemus, *vexatio enim*, ait scriptura, *dat intellectum*, vt homo ad salutem suam cooperaretur, quod aliàs docuimus esse honorificum, & suo tempore iucundissimum. Vt non solum di- Isa. 28.

uinæ

uinæ misericordiæ, sed etiam iustitiæ habeatur ratio, quæ autem haberetur, si qui peccauit, nullas pœnas daret? Præclarè in hanc sentent. Concil. Trident. sess. 14. cap. 8. *Sanè diuinæ iustitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui antè Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter verò qui semel à peccati & Dæmonis seruitute liberati, & accepto Spiritus sancti dono, scientes templum Dei violare, & Spiritum sanctum contristare non formidauerint.* Et: *Diuinam clementiam decet, ne ita nobis absq; vlla satisfactione peccata dimittantur, vt occasione accepta peccata leuiora putantes, velut iniuriosi, & contumeliosi Spiritui sancto in grauiora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ.*

Septimò, quia ipsimet Ethnici iustum esse deprehenderunt, vt qui peccauit, non solum pœnas luat, sed à se ipse quoque exigat, sicque præueniat illas, quas merito sibi à Magistratu paratas intelligit. Fecit hoc Popilius, quando ob quosdam Tyberij Gracchi amicos sine iudicij forma condemnatos extorrem se extra Italiam constituit; & Calixenes apud Athenienses, qui sibi vulnera intulit, inquit Pausanias, eo quod similiter sine forma iudicij condemnasset decem duces, qui obtenta contra Lacedemonios victoria militum suorum sepulturam neglexerant. Vnde meritò trepidabat Cicero, cum in oppositam propendens sententiam scribebat: *Atque haud scio, an satis sit eum qui lacessiuerit iniuriæ suæ pœnitere, vt & ipse ne quid tale post hac committat, & cæteri sint ad iniuriam tardiores.* Lib. 1. offic.

Postremò, quia reuera hæc satisfactio nullo modo diuinæ derogat, sicut neque opera nostra bona bonis Christi operibus, nec orationi oratio. Nam sicut opera nostra bona in gratia facta, totam merendi vim quam habent, à diuinis accipiunt, non secus ac ferrum à cohærente sibi magnete trahendi facultatem, sic à satisfactione satisfactio; quo fit vt diuinæ adeò non officiat, vt magis eius virtutem prodat, præsertim cum vt sæpè iam diximus, nō ei accedat vel supperaddatur quasi defectum eius aliquem suppletura, vt malitiosè fingunt, & ad libitum somniant aduersarij, sed quia hæc voluntas Dei fuit, adducta rationibus illis solidis, quas supra retulimus, (præter alias multas quas ignoramus) vt quod Deus cooperatores nos velit esse salutis nostræ. Quæ vna ratio tàm certè est efficax, vt Caluinus sui oblitus ea sæpè vtatur, vt cum ait in refutatione errorum Serueti, imprudentem fuisse

Gama-

Digitized by Google

Gamalielem, quod omnia vni diuino consilio relinquenda censeret, cooperatione ac industria nulla humana requisita. Cur non pari iure adieceris ô Caluine, quod tametsi solus ipse sit qui propriè, efficaciter, & cumulatè pro nobis satisfacit, cooperationem nihilominus nostram suæ velit accedere? Nam sicut in illis aliis à te commemoratis humana non eget opera, non tamen sequitur, quin eam à nobis exigat, ita nec vim habet talis illatio, cum de satisfactione agitur.

Quod ad superbiam cuius nos accusant iidem aduersarij, dum satisfacere Deo nitimur, esset sanè non aliqua solum, sed etiam ingens, si nos consideremus viribus solis ac propriis posse Deo læso satisfacere præsertim ad æqualitatem. Atqui hoc conantes Dei gratiam supponimus, in quo omnia se posse gloriabatur Apostolus Philipp. 4. Et vt concedamus nos illa adiutos tantæ Maiestati imperfectè duntaxat posse satisfacere, perperàm tamen indè collegeris nullo modo satisfaciendum, nisi etiam conficere iubeat, nec adorari debere Deum, nec ei gratias agi, quia quantum meretur adorationis illum cultu prosequi non possumus, nec referre aut agere graias acceptis beneficiis pares. nisi rursus quia debes proximo tuo centum, & præ inopia soluere non potes nisi quinquaginta, obstrictum te non credas ad soluendum quinquaginta. His addo vel hoc vno conuinci posse, & confundi debere hostes omnes satisfactionis, quod nos omnes Catholicos videant, tanta in eam eiusque assertionem constantia incumbere. Etenim tamne Stoicos ac stupidos nos censent esse, vt non videamus sensibus nostris fore gratius, si vt illi ab omni abstineremus? si corpus ieiunio, cilicio, disciplinis, & aliis id genus afflictionibus non humiliaremus?

Quare ergo non abstinemus? quare sic carnem nostram crucifigimus & maceramus? Haud dubiè valdè manifestum oportet esse in sacris paginis eiusdem satisfactionis præceptum & commendationem, vt tanta Ecclesia tot referta viris doctissimis, tot præstantibus ingeniis nobilis, tot delicatis viris fœminisque ei det operam: Et ita sanè res habet, extat in iis præceptum & commendatio tàm luculenta, vt quia nobis blandiri, & pertinaciter claudere oculos nolumus, tanti luci resistere nequeamus.

 sed

sed experiamur difficile esse contra stimulum calcitrare, & piè conuicti demus manus, atque etiam ingemiscamus, quod opera illa pœnalia non vsurpemus feruentiùs. Age itaque quisquis isto eges aculeo, ne post tot delicta tua refugias aliquid pati, sed magis conquire satisfaciendi occasiones, & oblatas sponte amplectere. Præstat mihi crede in hac vita supremo Iudici debita soluere, quàm expectare alteram, in qua & iudicium exercetur, & pœna exigitur sine misericordia. Si Iob Prophetæ & innocentibus aliis aliquid est perferendum, ne sine lucta prouehantur ad regnum, & sine tentatione ac certamine admittantur ad palmam, quanto credibilius est Deum ab iis pœnas exigere, qui in illarum reatum peccando incurrunt? Et si pro culpis omnibus alacriter est satisfaciendum, quanto magis pro maximis? quæ autem schismate & hæresi grauiores? *Quod maius potest esse delictum*, ait
Lib. 2. ep. 11. S. Cyprianus, *aut quæ macula deformior, quam aduersus Christum stetisse, quàm Ecclesiam eius (quam sanguine suo parauit & condidit) dissipasse? quàm Euangelicæ pacis & dilectionis oblitum, contra vnanimem & concordem Dei populum hostilis discordiæ furore pugnasse? Qui etsi ipsi postmodum ad Ecclesiam redeant, restituere tamen eos, & secum reuocare non possunt, qui ab iis seducti perierunt.* Cæterum duo sunt præcipui satisfaciendi modi. Vnus idemque peregregius, si multos facias conuersionis tuæ participes, elaborans pro tua virili, vt similiter ingrediantur veritatis viam. Sanauit Telephi hasta vulnus quod inflixerat, ita tu reuocare stude ab errore, quos in errorem induxisti. Vrget hunc modum Ecclesiasticus capite vigesimo nono, dum ait, *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi ne incidas.* Vsus est eodem Propheta idemq; Rex Psalmo quinquagesimo dicens: *Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*

Hac conditione absolutus est ab hæresi Marcion, si quos perdidisset Ecclesiæ restituisset, vt scribit Tertullianus in libro de præscript. & Ericus Suediæ Rex ad fidem perductus ope Ansgarij Hampurgensis Episcopi, Christianæ religionis fines latissimè propagauit, vt sic expiaret damnum, quod eidem prius attulerat. Vide Crant. libro primo Metrop. capite quadragesimo primo. Alius modus ex se efficacior est, hanc vel alias satisfactiones in pœnitentiæ sacramento à sacerdote impositas fideliter implere

&

Digitized by Google

& exequi. Quia enim non ab obedientia solùm pendent, quæ virtus est nobilissima, sed immediatè quoque à Christi passione in sacramentis applicari solita valorem suum accipiunt, vt docet sanctus Thomas singularem vim nanciscuntur, vt de eo qui illis vacat, intelligi merito possit quod scriptum est, *est qui multa redimat modico pretio.* 3.p.q.62. a.3. Eccles.20.

Documentum 13.

Vt amplexatam fidem religionemq; Catholicam exterius verbis factisq; cum opus fuerit profiteatur.

DOcumentum hoc inserere necesse fuit propter nonnullos, qui ad conuersionem sufficere rati, si fidem religionemque Catholicam in recessu cordis retineant ac foueant, eo quòd Deus intuetur cor, vel exteriùs se sectis accommodant, ita vt cum inter sectarios versantur, neque verbo neque facto Catholicos se esse probent, sed magis Pseudoeuangelicos, vel si Catholicos, vltrà non progrediuntur, disciplinæ se Catholicæ non accommodant, mores negligunt titulo & professioni suæ conuenientes. Et sanè in vtrisque reprehensionis plurimum. Nam quod ad priores attinet, peccant directè contra externam confessionem fidei, quam in præcepto esse docuimus libro secundo, capite primo, paragrapho secundo & quinto, nec illos protegit puerilis illa excusatio Deus intuetur cor, vnde enim habent, idcircò non ab illo diligenter attendi quod fit exterius? aut nolle ipsum vt internæ professioni externa respondeat? vult certè, aliàs simulationem approbaret, fraudem, hypocrisim, mendacium, & ignauiam, nam quisquis aliud indicat exteriùs verbo factoue, quàm quod in mente gerit, simulat exterius quod non est interius, dissimulat interius quod esse videtur exterius, admittit fraudem, imponit hominibus, & externa mentitur specie, nec alia de causa fit ita sibi turpiter dissimi-

lis, quàm quia vecors, ignauus, & sine zelo est, testimonium apertum præbere non audens veritati. Equidem ex parte Dei, quia substantia est spiritalis nullum requiritur externum signum internæ professionis; requiritur tamen ex parte nostra & proximorum. AEquum est vt cum Propheta Psalmo centesimo secundo, afferamus Domino gloriam & honorem secundum omnia quæ in nobis sunt. cum ergo non sola constemus anima, sed etiam corpore, fit vt vera fides atque religio, & conseruanda sit in recessu mentis, & externo ipso opere insinuanda, sicut eandem ob causam vult Deus, vt illum externa quoque voce laudemus, externo ritu adoremus, & ad iustificandas animas nostras ad externa sacramentorum signa recurramus, de quibus sanctus Augustinus in quæstionibus veteris testamenti, quæstione tertia: *Quamuis Deus absque signo visibili quos vult sanctificet, quisquis tamen signum contemnit, inuisibili sanctificatione meritò priuatur.* Rata stant verba Saluatoris, nec solui possunt Matthæi decimo: *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Verba item Apostoli ad Romanos decimo: *Ore confessio fit ad salutem.* Prior locus ostendit nullo modo negandam esse fidem veram, cum id fieri non posit, nisi Christus eius auctor implicite negetur, sicut nec repudiari potest philosophia Aristotelis, quin ipsemet repudietur & contemnatur, quasi indignus cui credas, aut quî vera scripsisse videatur; posterior esse quoque confitendam positis debitis circustantiis.

Immò tàm negantes, quàm non confitentes punit interdum in hac ipsa vita grauissimè, vt testatur his verbis sanctus Cyprianus: *Vnus ex iis qui sponte Capitolium negaturus ascendit, postquam Christum negauit obmutuit.* Et infrà: *Alia in balneis constituta (hoc enim crimini eius & malis deerat, vt ad balneas statim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiam perdidisset) illic ab immundo spiritu immunda correpta cecidit, laniauit dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impiè vel locuta. Ipsa sui carnifex extitit, nec diu superesse postmodum potuit, doloribus ventris & viscerum cruciata defecit.* Serm. 5. de lapsis.

Vide ergo quisquis Ecclesiæ te Christi reddere cogitas, vt sancti huius instituti specimen edas manifestum. Non abscondas sapien-

Digitized by Google

ſapientiam tuam in decore ſuo, Eccleſ.4. Luceat lux tua coram hominibus, vt videant præclarum facinus tuum, & glorificent patrem tuum qui in cœlis eſt, ac ſi eiuſdem ſint propoſiti, ſed meticuloſi, tuo animentur exemplo. Vide quàm turpe ſit apud ipſos homines & inuidioſum, reſpectu aliquo prohiberi quempiam, quominus demonſtret exteriùs illius amicum ſe eſſe aut filium, cuius reuera eſt. Victorinum imitare, qui vt eſt apud ſanctum Auguſtinum cum reſpectu territus amicorum, manifeſtare vereretur, ſe amplius non eſſe Paganum, ob idque abſtineret à templo Chriſtianorum, & ad aurem dicens Simpliciano ſibi amiciſsimo, *noueris me iam eſſe Chriſtianum*, reſponſum accepiſſet, *non credam, nec deputabo te inter Chriſtianos, niſi in Eccleſia Chriſti te videro*, indeque intellexiſſet externæ de qua loquimur, profeſsionis neceſsitatem, humano omni calcato metu, ſubito ait eidem *eamus in Eccleſiam, Chriſtianus volo fieri*, cumque ventum eſſet ad horam profitendæ fidei, quæ verbis certis conceptis, retentiſque memoriter, de loco eminentiori in conſpectu populi Romæ reddi ſolebat à conuerſis, voluit palàm & in conſpectu totius cœtus ſalutem ſuam profiteri. Itaque vbi aſcendit vt redderet, pronuntiauit fidem veracem præclara fiducia. Noli poſtremo aſsimilari ſpongiis, quibus adeò tenues ſunt ſenſuum notæ, vt multi dubitent animalia ſint nec ne. Ita quorundam is cultus eſt, is ſermo ea vita, vt meritò dubitare liceat, ſitne Catholici an Pſeudoeuangelici, Chriſtiani an Athei. Talibus dicitur Apocal. 3. *Vtinam calidus eſſes, aut frigidus, ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Venio ad illos qui poſterioris ſunt generis, nempè qui cum ſint & videri velint Catholici, mores tamen, deuotiones, & opera negligunt Catholicorum. Ad eos qui poſt conuerſionem ſic afficiuntur, omnino pertinet quod ſcriptum eſt Oſee 7. *Reuerſi ſunt vt eſſent abſque iugo, facti ſunt quaſi arcus doloſus.* Quemadmodum enim carioſus arcus cum eo vti vult ſagittarius inuenitur inutilis, proindeque ab illo irato ſtatim abiicitur & frangitur; ſic iſti externa contenti ſpecie reſipiſcentiæ, nullum valent vel volunt virtutis ſignum oſtendere. Difficile eſt vt diu tales perſeuerent, quia vna ex parte refugientes admouere manum moribus Catholicis, & ſtiuæ bonorum operum, ex altera videntes ſe reprehendi

Lib.8 Confeſſ.c.2.

prehendi à Pastoribus zelo præditis, & odio esse omnibus propter scandalum, citò de relapsu cogitare incipiunt. *Remanere in Ecclesia Dei non possunt*, inquit Cyprianus, *qui Deificam & Ecclesiasticam disciplinam, nec actus sui conuersatione, nec pace tenuerint*. Et vt perseuerent, salutem tamen suam non operantur, sed damnationem maledictioni obnoxij, non secus ac ficus non habens fructum, partemque cum hypocritis habituri. Conuersione & pœnitentia delectatur Dominus sed seria, quæ relinquat post se fructum bonum, & hominem conformet moribus Christi & Christianorum, vnde ait, Deuter. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum inuenies eum, si tamen in toto corde tuo quæsieris eum*. Et 1. Ioan. 2. *Qui dicit se in illo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*. Nulli torpescendum est sectando iustitiam, sed tibi minimè omnium, qui hactenus & multis te malis implicuisti, & pauca aut nulla opera bona fecisti, quorum etiam nomen tibi graue semper fuit, ob id necessarius tibi est feruor quidam specialis, vt præ cæteris qui vixerunt semper Catholici, disciplinam colas Ecclesiasticam, consummatus in breui expleas tempora multa, exultes velut gigas ad currendam viam, quæ longa tibi superest. Si secta illa meretricia quæ te hactenus inescauit, nullo iure suo non exegit solum, sed etiam impetrauit, vt illius mores & conuersationem sequerere, vt satis insinuat forma illa professionis Geneuensis, *Profiteor me amplecti velle, & sequi doctrinam prout iacet in Catechismo Ecclesiæ huius, & subiicio me disciplinæ Ecclesiasticæ in eadem Ecclesia receptæ & approbatæ*, quanto æquius est, illis vt te accommodes, quos tibi præscribet matrona illa grauis ac venerabilis, quæ *os suum aperuit sapientiæ, & manum suam misit ad fortia*? Absurdum est apud homines si qui artem aliquam profiteantur, & inde agnominentur, nec tamen in ea se exerceant, si auriga nunquam aurigetur, si nauta non nauiget, si agricola non terram colat, si miles nec dimicet aliquando nec excubias agat, nec pericula vlla adeat. Et quia absurdum est, & ignominiosum; facere solent impigrè quod profitentur. Nonne aduersum te consurgent isti omnes in iudicio, & vecordiam tuam condemnabunt, si tibi sufficat inter Catholicos habitare, & præclaro isto titulo gloriari? Quid? parebunt Secta-

Prou. 31.

rum,

rum legibus Sectarij, & Dæmonis qui ei seruiunt, & ij mundi quos sibi est auctionatus; quas autem Christus interposita sanciuit Ecclesia, tu ramus vtrique nuper insertus innoxiè contemni posse iudicabis? Crede mihi sicut nec barba Philosophum, nec habitus Monachum, ita nec titulus facit Catholicum, sed præteritorum mutatio morum, & talis conuersatio quæ diuinis in primis edictis, tum etiam Ecclesiasticis (quæ etiam eatenus à Deo sunt quatenus audiri, & sperni se censet, cum auditur vel spernitur Ecclesia, Luc. 10. & sanciendi leges potestatem dedit Ecclesiæ) apprimè consentiat. Quæ cum ita sint, spartam quam nactus es exorna. Vt nihil à te exigitur, quod non à cæteris, ita etiam vt cæterorum, sic tuum est diligenter adimplere omnia, boniqúe consulere, ex quibus si aliquid sit, cuius rationem non satis intelligis, non idcircò id nulla subnixum, aut Deo ingratum puta, sed acquiesce parenti optimæ dicenti, *In me sit ista maledictio fili mi, tantum audi vocem meam.* Gen. 27.

Documentum 14.

Vt fugiat quoad poterit Hæreticorum omnium consortia, & maximè periculosiorum.

CVm virtus nihilo minor sit parta tueri quàm quærere, attendere sibi debet qui resipiscit à lupis rapacibus, hoc est ab hæreticis, ne illectus blandiloquiis denuoque illorum laqueo captus & irretitus sanctam perdat libertatem in quam magno se labore asseruit, & fiant nouissima hominis illius peiora prioribus. Aduigilabunt in primis Prædicantes à quibus recesseris, vt quē retinere nequiuerint causæ bonitate, conuictu saltem atq; colloquio lenocinante ad se retrahant. Vide itaque vt te illorum consuetudini subtrahas, quoad fieri poterit. Perniciosi enim Coricæi sunt, & tales à quibus non aliud disces quam cretizare & vulpinari. statim fortè ab iis non peruerteris, fortè ex illorum colloquio solum fumum concipies, sed memor esto flammam fumo esse proximam,

mam, & casui arborem quæ nutat vel quatitur, & qui hostium naues spectandi tantum gratia curiosè ingreditur, facilè nihilominus ab illis procul à patrio littore abducitur, cui postea nequaquam potest miser tam citò ac vellet se restituere. Austrum refugis quia infestat flatu suo humana corpora morbis quamplurimis, & dum spirat pubentes moriuntur rosæ, vt loquitur Papinius lib. 3. Sylu. est cur multo magis infectores istos animorum procul vitandos arbitrere. Si columba es Christi, quid tibi cum miluis & accipitribus? Si ouis quid cum lupis? Si me audis, recede ab illorum quolibet, & Horatianum illud conquerenti occine.

Lupis & agnis quanta sortito obtigit
Tecum mihi discordia est.

Neminem vnquam ab iis reducem vidi factum seipso meliorem, multos contra ac ferè omnes & deteriores & procaciores. Nimirum quid aliud sibi polliceri poterant ex illorum consortio, quàm fœdum ex contactu picis inquinamentum? Transfert res quæuis facile in vicinas vitium suum.

Dum spectant lippos oculi læduntur & ipsi
Multaq; corporibus transitione nocent.

Quod quidem tunc in primis & maximè locum habet, quãdo res sana quæ vitiosæ adhæret, ad vitium concipiendum est disposita. Nemo magis dispositus quàm tu, cui multum adhuc adhæret antiquæ rubiginis, & desunt argumenta quibus tua defendas expugnes aliena. Si veteranis ipsis exitiale quandoque fuisse ostendero illorum colloquium ac contubernium, quid inde tibi aliud imminere potest quàm periculum? Veterani erant Belgæ, Anno M. D. LXVI. nec vicinos Caluinistas in auxilium aduocarunt religionis causa, quæ illis alia non erat quàm Catholica, sed vt Hispanicæ inquisitionis onus suo iudicio intolerabile auerterent, quod rebantur impositum iri à Philippo II. prætextu editi recipiendi Tridentini Concilij; & tamen magna ex parte cito corrupit eos lues illa Nouantium, vbi primum se illis commiscuit. Et tu inter eos à quibus vix discrepare cœpisti, securum te existimabis, & tanquam Psyllum minimè lædi posse à ser-

à ſerpentibus? memento veteris Prouerbij; *Inter ſymbola facilis eſt tranſitus.* Illata cultro vulnera, & nupertimè obducta vix eius tangunt aciem, cum ſtatim recrudeſcunt. qui legit intelligat. Negare ſaltem non poteris fore, vt ſic exponaris ſubuerſionis periculo, ſcriptum eſt autem, *qui amat periculum, peribit in illo.* Obtundetur ad minus tui feruor propoſiti, non ſecus ac magnes alliis oblitus magnetis quidem naturam non exuit, ſic tamen inunctus priſtina attrahendi virtute deſtituitur, & ruta quam tetigerit mulier cui menſtrua fluunt (talis ſpiritualiter eſt prædicans quilibet) ſenſim languet ac emoritur. Ergo omnium fuge conſortium, non ſecus ac caſtus ſalacium ſolet, & ſanus peſtilentium. Dicito cum Propheta, *Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* *Eccleſ. 3.* *Pſal. 26.*

At delectat me inquies illorum ſuauiloquium, delectat conari eos ad ſalutis viam traducere, vt ſibi conſulere incipiant, & aliis nocere deſinant. Si iter agens diuertam ad hoſpitium & in aliquos ibi caſu incidam, incumbet mihi neceſsitas agendi cum illis. Si mercaturam exerceam, vix mihi carere licebit conſuetudine Inſtitorum Euangelicorum, ſi morbo proſtratus cum morte dimicem, ſæpe mihi vtendum erit huius farinæ Medicis, ſi cœlebs coniugium ambiam, cogent me multa enutritam in ſectis vxorem quærere. Non eſt ergo cur mihi tam ſeuerè Nouatorum interdicas conſortio. Quid obiectes audio, ſed quid reſpondeam, accipe.

Delectat te illorum ſuauiloquium, id ne ſecundò dixeris, ne te dicamus puerum, fluat ex illorum ore melle dulcior oratio, quid tibi cum aureo poculo, in quo mors latet, ſicut in olla illa in Galgalis? Si per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt cor tuum? quàm fœcundum ſermone & accentu credis fuiſſe ſerpentem illum, qui cum primis parentibus colloquia in paradiſo miſcuit? & tamen non te fugit, in quantas calamitates ſe ac poſteros propter datas ei aures coniecerint, quamque eos reliquo toto tempore leuitatis huius factique pœnituerit. voluiſſent fuiſſe muti, & ſurdi & capti oculis. Cautum te faciant illorum pericula, & quemadmodum Regulum, aſpi- *4. Reg. 4.*

Digitized by Google

dem, aliaque lethalia exhorres animalia, quia virus secum circumferunt, sic ab omni hæretica elocutione caue tibi, præcide damnosam alienæ huius facundiæ curiositatem, cui mox succedit dubitatio, & dubitationi temeritas, & temeritati pertinacia. Delectat aucupis fistula dulcis auem quam irretire nititur, sed cum quanto miseræ auis detrimento? quid magis optaret postquam in retia incidit, quam obsurduisse ad insidiantis vocem? & illa quidem infortunium suum sentit vbi aduenerit, vnde euadendi occasiones & rimas omnes quærere non desistit; vbi autem pedem tuum comprehenderit laqueus venantium, implebitur in te quod scriptum est, Osee 7. *Comederunt alieni robur eius, & ipse nescivit*, tantoque tardius ad remedium confugies, quanto minus te ægrotare senties, aut captiuum detineri. Imbibet imperceptibiliter cum dulciloquio doctrinam pestiferam, & verè dicere videbitur qui delectabiliter. Scorpius venenum in cauda gerit, & oblique ferit. Esto qui Symphoniam audiuerunt, ferant secum in auribus modulationem illam, eaque ad tempus cogitationes impediat, nec ad seria sinat intendi, vt notat Seneca: tamen non ita multo post eius memoriam sensumque deponunt: Hæreticorum verò sonus tenacissimus est, nec facilè excutitur. Sermo eorum inquit Apostolus vt cancer serpit, ac si diceret, quiescere non solet, quousque ad partes ipsas vitales sensim proserpens mortem attulerit.

Epist. 124.

Tenet te desiderium eruendi à periculo per amicas collocutiones, quos in fluctibus reliquisti. Benè est si nullum tibi ab iis immineat subuersionis periculum, sed contra spes affulgeat fore vt ipsi resipiscant (vt fit quando idiotæ sunt & simplices, aut sinceri ac iudiciosi, aut doceri à te cupiunt, & te illorum respectu satis instructum arbitraris) nam & pius AEneas Anchisem suum ab incendio eripuit. At substante illo periculo, nego tibi vltrà cum Nouantibus illis etiam affinibus tuis commorandum, sed cum Abraham egrediendum de cognatione tua, de Vr Chaldæorum, & cum Loth de Sodomis, ac dictum illud Christi fideli memoriæ committendum, *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proiice abs te, expedit enim tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus mittatur in gehennam*. Et rursus: *Qui fecerit voluntatem patris mei, hic*

Matth. 5.
Marc. 3.

Digitized by Google

Hic meus pater & mater est, ac si dicat qui non fecerit immò resistet facienti non est habendus patris loco. Porrò vix vnquam abest periculum, quandò cum Prædicantibus ipsis agitur. Est præterea inutilis vulgò omnis quæ cum illis suscipitur disputatio, ab his minus consensum in manifestam veritatem, quàm ab incude oleum, vel à meretrice pudorem impetraueris. Iactant quidem & promittunt fore vt acquiescāt, si quis melius aliquid eos docuerit, vel si contra se sententiam ferant ij, quos in Iudices elegerunt, sed vbi docentur & condemnantur nihil minus quàm promissis suis satisfaciunt. Accipiamus exemplum à VVittenbergensibus. Hi Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum, his verbis obnixè rogarunt, vt de ipsorum doctrina ferret iudicium, quasi eius se definitioni accommodaturi, *Expectamus à sanctitate tua sapiens, & pium maximè de confessione à nobis missa iudicium & responsum.* Quid accidit? responsum ab eo mortis & condemnationis acceperunt, cui cum meras ineptias opposuissent, ad eumq; misissent, condemnauit illos iterum Patriarcha, cumq; tertiò replicassent, tertiò contra eos velut impios & hæreticos sententiam tulit, illorumq; argumentis nihil inesse roboris demonstrauit; an idcircò resipuerunt? nequaquam, sed pergunt miseri etiam hodie vt iumenta putrescere in stercore suo. Aut si aliquando disputatione conuicti dant manus, citò post, assensum reuocant, adeoq; vario ac versipelli animo sunt, vt Chamæleonti in mutandis coloribus simillimi appareant, vt refigant statim quod paulò antè fixerant, atque vt Athanasij verbis vtar, *Mox resumpta audacia ad cauſificationes fingendas recurrunt; quos si denuò conuincas, fatiscunt illi quidem, sed non diutius quàm vt denuò ea, quæ nusquam sunt fingant, & vt in Psalmis est inania cogitent; non alia de causa quàm vt in sua hæresi perdurent.* Sed hoc posterius rarius, prius illud quasi solenne nunquam se victos fateri, sed onagros agere, quos nemo docuerit sub fræno currere, & quorum caput nitro lauare, abuti est re optima. *In decret. cont. Arian hæresi*

Eleganter proinde Tertullianus in lib. de præscript. eum alloquens qui cum talibus nititur disputando congredi. *Quid promouebis experientissime scripturarum, cum si quid defenderis negetur, è diuerso si quid negaueris defendatur? Et tu quidem nihil perdes nisi vocem in contentione, nihil consequeris nisi vilem de blasphematione laudem.* Aut

ergo hac disputatione omnino supersedendum, aut veterano relinquenda pugili, qui vt Entellus alter arrogantem possit Daretem conterere, & iure suo profiteatur nostra potius defendere, quod quidem facilius & tutius est, quàm aliena impugnare. Nos enim in possessione sumus, à qua cum deiicere nos conentur aduersarij, sufficit nobis quæ obiiciuntur refutare: illorum vero est errorum nos coarguere, & malâ possessionis nostræ fidem euincere ac probare, quod nisi fecerint, absoluemur eo ipso. Qui prætereà norit eundem aduersarium intra propositæ quæstionis fines continere, & vrgere ad insistendum iis, quæ semel concesserit. Solet quippe illud hominum genus sciurorum & locustarum more ab arbore transilire ad arborem, à loco ad locum, & tanquam vulpes aut melótes plura sibi coacervare foramina, quorum obstructo vno proripere se posśint per aliud. De alliis loqui incipiunt, mox nisi caueas sermonem instituent de cæpis & cucurbitis (improbauit hoc quidem Caluinus, sic scribens; *Certè in omni disputatione probis, & ingenuis hominibus nihil magis optabile est, quàm vt intra certos fines manere, & remotis ambagibus caput vnum tenere, & in re vna tractanda quasi fixo gradu consistere liceat*, sed neque seruauit ipse decretum suum, neque eius emissarij seruare consueuerunt) vel quod concesserint inficiabuntur, hac ratione daturi tibi dicendi occasionem cum Comico, *Quid vos me sic ludificamini inepta vestra puerili sententia, nolo volo, volo nolo, rursum cedo, cape, quod dictum indictum est, quod modo erat ratum irritum est?* Ne tibi si humilis sis, tantum tribue, vt ista omnia præstare, & versipelles homines frænare te posse facilè iudices. Nouus Arpinas es, noli altum sapere sed time. Disputabat fateor statim post resipiscentiam suam Apostolus, & vehementer reuincebat Iudæos, sed Dominum in via viderat, & in hunc finem singularem ab illo gratiam acceperat, quam tibi puto non arrogabis.

In Admon. Vlt. ad VVestph.

In Phorm.

Quod ad diuersoria, si ibi Sectariis aliquibus casu occurreris, & vel loci consuetudo, vel necesśitas, vel vrbanitas non sinat vt seorsum ab illis comedas aut dormias, cum iis versari licebit, præsertim si quæ religionis sunt, non inducant in colloquium. Si inducant, modestè illos admone, de aliis vt loqui velint. id si face-

Digitized by Google

ſi facere nolint. nihil eis reſpondeas, ſed dum verbis garrient, tu propoſitis cibis depelle famem,& omni cuſtodia ſerua cor tuum, ne mendaciis & nugamentis quæ blaterabunt conſentiat,& quẽadmodum Vliſſes auribus cera obſeratis Sirenum periculum præter nauiga. Proderit illis ſilentium hoc tuum vt confundantur,atque à te diſcant,eſcis ora implere ſua non verbis inanibus.

Tibi quoque cum iis negotiari licebit, quando commodè non occurrent Catholici, quibuſcum genus hoc mercaturæ exerceas, ſed tunc per literas potius & proxenetas, quàm per teipſum cum iis agere conueniet. Plena ſiquidem diſcriminis eſt cum hæreticis mercatoribus conuerſatio, in conuiuiis maximè, vbi inter pocula euomunt impia plurima, & infirmis facilè perſuadent,fas eſſe indiſcriminatim veſci carnibus. Ea propter ægrè & cautè coutendum tibi erit his Samaritanis. Idem proportione eſt de teipſo ægrotante iudicium. Quomodo ſecurus eſſe poſsit qui ab hoſte curatur,viderit qui perſpicacior eſt, ego non video. Mirum autem ſi hoſtes ſibi mutuò non ſint iique grauiſsimi, qui fide & religione, id eſt, re omnium grauiſsima diſsident, ſi amicum tibi credis illum, qui cum ſociis ſuis Eccleſiæ matri tuæ molitur exitium. *Nunquid reſina non eſt in Galaad?* ait Dominus, quid *Hier.8.*
ergo alios acceſſis? tàm tenax es rerum tuarum homo fortè diues & opulentus, vt quo ſumptibus parcas paulo maioribus Catholicum ad te vocare prætermittas? Memento verborum illorum Heliæ ad Ocoziam: *Quia miſiſti nũtios ad conſulendum Beelzebuth* *4.Reg.1.*
Deum Accaron, quaſi non eſſet Deus in Iſraël, à quo poſſes interrogare ſermonem, ideò de lectulo ſuper quem aſcendiſti non deſcendes, ſed morte morieris. Deo ſiquidem vero & Deo falſo, hæreticus & Catholicus Medici proportione reſpondent.

Cum morbo deſtitui cœpiſſet Valentis Imperat. filius decumbens grauiſsimè, ingredientibus ad ipſum S. Baſilio & Catholicis aliis, poſtea ſuperinductis hæreticis in priſtinam relapſus infirmitatem, & quidem in dies ingraueſcentem, citò ex hac vita diſceſsit.

Sed quanto magis putare debes interdictum tibi cum hæretica matrimonium? valebit illud quidem (ſi aliunde non reſultet impedimentum dirimens) vt definitur in c. *decreuit*, de Hæret. in 6.& docet S.Thom.4.ſent.d.30.q.1.a.1. verum graui te ſcelere obſtrin-

Digitized by Google

ſtringes propter inobedientiam, & quia graue adibis ſubuerſio-
3. Reg. 11. nis periculum, ad quod deuitandum ait Dominus: *Non ingredie-mini ad illas, neq; de illis ingredientur ad veſtras, certiſſimè enim auertent cor-*
2. Cor. 6. *da veſtra, vt ſequamini Deos earum.* Et Apoſtolus: *Nolite iugum ducere cum infidelibus,* nimirum, *quæ pars fidelis cum infideli? quæ participatio lu-cis cum tenebris? quæ conuentio Chriſti cum Belial?* Pares cum paribus fa-cilè congregantur. Quàm citò Eua primum parentem in inobe-dientiam, & alienigenæ Salomonem alioqui ſapientiſsimum præcipitarunt in cultum falſorum Deorum? Sed neque tantus es, vt Catholicam vxorem tibi parem non poſsis inuenire. Satis occurret quærenti bona fide ſi non in vicinia, remotiore ſaltem in loco, vndè illam petere non eſt quod te pigere debeat. hoc e-
Prou. 31. nim fecit Abraham Geneſ. 25. & ſcriptum eſt, *Mulierem fortem quis inueniet? procul & de vltimis finibus pretium eius.* Nulla eſt hæretica quã-tumuis opulenta, quæ tibi magis impar non ſit, quàm Catholica quantumuis humili nata loco & rerum indiga. Animus ſiqui-dem corpore potior eſt, atqui cum hac communia tibi ſunt, quæ animum ipſum, cum illa verò ea dũtaxat, quæ in hac vita vtcum-que beatum efficiunt; Iſta ornata incedit præclaris animi doti-bus fide, religione, caſtitate, modeſtia, illa non aliis quàm corpo-ris. Iſta membrum eſt Chriſti illa diaboli, iſta inſtructa ingenio Catholico tibi facilè ſuberit ac morem geret, nec ſibi licere arbi-trabitur thorum violare coniugalem, illa iuxta genium hæreti-cum tumens ſuperbia, peruicax, curioſa, vaga ſexcentas tibi mo-leſtias pariet, & imbuta dogmate illo, quod cõtinere ſe nequeat, occultas quoque adulterandi occaſiones citò arripiet. Horreres tandem ſponſam tibi aſſumere, quam peſte, ſanie, aut ſtercore in-fectam ac reſperſam cerneres, vel energumenam; at nulla peſtis, nulla ſanies, ſtercus nullum hæreſi magis abominandum, à quo quiſquis corripi-tur, ex conſequenti ab immun-do ſpiritu poſsi-detur.

Docu-

Documentum 14.

Vt hæreticæ prauitatis libros, ſi qui ſibi reſtant flammis expiet, atque ab eiuſmodi omnium lectione deinceps caueat.

QVoniam qui conuertuntur, non ſolum aliquos habere ac retinere ſolent ſuperioris perfidiæ libros, ſed eos etiam & alios qui à Prædicantibus in lucem edũtur, peruoluere, blandientes ſibi partim de veteri licentia, qua impunè terebant eos manibus, partim de præſenti animi virtute & conſtantia, quæ ſi efficere potuit, vt perrumperentur vincula quæ in illorum doctrina continentur, multo magis obſtitura videtur, ne idem animus iis rurſum capiatur. Tales hoc loco admonendos cenſui, vt ab hac cogitatione quam illuſionem meram interpretor, diligenter ſibi caueant, ac eiuſmodi libros omnes Vulcano tradant. Nam ſi iuxta documentum præcedens expedit, immò neceſſarium eſt, vt quoad fieri poterit ab illorum colloquiis abſtineant, quos delectat adhuc in hæreſeos ſuæ cœno volutari; multo magis ab illorum ſcriptis & lucubrationibus. Non quod neſciam colloquio hæretico ea ex parte plus ineſſe roboris ad ſeducendum, qua magis prodit loquentis affectum, & viuida vocis inflexione velut anima conſtat, & exteriore geſtu quaſi vehiculo in auditorum animos potenter ingreditur, vt notat ſanctus Hieronymus cum ait: *Habet neſcio quid latentis energiæ viua vox, & in aures diſcipuli de auctoris ore transfuſa fortius ſonat.* (*In epiſt. ad Paul.*) Eatenus tamen ſcriptura viciſsim efficacior eſt, quatenus ſelectioribus conſtat, tùm verbis tùm ſententiis, accuratiore item diſpoſitione partium omnium, nitet iucundius, loquitur liberius, hanc itaque tibi cauendam exiſtima. Sed dicis omnia mihi licent, ita quidem loquitur Apoſtolus, verum mox ſubiicit: *Non omnia expediunt.* (*1. Cor. 6. & 10.*) Ex gurgite qui te abſorbuerat vix tandem ad portum enataſti, & tu fœlici illo fretus exitu, ad illum accedes iterum in ſcriptis illis deliteſcentem? Euaſit fera retia, & quaſi denuò capi non poſſet, iterum illis appropinquabit? ſi mihi credit, ſi ſapit

non

Digitized by Google

non faciet. Abactas legimus pellices plurimas, quæ blandiendo fortius quàm prius in gratiam redierunt cum amatoribus ſuis, & tàm fortiter deuinxerunt illos ſibi, vt periculum maius fuerit ne abigerent illos, quàm ne denuò ab illis abigerentur.

Rectè inquies, verum alia ex parte cum in ſcriptis hæreticis multa paſsim vera occurrant, & affatim citetur ſcriptura ſacra, & ex iis diſcere liceat peritè ſaltē ſcribere & loqui, & libros Nouantium euoluere non aueam, vt in illorum eam ſententias, ſed magis vt illas conuellam, quo iure tàm ſeuere iſta mihi lectio interdicitur? cur non licebit iuxta Apoſtolum probare omnia, quod bonum eſt tenere? & cum M. Tullio de ſtercore Ennij gemmas colligere? omnia munda mundis. Vt taceam non videri Sectarios à quibus receſsi, Paganis deteriores, quorum ſcripta non prohibentur Catholicis. Tandem mali conſulimus quod Doctorum noſtrorum libros à gregalibus ſuis legi non ſinunt, cur non illi viciſsim iure contra nos expoſtulent, ſi ſuorum libros inaudiant à te prohiberi? hanc prohibitionem oriri dicunt à cauſæ malæ conſcientia, quod metuamus, ne qui ea legerint poſtmodum inſultent nobis veritate cognita. Conſultum itaque foret lectione illa permiſſa iniquæ huic ſuſpicioni occurrere. Multa hic à te in noxiæ curioſitatis gratiam collecta velut in faſciculum, diſſolui à me debere video, ne quæ ſeparata parum poſſunt, noceant colligata.

Ne dicas multa in illorum ſcriptis vera occurrere, multum ſi aliqua. Noſti enim tu maximè qui ab illis feciſti diuortium, quàm proiecti ſint ad mentiendum. Eſt porrò inepta nimis conſequentia, ex eo quod aliquando verum ſcribant, dignos eſſe quorum legantur libri & approbentur. Ita ſanè collegeris probari poſſe Alcoranum, cui Mahumetus initium fecit adducta propoſitione hac certiſsima, *Deus eſt vnus.* Sed iniquè nimis hoc confeceris. Vna hirundo non facit ver. Bonum eſt ex integra cauſa, malum ex defectu quolibet, ita fit vt tametſi in iis mendacium vnicum veris multis admiſceretur, ſatis hoc ſit vt meritò prohiberi ab Eccleſia videantur. aliàs cur ad campanam, vel amicum fictum reprobandum, non expectamus quouſque in illa foramina multa appareant, & iſte multa proditionis ſigna & exempla nobis reliquerit, ſed vno contenti id facimus? Quid iam dicendum,

dum, ſi facile ſit in eiuſmodi opuſculis vnius loco mendacij plurima quaſi digito oſtendere? ſunt ſanè tam frequentia, vt de eorum quolibet accipi rectè poſsit illud Martialis libro primo, Epigr.16.

Sunt bona, ſunt quædam mediocria, ſunt mala plura
Quæ legis, non aliter hic fit Auite liber.

Quemadmodum ſi ab vſurarij theſauro id totum ſubduxeris, quod nec illius eſt, nec iuſtè partum, ſed rapina, dolo, fraude, & variis circumuentionibus, nihil vel perparum relinquetur, ita ſi ex ſcriptis illis mendacia, impoſturas, calumnias, dicacitates, verborum bombos, & ſcurrilitates abſtuleris, vix aliquid ſupererit verum ac laude dignum, quod proindè ob commixta hæc mala meritò abiici debebit, eſſeque ſuſpectiſsimum. Quis namque eſca veneno vndique cincta libenter tutoque veſcatur? Quid aliud lucri faciunt mendaces iuxta Ariſtotelem, niſi vt iis non credatur etiam vera dicentibus? Veritatem ſuſpicimus & prædicamus, ſed ab iis profectam, quos manifeſta mendacia non conuicerint eſſe malæ fidei, ſicut & munera quæ nobis non ab hoſtibus, ſed ab amicis proueniunt. Cur enim hoſtem eſſe, ſuſpectum faciat munus quod mittitur, & non mendacem eſſe, verum quod enuntiatur? Taceo, quod ſicut vinum optimum ſi in vas ſordidum & impurum infuſum ſit, perdit gratiam, ita neſcio quid dedecoris veritati accedit, cum ab infami profertur ore, vndè peccatori dicit Dominus: *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Et Iſaiam non prius in Prophetam aſſumit, quàm Seraphim vnus calculo quem de altari tulerat, tetigit os eius & dixit: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Eandem ob cauſam laudem admittere noluit de ore dæmoniorum Marci primo, vt nos admoneret veritatem ſimiliter nō requirere ab illius organis quales ſunt hæretici. *Dæmonibus*, inquit Athanaſius, *cum è monumentis vociferabantur ora obturabat, tametſi verum eſſet, quod ab illis diceretur, neque falſi quidquam in his verbis proferrent tu es filius Dei, noluit tamen per os impurum veritatem enuntiari, multò verò minus per illos, ne per hanc occaſionem zizania ſua malæ voluntatis eo tempore ſuperſeminarent, quo homines in ſomnis eſſent.* Herbam horremus quantumuis luxuriantem in qua latet anguis, &

Pſalm 49.
Iſa. 6.
In orat. 1. cont. Arian.

Pppp lapi-

Digitized by Google

lapidem quantumuis politum sub quo dormit scorpius, cur non etiam pauca illa vera quæ ab illis scribuntur, vt integumenta sint falsorum dogmatum, sub quibus veritatem arietent fortius, & irreligiositatis suis ponant fundamenta? Quemadmodum in amicitia nullæ sunt perniciosiores insidiæ, quàm quæ latent in simulatione officij, ita mendacia nulla timenda magis, quàm quæ obteguntur veritatibus. Vt celerius inebriari dicuntur qui dilutum bibunt quàm qui merum: ita citius inficiunt animum quæ boni aliquid admixtum habent, quàm quæ nihil. Nam à meris malis abhorret animus; contra illa blandiuntur quadam virtutis specie.

Troianos Græcorum equus idcircò fefellit, quia formam mentitus est misericordiæ. Ita veritatem ama, vt si quid verum dicant ipsi, non idcircò verum credas nisi aliunde videris confirmatum, sicut & ipsi veritatem non crederent de regressu solis cuius hoc disticho meminit Ouidius:

L.2.Trist.

Si non Europem frater sceleratus amasset
Conuersos solis non legeremus equos.

Si non alius quàm hic Poëta multarum præco fabularum, testimonium ei perhiberet, sed credunt auctoritate permoti scripturæ sacræ.

At resperſi sunt libri illi multis scripturæ huius sacræ sententiis. Falleris si hoc nomine ius aliquod euoluendi eos habere te credis, cum id non obstet quominus sint hæretici, quandoquidem sententiæ illæ non sub germano sensu proferuntur, sed sub peregrino, nec in finem citantur ad quem dictæ sunt, sed in alium longè diuersum. Familiare semper hæreticis fuit isto vti artificio ad decipiendum: *Lege opera Pauli Samosateni,* inquit Augustinus, *Priscilliani, Eunomij, Iouiniani, reliquarumque pestium, nihil vnquam de suo proferunt, quod non scripturæ verbis adumbrare conentur. Cernas infinitam verborum congeriem, propè nullam omitti paginam, quæ non noui & veteris testamenti sententiis fucata & colorata sit.* Sed riserunt illud Orthodoxi, scientes quod iam dicebam non in cortice verborum ac sententiarum, sed in vero sensu consistere Euangelium. Quem autem proferunt tanto esse corruptiorem, quanto magis propria interpretatione fit, discrepatq; à mente Pastorum Ecclesiæ, quorum verba sunt 1. Ioan. 4. *Qui nouit Deum audit nos, qui non est ex Deo*

Lib 83 qq. quæst. 4.

non

Digitized by Google

non audit nos, in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis & ſpiritum erroris. Quid melius carne? ſi tamen à beſtiis fuerit prægustata comedenda nõ eſt, ſed proiicienda canibus, quorſum id lege cautum veteri, niſi vt noueris literas etiam ſacras ab hæreticis obtruſas & elucubratas prorſus abiiciendas? Diuina teſtimonia quæ proferunt, inſignibus partis illius quæ iuſtum gerit bellum, ſimillima ſunt, nam ſimiliter aduerſa pars ſtudioſè mentitur, & vſurpat ſymbola hæc militaria quo certius fallat, & reportet ſi fieri poſsit, tali aſtu victoriam. Suſpectam habeto meretricem habitu etiam amictam matronarum. Talis eſt liber quiuis hæreticus, ſicut & ſimiis perſimilis, quarum pulcherrima deformis, & lenonibus quorum integerrimus eſt periurus, & hiſtrionibus quorum honeſtiſsimus nõ caret infamia, & Mæuij carminibus, ex quibus optimus quiſque nullius erat pretij. Tractantes ſcripturam ſacram Hæretici tyrannum illum Damaſtem imitantur, & aſinum. Quid Damaſtes captiuis ſuis faciebat? equuleo impoſitos truncabat pedibus, ſi non ei conuenirent, ſed longiores eſſent, extendebat contra ſi breuiores. Quid facit aſinus incidens in paleas? inquinat eas verſando ſeſe, gaudet quippè hac volutatione, & omnia confundit ac polluit ſtercore ſuo atque laſciuia. Sic Hæreticus ſententiis ſacris vel detrahit aliquid, ſi opinioni ſuæ non conſentiant, vel addit vt conſentire videantur. Inficit eaſdem falſis ſuis interpretationibus omni ſtercore fœdioribus. *Exod. 22.*

Recreabis ſaltem animum eloquentia qua nitent, & dicacitate qua pollent. Sed enim quis recreationem, *quis ludos appellet ex quibus crimina oriuntur?* quis iucundam actionem dixerit, qua Deus offenditur, Eccleſiæ interdictum violatur, conſcientia lethaliter ſauciatur, & mortiferi erroris aditur periculum? Sit ſycophanta quidam eloquentiſsimus idemque ad mouendum riſum aptiſsimus, ne ſic quidem excuſabitur vel ipſe vel qui ei aures dabit. Ille enim tanto aget ſceleratius, quanto mollius infundet venenum, abutetur in hunc finem re optima; hic verò ſordes pulchrè illitas, in aures ſibi inferri patietur. Quo iſta ſpectent ſatis intelligis. Quærenda tibi ſunt vtilia magis quàm iucunda, aut certè iucunda quæ non ſint ab vtilibus ſeparata. Quid verò vtilitatis in opuſculis illis reperies? quam materiam ſubiectam habent? quid ibi *Iuſtin. in proem. Dig.*

Digitized by Google

sub lepido verborum apparatu lectori propinatur? In primis occurret tibi farrago putidissimorum, & insignium mēdaciorum, vt vidimus libro quarto, capite secundo, §. vltimo. Obuia secundo erunt conuitiorum plaustra integra in Romanos Pontifices Christi Vicarios & beati Petri successores, in Catholicos Principes, in Clerum nostrum vniuersum, in quem quoties multa dixerint, toties sibi videntur aurea protulisse verba, & iuxta Persium cedro digna locuti, vt à floribus marcidis apes abstinent, ita non attingendi libri qui tales hoc est putidas habent sententias.

Incides tertiò in dicteria vix pauciora contra sanctos Patres, quos modo vocari audies superstitiosos modo Theologastros, nunc verbosos, aliàs cæcos & tyrannos, ac nimio zelo abreptos. Aperient se quarto complures in Deum blasphemiæ, in Christum & Sanctos eius, vt te docebunt ea quæ scripsimus libro primo, capite vigesimo, §. vltimo. Deprehendere quintò poteris infinitos scripturæ locos ad falsum à genuino scripturæ sensu detortos, quorum argumētum esse potest ille Matthæi decimo nono, *qui potest capere capiat*, in quo cœlibatus iudicio omnium sanctorum Patrum manifestè commendatur, & tamen Caluinus ex aduerso scribit ibi coniugium consuli & cœlibatui anteponi. Sed neque deesse videbis odiosissimam ingenij proprij iactantiam, & alieni cuiusque despicientiam, habitatores OEtę montis diceres, qui apud se solos solem oriri & sydera arbitrabantur, & Actium poëtam qui cum statura pusillus esset, vt tamen magnus haberetur, ingentem sibi statuam posuit in æde Camœnarum. Exemplum, gloriatur Caluinus in præfat. suæ Instit. omnē qui eam rectè tenuerit facilè intellecturum quo referatur quidquid in scriptura continetur; & Couetus Minister Basiliensis in præfat. lectionum suarum se omnia quæ legit retinere & intelligere. Sed neque in mediis pœnitentiæ argumentis salacia multa aberunt, cum etiam Bezæ commentarij in Psalmum quinquagesimum, qui si quis alius plenus est luctus & gemituum toti sint in describendis impudicis Dauidis & Bersabee amoribus. Denique pro argutis rationibus pascent te ineptissimis. Quid enim argumentatione illa stupidius & insulsius fides iustificat hominem, ergo sola fides iustitiam in homine operatur, Eucharistia est signum corporis Christi, ergo in Eucharistia non est corpus Christi? repudiat Chri-

Digitized by Google

Chriſtus traditiones humanas diuinæ legi contrarias, oportet ergo traditiones planè omnes reiicere. Papiſtæ Sanctorum implorant patrocinium, ergo Sanctos faciunt Deo pares. Sacerdotibus præuentis voto continentiæ illicere dicunt vxores ducere. ergo coniugium reprobant à Chriſto inſtitutum, agnoſcunt in terris viſibile vnum caput Eccleſiæ, ergo Chriſtum Dominum primatu ſuo ſpoliant. Dicunt Eccleſiæ eſſe definire quænam ſint ſcripturæ ſacræ, quæ non ſint, atque ita vnas ab aliis diſcernere, ergo ſcripturis ſacris Eccleſiam præferunt, atque hanc illarum auctorem faciunt; conſulunt vt in Quadrageſima fideles à carnibus abſtineant, ergo carnes bonas ac Dei creaturas eſſe negant,&c, & tamen his collectionibus nihil apud illos eſt vulgatius. Dicam paucis, ac ne me mentiri putes, teſtem in animam meam innoco Deum, nunquam fuiſſe me in Catholica fide confirmatiorem, quàm ex quo legendis eorum libris, poſtquam ita viſum eſt ſuperioribus, incubui. Quod antequam facerem, mirabiles quaſdam argutias, nodos Gordios, & inſuperabilem penè ſapientiam, cui reſiſtere nemo poſſet, expectabam, quali videlicet præditos eſſe decebat nouos Apoſtolos, aureo funiculo de cœlo demiſſos, & Eccleſiæ 10. ſæculorum erroribus infectæ reformatores. Sed nihil vnquam tale à me deprehendi potuit, contraria omnia, ſophiſmata, mendacia, eluſiones argumentorum, corruptelæ ſacrorum Codicum, contumeliæ, impoſturæ, ambitioſiſsima veritatis promiſsio nihil habens in receſſu, dictio procax & garrula, nihil conducens ad ſedendam ſitim ſolidè quærentis eandem veritatem; vt tandem concluſerim illam ab iis diſcere debere, qui ſe hircum mulgere poſſe arbitrabitur.

Rectè inquies, porrò cum Cantharidis huius quæ alioqui lethalis eſt, pedibus & alis Medicorum more vſus ſis ad remedium, cur non etiam mihi vti licebit? quia nondum didiciſti vtendi rationem; nimis autem periculoſa ſunt venena, quæ tractantur ab inexpertis.

Quod legere te velle ſignificas, vt conuincere poſsis errantes, atque in ſemine ſuo ſerpentem elidere, Dei zelus eſt, ſed non ſecundum ſcientiam, vix tuum eſſe poteſt ingens hoc ſaxum mouere. Quis iam ſis & vbi verſere cogita. Infantem te video, quaſi

modo genitum, ad ſpiritualem illam ætatē nondum prouectum, cui docere conuenit, & errores conuellere, à quibus vix pedem reuocaſti. Periculosè meretricem emendare nititur, qui nuperrimè tantum eius abrupit conſuetudinem. Dicebat Abraham de epulonis fratribus, *Habent Moyſem & Prophetas audiant illos.* Et infrà: *Si Moyſem & Prophetas non audiunt, neq; ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent.* Dicamus & nos habent Pſeudoeuangelici verbum Dei ab Eccleſia Catholica enucleatum, habent definitiones Conciliorū generalium, habent decreta ſanctorum Patrum, habent opera Doctorum recentium, habent omnium quæ aſſerimus congruentiam, & rationem manifeſtam, habent praxin Eccleſiæ continuam, habent miracula in quibus fraudem latuiſſe ne per ſomnium quidem poſſunt oſtendere, habent deniq; ad obiecta ſua omnia reſponſiones clariſsimas, quid vltra requirunt?

Luc.16.

Quod afferebatur de probandis omnibus iuxta præſcriptum Apoſtoli, ſoluitur reſponſione quam adducit Tertullianus, ſcriptum id quidem, ſed iis à quibus Chriſtus nondum erat agnitus. Deinde nihil opus eſſe probare ſeu tentare quæ apertè ſunt mala. Tam autem manifeſtum eſt fallere, & falli Pſeudoeuangelicos cum ſuis ſcriptionibus, quàm euincunt & certum faciunt incentiua illa fortiſsima quæ iam iam recenſuimus, doctrinam & religionem noſtram aduerſus quam bella gerunt implacabilia, ab omni eſſe errore alienam.

L. de præſc. c.8.9.10.11.

Ethnicos Auctores euoluere eſto in more habeamus, maximè Platonem (qui teſte Auguſtino multa ſcripſit fidei noſtræ accommoda) & eiuſmodi alios, ex quibus multum vtilitatis ſe accepiſſe, apud Euſeb. fatetur Origenes, cautè tamen id facimus, & iubemur facere. Impudicos & periculoſos prius caſtigamus. Eos tantum in manus ſumimus, qui nec ſuggillāt eandem fidem noſtram nec calumniantur, quiq; erroribus tam notoriis ſcatent, vt iis circumueniri non alij poſsint, quàm qui volunt. At Sectariorum libri mendaciis pleni ſunt & maledicentia, & in criminationibus toti. Aliquid veri commune habent cum Catholicis, vt veritatem vbiq; ſectari videantur. Dei zelum magna oſtentatione prætexunt, inflatis buccis reformationem vrgent, ſcriptura ſe contegunt ne lupi appareant, de eius ſententiis ludunt, quaſi de

L.2. de doct. Chriſt. c.20 Euſeb. l.6. c.13.

Gygis

Digitized by Google

Gygis annulo, quandoquidem ex iis obuersis, conuersis, contortis, quidlibet conficere aggrediuntur, elocutionis escam adiiciunt, tanto periculosiorem, quanto hauritur dulcius.

Sub finem mirari visus es quod eiusmodi librorum lectionem filiis suis interdictam velit Ecclesia Catholica, suos tamen interdici nolit à Prædicantibus, & cum id fit, iniuria se queratur affici. Sed nullus hic est iustæ admirationi locus, nec par vtrobique ratio. Ipsi namque in possessione sumus, de qua nos conantur eiicere, ob idque petitorum & accusatorum partes suscipiunt. Reos porrò constat quandiu nec erroris conuincuntur, nec malæ fidei, nec iniustæ possessionis execrari iure suo scripta contraria, eodemque vrgere & accurare vt sua legantur & valeant.

Quare vt partem hanc ad vmbilicum deducam, hæretica omnia monimenta abiice, & scito quod ista terens.

Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Primæuos illos Christianos imitare, qui quotquot huius generis sibi supererant, igni tradiderunt. Decet illa maximè istud expiationis & exterminij genus, vt fusè probat Alphonsus à Castro, lib. 2. de iust. punit. cap. 15. Nam & Arij libros combustos fuisse in Concil. Nic. testantur Socrates, lib. 1. cap. 9. Sozomen. lib. 1. c. 21. Et cum aliquando in Numæ sepulchro reperti fuissent libri quidam receptæ religioni contrarij, edicto Senatus mandatum legimus Q. Petilio Prætori, vt omnes flammis aboleri satageret. Accessorium naturam sequitur principalis, comburendi autem sunt hæretici ac minimum procul deportandi, cur non etiam libri hæreticorum? *Qui talia scripta habere & legere sustinuerint*, inquit lex, *vltimum supplicium subeant*. Equidem licet nihil aut parum contineant veræ fidei & religionis, possunt quandiu vigent sectæ, esse vsui & retineri ab iis qui Theologiæ periti sunt, & facultatem acceperunt. nam etiã ex asini ossibus fiunt optimæ tibiæ, vt ait AEsopus apud Plutarchum, esto asinus ipse sit ἀμουσότατος, at non idcirco tibi Arpinati nouo, tuiq; similibus. Si piæ ac religiosæ lectionis tenet te desiderium, euolue quæ ad posteros sancti Patres trans-

Act. 19.

Val. Max. lib. 1. c. 1.

C. de sum. Trin. l. 3.

Digitized by Google

transmiserunt. Ibi sese offerent pulcherrima quæq; non quidem omnia in omnibus. Nam & prouinciarum aliæ aliud ferũt. Indus ebur, Chaldæus Amomum. Assyrius gemmas. Ser vellera, Sabæus thura. Athis mel, palmas Phœnix, Lacedæmonius oliuam, arma Chalibs, frumenta Libs, Campanus Iacchum; in omnibus tamen propè omnia. Libare quæ dico incipies, si tibi cõpares vel S. Augustini confessiones, vel S. Hieronymi epistolas, vel Vincentium Lyrinensem, &c. De SS. Patrum scriptis loquentem audi Iustin. in Apolog. *Non sunt eorum doctrinæ & præcepta si sanum accedat iudicium, turpia, sed omni humana sapientia longè superiora. Sotadiis certè quidem & Philenidiis, & Saltatoriis & Epicureis, aliisq; poëticis institutionibus non similia, quarum & qui anteà scripti sunt, & qui nunc eduntur, libellos legere, vobis omnibus permissum est.* Et Clem. Alex. lib. 1. strom. *Mihi ad senectutem reconduntur monimenta virorum beatorum, quiq; reuera erant maximi pretij & æstimationis.* Et infrà de Pantheno loquens. *Sicula reuera apis Prophetici & Apostolici prati flores decerpens sinceram quandam & incorruptam cognitionem ingenerauit eorum qui audierant, animis.*

Documentum 16.

Vt subrepentibus circa fidem religionemq; dubiis iudicium consulat non proprium, sed Ecclesiæ, & eorum qui simul pij sint & eruditi.

TAmetsi sponsę venienti procul & ab extremis finibus, propositum sit per omnia conformare se sponso cui iungitur, & à quo multum moribus dissidet viuendiq; ritu; fit tamen non ita multò pòst nescio quo pacto, vt non satis memor suscepti consilij, incidens in priuatos illius agendi modos, insueta tractans opera, ac cibis vescens insolitis, animus quidem tædium, laborem manus, lingua horrorem, stomachus nauseam patiatur, immò nuptiarum illam quandoq; pœniteat. Quid tunc remedij? admonetur ne terreri velit occurrente difficultate modica citò finem habitura, sed ad mentem reuocet,

nocet, quid in ſe receperit, nec dubitet fulciri ratione optima, quidquid ſui nouitate minus placet ac ſapit. Simile quid contingere vidi non rarò iis qui velut peregrini Catholicis ſe nobis aggregarunt. Venerant vt videbatur inſtructi voluntate optima, ſpoponderant Eccleſiæ conſentire per omnia, rata habere quidquid illa faceret ac præſcriberet, viſis interim decretis quibuſdam ac moribus tantum non abierunt retrorſum. Et quamuis ipſos poſtea tantæ imbecillitatis atque inconſtantiæ vehementer puduerit, laborandum tamen fuit non parum, priuſquam illam cum debita firmitate commutarent. Impulit me iſta cogitatio, vt hoc documentum ſuperioribus attexerem, ex quo diſcere poſsit, qui nobis deinceps volet accedere, quidnam ſimili in re agere ipſum oporteat. Proderit in primis inſuetudinem hanc longè antè præuidere, ſecumque ratiocinari religionem omnem ſuis conſtare ritibus non ſecus ac dogmatibus, proindeque contrariam contrariis. Catholicam autem contrariam eſſe Pſeudoeuangelicæ, atque ita virum qui ad illam ab iſta tranſit, ſi pugillum habeat prudentiæ, non poſſe non expectare quædam inſolita, quibus facilè commoueri non debeat animus ſapientis. Hoc inquam proderit, quia tela præuiſa vt habet prouerbium, minus feriunt, & quæ cogitantur priuſquam contingant, eſſe quoddam mentale acquirunt, & ſic poſtea menti noua videri non conſueuerunt, repentina autem omnia naturam abhorrentem ſubitas mutationes grauiſsimè afficiunt. Iuuerit ſecundò, attendere adultorum non eſſe concuti quibuſcunque occurſibus præſertim leuiculis, ſed puerorum, vel etiam brutarum animantium, quas ob id ridemus, velut omni deſtitutas iudicio, & inde ſibi metuentes, vbi cauſa nulla eſt iuſti metus, v.g. Elephantum quem offendit ac terret veſtis candida, Taurum rubicunda, Tygridem ſonus, felem odoramentum, arietem proiectus pileus, aſpidem vmbra, vrſum & leonem mappa, ceruos, apros, lupos & vulpes linea vario plumarum nexu diſcolor, vt teſtatur Plutarchus in l. de præceptis connubialibus, & in l. de fort. Alex. Sen. lib. 3. de ira. Virg. l. 3. Georg. Hoc ſi nondum ſufficit vt tranquillum animum geras, valde conducet, immò neceſſe erit vt poſthabito priuato iudicio quo nihil vulgò peſtilentius, viros

adeas rerum peritissimos, de quibus dubitas aut quiritaris, qui tibi vna ex parte nolint imponere, ex altera indicare valeant iudicij veritatem, parati rationem omni poscenti reddere. Si tibi credas tuisque ratiociniis, mutabis in dies sententiam pro diuersitate argumentorum occurrentium, & te modo in partem vnam impellentium modo in aliam, atque ita inquietus viues ac miser: nam & iuxta Hypocratem pessimus est status, in quo ægrotus subinde mutat habitum, & sui fit dissimillimus. Ob id tibi adeundi sunt viri iudiciosi, ne periculosam illam dubietatem sinant radices agere, sed pullulare volentem reuellant stirpitus. Quod intelligo si vt dixi, molesta tibi pergat esse dubitatio, & videatur spiritualem aliquam perniciem paritura. Sicut enim primo nascentem retundere par est atq; compescere sancta illa cogitatione, qua vniuersa dogmata ritusque Ecclesiæ Christi pro certo habet homo veritati rationique congruere, tametsi cuiuis peruia non sit eiusmodi consensio: ita si adolescat nata, nec facilè superetur, maturè est modo quo diximus extirpanda, interrogandi sunt qui eas callent, quos vbi consulueris, non te apprehendent scandala, sed potius fient.

Admiranda tibi leuium spectacula rerum.

Ecclesiam nostram verè Dei domum esse perspicies, in qua vt in Tabernaculo ipsa quoq; emunctoria aurea sunt, & apud nos locum habere, quod de Grammatica scribit Quintil. *Res quasdam habere plus in recessu, quàm fronte promittant, in speciem exiguas, sed si benè tractentur, magnarum vtilitatum conciliatrices & honeris etiam non vulgaris.* Quos porrò interrogare in primis debeas docebunt te verba illa, Deut. 32. *Interroga Patres tuos & annuntiabunt tibi, Maiores tuos & dicent tibi.* De Luthero, Oecolampadio, Caluino, &c. nō loquitur, esto hi sint qui te quondam Diabolo genuerunt, & fermento suo Pharisaico aluerunt, & vino potarunt meretricis magnæ, sed de Patribus & Maioribus qui multis sæculis præcesserunt, & primi terram coluerunt. Sequitur enim, *quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam*, hi soli verè, propriè, & insigniter Maiores dici possunt. Atqui Ecclesia Christiana regnum Christi & terra est, ad quam à Mosaica populum Dei transire oportuit. Ac quidē Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Chrysostomus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianz. Cyrillus, Ambrosius, Hieronymus, Augu-

Digitized by Google

Auguſtinus,&c. primis eam temporibus incoluerunt. Illi autem adeò recentes ſunt,vt non ita dudum inter viuos eſſe deſierint,& ſuperſtent multi qui eos viderunt,quos proinde contentus prioribus nullo modo interrogabis,ſed ſurda præteribis aure , nihil veritus ne inurbanitatis notam eo nomine incurras vel impietatis. Liberat te ab vtriuſq; ſuſpicione Iuſtinus Martyr orat.1. cui ſimiles ſic alloquens. *Nullum veſtrum in maiores veſtros extabit delictum, ſi in contrariam illorum errori ſententiā pedibus ire voletis,quos par eſt,nunc apud inferos ſeram nimis agentes pœnitentiam in graui luctu eſſe , ac ſi quo modo fieri poſſet,vt vobis inde renuntiare valerent, quæ ſibi poſt huius vitæ finē acciderint,intelligeretis profectò,quibus vos liberatum iri vellent malis.* Dictum eſt Hypocratis decubitum illum optimum eſſe ,qui ſanorū hominum conſuetudine non variat; vt quia inquit,homines ſani in dextrum ſiniſtrumue latus cubāt,brachiis,ceruice,& cruribus paululum reductis , ac vniuerſo corpore molliter affecto, infert præſagium bonum eſſe in ægrotante,ſi à Medico deprehenſus ſit ſeruare in decubitu eiuſmodi ſitum. Dicamus eodē modo. Cum Patres illi noſtri fuerint , ſi qui alij ſpiritualiter ſaniſsimi, ſanus tunc in nobis erit ſentiendi viuendiq; modus , ſanus Dei cultus, ſana religio,ſana opinio, ſanum iudicium , ſi ab illorum modo, cultu,religione,opinione,ac iudicio non differant. Vide itaq; vt te totum illis commodes , nec ab illorum placitis & definitione diſcedas. *Bonorum virorum eſt,* dicebat apud Sozomen. Conſtantinus Magnus, *fide veterum viuere.* Contrà, *iniuriam facit iudicio Reuerendiſsimæ Synodi* , inquit Martianus Imperator in reſcripto ad Palladium Præfectum Prætorio C. de ſumma Trin. lib. 5. *Qui ſemel iudicata ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderit* : Verum quia facilè eueniet,vt illorū opuſcula tibi pretio comparare nequeas,aut non fruaris longo illo otio quod iis ſolide euoluendis eſt neceſſarium, aliam viam eamq; compendioſiorem indicabo.

Sozom. l. 4. cap. 14.
Niceph. l. 9. cap. 36.

Ex Catholicis tibi coætaneis , vnum vel alterum elige , in quo timorem & zelum Dei eſſe noueris , vel communi fama audiueris , qui præterea pietatem feriò colat, & in lege Domini meditetur die ac nocte. Tales nullibi omninò deeſſe patitur diuina prouidentia , ſed ſtudioſè quærenti facit non ægrè occurrere. Huic fidenter omnia animi tui ſenſa explica , nec dubita fore

vt eius te vnctio doceat. Sic trepidanti Apostolo iuxta suæ conuersionis exordium, quid agere deberet, præparauit Dominus discipulum Damasci nomine Ananiam à quo institueretur. Quémadmodum autem illum anxium superbia nulla, fastus nullus absterrere potuit, quominus consuleret pium hunc Christi discipulum, estò ipse quoque alias doctus existeret magni quondam auditor Gamalielis; sic neq; te debet superbia aut intempestiua verecundia, aut humanus aliquis metus à simili aditu reuocare. Illum certè non reuocasset qui scripsit,

Inter cuncta leges & percontabere doctos.

O quàm multa paratus est Dominus docere perplexos homines interiectis aliis, quæ non docebit si cum adiri possunt, negligantur. Quid ita? vt hi quidem charitatem & misericordiam, illi humilitatem exerceant. Quis Poëta Marone famosior? Hesiodum tamen & alios non neglexit, sed decerpsit ex iis plurima, vt ex Aristot. lib. 6. de hist. anim. versus tres supra decem ordine positos lib. 3. Georg. quorum primus sic incipit, *continuoq; auidis, &c.* quis Augustino ingenij tum acrioris tum eminentioris? Ecce interim de rebus variis sibi non satis exploratis interrogabat Romanos Pontifices, Hieronymum quoq; & Ambrosium.

Documentum 17.

Vt aduersa aliqua expectet, seq; ad ea fortiter ferenda maturè comparet.

NON defutura aliqua post iuratam religionem Catholicam, quæ patientiam & longanimitatem tuam exerceant, operosum non est coniicere, immò inferre ex dictis l. 3. cap. vltimo, §. 3. vbi de illa fusè demonstrauimus quod sit arcta via, diuinis equidem abundans consolationibus, sed ita vt simul sit spinis obsita, & fortè requirat animum, quem virtus faciat difficultatibus eiusmodi omnibus superiorem. Profitetur haud dubie studium virtutum omnium, quibus proinde tibi nobis aggregato sensim erit incumben-

Digitized by Google

cumbendum. Dignum quippe eſt, vt qui ſimilem cum aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem cum aliis ſentiant diſciplinam. Virtutes porrò vt ſunt pulcherrimæ, ita ſuis pungunt ſpinulis inexpertos. Trepidabat Alcides ipſe gentilium Heroum fortiſsimus hoc calcaturus iter. Abiiciendæ erunt conſuetudines malæ, quarum abſtractio cutis eſt detractioni perſimilis. Vndè illas cuti comparat Dominus Hier. 13. dicens: *Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum.* Cutis exterior pars non eſt corporis, ſed excrementitium illius integumentum, quod tamen non minus illi adhæret quàm ſi pars eſſet naturalis, nec abſque magna difficultate poteſt abſtrahi. Perſimile quiddam inueteratæ conſuetudini accidit, abſque ingenti labore non exuitur, quãdo præſertim ad contrariam eſt commigrandum. Quod argumentum tractans Seneca ſic loquitur: *Non aſſuetis ferre ceruicibus iugum graue eſt, ad ſuſpicionem vulneris tyro expaueſcit, audacter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſæpè ſe viciſſe poſt ſanguinem.* Diſplicebunt tibi etiam fortè priuatorum quorundam mores, & eorum interdum, quos oportebat eſſe melioribus. Senties & extrinſecas vexationes de quibus aliàs præcipuè verò minas & moleſtias, quas intentabunt Sectarij à quibus veniſti, fortè etiam mortem volent afferre. Aduerſus hæc omnia communiendum eſt pectus fortiſſimis inſtitutis. Exemplum, cum virtutis, & bonorum operum, & obedientiæ, & diuini cultus radices amaras experieris, obiicienda erit cogitationi dulcedo fructuum, qui ex illis prouenient. Ita enim labores ſuos patienter ſuſtinent, & ſolantur Agricolæ ad memoriam reuocando meſſem copioſam, quam ſuo tempore ager proferet, cuius culturam exercent tot conatibus. Sed & conſuetudo conſuetudine vincitur, citò vſu dulceſcit quod prædurum erat, & miteſcere aut ſuperari vix poſſe videbatur: *Omnes conſidera gentes,* verba ſunt eiuſdem Senecæ, *in quibus Romana pax deſinit, Romanos dico, & quidquid circa Iſtrum vagarum gentium occurſat, perpetua illos hyems, triſte cœlum premit, ſolum ſterile ſuſtentat, imbrem culmo aut fœno defendunt, ſuper durata glacie ſtagna praſulcant, in alimentum feras captant, miſeri tibi videntur. Nihil miſerum eſt, quod in naturam conſuetudo perduxit, paulatim enim voluptati ſunt, quæ neceſsitate cœperunt.* Non inficiaberis puto pueros & puellas innumeras apud nos educatas ea præſtare citra mœrorem & nauſeam, quæ diſciplinæ noſtræ legibus

c. recolentes de ſtat. Mon.

Lib. de prouid.

bus præcipiuntur,& quæ tibi principio aliquid fortè difficultatis afferent. Vnde id rogo?an quia magis à natura facti ſunt ad perferenda mala? nihil minus,cum nec ætas nec ſexus tolerantes eſſe ſinat laborum ingentium,ſed quia iuuantur conſuetudine,cuius tanta eſt vis vt aſſuetos alioqui imbecilliores minus offendant aduerſa,quàm fortiores vſu deſtitutos. Obſeruauit hoc Hypocrates vbi ait: *Quotidianis laboribus aſſueti, etiamſi inualidi ſint aut ſenes, inſuetis quamuis robuſtis & iunioribus facilius conſueta ferunt exercitia.* Sed faciamus quæ in religione vera ſunt ſemper eſſe aſpera, nec vſu dulceſcere, nec aliquid de aſperitate ſua remittere, an idcircò te decet, nõ iis fortiter admouere manus, nec patienter ferre quidquid moleſtiarum dum gerentur occurrerit? Minimè certè, ſed magna potius eſt alacritate connitendum, vt te non prætereat æternæ mercedis, & rei benè gerendæ tanta occaſio, quam auidiſsime ſemper arripuerunt,quotquot modo in cœlis cum Chriſto lætantur & regnant. Optas puto in mercedis huius partem venire,bene facis,ſed patientia in obeundis pietatis operibus tibi eſt profectò neceſſaria,vt reportes repromiſsionem. Rata ſtat ſententia, *non coronabitur niſi qui legitime certauerit.* Conſtat autem bellum nullum præclarè ab illo geri, qui perferre nihil velit. Patientia præcipuus quidam gradus eſt quo peruenitur ad regnũ. Chriſtum ipſum pati oportuit, & ita intrare in gloriam ſuam. Hæc gloria, hæc merces, hoc regnum perennis voluptas eſt habens ſe per modum termini ad quem, proindeque ſupponit terminum à quo ſibi contrarium, motus quippè omnis eſt inter contraria. Quid autem voluptati contrarium præter laborem & difficultatem? quomodo verò à difficultate facies tranſitum, niſi in ea prius per patientiam te exerceas? Neque enim te fugit mobile prius verſari debere in termino à quo, quàm cõtingere poſſit terminum ad quem. Non etiam ignoras rationem qua Deus verſari nos vult in difficultatibus,aliam non eſſe à patientia. Vndè Apoſtolus Roman.12. ſcribens quales nos eſſe oporteat ait ſpe *gaudentes,in tribulatione patientes.* Atque ita perſpicis adeò prætermitti non debere patientiam ab eo qui æternam ſibi velit gloriam comparare, vt vix aliqua ſit virtus moralis poſt religionem conſecutioni eius accommodatior,ſi quidem vt dictum eſt,& fatentur omnes,tranſitus in motu fieri debet à contrario in contrarium.

In lib. 2. Aphor. 48.

rium. Idem collegeris ſi beatitudinem conſideres, vt aliquid eſt eximium, ob idque dignum conatu eximio. At quis conatus? quod opus dici poſsit eximium, cui materia deſit patientiæ? ſi arduum nihil complectatur, quod infracto animo toleratum noſtræ ſit fortitudinis argumentum? Facile eſt præſtare quidlibet, vbi nihil interuenit quod excruciet, nihil quod acerbum ſit ſenſibus: operari autem vbi eiuſmodi aliquid occurſat, hoc opus hic labor eſt. Eſſe porrò gloriam illam eximiam, immò conatus tuos omnes infinito quodam interuallo ſuperaturam ſacra vbique teſtantur eloquia: *Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis*, ait Apoſtolus, *ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Et rurſus: *Quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Neſcio profectò quo fortiore ſtimulo vrgeri potuerimus ad ſtudium patientiæ, quàm cum via eſſe aſſeritur ad immenſam quãdam beatitudinem, quæ cum aduenerit ſuperatura ſit infinito quodam ſpatio quidquid hic patimur, ac præteritorum omnium laborum ſenſum & memoriam extinctura magiſq; abſorptura, quàm aceti guttam abſorbet mare Athlanticum aut minimæ ſtellæ radios ſolis ſplendor prouecti ad circulum meridianum. Quæ quoties mente agito, venit in mentem dictum illud militis Aſſyriorum poſt conſpectam fœminæ ſanctæ pulchritudinem: *Quis contemnat populum Hebræorum qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus?* Quis ſimiliter contemnendam putet cœleſtem illam gloriam, cui tantum ineſt boni, cuius tanta eſt magnitudo, vt non meritò pro illius aſſecutione fortiter dimicare & quidlibet pati debeamus? Dolebit vnicè hoc vnum tibi ſi eo perueneris, quod pauca ferendo exiguum tibi ius acquiſiueris ad participationem ſummi boni, cuius fruitio proportione reſpondet laboribus. Velis nolis ſiue religionem veram colas ſiue non, ſemper tibi erit aduerſi aliquid in hac vita quæ tota militia eſt, ſuſtinendum, & in qua diuino decreto vbique ſunt permixta bonis mala. quia nec æterna illa eſt, quæ mortem neſcit & puriſsimas continet voluptates, neque viciſsim mors vitæ expers, ſed media ob idque vita mortalis mors item vitalis, in qua mira quadam alternatione à rebus proſperis ad aduerſas tranſitum facimus, & moleſtum aliquid velut hæreditatis communis portionem

Rom. 8.
2. Cor. 7.
Iudith. 10.

Digitized by Google

nem ſortimur omnes, vnus vnam alius aliam vt in corpore, ſic in anima. Morbis diuturnis obnoxia ſenectus eſt, acutis adoleſcentia, ningit in montibus, pluit in plano. Omnibus dicta lex eſt patiendi, ſed magni refert in qua materia, quo modo, quo item exitu patiare. Si materia non eſt alia quàm temporalis, nec alius quam inuitus animus, quam mercedem & laudem habebis apud Patrem tuum qui eſt in cœlis? Nonne Ethnici & malefactores, & quicumque viuunt impiè, ſic patiuntur & lugent? At ſi Deum ſincerè colendo, & vt præſcribunt leges Catholicæ noſtræ Religionis, mandata eius & Eccleſiæ ſponſæ ſuæ obſeruando, virtutes capeſſendo, bonis operibus inſiſtendo, peccata tua lugendo, pro iis ſatisfaciendo aliquid te moleſtiæ pati contigerit, nec tamen idcirco animum deſponderis, beatus es & benè tibi erit, reponetur in cœlo ne dubites, corona gloriæ immarceſsibilis, quam reddet tibi in illa die iuſtus Iudex luctum tuum conuerſurus in cytharam, & animæ dicturus tuæ: *Iam hyems tranſiit imber abiit & receſſit, flores apparuerunt in terra noſtra. Surge propera amica mea, veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis.* Verba hæc ſunt labiorum ſponſi, propter quæ oportet te cum Propheta cuſtodire vias duras.

Cant. 2. *Pſalm. 16.*

Quid plura? vt qui verè amant, etiam balbutiem & pallorem adamant in amatis, ita qui religionem veram ex animo colit, nõ terretur difficultatibus, ſi quæ illam comitantur. Atque hæc à me dicta ſint de patientia illa, cuius exercendæ proprias tibi occaſiones ſuppeditabit religionis noſtræ ſanctitas. Nam quod ad illam quæ à cauſis externis petitur, ab inſultu aduerſariorum, ab odioſis moribus eorum qui nomine tenus religioſi ſunt vel Catholici, partim iam diximus in documento tertio, quæ ad illius commendationem faciunt, partim facilè tibi poſſunt occurrere. Inſultabunt tibi, ſit ita, vide quàm nobiles habiturus es tribulationis huius ſocios, Dominum dico & Chriſtum eius, Sanctos omnes, Eccleſiam ſanctam, Præpoſitos ſeu Patres illos venerandos, qui nobis locuti ſunt verbum Dei. Quem enim horum omnium non perſequitur Secta quælibet, præſertim autem Caluiniana? Ea procul dubio feneſtram atheiſmo aperit, vt vidimus lib. 1. cap. 2. §. vltimo, atque ita eleuat quantum in ſe eſt diuinitatem, quod quidem maximè eſt illum inſectari, vt taceam diuina

attri-

ættributa quibus illum ſpoliare, vt Pyrata pretioſis mercibus Inſtitores, nititur, iuxta dicta & probata in eodem lib. cap. 3. & ſeq. vt prætereà nihil dicam de blaſphemiis, quibus Nouantes ſummã illius Maieſtatem afficiunt, vide quæ ibidem ſcripſimus cap. 20. § 5. Quod ad Chriſtum adeò indignè tractant illum, & cenſuris audent ſuis caſtigare, vt non iam Præceptorem agnoſcere, ſed inertem diſcipulum virgis cædere videantur, quod quidem veriſsimè à me dici ex eodem loco intelliges. Eccleſiam eiuſdem vocant vbique ferè meretricem, quatenus vbique contendunt eam relicta fide vera, in qua & per quam Chriſto deſponſabatur, in deteſtabiles multos errores incidiſſe, eodemque poſt habito cum abominandis Idolis, hoc eſt cum Sanctis, cum imaginibus, cum reliquiis ſacris fuiſſe fornicatam. Quibus atrocibus criminationibus non contenti, peſſundant eam, & dilaniant vbique quantum per vires licet. Similiter non contenti ſanctos Patres lancinare conuitiis, in illorum inſuper cineres tota rabie deſæuiunt, nec eas alicubi quietas conſiſtere patiuntur. Et tibi iam mirum aut durum videbitur illorum inſultus pati? *Noli metuere,* dicebat Cæſar nautæ cuidam palleſcenti ob immanitatem fluctuum, *fortuna Cæſaris tecum vadit*, & Phocion cuidam alteri ſecum de vita periclitanti, *an tibi durum eſt cum Phocione mori?* Ecce autem pluſquam Cæſar & Phocion hic. Maior Nouantium immanitas principio quàm modo fuit, nec tamen obſtare potuit, quominus plurimi minus mali ex iis quos ſeduxerãt ſeſe ad nos receperint, & nobiſcum patientiæ Clipeum quibuſcumq; illorum telis conſtanter obiecerint. Nec id diſsimulare Caluinus valuit in lib. de Scand. vbi cum de Bunello defectore clariſsimo verba feciſſet, ſubiunxit: *Vnum exempli cauſa nominaui, vtinam non multos haberet ſui ſimiles.* Et infrà: *Poſt cladem acceptam quidam magni nominis Principes protinus exanimati, nobiles Reſpublicæ metu neſcio quo attonitæ ſponte conciderunt. Hic ſe plus quàm effœminata mollities, immò perfida ignauia apertè prodidit. Impias & ſacrilegas à Chriſto defectiones intra biennium in natione vna plures vidimus, quàm narrent omnium temporum, gentiumq; hiſtoriæ.*

Quod ad Catholicorum noſtrorum mores, ſicut aliquos in priuatis quibuſdam occurſuros non dubito qui tibi diſpliceant, ita planè deprehendes in multis optimos, eſtque cur incompoſitos illos feras patienter, cum Deus ipſe tanta eos longanimitate

sustineat, & tu eiusmodi multis scateas, quæ peroptas ab aliis æquo animo tolerari. Iubet lex porrò vt quod tibi fieri vis, alteri feceris. Præclarè ac verè Hieronymus: *Vitiis nemo sine nascitur, optimus ille est qui minimis vrgetur*, ex quo infert Apostolus, *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Cum vniuersim dicit *alter alterius*, indicat ab omnibus defectibus immunem esse neminem, simulque quid tui sit muneris docet, vt scilicet alienos tacitè feras compatiendo magis quàm indignando. Hanc militantis Ecclesiæ conditionem, si maturè tecum ipse reputaueris, postea nihil vel parum te commoueri senties. Quod magnificè de illa sentias, quod sanctam audias & credas, bene facis sed notandum eiusmodi sanctitatem positam potius esse in professione virtutis omnis, quàm in perfecta possessione, vnde Augustinus: *Iustitia nostra in hac vita potius constat remissione peccatorum, quàm perfectione virtutum. Testis est oratio totius ciuitatis Dei quæ peregrinatur in terris, per omnia quippe membra sua clamat ad Deum dimitte nobis, &c.* Et Apostolus Ephes. 5. dicens Christum pro Ecclesia seipsum tradidisse, vt exhiberet eam gloriosam, non habentem maculam aut rugam, non præsentem sed futuram eius describit pulchritudinem, sicut & Ioannes Apocal. 21. vocans eam aurum mundum simile vitro mundo, ac si dicat nunc eam non esse ab omni scoria liberam.

In epist. ad Saluin.

Lib. 24. de ciuit. c. 27.

Documentum vltimum.

Vt in amplexata Religione Catholica toto reliquo vitæ tempore constans infractusque perseueret.

MVltum in principio positum est, plus adhuc in fine, quem propterea veteres operis cuiuscumque boni coronam appellabant. Quid dixissent si Catholica imbuti fide æternam indè vitam pẽdere didicissent, & Dominum audiuissent dicentem Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit.* Vtique non saluandus si non perseuerauerit? Illaudabile fuit in Magdalena, & Latrone bono, & Saulo, & Augu-

Digitized by Google

Augustino vitæ principium, sed propter exitum bonum beatitudinem finis expertem sunt consecuti. Iudas contra optima iecerat fundamenta, sed quia non responderunt vltima primis, excidit miserè à bonis illis sempiternis. Hæc mente agitans Apostolus seriò suos admonebat: *Sic currite vt comprehendatis.* Nempè videbat nihil aut parum esse in stadio currẽti vires omnes ad cursum intendere, si priusquam metam attigerit, sistat gradum. 1. Cor. 9.

Idem tibi dictum puta, sic currito vt comprehendas. Vide ne si propositum sanctũ quod absit abiicias, scoriam te fuisse significes, quæ foras mitti debuit: *Nemo existimet,* inquit sanctus Cyprianus, *posse bonos de Ecclesia recedere, triticum non rapit ventus, arborem solida radice fundatam procella non subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione sternuntur.* Et sanctus Augustinus declarat his verbis, quàm vilis pretij sint, quotquot eidem Ecclesiæ per apostasiam renuntiant. *Non ex aliis fiunt Hæretici, quàm ex illis qui etiamsi in Ecclesia permansissent: tamen propter vitæ turpitudinem nihilominus periissent.* Vide prætereà ne præcoci quietis otiique desiderio, æternæ quietis iacturam facias, & publico te risui exponas, sicut miser ille qui, In lib. de Vnit. Eccl. Lib. de vera relig. cap. 8.

Opere in medio defixa reliquit aratra:

Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei, terribilis valdè sententia, & quę vniuersis maximi incitamenti loco debet esse ad perseuerantiam, sicut & illa alia: *Melius erat illis non agnoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato Contingit enim eis illud veri prouerbij, canis reuersus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti.* Arduum fateor est perseuerare, sed an idcircò excusantur, & vitio carent qui deficiunt? immò ridentur à Christo Domino, vt qui cœperint ædificare, & non potuerint consummare. Ridentur ab Apostolo velut spiritu incipientes & carne cõsummantes. Ridentur ab hominibus vt arũdines vento agitatæ, vt statua Nabuchdonozor, quæ capite aureo in luteos pedes desinebat; vt culmus qui primo in altũ surgit impetu, deinde crebris geniculis intersecatur, postremò in summo venti flatibus laborat; vt deniq; nauta faciens in portu naufragium. Arduũ est sed laude dignũ, eoq; maiore, quo plures sunt qui non seruãt ad extremum vsq; constantiam: *Cœpisse multorum* Luc. 9. 2. Pet. 2. Ad Lucin.

rum

rum est, inquit sanctus Hieronymus, *ad culmen peruenisse paucorum.* Vide quàm paucis de 600000. filiorum Israël contigerit eo pedem inferre quo vocabantur. Ex septendecim Græcorum consonantibus quinque duntaxat occupant fines dictionum, videlicet, verbi gratia, ν.ς.σ.ξ. & ψ. Sed dicis fragilis sum ad inconstantiam factus, nunquam in eodem permanens statu. Ita est sanè si cœleste tibi desit auxilium, nec dubium quin tibi relictus, & naturæ sequens motum atque inclinationem, deteriora citò repetiturus sis quæ reliquisti. Laborat talis quilibet summa quadam instabilitate, & quod nupertimè elegit vt optimum, fastidio concepto abiicit vt iniucundum. Sed te decet diuinum illud auxilium, cum quo sanè potes quidlibet, seriis precibus ab illo efflagitare, qui spiritum bonum promisit petentibus se, datque omnibus affluenter, & nulli improperat. Te quoque decet non naturæ corruptæ, sed rationis ductum sequi, quæ in omnibus præclaris facinoribus iubet ad extremum vsque procedere, ne aliàs oleum omne præteritum perdamus & operam, perdituri sanè si deficiamus antè finem, quia laus & præmium quodcumque perfectum, non nisi perfecti operis fructus sunt & soboles. Quis autem perfectum dicat cui pars desit præcipua? secundum iura: *Nihil actum intelligitur, quamdiu superest aliquid faciendum.* Notanda sunt in hanc sententiam verba Eusebij Emisseni: *Spes nostra omnes in consummatione atque fine consistunt. Quid prodest mihi si sata virentia spem messis ostendant, & me sub ipso messis tempore, subita vel aëris intemperie, vel pluuiarum inundatione decipiant?* Addit Origenes: *Vxor Loth præcepti immemor retrò respiciens vertitur in statuam salis. Putasne tantum sceleris in hoc esse commissum, vt quia post se respexit mulier, interitum quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit si sollicita mens mulieris retrorsum, vndè nimio flammarum crepitantium metu territa erat, oculos ad ea direxit? Sed hoc tamen Dominus ita permisit, vt eo exemplo perterrefaceret eos, qui benè cœpta deserunt, vndè aptè ait, Nemo mittens manum, &c. & memento te vxoris Loth.* His meditationibus firmare te mentem oportet, ne quid illam ab incœpto deterreat. Anima tua sicut passer erepta est de laqueo venantium, absit vt eo iterum capiatur. Lauisti per resipiscentiam pedes tuos, absit vt denuò per relapsum inficias illos, grauissimè sauciatus ab ære unco te extricasti, absit vt ad gustatum hamum redeas, rursusque

L. cum fyl-manianũ c. de his qui. Homil.5. ad Mon.

vores

vores illum. Circumſpicienti mihi omnia duo tantum ſe obiiciunt, quæ vtcunque poſſent benè curentem animum ad carceres reuocare, blandimenta impiorum hominum, & viarum Domini aſperitas. Neque enim aliis artibus tentarunt Tyranni ipſi conſtantiam frangere ſanctorum Martyrum. Blandimentis irretiri puerorum eſt & effœminatorum, quibus tam parum ineſt iudicij, vt non aliud ſpectent, quàm quod præſens eſt & momentaneum, quos proinde meritò annumeraueris brutis animantibus, quæ ſimiliter mouentur duntaxat obiectis præſentibus ſenſui blandientibus, nec ad ea penetrant mala, quæ latent ſub illecebris, aut ſubſequentur. Riſit ipſamet priſca gentilitas, quotquot poſt res præclarè geſtas vinci ſe paſſi ſunt eiuſmodi blanditiis, M. Antonium quem Cleopatra illiciis ſuis faſcinans, ſimul effecit vt obſcurata omni ſuperiore gloria quam ei bellica virtus pepererat, in ignauiam primum, deinde in extremam calamitatem prolaberetur. Vt Herculem apud quem tantum potuit amoribus ſuis Omphale puella, vt ei perſuaſerit claua, arcu, & pharetra depoſitis colum ducere, & lanas tractare aſperis illis manibus quibus portenta ſubegerat. Laudibus contra extulit eos, quorum mentem ab optimis inſtitutis auocare nullæ eiuſmodi deliciæ & faſcinationes potuerunt, vt Hippolitum, qui blandæ nutricis adeo nefarias contempſit preces, vt indignari ac dicere compulerit.

Vt dura cautes vndiq; intractabilis
Reſiſtit vndis, & laceſſentes aquas
Longè remittit, verba ſic ſpernit mea.

Quod ad moleſtias illas ſine quibus debitum Deo non præſtatur obſequium, ita eas horrere non debes, vt etiam ſit cur tibi vehementer gratulere cum perbreuē habeant durationem, gaudium autem nunquam defecturum. Quis ſapientum labores modicos refugiat tali tantaque mercede commutandos? *Nonne melius eſt*, ait S. Hieronymus, *breui tempore dimicare, ferre vallum, arma ſumere, laceſſere ſub lorica, & poſtea gaudere victorem, quàm impatientia vnius horæ perpetuò ſeruire?* In ludo ſcacorum nefas eſt pediti retrocedere, ſed per medios hoſtes ſurſum tendit longè meliorem ſortiturus conditionem ſi ad extremum quo aſpirabat, *In epiſt. ad Euſt.*

Rrrr 3 per-

Digitized by Google

peruenerit. Et tu constanti animo progredere in certissimo Catholicæ religionis stadio quod ingressus es, quousque à Deo conferendam in die obitus tui mercedem accipias sine carituram. *Misisti manum ad fortia,* inquit S. Bernardus, *agendum est instanter, & constanter perseuerandum.*

Serm. 3 de Pasch.

FINIS.

Laus DEO, optimo, maximo Virginiq; MATRI.

INDEX

Digitized by

INDEX RERVM PRAECIPVARVM QVAE IN HIS QVATVOR LIBRIS ET CODICILLO MONITORIO continentur.

Nota. Plerisq́ locis huius Indicis, duos tantum numeros esse adnotatos, compendij gratia, intelligendos autem esse etiam si qui sunt inter hos duos assignatos intermedij, quotcunq́ demum illi sint. Exempli gratia, primi duo numeri ad illa verba: Adiuratio, &c. adnotati sunt, 355. 361. quibus denotatur, à priore illo numero. 355. vsq́ ad posteriorem. 361. per sex intermedios numeros siue pagellas agi de Adiuratione, &c. Eademq́ est ratio caeterorum.

A.

Actus Religionis.

ACTVS Religionis interni & externi, eliciti & imperati. Vide infra V. Religio. lit. R.

Adiuratio.

Adiuratio actus septimus externus elicitus, & nota nona verae Religionis. 355. 361

Adiuratio quid sit. 355. 358

Adiuratio est actus Religionis. 358. 359

Adiuratio est familiaris Catholicis. 359. 360

Adiuratio est incognita Mahumetanis. 360

Adiuratio insitata Nouatoribus. 360. 361

Adoratio.

Adoratio actus Religionis externus & elicitus, & nota tertia eiusdem. 204. 230

Adoratio

Adoratio Dei quid sit. 204.206
Adoratio pertinet ad numerū actuum Religionis. 206.207
Adoratione Dei excellunt Catholici. 207.222
Adoratio Dei neglecta à Mahumetanis. 222.224
Adoratio Dei nulla apud Sectarios. 224.230
Adorationis locus idoneus, Vide V. Templum. litera T.

Antiquitas.

Antiquitas, quarta proprietas & vigesima quinta nota veræ Religionis. 749.770
Antiquitas hæc describitur. 749.750
Antiquitas hæc proprietas Religionis esse demonstratur. 750.755
Antiquitas hæc resplendet in Religione Catholica. 755.758
Antiquitate superantur Mahumetani. 758.760
Antiquitate præscribitur hæreticis Nouatoribus. 761.770

Arduitas.

Arduitas, sexta proprietas & vigesima septima nota veræ Religionis. 792.808
Arduitas hæc in quo sita sit. 792
Arduitas Religioni veræ conuenit. 792.795
Arduitas in Catholica Religione multiplex, quam tamen demulcent consolationes plurimæ. 795.798
Arduitas nulla in Mahumetismo, si spectes eius principia. 799.800
Arduitas nulla in secta pseudoeuangelica. 801.808

B.

Blasphemia.

Blasphemia, Vide V. Laudatio Dei. lit. L.

Bonitas Dei.

Bonitas Deo reipsa conuenit. 85.87
Bonitatem Deo adscribunt Catholici. 88.93
Bonitatem Dei negant Mahumetani. 93.95
Bonitatem Dei negant similiter Nouatores. 95.105

C.

Cæremoniæ.

Cæremoniæ minores, actus vndecimus externus elicitus, & nota decima tertia Religionis. 436.458
Cæremoniæ minores quæ dicuntur, & quæ nota legitimæ ab illegitimis discernantur. 436.440
Cæremoniæ istæ sunt actus Religionis. 440.444
Cæremoniæ extant apud Catholicos plurimæ ac præstantissimæ. 444.454
Cæremoniæ Mahumetanorum ineptissimæ. 454.455
Cæremoniæ apud Nouatores perpaucæ & illicitæ. 455.458

Calui-

Digitized by

Caluiniani.

Caluiniani, &c. Vide V. Haeret. lit. H.

Catholici.

Catholici Deum aliquem esse admittendum sentiunt. 51

Catholici Deum vnicum agnoscunt. 68.71.

Catholici Deum substantiam spiritualem seu immaterialem esse credunt. 78.79

Catholici Deo bonitatem attribuunt. 88.93

Catholici Deum omnipotentem esse asserunt. 107.108

Catholici summam Dei sapientiam suspiciunt. 118.119

Catholici Deum in personis trinum confitentur. 133.134

Catholici deuotione conspicui. 150.155

Catholici orationi insigniter dediti. 183.190.

Catholici in adoratione excellunt. 207.222.

Catholici res sacras eximiè venerantur. 235.238

Catholici quot, qualia, & quam magnifica templa extruxerint. 249.255.

Catholici verum ac proprium Euangelicae legis sacrificium praeclarè assignant. 271.282

Catholicis oblatio frequens & multiplex in vsu. 290.294

Catholici magna fide soluunt decimas, & soluere iubentur. 302.310

Catholici vota ritè concipiunt ac reddunt. 323.331

Catholici etiam iuramenta legitima praestant. 339.348

Catholicis familiaris est adiuratio. 357.359

Catholicis crebra in ore laudatio Dei. 370.376.

Catholici Sacramenta frequentant. 397.406.

Catholici plurima festa & admodum piè celebrant. 419.428

Catholici plurimis ac praestantissimis caeremoniis vtuntur. 444.454

Catholici vsu trium virtutum Theologicarum insignes. 483.490

Catholici zelo feruentes. 505.512

Catholici maximè humiles. 534.545

Catholici obedientissimi. 570.576.

Catholici ieiunio in primis dediti. 591.597.

Catholici poenitentiam amplectuntur. 607.611

Catholici ab omni superstitione immunes, quicquid calumnientur aduersarij. 620.628

Catholici à tentatione Dei, sacrilegio & simonia, procul absunt. 646.650.

Catholicorum vnitas in Religione, perspicuè se prodit. 671.680

Catholicorum Religio sanctitate praecellit. 697.705

Catholicum idem quod vniuersale. 723.725.740.

Catholici antiquitate gloriantur. 755.758.

Catholicorum firmitas seu constantia quanta. 773.775

Catholici res maximè arduas aggrediuntur, in quibus tamen plurimis consolationib. permulcentur. 795. 798.
Catholici conuersionem errantiū animarum ad Deum verum, insigniter operantur. 813.817
Catholici studiose obseruant decorum circa propagationem Religionis. 834.839.
Catholici præclarè disponunt res omnes ad Dei cultum pertinentes. 876.891
Catholici pace & prosperitate temporali gaudent. 907.912
Catholici miraculis abundāt. 930.938

Catholica fides siue Religio.

Catholica fides siue Religio. Vide V. Religio lit. R. & V. Vniuersalitas. lit. V.

Charitas.

Charitas virtus Theologica. 459.500
Charitate Deum diligere, quid sit. 459.480
Charitatis actus imperatus à Religione, spectansq; ad eius perfectionem. 480.483
Charitas viget apud Catholicos. 483. 490.
Charitas exulat apud Mahumetanos. 490.492
Charitas nulla apud Nouatores hæreticos. 493.500

Confessio & Confessarius.

Confessio & Confessarius. Vide V. Resipiscentes. lit. R.

Constantia.

Constantia. Vide V. Firmitas. lit. F. & V. Resipiscentes lit. R.

Conuersio.

Conuersio errantium animarum ad Deum verum; effectus primus & nota vigesima octaua veræ Religionis. 809.825
Conuersionem hanc qualem esse oporteat. 809.810
Conuersionē illam operari proprium est veræ Religionis. 811.812
Conuersionem animarum errantium operatur insigniter Romana Religio. 813.817
Conuersionē illam non operatur Mahumetismus. 817.818
Cōuersionem illam multo minus operatur vlla hæresis. 818.825

D.

Decimæ.

Decimarum solutio, actus quartus externus, & nota sexta Religionis. 298.316
Decimæ quid sint, quomodo iuris diuini, opusq; Iustitiæ. 298.300
Decimarum solutio de numero est actuum Religionis. 301.302
Decimæ magna fide soluuntur in Ecclesia Catholica, & solui iubentur. 302.310
Decimæ non ita soluuntur à Mahumetanis. 310.313

Decimæ minimè omnium soluuntur à Pseudoeuangelicis. 313.316

Decorum.

Decori obseruatio circa propagationem Religionis, effectus secundus, & nota vigesima nona eiusdem. 825.858
Decorum eiusmodi quodnam sit. 825.826.
Decorum hoc reducitur ad effectus Spiritus Religionem veram propagantis. 827.833
Decorum hoc studiose obseruatur à Catholicis. 834.839
Decori huius nullam habent rationem Mahumetanis. 839.843
Decori huius nulla item ratio habetur à prætentis Euangelicis. 843.858.

Deuotio.

Deuotio actus primus internus & elicitus, primaq; nota veræ Religionis. 144.162
Deuotio quid sit propriè. 144.149.
Deuotio est verus actus Religionis. 149.150
Deuotio in Ecclesia Catholica præclaclarè enitet. 150.155
Deuotio nulla apud Mahumetanos. 155.158
Deuotio nulla apud Sectarios. 158.162

Deus.

Deus, cuius sibi cultum Religio præstituit, verè existit. 47. 51. 62.
Deus vnus est. 63.75.
Deus spiritualis substantia est. 75. 85.
Dei bonitas. 85.105
Dei omnipotentia. 105.115
Dei summa sapientia. 116.125
Deus in personis trinus, in essentia seu diuinitate vnus. 125.143.
Dei cultus. Vide V. Religio, litera R. & V. Dispositio, litera D.
Dei laudatio. Vide V. Laudatio Dei, litera L.
Dei tentatio. Vide V. Tentatio Dei, litera T.

Dispositio diuini cultus.

Dispositio præclara rerum omnium ad Dei cultum pertinentium, effectus tertius & nota trigesima veræ Religionis. 859.903
Dispositio hæc in quo consistat, & quàm sit Religioni veræ connaturalis. 859.876
Dispositio hæc in Catholica seu Romana Religione inuenitur omnibus absoluta numeris. 876.891
Dispositioni huic locus nullus est inter Mahumetanos. 892.898

Dispositionis huius loco omnia confusa sunt pessimeque instituta apud Nouatores Cacoeuangelicos. 896.903

E.

Ecclesia.

Ecclesia. Vide V. Catholici. lit. C. & V. Vniuersalitas lit. V.

Existentia Dei.

Existentia Dei alicuius est admittenda. 47.51

Existere Deũ affirmant Catholici. 51

Existere Deum negant Mahumetani iuxta sua principia. 51.54

Existere Deum negant Nouatores Europæi. 54.62.

F.

Festa.

Festa, eorumque vsus, actus decimus externus elicitus, & nota duodecima Religionis. 416.436

Festorum ratio in quo sit posita. 416. 417.

Festa, eorumque vsus, est actus Religionis. 417.419

Festa plurima exstant apud Catholicos, admodumque piè obseruantur. 419.428.

Festa paucissima Mahumetistarum. 428.431.

Festa paucissima Pseudoeuangelicorum. 431.436

Fides.

Fides vna ex tribus virtutibus Theologicis. 459.500

Fidei actus, in Deum credere, quid sit. 459.480.

Fidei actus imperatur à Religione, spectatque ad eius perfectionem. 480.483.

Fides viget apud Catholicos. 483.490

Fides nulla apud Mahumetanos. 490. 493.

Fides mortua apud hæreticos. 493. 500.

Firmitas.

Firmitas seu constantia, quinta proprietas, & vigesima sexta nota veræ Religionis. 771.791

Firmitas hæc quid significet. 771

Firmitas vera Religionis propria est. 771.773.

Firmitatem habet Catholica Religio. 773.775.

Firmitate caret Mahumetismus. 776. 784.

Firmitatis nihil omnino habet hæresis. 784.791

G.

Gentium conuersio.

Gentium conuersio. Vide V. Conuersio. lit. C.

H.

Hæretici.

Hæretici nostrorum temporum negant Deum existere. 54.62

Hæretici aut nullum aut plures Deos agnoscunt. 73.75

Hæretici plerique negant Deum esse spiritualem seu immaterialem substantiam. 82.85

Hæretici bonitatem Dei non agnoscunt. 95.105

Hæretici

Hæretici Deum omnipotentem esse non credunt. 109.115
Hæretici summam Dei sapientiam inficiantur. 121.125
Hæretici S. Trinitatem impugnant. 141.143.
Hæretici deuotionis habent nihil. 158. 162.
Hæretici orationem non curant. 195. 203.
Hæretici Deum non adorant. 224.230
Hæretici res sacras non venerantur. 239.243.
Hæretici paucissima eaq; ridicula tēpla excitarunt. 259.262
Hæretici non possunt assignare sacrificium in Euangelica lege propriè dictum. 285
Hæretici omnes oblationes reiiciunt. 296.298.
Hæretici mala fide soluunt decimas. 313.316
Hæretici vota nec faciunt nec reddūt. 332.335.
Hæretici iurant, periurant. 348. 354
Hæretici adiuratione non vtuntur. 360.361
Hæretici pro laudatione Dei blasphemias ingerunt. 380.392
Hæretici Sacramenta eorumq; vsum peruertunt. 408.415
Hæreticorum festa non festa. 431.436
Hæreticorum cæremoniæ perpaucæ & illicitæ. 455.458
Hæretici vsum trium virtutum Theologicarum nullum habent. 493. 500
Hæreticorum zelus frigidissimus. 515. 529
Hæretici minimè humiles. 552.562
Hæretici minimè obedientes. 579.585
Hæretici ieiunium auersantur. 599. 602.
Hæretici pœnitentiam execrantur. 614.617.
Hæretici minimè immunes à superstitione quam Catholicis affingunt. 632.641.
Hæretici tentatores Dei, Sacrilegi, Simoniaci, &c. 653.663.
Hæretici de rebus fidei minimè inter se conueniunt. 683.693
Hæretici nihil minus quàm sancti. 710 722.
Hæretici nullo modo vniuersales siue Catholici. 742.748
Hæretici antiquitate Catholica conuincuntur. 761.770
Hæreticorum synagoga fatiscit, & ruinam minatur. 784.791
Hæreticorum placita nequaquam ardua. 801.808
Hæreticorum non est conuertere animas errantes ad Deum verum. 818.825
Hæretici non obseruant decorum in propagatione suæ hæresis. 843.858
Hæretici omnia confundunt, quæ ad Dei cultum pertinent. 896.903
Hæretici pace & prosperitate temporali non diu fruuntur. 916.927
Hæretici nulla vnquam fecerunt miracula. 940.952

Humilitas.

Humilitas actus tertius imperatus, & nota decima sexta veræ Religionis. 530.562.
Humilitas quid sit, quidue in hominibus operetur. 530.533
Humilitatis actus cur videatur esse religiosus. 533.534
Humilitatis actibus excellunt Catholici. 534.545
Humilitas nulla apud Mahumetanos. 546.551.
Humilitas nulla apud Hæreticos. 552. 562.

I.

Ieiunium.

Ieiunium actus quintus imperatus, & nota decima octaua veræ Religionis. 586.602
Ieiunij natura & ratio expenditur. 586.589
Ieiunium inter Religionis actus reponi debet. 589.591
Ieiunium familiare est Catholicis. 591.597
Ieiunium Mahumetanorum ineptum ac ridiculum. 597.599
Ieiunium Pseudoeuangelicorum aquè ineptum ac ridiculum. 599.602

Iudæi.

Iudæi trinitatem personarum in diuinis non admittunt. Vide V. Trinitas. lit. T.

Iuramentum.

Iuramentum actus sextus externus elicitus, & nota octaua veræ Religionis. 335.354
Iuramentum definitur. 335.337
Iuramentum probatur actus esse Religionis. 337.339
Iuramentum apud Catholicos suis constat numeris. 339.343
Iuramenta Mahumetistarum. 344. 348
Iuramenta recentiorum hæreticorum. 348.354

L.

Laudatio Dei.

Laudatio Dei, actus octauus externus elicitus, & nota decima veræ Religionis. 362.392
Laudatio Dei quidnam sit, & de eius contrarijs. 362.369
Laudatio Dei est actus Religionis. 369. 370.
Laudatio Dei crebra in ore Catholicæ Ecclesiæ. 370.376
Laudatio Dei nulla apud Mahumetanos. 376.380
Laudationis loco Deum blasphemant Pseudoeuangelici. 380.392

Libri hæreticorum.

Libri hæreticorum comburendi. Vide V. Resipiscentes. lit. R.

Lutherani.

Lutherani, &c. Vide V. Hæretici. lit. H.

M.

Mahumetani.

Mahumetani iuxta sua principia negant Deum existere. 51.54
Mahumetani aut nullum aut plures Deos agnoscunt. 71.73

Mahu-

Mahumetani negant Deum esse spiritualem seu immaterialem substantiam. 80.82
Mahumetani bonitatem Dei non agnoscunt. 93.95
Mahumetani omnipotentiam Dei negant, si suis insistant principiis. 108.109
Mahumetani summam Dei sapientiam ignorant. 119.120
Mahumetani de S. Trinitate nihil sciunt. 134.140
Mahumetanorum deuotio nulla. 155.158.
Mahumetani nesciunt orare. 190.195.
Mahumetani nesciunt Deum adorare. 222.224
Mahumetani res sacras non venerantur. 238.239
Mahumetani pauca parumq́ splendida templa extruxerunt. 255.259
Mahumetani carent sacrificiis legitimis. 282.284
Mahumetani carent oblationibus. 294.295.
Mahumetani non soluunt decimas. 310.313
Mahumetanii vota nulla faciunt. 331.332.
Mahumetani iuramenta non seruāt. 344.348
Mahumetani adiurationem nō vsurpant. 360
Mahumetani blasphemiis scatent. 376.380
Mahumetani sacramenta nulla habent. 406.408
Mahumetanorum festa paucissima minimeq́ festiua. 428.431
Mahumetanorum ceremoniæ ineptissimæ. 454.455
Mahumetani vsum trium virtutum Theologicarum nesciunt. 490.492
Mahumetanorum zelus improbissimus. 512.514
Mahumetani carent humilitate. 546.551.
Mahumetani carent obedientia. 576.579.
Mahumetanorum ieiunium ridiculum. 597.599
Mahumetanorum pœnitentia inepta. 612.614
Mahumetani superstitiosi. 628.632
Mahumetani tentationi Dei & simlib. vitiis admodū cognati. 650.653
Mahumetanorum secta non est vna. 680.683
Mahumetanorum sanctitas falsa. 705.710
Mahumetanorum lex minimè vniuersalis siue Catholica. 740. 742
Mahumetani antiquitate cedunt Catholicis. 758.760
Mahumetanorum religio nutat, & labascit. 776.784
Mahumetanorū lex minimè ardua, si eius spectes principia. 799.800
Mahumetani nullas conuerterunt errantes animas ad Deum verum. 817.818
Mahumetani non obseruant decorum in propagatione sui Mahumetismi. 839.843

Mahumetani præclara omnium rerum dispositione destituuntur. 892 896.
Mahumetani pace & prosperitate temporali minimè gaudent. 912. 916.
Mahumetani miraculis carent. 939. 940.

Miracula.

Miracula, effectus quintus & nota trigesima secunda veræ Religionis. 928. 952
Miraculorum nomine quid intelligendum. 928
Miracula quomodo ad effectus Religionis reducantur. 928.930
Miraculis abundant Catholici. 930. 938
Miraculis carent Mahumetani. 939. 940.
Miraculis carent Lutherani, Caluiniani, & similes. 940.952

N.

Notæ Religionis.

Notæ veræ Religionis. Vide V. Religionis notæ. lit. R.

Nouatores.

Nouatores. Vide V. Hæretici. lit. H.

O.

Obedientia.

Obedientia actus quartus imperatus & nota decima septima veræ Religionis. 562.585
Obedientiæ vis & natura explicatur. 562.568.
Obedientia ad Religionis actus reducitur. 569.570
Obedientia præclarissima in Catholicis. 570.576
Obedientia modica in Mahumetanis. 576.579.
Obedientia modicissima in occiduis Nouatoribus. 579. 585

Oblatio.

Oblatio actus tertius externus elicitus, & nota quinta Religionis. 286. 298.
Oblatio quid sit, & in quo à Sacrificio differat. 286
Oblatio actus est Religionis. 287.290
Oblatio apud Catholicos frequens & multiplex. 290.294
Oblatio apud Mahumetanos vix in vsu. 294.295
Oblatio apud sectarios nulla. 296.298

Omnipotentia Dei.

Omnipotentem esse Deo conuenit. 105. 107.
Omnipotentem esse Deum asserunt Catholici. 107.108
Omnipotentiam Dei negant Mahumetani, si suis insistant principijs. 108.109.
Omnipotentiam Dei negant similiter Nouatores. 109.115

Oratio.

Oratio actus secundus internus & elicitus, nota item secunda veræ Religionis. 162.203
Oratio quid sit. 162.163
Orationis conditiones seu qualitates adducuntur. 164.182
Oratio actus Religionis esse ostenditur. 182.183.

Oratio à Catholicis insigniter cum omnibus suis conditionibus vsurpatur. 183.190
Oratio negligitur à Mahumetanis. 190.195.
Oratio nihili fit à Sectariis. 195. 203.

P.

Pax & prosperitas temporalis.

Pax & prosperitas temporalis effectus quartus & nota trigesima prima veræ Religionis. 904.927
Pacis & prosperitatis nomen quid hic significet. 904
Pax & prosperitas veram Religionem sequi solet vt vmbra corpus. 905. 907.
Pax & prosperitas sequitur suapte sponte Catholicam Religionem. 907.912.
Pace & prosperitate temporali caret Mahumetismus. 912.916
Pacem & prosperitatem temporalem exterminat hæresis. 916.927

Pœnitentia.

Pœnitentia, actus sextus imperatus, & nota decima nona veræ Religionis. 603.617.
Pœnitentiæ nomine quid in præsentia intelligatur. 603.604
Pœnitentia actus rectè dicitur à Religione imperatus. 605. 607
Pœnitentia feruet apud Catholicos. 607.611.
Pœnitentia parui fit à Mahumetanis. 612.614.
Pœnitentia exploditur à Pseudoeuangelicis. 614.617

Pœnitentes.

Pœnitentes. Vide V. Resipiscentes. lit. R.

Prædicantes.

Prædicantes. Vide V. Hæretici. lit. H.

Professio Fidei.

Professio fidei publicè facienda. Vide V. Resipiscentes. lit. R.

R.

Religio.

Religio quid sit, de obiecto remoto eiusdem, de dignitate & actibus in genere. 41.47

Religionis Actus.

Religionis actus primus internus & elicitus Deuotio. 144.162
Religionis actus secundus internus & elicitus Oratio. 162.203.
Religionis actus externus & elicitus primus Adoratio. 204.230
Religionis actus secundus externus & elicitus Sacrificium. 263.285
Religionis actus tertius externus & elicitus Oblatio. 286.298
Religionis actus quartus externus & elicitus Decimarum solutio. 298. 316.
Religionis actus quintus externus & elicitus Votum. 316.335
Religionis actus sextus externus & elicitus Iuramentum. 335.354
Religionis actus septimus externus & elicitus Adiuratio. 354.361
Religionis actus octauus externus &

Digitized by Google

elicitus Laudatio Dei. 362.392
Religionis actus nonus externus & elicitus, Sacramenta, eorumq; vsus. 392.415
Religionis actus decimus externus & elicitus Festa eorumq; vsus. 416.436.
Religionis actus vndecimus externus & elicitus, minores caremoniæ. 436.458
Religionis actus primus imperatus, vsus trium virtutum Theologicarum. 459.500
Religionis actus secundus imperatus zelus 501.529
Religionis actus tertius imperatus Humilitas. 530.562
Religionis actus quartus imperatus Obedientia. 562.585
Religionis actus quintus imperatus Ieiunium. 586.602
Religionis actus sextus imperatus Pœnitentia. 603.617

Religionis Notæ.

Religionis vera Nota prima Deuotio. 144.162
Religionis Nota secunda Oratio. 162.203.
Religionis Nota tertia Adoratio. 204.230.
Religionis Nota quarta Sacrificium. 263.285.
Religionis Nota quinta Oblatio. 286.298.
Religionis Nota sexta Decimarum solutio. 298.316
Religionis Nota septima Votū. 316.335
Religionis Nota octaua Iuramentum. 335.354
Religionis Nota nona Adiuratio. 354.361.
Religionis Nota decima, laudatio Dei. 362.392
Religionis Nota vndecima, Sacramenta, eorumq; vsus. 392.415
Religionis Nota duodecima, Festa, eorumq; vsus. 416.436
Religionis Nota decima tertia, minores caremoniæ. 436.458
Religionis Nota decima quarta, vsus trium virtutum Theologicarum. 459.500
Religionis Nota decima quinta, zelus. 501.529
Religionis Nota decima sexta Humilitas. 530.562
Religionis Nota decima septima Obedientia. 562.585
Religionis Nota decima octaua Ieiunium. 586.602
Religionis Nota decima nona, Pœnitentia. 603.617
Religionis Nota vigesima, Exclusio superstitionis, vitÿ Religioni per excessum oppositi. 618.641
Religionis Nota vigesima prima, exclusio tentationis Dei, & similium vitiorum Religioni aduersantium per defectum. 641.663
Religionis Nota vigesima secunda, vnitas. 664.693
Religionis Nota vigesima tertia, sanctitas. 693.722
Religionis Nota vigesima quarta, vniuersitas. 723.748

Digitized

Religionis Nota vigesima quinta, antiquitas. 749.770

Religionis Nota vigesima sexta, Firmitas seu Constantia. 771.791

Religionis Nota vigesima septima, Arduitas. 792.808

Religionis Nota vigesima octaua, conuersio errantium animarum ad Deum verum. 809.825

Religionis Nota vigesima nona, Obseruatio decori circa propagationem Religionis. 825.858

Religionis Nota trigesima, praeclara dispositio rerum omnium ad Dei cultum pertinentium. 859.903

Religionis Nota trigesima prima, Pax & prosperitas temporalis. 904.927

Religionis Nota trigesima secunda, Miracula 928.952

Religionis Proprietates.

Religionis proprietas prima, vnitas. 664.693.

Religionis proprietas secunda, sanctitas. 693.722

Religionis proprietas tertia, vniuersitas. 723.748

Religionis proprietas quarta, antiquitas. 749.770

Religionis proprietas quinta, Firmitas seu constantia. 771.791

Religionis proprietas sexta, Arduitas. 792.808

Religionis effectus.

Religionis effectus primus, conuersio errantium animarum ad Deum verum. 809.825

Religionis effectus secundus, obseruatio decori circa propagationem Religionis. 825.858

Religionis effectus tertius, praeclara dispositio rerum omnium ad Dei cultum pertinentium. 859.903

Religionis effectus quartus, Pax & prosperitas temporalis. 904.927

Religionis effectus quintus Miracula. 928.952

Religioni opposita vitia.

Religioni opposita vitia per excessum. Vide V. Superstitio. lit. S.

Religioni opposita vitia per defectum. Vide V. Tentatio Dei, & V. Sacrilegium, & Simonia, &c. lit. S. & T.

Religionis propagatio.

Religionis propagatio. Vide V. Decori obseruatio, lit. D.

Resipiscentes.

Resipiscere cogitantes, quàm maximè se in hac sancta cogitatione stabiliant. 953.957

Resipiscentes non absterreantur metu damni alicuius temporalis. 958.964

Resipiscentes Praedicantium aliorumq; querelas, verba & terriculamenta surda aure praetereant. 964.970

Resipiscentes animum non despondeant ob aliquas difficultates quas secum affert Catholica Religio. 970.976

Resipiscentes ne à secta sua recedentes iure se infamandos credant velut inconstantes ac perfidos. 976.980

Resipiscentes nullo modo ijs fidem habeant, qui quemlibet in sua religione saluari posse contendunt. 981.986.
Resipiscentes ne procrastinent, sed abrumpant moras omnes. 987.991
Resipiscentes publicè si opus sit heresim & sectam suam eiurare non vereantur. 991.993
Resipiscentes de heresi & secta sua & alijs peccatis dolorem verum concipiant cum firmo proposito vitæ melioris. 994.998
Resipiscentes omnia peccata sua integrè & sincerè legitimo sacerdoti confiteantur. 999.1006
Resipiscentes idoneũ & quàm optimũ Confessarium sibi eligant. 1007.1011
Resipiscentes iniuncta sibi à Confessario pœnalia opera fideliter obeant. 1017.1011.
Resipiscẽtes amplexatam Religionem Catholicam verbis factisq́; cũ opus fuerit profiteantur. 1017.1021
Resipiscentes fugiant quoad poterunt consortia Hæreticorum omnium, ac inprimis periculosiorum. 1021.1028.
Resipiscẽtes Hæreticæ prauitatis libros qui sibi sunt, flammis aboleant. 1029.1038.
Resipiscentes subrepentibus in posterũ dubiis Catholicos consulant pietate & eruditione cõspicuos. 1038.1042
Resipiscentes aduersa aliqua expectẽt, seq́; ad ea fortiter ferenda maturè comparent. 1042.1048
Resipiscentes in amplexata Religione Catholica toto reliquo vitæ tempore infracti perseuerent. 1049.1052.

S.

Sacramenta.

Sacramenta, eorumq́; vsus, actus nonus externus elicitus, & nota vndecima veræ Religionis. 392.415
Sacramenti definitio proponitur. 392.369.
Sacramentorum vsus ad Religionem spectat. 396.397
Sacramentorum vsus in Ecclesia Catholica maximè perspicitur. 397.406.
Sacramentorum vsus nullus apud Mahumetanos. 406.408
Sacramentorum vsus nullus apud Nouatores. 408.415

Sacrificium.

Sacrificium actus secundus externus & elicitus Religionis, & nota quarta eiusdem. 263.285
Sacrificium quid sit. 263.264
Sacrificium vnum aliquod verum ac proprium in Euangelica lege admittendum quod frequentetur. 265.269.
Sacrificium actus est Religionis. 269.271.
Sacrificium præclarè assignatur à Catholicis. 271.282
Sacrificium nullum apud Mahumetanos. 282.284
Sacrificium nullũ apud Sectarios. 285

Sacri-

Sacrilegium.

Sacrilegium, vitium Religioni aduersum per defectum. 641.663

Sacrilegium quid sit. 641.646

Sacrilegium omne à Catholica professione alienissimum. 646.650

Sacrilegi Mahumetani. 650.653

Sacrilegi etiam Nouatores hæretici. 653.663

Sanctitas.

Sanctitas, proprietas secunda, & nota vigesima tertia veræ Religionis. 693.722

Sanctitatis nomine quid in præsentia intelligendum. 693.694

Sanctitas est proprietas Religionis. 695.697

Sanctitas in Catholica Religione valde conspicua. 697.705

Sanctitas nulla apud Mahumetanos. 705.710

Sanctitas nulla apud falsò dictos Euangelicos. 710.722

Sapientia Dei.

Sapientia summa Deo inest. 116.118

Sapientiam Deo inesse persuasissimum habent Catholici. 118.119

Sapientiam Dei negant Mahumetani. 119.120.

Sapientiam Dei negant Sectarij. 121.125.

Sectarij.

Sectarij. Vide V. Hæretici. lit. H.

Simonia.

Simonia vitium Religioni aduersum per defectum. 641.663

Simonia quid sit. 641.646

Simonia omnis à Catholica professione longè alienissima. 646.650

Simoniæ cognati Mahumetani. 650.653.

Simoniæ affines Pseudoeuangelici. 653.663

Spes.

Spes vna ex tribus virtutibus Theologicis. 459.500

Sperare Deum quid sit. 459.480

Spei actus imperatus à Religione, spectansq; ad eius perfectionem. 480.483.

Spes viget apud Catholicos. 483.490

Spes nulla apud Mahumetanos. 490.493.

Spes nulla Nouatoribus Pseudoeuangelicis. 493.500

Spiritualis Dei substantia.

Spiritualis quædam seu immaterialis substantia est Deus. 75.78

Spiritum esse Deum credunt Catholici. 78.79

Spiritum esse Deum negant Mahumetani. 80.82

Spiritum esse Deum negant plerique Sectarij. 82.85

Superstitio.

Superstitionis exclusio, nota vigesima veræ Religionis. 618.641

Superstitio vitiũ Religioni oppositum per excessum. 618.619

Superstitio quid, & quæ eius species. 618.620

Superstitionis omnis expers Catholica Ecclesia, quicquid calumnientur Aduersarij. 620.628

Superstitiosi Mahumetani. 628.632
Superstitiosi quoq; Pseudoeuangelici. 632.641.

T.

Templum.

Templum idoneus adorationis locus. 243.
Templi nomine quid intelligatur. 243.248
Templum ad decentiā perfectionemq; Religionis est necessarium. 248. 249.
Templa quot, qualia, & quam magnifica à Catholicis extructa. 249.255
Templa Mahumetanorum pauca minusq; augusta. 255.259
Templa à Sectarijs extructa paucissima, eaq; ridicula. 259. 262

Tentatio Dei.

Tentationis Dei exclusio, nota vigesima prima veræ Religionis. 641. 663.
Tentatio Dei vitium est Religioni oppositum per defectum. 641.642
Tentatio Dei quid sit. 641.646
Tentatio Dei alienissima est à Catholica professione. 646.650
Tentatio Dei frequens apud Mahumetanos. 650.653
Tentatio Dei familiaris Pseudoeuangelicis Nouatoribus. 653. 663

S. Trinitas.

Trinus est verus Deus in personis. 125. 133.
Trinitatem diuinarum personarum in vna vera Dei essentia seu diuinitate credunt Catholici. 133.134
Trinitatem diuinarum personarum negant Mahumetani & Iudæi. 134 140.
Trinitatem diuinarum personarum negant Nouatores. 141.143

Turcæ.

Turcæ Vide V. Mahumetani. lit. M.

V.

Veneratio rerum sacrarum.

Veneratio rerum sacrarum quænam sit & quotuplex. 230.231
Veneratio rerum sacrarum ad Religionis actus reuocatur. 231.235
Veneratio hæc perfecte viget apud Catholicos. 235.238
Veneratio hæc negligitur à Mahumetanis. 238.239
Veneratio hæc nulla apud Pseudoeuāgelicos. 239. 243

Virtutes Theologicæ.

Virtutum trium Theologicarum vsus, actus primus imperatus, & nota decimaquarta veræ Religionis. 459.500
Virtutum Theologicarum actus, in Deum credere, sperare, & diligere, quid sint. 459.480
Virtutum Theologicarum actus imperantur à Religione, spectantq; ad eius perfectionem. 480.483
Virtutum Theologicarum actus vigent apud Catholicos. 483.490
Virtutum Theologicarum vsus nullus apud Mahumetanos. 490.492
Virtutib. Theologicis locus nullus apud Sectarios. 492.500

Vnitas Dei.

Vnus est Deus. 63.67

Vnicum

Vnicum Deum agnoſcunt Catholici. 68.71
Vnum Deum negant Mahumetani. 71.73
Vnum Deum negant Sectarij. 73.75

Vnitas Religionis.

Vnitas, prima proprietas, & vigeſima ſecunda nota veræ Religionis. 664. 693.
Vnitas hæc in quo ſita ſit. 664.665.
Vnitas meritò aſſeritur eſſe Religionis proprietas. 665.671
Vnitas hæc in Catholica Religione perſpicuè ſe prodit. 671.680
Vnitas Mahumetanorum obſcuriſſima. 680.683
Vnitas Hæreticorum planè nulla. 683. 693.

Vniuerſalitas.

Vniuerſalitas, tertia proprietas, & nota vigeſima quarta veræ Religionis. 723.748
Vniuerſalis ſeu Catholica Religio quæ dicatur. 723
Vniuerſalem eſſe conuenit veram Religionem. 723.725
Vniuerſalis eſt Romana, ſiue Catholicorum Religio. 725.740
Vniuerſalis non eſt Mahumetanorum ſecta. 740.742
Vniuerſalis multò minus eſt Nouatorum hæreſis. 742.748

Votum.

Votum actus quintus externus elicitus & nota ſeptima veræ Religionis. 316.335
Votum quid ſit. 316.320
Votum rectè annumeratur actibus Religionis. 321.323
Votorum vſus apud Catholicos planè inſignis. 323.331
Vota Mahumetanorum. 331.332
Vota Hæreticorum recentiorum planè nulla. 332.335

Z.

Zelus.

Zelus actus ſecundus imperatus, & nota decimaquinta Religionis. 501. 529.
Zelus quid propriè. 501.503
Zelus locum ſibi iure depoſcit inter actus Religionis. 503.505
Zelus inſignis valdè eſt in Eccleſia Catholica. 505.512
Zelus improbiſſimus in ſecta Mahumetis. 512.514
Zelus frigidiſſimus in Sectarijs. 515. 529.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized b

9-1-3

ogle